UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium consignavit

Secvnda Pars Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1688**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38666**

Visual Library

Th. 922 a

K
V
10

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SECUNDA PARS MIRABILIS VITÆ VENERABILIS VIRGINIS MARINÆ De ESCOBAR VALLISOLETANÆ, FUNDATRICIS REFORMATARUM MONIALIUM ORDINIS SANCTÆ BIRGITTÆ.

PRAGÆ,
Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad Sanctum Clementem.
ANNO M.DC.LXXXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




SECVNDA PARS
Mirabilis Vitæ Venerabilis
MARINÆ
DE ESCOBAR,
Fundatricis Reformati Ordinis
S. BIRGITTÆ
Desumpta ex ijs, quæ ipsamet
jussu Patrum suorum Spiritualium
conscripsit.
In qua et ea continentur quæ me-
morabilem ipsi, obitū reddiderunt
Edita idiomate Hispanico â
P. Andrea Pinto Ramirez
è Societate IESU
Latinè vero reddita â P. Melchiore
Hanel ejusdem Societatis.
S. Ignatius de Loyola
Fundator Societatis IESV
S. Francisc. Xavervs
Apostolus Indiarum
Venerabilis P. Ludovic. de Ponte Societatis IESV
I.G. Dampervliet sc.



*REVERENDISSIMO*

*&*

*CELSISSIMO*

DOMINO DOMINO

CAROLO

DEI GRATIA

EPISCOPO

OLOMUCENSI,

DUCI,

S. R. I. PRINCIPI,

REGIÆQVE CAPELLÆ

BOHEMIÆ,

Et

DE LICHTENSTEIN

COMITI,

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

MArina de Escobar iterum comparet, lucem publicam à luce REVERENDISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINIS mutuata, quam dum in apricum produco, *Arbores DEI canam*: hoc enim significat anagrammate justo transpositа *Marina de Escobar*. quæ cùm à Patre luminum irradiata *scientiam salutis* (Lucæ 1.) animo concepit, est Arbor scientiæ; cùm autem vitam DEO dignam exemplo docuit, Arbor vitæ dici meretur. Nôsse videlicet ac posse divini spiritûs adjumenta sunt; si velle nostrum accedat; vitâ vivimus per gratiam illius, *qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* (ad Philip. 2.)

Pars Vitæ prior Hiſpanæ hujus Heroinæ, antehac per me ex idiomate hiſpanico translatæ, continebat Ejuſdem ſcientiam ac vitam propemodum illam tantùm, quam admirari licuit, non imitari: nam revelationes cœleſtes, raptus, arcani cum DEO congreſſus, ac horum ſimilia ſunt gratiæ gratìs datæ, muneráq; divini Spiritûs, *qui ubi vult, ſpirat* (Joan. 3.) *dividens ſingulis prout vult.* (1. Cor. 12.) Hæc verò altera Pars Arborem quidem etiam refert ſcientiæ, ſed, quemadmodum in ſcholis loquimur, magìs practicæ, & non ſolùm ſpeculativæ; refert Arborem vitæ, quam non admirari duntaxat, verùm imitari quoq; conceſſum. Exemplis nempe potentiùs ad virtutem trahimur, quàm præceptis, & conſecutionis indubitatæ eſt præjudicium, à validioribus ea fieri poſſe, quæ per ſexum inferiorem jam facta videmus.

His Arboribus ſcientiæ ac vitæ, velut ſtirpibus, alij fuerunt inſerti diverſarum virtutum ſurculi, & inde progerminaverunt novæ aliæ Arbores, regni quondam arbo-

arborei candidatæ (Judic. 9.) in quibus nec ficûs dulcedinem, nec oleæ pingvedinem, nec vitis fructum, qui DEUM hominéſq; lætificat, deſideraremus, ſi liberet, aut per ſtudium brevitatis liceret, has arborum naturas ad proprietates virtutum, quibus *Venerabilis Marina* pollebat, per traduces quaſi propagines derivare. Sed enim cùm *Arbores DEI canam*, dum eloquio & elogio brevi canitur *Marina de Eſcobar*, malui totum ſimul viridarium, & horti totius conſitiones, quàm ſingulas ſeorſim plantas, aut varios carptim fructus REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI VESTRÆ dedicare. Nimirùm ſicut ædificium in fundo, germen in agro, arbor in horto illi fructificat, cujus eſt fundus, ager, & hortus, ità quæ ſervorum ſunt, meritò in jura tranſeunt Dominorum.

Ego, qui pluribus jam luſtris in REVERENDISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINIS obſequijs atque ſervitijs indignus verſor, aſpirantibus favoris clementiſſimi favonijs, irrigantibus tot gratiarum pluvijs, irradiantibus tam ſerenæ lucis fulgoribus, quod

potui frúctûs interpretationis meæ opellâ germinare, totum Eidem debere me profiteor, præsertim cùm & IPSA REVERENDISSIMA CELSITUDO VESTRA tota sit illius, cujus esse debemus ex toto omnes: *neq; enim qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat DEUS.* (1. Cor. 3.) Ad hunc refertur omnis fructus *Arboris* illius *pulcherrimæ* (Levit. 23.) quæ in eam surrexit celsitudinem, quantam humillimè admiror in PRINCIPE meo CLEMENTISSIMO. Huic REVERENDISSIMA CELSITUDO VESTRA dedicat *salutis fructum* (Eccli. 1.) in tot millibus animarum, suis curis & impensis per Missionarios Societatis Jesu ad salutem reductis, jam inde ab Episcopatûs Sui primordio, per annos viginti quatuor, & quod excurrit, productum. *Fructum* præterea *frumenti, vini, & olei* (Ps. 4.) quem Turzani multiplicavit, cultus Marianos promovendo, templum cum thaumaturga Divæ Virginis statua eidem Societati donando, atque ex hac ibidem Sacerdotes dotando, qui *frumentum electorum, & vinum germinans Virgines* (Zach. 9.)

quoti-

quotidianis Sacrificijs DEO litarent, quos etiam *frumento & vino*, idoneâ fundatione, *ſtabilivit.* (Geneſ. 27.) *Fructum* quoq; dedicat honoris (Eccli. 24.) Aviam CHRISTI, Deiparæ Matrem, S. Annam, illuſtri baſilicâ in Altwaſſer, ad Libaviam, honorando; fructum *ligni ſcientiæ* (Gen. 2.) quod plantavit, fundans Cremſirij Collegium Scholarum Piarum, & per has *ſapientiam præſtans parvulis.* (Pſal. 18.)

Hos alióſque fructus pulcherrimos REVERENDISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINIS, dum reverentiſſimè ſuſpicio, devotiſſimè veneror, audeo *de fructu* unà *manuum* (Proverb. 31.) mearum pauxillum adjicere, demiſsiſſimè ſupplicans, ut REVERENDISSIMA CELSITUDO VESTRA clementiſſimè dignetur eâ ſerenitate veterem ſervum proſequi, quâ pridem dignata fuit imeritum prævenire, laborémq; hunc meum, quem vix conceptum ſui juris effecit, eundem jam partum, ac in lucem editum, in ſuæ lucis communionem, ſuáſque poſſeſſiones recipere, munus non magno Domino dignum, ſed minimo ſervo conveniens,

niens, qui non quantum vult aut debet, sed quantum potest, præsentat.

Et quoniam sub Maij primitias arbores præ foribus Magnatum collocantur, ego PRINCIPI meo ac DOMINO CLEMENTISSIMO totam Arborum Escobarianarum seriem ad fores Celsissimas, in monimentum qualequale gratitudinis, erigo, DEUM, qui in paradyso voluptatis plantavit omne lignum pulchrum visu, & aspectu delectabile, votis assiduis precaturus, ut ijs lignum vitæ longævæ superaddat, conservans REVERENDISSIMAM CELSITUDINEM VESTRAM diu incolumem, póstq; annos Ven: Virginis *Marinæ* ætati suppares, Eandem à vita, gratijs, gaudijs, ac meritis cumulata, Beatitudinis remuneretur æternitate. Cremsirij Calendis Maij An. 1688.

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS VESTRÆ

*Submississimus ac devinctissimus*
*Capellanus & servus*

Melchior Hanel S.I.

PROLO-

# PROLOGUS EDITIONIS HISPANICÆ.

PRima Pars admirabilis vitæ, & heroicarum virtutum Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, scripta fuit à Venerabili Patre Ludovico de Ponte, ipsius Conscientiæ Arbitro: cujus spiritus, doctrina ac sanctitas est abundè in Ecclesia Catholica perspecta, & pro quo in Sanctorum numerum referendo, ex commissione Sanctissimi Domini Nostri Clementis X., consuetâ Ecclesiæ solennitate, sunt factæ informationes, postquam priùs in Sacra Rituum Congregatione, unà cum reliquis ab illo editis libris, examinata fuit etiam vita ab eodem conscripta hujus Venerabilis Virginis. Pars secunda, quæ nunc in lucem prodit, parem habere Authorem non poterat, per quem illi tantum conciliaretur æstimationis, quanta priori per tantum Virum accessit. Quamobrem convenire videbatur, quin etiam esse necessarium, ut residuum vitæ Venerabilis Virginis, ad beatum usque ipsius ex hac mortalitate transitum P. Andreas Pintus Ramirez, scriptor ab insigni sua cùm humanarum, tum divinarum peritia literarum apprimè notus, ità disponeret, ut omnia Venerabilis Virginis acta ad eum referrentur modum, quo ab ipsamet conscripta fuêre, ac tradita Patri Michaëli de Orenja, Præposito quondam Castellanæ Societatis Jesu Provinciæ, quem usque ad felicem suum obitum Conscientiæ habuit Moderatorem: quâ quidem ratione ejus erunt authoritatis, quam habere poterant maximam, ut ipsis fides adhibeatur, & ex æquo æstimentur: útque ea, quæ in ejus morte, ac deinceps evenerunt, enarrarentur, non aliâ ijs attributâ

autho-

*authoritate, quàm illi mereantur, qui teſtes omnium extiterunt. Digeſſit verò Pater Andreas Pintus Ramirez acta ſecundæ hujus partis ſuo ſingula loco reponendo, &, quoad fieri poterat, temporum obſervando ac ſcriptorum ordinem, utì ex ipſa patebit hiſtoria. Declarat quædam, ut eò percipiantur meliùs, & quæcunque de ſuo addit, diſcernuntur charactere, ut Lector hæc ſcripta inoffenſo percurrat pede. Quod ad hanc vitæ Venerabilis Virginis Marinæ partem attinet, quiſquis primam evolverit, uſqueadeò iſtam cum illa inveniet concordare, ut minimè ſit dubitaturus, quin ab eodem utraq; ſpiritu fuerit profecta. Provincia Caſtellana Societatis Jeſu omnem adhibuit diligentiam, quam contenta in hac poſteriore parte exigunt, ut ipſa quoque non minùs accepta foret, quàm tam admirandæ Virginis ſanctitas expoſcat, de qua in Sanctorum album referenda ardenter agitur. Quantumcunque autem varia ſint hominum ab invicem diſſidentium judicia, in eo tamen conſentire omnes oportet, nec his, neque alijs temporibus, abbreviatam eſſe manum Dei, ſed neque unquam abbreviandam: quandoquidem Romana Catholica ipſius Eccleſia eſt, fuit, & erit Sancta; atque hac ſanctitate inter cætera differt, & hactenus ab omni alia differebat Religione, cùm in nulla, extra Catholicam Romanam Eccleſiam, vera locum habere poſſit ſanctitas. Gratias Deo ex toto nos agere corde par eſt, quòd eam hoc etiam ſeculo voluerit reſplendere in multis ſuis utriuſque ſexûs ſervis, totidem divinis & authenticis veræ fidei teſtibus, quam Romana Catholica Eccleſia profitetur, ut nobis inde ſit ſolatium, horum verò temporum Sectarij perfundantur rubore.*

FACUL·

# FACULTAS PROVINCIALIS.

*PEtrus Hieronymus de Corduba Societatis Jesu, per Provinciam Castellæ Præpositus Provincialis, ex speciali Admodum R. P. Joannis Pauli Oliva, nostri Præpositi Generalis, commissione, concedo, ut typis mandetur Secunda Pars Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar Vallisoletanæ, conscripta à Patre Andrea Pinto Ramirez ejusdem Societatis, quæ examinata fuit ac approbata à doctis & gravibus Societatis nostræ Viris. In cujus rei testimonium do has præsentes manu meâ subscriptas, & officij mei sigillo munitas, in isto Collegio S. Patris nostri, Vallisoleti* 1. *Martij An.* 1672.

Petrus Hieronymus de Corduba
Provincialis Castellæ.

---

# APPROBATIO,

## Data à Reverendissimo P. M. Fr. BENEDICTO de SALAZAR, Generali Magistro Ordinis S. Benedicti, in Supremo Inquisitionis Consilio Qualificatore, Serenissimi Regis nostri in Congregatione Immaculatæ Conceptionis Theologo, & Regiæ Domûs S. Ambrosij de Cuculla Abbate.

EX commissione habita à Domino Doctore Francisco Forteza, Abbate S. Vincentij, Sanctæ & Primatis Ecclesiæ Toletanæ Prælato, Madriti, & per annexum territorium Vicario, revidi SECUNDAM exemplaris Vitæ Venerabilis Dominæ Marinæ de Escobar PARTEM, quam ex ejusdemmet scriptis concinnavit P. Andreas Pintus Ramirez Societatis JESU, filius Illustrissimæ Provinciæ Veteris Castellæ. Quanquam autem argumentum sit perquam delicatum, & opus præcellens, uti Lectores in ejus evolutione agnoscent, cùm sit sublimissimum, utpote dives & abundans prodigiosis gratijs, à Deo huic Virgini famulæ suæ præstitis; quod me tamen, ut hanc vitam approbem, censeámq; posse inoffenso decurri pede, ùt ajebat Hieronymus de libris Hilarij scribens ad Lætam, securum reddit, illud est, quia video, non solùm esse scriptam à Patre Pinto, ejusdémque perspicacissimo expensam ingenio, verùm etiam prudenti probatam judicio totius Provinciæ Castellæ Veteris, cujus nomine editur. Quâ quidem ego meliorem non existimo quæri posse, exquisitissimi exploratorem auri, quale præsens Liber continet, quódq; orationis insistendo exercitijs reperitur, si vigili investigetur contemplatione, & animi demissione perpurgetur. Cùm verò recepta sit in scholis opinio, unum sufficere virum doctum, ad probabilitatem alicui sententiæ in triplici Theologia, mystica, morali, & scholastica, adstruendam; quantò magìs id sufficiet, quòd integra Provincia, quæ insignissimos protulit Viros, aurum istud examinaverit & exploraverit, tot adhibitis luminibus, ac tot undequaque aptissimis,

ad omnigenæ doctrinæ præstantiam manifestandam, lapidibus lydijs: qua in re singularem videtur accepisse gratiam à suo Patriarcha & Fundatore S. Ignatio, tanquam ejusdem primogenita, qui post inflammatum à se cor Xaverij, sui veluti primitivi spiritûs incendia, inter numerosam dispertivit progeniem filiorum, quos hæc Provincia dedit Ecclesiæ, omnes vitæ asceticæ Magistros: quorum speciali dexteritate, in peritia ducendarum ad cœlum animarum, ipsam DEUS eminere fecit, committendo illi arduum probandorum spirituum negotium, ut ei applicari possit, quod meus Sanctus Pater Gregorius allegoricè, de illis cœlestis Patrisfamilias servis, dixit: *Subtilia de internis intelligunt.* Et verò, ut nihil dicam de Jacobo Laynez, Ignatij in Generalatu Successore, déque primis Sancti illius Patriarchæ socijs, qui propè omnes fuêre ex hac Veteris Castellæ Provincia, sufficiebat P. Balthasar Alvarez, ad præbendum tam pretiosorum metallorum specimen & experimentum, quandoquidem ab ipso Deo electus fuit in Confessarium, ac directorem Spiritûs Sanctæ Teresiæ à JESU, de quo Illustris hæc Hispana complura recenset. Admirandi istius viri discipulus extitit Beatus Pater Ludovicus de Ponte, cujus vitam ac doctrinam eo tempore DEUS reddidit spectabilem, ut esset columna lucens, quæ hanc Beatam Virginem viâ mundo admodum ignotâ duceret, assistendo ipsi usque ad Annum millesimum sexcentesimum vigesimum quartum, quo ex vivis excessit, & omnia conscribendo, quæ eo conscio per id tempus, quo illi fuit à confessionibus sacris, acta fuerunt. Quisquis porrò hujus Virginis, ac talis Confessarij prudentiam, æquâ expenderit lance, inveniet, posse ad illum jure meritò referri, quod à Deo dictum est Jeremiæ: (cap. 27.) *Probatorem dedi te in populo meo robustum, & scies, & probabis viam eorum.* Quàm admirabilis in hoc genere fuerit Pater Ludovicus de Ponte, commprobant illius Libri, & clarè intelliget, quicunque ducem egerit spiritualem animarum, cùm exactissimè in operibus ipsius omnes mysticæ Theologiæ partes habeat explicatas. Quod attinet ad revelationes, earundémq; necessariam cognitionem, propter periculum, nè veræ damnentur tanquam falsæ, & vicissim falsæ admittantur pro veris, tanti res hæc est momenti, ut nos idcirco admonuerit Sanctus Paulus (Thess. 1.) *Prophetias nolite spernere, omnia autem probate.* Ex eo jam tempore necessarium fuerit hoc documentum, cùm nobis illud inculcaverit Apostolus. Reperiuntur namque nonnulli, qui adeò perfunctoriè res dijudicant, ut existiment, nè in aliqua revelatione erretur, expedire, si omnibus denegetur fides, vilipensis illis, tanquam periculosis, minúsve necessarijs, aut supervacaneis. Hos profectò dictamen suum corrigere oportet, animadvertendo, quod ipsis Apostolus proponit dicens, non esse aspernandas, sed examinandas, atque conferendas cum regulis Ecclesiæ, ac Doctorum, ut veræ discernantur à falsis. Qua in re hæc DEI famula tam exactâ fuit prædita cognitione, quàm ipsamet in Prima Vitæ suæ Parte explicuit, ut penitus secura sit existimanda illustratio, cujus ductum sequebatur illius spiritus, etiamque veritas, cui ejus cognitio innitebatur.

Obstupescenda est magnitudo & copia revelationum, quarum fortunata hæc Virgo eam habuit gratiam, ut, qui eas legerit, visurus sit, quòd continuatâ quasi serie sese toto promemodum vitæ ipsius decursu consequantur: & si quispiam se passus fuerit à rebus duci terrenis, fieri potest, ut ipsâ multiplicitate perturbetur, quò minùs intelligat, quid spiritus indipisci valeat. Verùm & ista ad amussim regulæ Paulinæ est exploranda, in qua id nobis Gentium Doctor consignatum reliquit, non ideo, quòd revelationes sint multæ, habendas esse pro suspectis, sed revocandas, cum omnibus cognitionis earum principijs, ad examen, habito respectu tam ad Deum, quàm etiam ad personam, cui aliquid ab illo revelatur, ipsásque res revelatas: ad quæ fundamenta attendendum esse doctè advertit Pater Petrus Thyræus, (de Div. appar. lib. 4. cap. 9. n. 3.) dicens: *Quid quòd in privata nostra (persona) major animi præparatio affingi videtur? Et apti magis ad DEUM audiendum plerumque fuerint, qui privatim, ut ità dicam, cum DEO egerunt, quàm plurimi, aut Sacerdotes, aut Prophetæ? Hujus id argumentum est, quòd*

*quòd integritas, probitásque vitæ, DEO occasionem præbuisse videatur, ut familiariùs cum quibusdam ageret, & se suáque ipsis communicaret, qui jam se totos DEO, divinisque mancipássent.* Ut proinde suppositâ integritate vitæ & congruentiâ, quam habere necesse est id, quod revelatur, non sit rationabile cogitare, DEUM hodiéque non agere cum amicis suis, quod semper egit cum ijs, qui anterioribus seculis vixerunt. Limitem autem præfigere divinis revelationibus, vel eas contemnere, quòd sint multæ, non caret impudentiâ quadam animi, etiámque judicio suo, qui eousque progreditur, videtur taxare velle DEO favores & gratias; cùm tamen constet, quòd deliciæ ipsius sint cum filijs hominum, atque, ùt à Salomone dictum novimus, sit *cum simplicibus sermocinatio ejus.* (Proverb. c. 3.)

Revelationibus privatis non est fides, & pia credulitas neganda, dum eas asseverat, qui à vitæ, ad omnem prudentiæ & probitatis legem compositæ, integritate fuit conspicuus. Attollenda verò est cogitatio ad id, quod infinitæ consvetum est bonitati, ut sese, ità loquendo, erga suos amicos expectoret, arcana illis sua manifestando: non autem sinendum, ut terræ impacta vilescat, quasi oppressa à magnitudine & multiplicitate revelatorum mysteriorum.

Inter commendabilia, quæ ad fidem revelationibus adhibendam requiruntur, non est postremum, si acceptentur absque illarum affectatione, & silentio premantur, absque earundem propalatione; quin imò cum desiderio, nè divulgentur, evitando per secretum laqueos, quorum præbere occasionem potest applausus hominum, ob æstimationem, quam Divini favores conciliant. Id quod idem Thyræus ponderavit in Sancta Matre nostra Hildegarde, quam Prælatorum adigere oportebat imperio, ut collatas sibi à Deo gratias manifestaret: qua in re quoquè, circumspectissimè agendo, excelluit magnus Arsenius, Magister Principum Arcadij & Honorij, filiorum Theodosij Senioris. Quodsi quandoque necessitate compellebatur ad propalandas DEI revelationes, referebat illas tanquam alteri cuipiam, non verò sibi factas. Atque Sancta Lidwina idem facere studuit, ut eas non aperiret, nisi Superiorum, & sæpe DEI urgente mandato, cui propterea hæc Sancta dicere solebat: *Sufficit enim mihi gratia tua.* Taciturnitas autem ista, in non prodendis revelationibus, efficax est non solùm vitæ perfectæ argumentum, sed etiam veritatis, quam continent. Jam qui attenta & matura cum consideratione legerit Vitam Venerabilis Dominæ Marinæ de Escobar, tot reperiet testimonia, ipsam non aliter processisse, quot fuerunt revelationes, in quibus se DEUS illi manifestabat. Quæ in prima parte extant mirum in modum concordant cum ijs, quæ de ipsius perfectione, & felici obitu in hac secunda referuntur, & faciunt, ut absque hæsitatione pronuntiandum sit, nihil in ea tota reperiri, quod discrepet à mysterijs Sanctæ nostræ Fidei, bonis moribus, aut doctrina Patrum Ecclesiæ; quin potiùs præclara motiva, ad Deum in ipsius creaturis laudandum, quas summis dignatur exornare gratijs. Quocirca dignum judico esse hunc Librum, ut petita pro eo facultas concedatur. Ità sentio, in nostro Conventu Sancti Martini. Madriti 26. Aprilis, Anno 1672.

Fr. Benedictus de Salazar.

---

# LICENTIA ORDINARII.

*NOs Doctor Franciscus Forteza, Abbas S. Vincentij de la Sierra, Prælatus in Sancta Ecclesia Toletana, ac Vicarius Madriti, & per adnexum territorium, hisce, quantum ad nos spectat, damus licentiam, ut possit typis mandari ac vendi liber, cujus titulus est: Secunda Pars Vitæ Venerabilis*

*Dominæ Marinæ de Escobar, conscriptus à P. Andrea Pinto Ramirez Societatis Jesu: quandoquidem ex Censura P. Fr. Benedicti de Salazar, in Congregatione Conceptionis Beatissimæ Virginis Theologi, Ordinis S. Benedicti, ad quem à nobis fuit remissus, constat, nihil in eo Sanctæ Fidei Catholicæ, & bonis moribus contrarium contineri. Madriti 28. Aprilis, Anno* 1672.

Doctor Franciscus Forteza.

*Ex Ejusdem mandato*
Joannes Baptista Sanz Bravus.

---

# APPROBATIO

## Reverendissimi P. Magistri Fr. Petri de Oviedo,

Decani Universitatis Salmanticensis, Generalis quondam Ordinis S. Bernardi, Theologi Regij in Regia Congregatione Immaculatæ Conceptionis.

MAgna cum admiratione legi Secundam Partem mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Dominæ Marinæ de Escobar Vallisoletanæ, desumptam ex his, quæ illa ipsa ex mandato suorum Patrum Spiritualium annotavit, nec non ex actis in prodigioso ipsius obitu, scriptam ab Admodum Reverendo P. Andrea Pinto Ramirez Societatis Jesu, quondam Sacræ Scripturæ interprete, in Regio suo Collegio Salmanticensi. Quodsi magna fuit admiratio, incomparabiliter major est difficultas in danda mea tenui censura, de tam pretioso & egregio opere. Neque enim ignoro, quod monet Apostolus Gentium ad Corinth. 1. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs DEI,* quemadmodum & illud, quod Divinus nos docet Magister per S. Joannem Evangelistam cap. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur.* Consequenter igitur infero, me, qui parum admodum sum versatus, nullíusque experientiæ, & prorsus expers hujusmodi raptuum, revelationum, & abalienationum à sensibus, ac cœlestium gratiarum, quales in prædicto libro recensentur, non posse de ijs ferre censuram, aut lydium agere lapidem, ad explorandum hujus auri valorem, atque taxandum, ut ejus censeatur esse pretij & æstimationis, quam meretur. Sanè Apostolus capite 12. citatæ epistolæ nobis declaravit, quibus conveniat, & communicetur donum discretionis spirituum, quod liberalis DEI dextera impertiri consvevit: *Alij discretio spirituum;* dum addidit: *Quis hominum novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in eo est? Ità ea, quæ sunt DEI, nemo novit, nisi spiritus DEI.* Spiritus DEI, seu qui hujus, ex ejusdem misericordia & gratia, fit particeps, id attentare potest, ut investiget, ac perscrutetur spiritum DEI, in Sanctis ejus relucentem. Sed quæro: *Quis est hic, & laudabimus eum?* Eccles. c. 1.

Nihilominus timore & tremore positis me huic pelago, quod heroicæ, sublimium & supernaturalium gratiarum provectæ favonijs, sulcare consveverunt animæ, committam; cùm inevitabili ad id compellar Regij Consilij mandato, prætereaque animum mihi addant illa Regij Psalmographi verba: (Ps. 70.) *Quoniam non cognovi literaturam.* Verum est, ait ad Deum, me destitutum esse eruditione, doctrinâ, & intelligentiâ sacrarum literarum, sed appello ad potentiam, & infinitam virtutem tuam, qui scis ac potes profundere dona, adornare animas, eásque tuis replere gratijs, excedentibus captum humanum. *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias*

*rias Domini.* Hunc in modum verba ista explicat doctissimus Genebrardus. Ità ad potentias Domini confugit David, ut defectum cognitionis literarum resarciret. Tertium, quod me movet, meámque confortat pusillanimitatem, est, quia video, doctissimum hunc librum jam subivisse limam, approbationem, & censuram Provinciæ Castellæ Veteris, quæ una est è præclaro exercitu Sancti Patris Ignatij de Loyola. Hic equidem, nisi cuperem minimè videri fusus, & molestus, subsisterem, moráque traherem longiorem: quandoquidem multa haberem laudanda ac deprædicanda; cùm noverimus, hanc sacram familiam, officinam esse scalptoriam, in qua lapides elaborantur spirituales, ad instaurandas supernarum sedium triumphantis Jerosolymæ ruinas. Multa, eáque elegantissima, & aurea poma, meis sese offerebant oculis & manibus, quæ cursum meum longè æquiùs possent remorari, quàm in suo hæserit Atalanta. Verùm progredior, ubi dum tento expendere prærogativas, & pulchritudinem benedictæ istius animæ Dominæ Marinæ, adverto, nunquam aptiùs pronuntiari potuisse illud: *Inopem me copia fecit.* Loqui namque de hac Heroina, de qua incertum nobis est, fuerítne habitatio ipsius in cœlo potiùs, quàm in terra; an verò hanc magis, quàm illud incoluerit, prout ex multis hujus libri capitibus constat, vires meas excedere videtur, & vel oculis tantùm ipsam insequi, est perarduum, ídq; multò ampliùs, quando in memoriam mihi revoco, quod refertur in Libris Regum. Cùm enim semel duntaxat cœlum, in igneo curru, Zelotes Elias conscenderet, ac Elisæus duplicem peteret sui Magistri spiritum, respondit ille isti suo discipulo, peti ab ipso, quod difficulter ei præstari possit: (4. Reg. 2.) *Rem difficilem postulásti*; quam non esset consecuturus Elisæus, nisi ejus foret præfidentiæ & audaciæ, ut fixè, minimèque connivendo ipsum intueretur, quemadmodum generosi Aquilæ pulli irretortis aspiciunt oculis quartum cœlestium sphærarum luminare. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti.* Grande fuit opus, & opus non alterius, quàm Elisæi, quo sibi duplicem prometuit spiritum sui Magistri Eliæ, quòd illum semel solummodo conspexerit, quando sublatus in altum abibat, quanquam Elias, ùt docet Sanctus Pater noster Gregorius, non ascenderet ac elevaretur ultra regionem aëris, qui in compluribus sacri textus locis cœlum appellatur. *Volucres cæli, & pisces maris.* Psal. 8.

Memini quoque, ad contemplandam, & spectandam unicâ vice quandam mulierem, quæ apparuit in cœlo, pro pedum scabello habens lunam, ac talaris loco pallij amicta Sole, atque pro pretiosis lapidibus in diademate, quo coronabatur, duodecim gerens coruscantes & lucidissimas stellas, qualem nobis describit Sanctus Joannes, necessarium fuisse visum Aquilæ Pathmiacæ. Cùm verò Virago nostra & Mulier fortis toties iteratis vicibus, sese in spiritu, quasi superiorum illorum incola & civis Orbium, receperit in cœlum; quomodo ipsam debiles mei ac imbecilles observare, & insequi poterunt oculi, qui quàm longissimè absum ab Elisæo, multóque ampliùs ab Aquila Evangelica Pathmi?

Verùm enimverò non obstantibus his impedimentis & adynatis, ausim dicere, quidquid liber iste continet gratiarum, prærogativarum, prophetiarum, ac revelationum, quibus hanc Dominam, quasi dulce quoddam Divinarum idearum illicium, illustravit cœlum, esse undequaque conforme effatis Patrum, ac Theologorum speculativorum, & mysticæ peritorum Theologiæ Virorum, quantùm ex eorum liquet scriptis ac doctrinis. Inter cæteros autem videri potest Illustrissimus Magister Fr. Franciscus de Arauxo, in tomo decisionum moralium, tract. 3. q. 2. per plures paragraphos: in quo gravissimo Authore, non legi requisita & conditiones necessarias, ad distingvendas & approbandas veras revelationes, eásque discernendas à falsis & illusorijs, quæ non reperiantur in istis, quas hæc heroica Virgo recenset. Quò autem diutiùs & accuratiùs isthæc scripta perlustrantur, eò magis ac magis inde eruuntur excelsa gratiarum præconia, & materia encomiorum, offerúntque se revisoribus dulcia illa sacri epithalamij verba, quæ Divino Sponso à dilecta ipsius dicta fuerunt: (Cant. c. 5.)

*Species ejus, ùt Libani.* Quid autem celebris mons iſte continet? In hoc monte, ſi ad radicem ipſius accedamus, oculóſque attollamus, conſpicimus ſublimes & proceras cedros: ſi aſcendamus altiùs, comparent cedri prioribus altiores: atque ſi tandem cum difficultate & magno molimine, ad verticem eluctemur & cacumen, obſtupeſcentes intuemur alios vivos gigantes, quibus comparati, qui antea conſpectui noſtro ſe præcæreris eximij objiciebant, pygmæorum inſtar eſſe videntur. Eleganter id expendit eruditus Pater Martinus del Rio: (Lect. 6. in Cant.) *Sicut in Libano, quæ viatori primùm occurrit prima arbor, præſtantiſſima videtur: ulteriùs progreſſo non minùs ſecunda placet, magis etiam tertia: atque ità quò longiùs procedit, quod laudet ampliùs ſemper invenit. Idem omnino virtutes ſponſi ſedulâ contemplatione luſtranti.* Indulgeatur affectui meo, ut hoc Venerabili Virgini applicem, cùm Sponſæ juxta jura gaudeant exemptionibus ſuorum Sponſorum, & honoribus. Nam quantò magis ſolicitamur, ut percurramus aut enumeremus ipſius prærogativas, dum ejuſdem emetimur gratias & favores, tantò profundiùs ingredimur immenſum pelagus, & mare fundo carens, cujus profunditatem explorare mea nequit capacitas & intellectus, ut potiùs poſſit, debeátque fateri: *Abyſſus vallavit me, & pelagus operuit caput meum.* Jon. 2.

Cur deinde oblivioni tradam illud afflictionum, morborum, ac dolorum inenarrabilium, omnémque excedentium exaggerationem, agmen, quibus hæc Domina fuit excruciata, ut paupertinus ipſius lectus vocandus magis fuerit cippus, & immanium tormentorum eqvuleus, quàm ſtratum, in quo ſolatij quidpiam caperet, aut quietis, per tot annorum luſtra, quibus in illo graviſſimos quoſque perpetiebatur dolores. Meritò ea verba dicere potuit, quæ ſcripſit Poëta Ovidius, 1. Pont. Eleg. 11.

*Sed vigilo, vigilántque mei ſinè fine dolores;*

cùm debilis & infirmæ fœminæ corpus, multos ac robuſtos ſuperaverit gigantes, generoſitate ac tolerantiâ, quâ de tot triumphabat hoſtibus ſanitatis, à quibus vita ipſius infeſtabatur. Quodſi Rex ſapiens cum emphaſi quærit: (Proverb. c. 31.) *Mulierem fortem quis inveniet?* fortaſſe acquieſceret, ſi ei reſponderemus, ut in hanc Venerabilem Virginem oculos conjiceret, ipsámque contemplaretur, quæ non una, ſed multarum inſtar erat, in tot calamitatibus & morbis infractâ patientiâ pervincendis. Cùm, inquam, eſſet una, videtur extenuatum illius corpus fuiſſe multiplex, ob tot ſupplicia tolerata & ægritudines, ut verum in eo evaderet, quod quidam loquens de circo Romano dixit, & horrido leonis cujuſdam rugitu:

*Tantus in Auſonia fremuit modò terror arena;* Mart. l. 8.
*Quis non eſſe gregem crederet? unus erat.* epig. 55.

Adeò vociferabatur, adeóque militarem terrebat turbam, ut, quamvis eſſet unus, videretur multarum ſuæ ſpeciei beſtiarum armentum. *Quis non eſſe gregem crederet? unus erat.* Dictum quoq; illud Romani Oratoris poteſt ipſius doloribus & ærumnis referto corpori accommodari: *Tanto ejus animo nequaquam corpus, aut habitus competit.* (in Otto. c. ult.)

Non reperio modum me expediendi. Pro concluſione tamen in memoriam revocandum eſt tempus illud, quo ex iſthoc conflictu, qualis ſpecialiter fuit mortalis vita hujus Virginis: *Militia eſt vita hominis ſuper terram,* (Job. c. 7.) eſt translata ad vitam meliorem (quod nobis gigantææ ipſius virtutes perſvadent) imitatrix inclyti illius Monarchæ, qui, in tot certaminibus & pugnis, clarus victorijs dixit: (Pſal. 4.) *In pace in id ipſum dormiam, & requieſcam.* Quanquam ſolatium, quod ex obſtupeſcendo ejus obitu capi poteſt, in quo plurima & accumulata concurrerunt miracula, nequit lachrymas noſtras penitus abſtergere, tantúmque valet ad conceptum ex tanta jactura dolorem attemperandum. Concipio ſanè illud:

Si

*Si posset tellus lachrymarum fundere rivos,* Alb. Pius
*Hic, ubi nunc tellus, flebilis unda foret.* el. 7.
*Si posset Pontus lachrymarum volvere fluctus,*
*In lachrymas fluerent æquora versa suas.*

Sola ipsius Patria, præ cæteris, solatio potest affluere. Si namque Cajeta est illustrior & celebrior reddita, quòd sepulturam dederit altrici infantis Æneæ:

*Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix,* lib. 7.
*Æternam moriens famam Cajeta dedisti;* Æn.

Vallisoletum, quod illi non modò præbuit sepulchrum, verùm & incunabula, atque octoginta propè annorum spatio domicilium, longè convenientiùs novam obtinet æstimationem, cristásque gloriosas ad ornatum scuti suorum insignium adjungendas.

Tametsi non tacitè solùm, sed expressè quoque meam declaraverim sententiam, iterabo illam nihilominus stylo & phrasi consvetâ, quòd videlicet, post perlectum cum voluptate hunc librum ei debeatur approbatio, non solùm usitata, ob doctrinam, quam continet Catholicam, ab omni immunem, quoad Fidei dogmata, suspicione; verùm etiam specialis, quam sibi æquè nobile ac doctum vendicat ingenium. Ostendit se Author Theologum scholasticũ, in sublimissimæ disputationis argumentis; mysticum, in altissimo spiritûs volatu; positivum, in reconditissimis Scripturæ Sacræ sensibus, quos vario lumine, & præcipuorum Patrum Ecclesiæ doctrinâ illustravit. Quæ eruditio minùs esset æstimabilis, si in vulgari aliqua occuparetur materia; at quòd versetur in hac tam singulari, & in referendis tam præclaris gestis, ijsdémque adeò eruditè & graviter ponderandis, omnia ista sunt lumina manifestantia eximias dotes, quibus Author excellit. Meretur idcirco, ut Vestra Celsitudo pro eo largiatur facultatem, quâ habitâ typus hoc opus publicet, unde gloriâ cumulatus Author alia, tum nomini suo honorifica, tum universis proficua, aggrediatur. Hæc est mea sententia, salvo meliori judicio &c. In Monasterio S. Annæ, Madriti, Ordinis S. Patris nostri Bernardi. Signavi 30. Maij, Anno 1672.

M. Fr. Petrus de Oviedo.

---

# PROTESTATIO PROVINCIALIS CASTELLANI.

*OBtemperando decretis SS. Domini nostri Papæ Vrbani VIII., concernentibus eos, qui scribunt, ac typis mandant vitas, revelationes, miracula, & prophetias illustrium, in vita & morte, Sanctitatis famâ personarum, testor, nihil eorum, quæ referuntur in hac Secunda Vitæ Famulæ DEI Dominæ Marinæ de Escobar Vallisoletanæ Parte, digesta à P. Andrea Pinto Ramirez Societatis Jesu, ullâ hactenus niti authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, sive spectent ad dictam Venerabilem Marinam, sive alios, de quibus in ea agitur; sed solâ humanâ illorum, à quibus scribuntur, ac referuntur, nullâ verò aliâ. Neque mihi animus est asserere dictæ Venerabili Marinæ titulum Beatæ aut Sanctæ, sed neque cuiquam alteri, quoadusque declaretur talis à Sancta Ecclesia: vel etiam quovis modo viam sternere pro beatificatione, canoni-*

*zatione, aut comprobatione miraculorum ejusdem famulæ Dei, vel cujuscunque alterius, relictis omnibus in eo statu, quem habebant, priusquam hæc historia scriberetur, & excuderetur. Quam protestationem facio nomine Authoris P. Andreæ Pinto Ramirez, qui idem præstaret, si viveret post prædicta decreta, tanquam obedientissimus Sanctæ Ecclesiæ filius; etiámque nomine meo, qui mihi, quoad hoc, dictum opus attribuo, in cujus principio ac fine ista protestatio apponitur.*

Petrus Hieronymus de Corduba
Societatis Jesu, Provincialis
Castellæ.

*Eundem in modum, se obedientem Sanctæ Sedis Apostolicæ filium protestatur Interpres.*

---

# FACVLTAS
## R. P. PROVINCIALIS BOHEMIÆ.

Cùm Librum, cui titulus est: Secunda Pars Mirabilis Vitæ Marinæ de Escobar, à P. Melchiore Hanel nostræ Societatis Sacerdote ex Hispanico in Latinum versum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: potestate à Reverendo Patre Nostro Carolo de Nojelle Præposito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut Liber typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas, & Sigillo Officij mei munitas dedi. Brunæ 8. Julij Anno 1686.

Mathias Tanner.

Index

# Index Librorum & Capitum, Secundæ Partis, mirabilis Vitæ Venerabilis Marinæ de Escobar.

## LIBER PRIMUS.

*Heroica animi demissio hujus Virginis, ejusdémque sublimissima perfectio, quam anima ipsius isthac viâ est assecuta.*


CAPUT I. Quàm profundas in ea, propriæ vilitatis cognitio, egerit radices. folio 2.

Caput II. Videt sibi repræsentatam propriam vilitatem, acceptátq; humiliter pœnam ob defectus injunctam. f. 6.

Caput III. Gloriosa exaltatio, quâ DEUS humilitatem hujus Virginis remunerabatur. f. 11.

Caput IV. Prosequitur eandem materiam: recensentur aliæ admirandæ visiones. fol. 16.

Caput V. Profundâ suâ demissione animi, alias à Deo specialissimas obtinet gratias. f. 22.

Caput VI. Incipit tractatio de heroico gradu perfectionis, quem hæc Virgo est assecuta. f. 28.

Caput VII. Quàm fidelis, & obsequentis socij munus spiritui suo præstiterit corpus hujus Virginis, ut progrederetur in perfectione. f. 32.

Caput VIII. Amabilissimus Servator noster Christus Dominus illi eo tempore revelat, se specialem ipsius fore instructorem. f. 35.

Caput IX. De purissimo, & ardentissimo, hujus Animæ erga Deum, amore. f. 38.

Caput X. De divinis sagittis, quibus cor hujus Virginis fuit confixum. f. 42.

Caput XI. Continuatur idem argumentum f. 46.

Caput XII. Alij admirandi hujus generis eventus. f. 50.

Caput XIII. Revelatur illi à DEO varijs modis, quòd sit confirmata in gratia. 53.

Caput XIV. Agitur de alijs, præcedenti similibus, scripturis, quæ comprobant perfectionem, & spiritum hujus Virginis f. 58.

Caput XV. Edocetur à Deo, de diversis perfectionis gradibus, ad quam anima ipsius progrediebatur. f. 62.

Caput XVI. Progreditur in recensendis, quæ similiter concernunt insignia merita, & gradus perfectionis, ad quam anima ipsius pervenit. f. 67.

Caput XVII. De admirandis quibusdam ipsius eventibus, dum ascenderet ad cœlestem Patriam. f. 72.

Caput XVIII. Pergit referre alios similes admirabiles animæ suæ, unà cum corpore, ascensus ad cœlum. f. 78.

Caput XIX. Recensét ejusdem generis gratias, ex quibus colligitur magna ipsius perfectio. f. 82.

Caput XX. Arcana quædam ipsi à Divina Majestate manifestata, quàm diversimodè se Beatis communicet, atque alij hujusmodi favores. f. 87.

Caput XXI. Concluditur horum ascensuum materia, admirandis quibusdam eventibus. f. 92.

Caput XXII. Visitationes, quibus illam dignati sunt glorioſi Sancti, Joachimus, Anna, & Joseph. f. 97.

Caput XXIII. Visitatur à Sancto Apostolo Petro. f. 102.

Caput XXIV. Visitatur à gloriosis Patriarchis, S. Augustino, ac S. P. nostro Ignatio: & sanctus is Doctor ad ipsam spiritualem habet sermonem: supervenit gloriosus S. Dominicus, quasi pertranseundo. f 104.

Caput XXV. Sermones ad illam habiti à S. Patriarchis, S. Dominico, S.P. nostro Ignatio, S. Benedicto, S. Augustino: ac deinde à Christo Domino, & aliâ vice à Ven. P. Ludovico de Ponte. f. 106

Caput XXVI. Referuntur quædam alloquia S. Benedicti, & encomium, quo S.P. no-

S. P. noster Ignatius hunc Sanctissimũ Patriarcham deprædicavit. f. 110.

Caput XXVII. Revelat illi Deus, per Vener. P. Ludovicum de Ponte, quandam S. Benedicti, inter cæteros Religionum Patriarchas, eminentiam. Dicit ipsi gloriosissimus Sanctus, ut curet fieri illius effigiem. Insinuatur nonnihil de admirabili gloria S. Bernardi. f. 113.

Caput XXVIII. Gratiæ obtentæ à glorioso Patriarcha S. Dominico, & excellentia hujus admirabilis Sancti, ipsi à DEO manifestata. f. 116.

Caput XXIX. Continuatur materia gratiarum, quas est assecuta à glorioso S. Dominico. f. 119.

Caput XXX. Eximiæ prærogativæ Seraphici Patriarchæ S. Francisci Assisinatis, quas cognovit, & gratiæ, quas hæc Virgo ab eodem obtinuit. 122.

Caput XXXI. Admiranda, quæ illi evenerunt cum Seraphico Patre. f. 126.

Caput XXXII. Gratiæ, quas est consecuta à magno Ecclesiæ Doctore, S. Bonaventura. f. 131.

Caput XXXIII. Quid illi Deus manifestaverit de gloria S. P. nostri Ignatij, & quales ab hoc Patriarcha acceperit gratias. f. 135.

Caput XXXIV. Alia, quæ cognovit de Sancto Patre nostro, atque nonnullis ejusdem filijs, & quæ ipsi evenerunt concernentia persecutiones Societatis JESU. f. 138.

Caput XXXV. De gloria Ven. P. Ludovici de Ponte, quam vidit, & gratijs ab ipso obtentis. f. 141.

Caput XXXVI. Continuatur eadem materia. f. 145.

Caput XXXVII. Concluditur specialibus Visionibus, quas habuit de Sancto P. Ludovico de Ponte. f. 149.

Caput XXXVIII. Favores ipsi exhibiti à Deipara Virgine, & mysteria, atq; gloriosa ejusdem Celsissimæ Reginæ decora, quæ cognovit. f. 154.

Caput XXXIX. Manifestat illi Dominus mysteria Conceptionis suæ Matris, ejusdémque præsentationem in templo, & alia. f. 157.

Caput XL. Prosequitur, quæ vidit de mysterijs, & gloria hujus Præcelsæ Dominæ. f. 162.

Caput XLI. Manifestat illi Christus Dominus nonnulla ex suis mysterijs. f. 169.

Caput XLII. De revelatis huic Virgini mysterijs Incarnationis, & Nativitatis Filij DEI. f. 173.

Caput XLIII. Ea, quæ ipsi Christus Dominus patefecit, de sacrosancta sua Circumcisione, Adoratione Regum, Præsentatione in templo. f. 179.

Caput XLIV. Monstrat illi Dominus mysteria suæ Passionis. f. 184.

Caput XLV. Mysteria Resurrectionis CHRISTI, efficacia, & gloria Crucis ipsius. f. 187.

Caput XLVI. Revelationes, quas habuit de Sanctiss: Sacramento Altaris. f. 192.

Caput XLVII. Sublimissimæ notitiæ, quas Ven. Marina habuit, de infinito Esse Domini DEI nostri. f. 198.

Caput XLVIII. Rabies, & furores dæmonum adversùs hanc Virginem. f. 201.

# LIBER SECUNDUS.

## *Ardens hujus Virginis charitas erga proximos, & cœlestis doctrinæ monita, quæ nobis reliquit.*

CAPUT I. Venerabilis Marina erat animabus mediatrix, ad obtinendos divinos favores, & scutum, pro evitandis ingruentibus è cœlo supplicijs. f. 207.

Caput II. Recenset speciales alios ejusdem argumenti eventus. f. 212.

Caput III. Sanctus Pater noster Ignatius huic Virgini exponit, quæ sit precum ipsius efficacia: referuntur alia eodem spectantia admiranda acta. f. 215.

Caput IV. DEUS illam constituit suam promulgatricem in utilitatem animarum, confertque ipsi lumen ad has cognoscen-

gnoſcendas, & vim ad eaſdem emolliendas. f. 220.

Caput V. Alij diverſi eventus, ex quibus patet, quàm fidelem hæc Virgo ſuorum egerit proximorum advocatam, quámque tenerè ſenſerit, dum ij punirentur. fol. 224.

Caput VI. Gratificatur nonnullis proximis, & in Catholicorum commodum caſtigat quoſdam infideles; alijs ſubvenit quoad Fidem: referuntur unà alij admirabiles caſus. f. 230.

Caput VII. Proſequitur idem argumentum. f. 236.

Caput VIII. Concluditur materia concernens beneficia, quæ univerſim præſtitit proximis. f. 241.

Caput IX. Charitas, quâ Ven. Marina oravit, ac laboravit pro fortunato Hiſpaniæ ſtatu. f. 248.

Caput X. Referuntur varia, quæ ipſi agenti patronam Hiſpaniæ, cum DEO evenerunt. f. 251.

Caput XI. Continuatur idem argumentum, enarratione aliorum ejuſdem anni eventuum. f. 255.

Caput XII. Recenſentur, quæ ſequentibus annis pro Hiſpania egit. f. 260.

Caput XIII. Tenerrima hujus Virginis charitas erga Anglos Catholicos. f. 264

Caput XIV. Exponit ulteriùs curam, quâ habuit de Catholicis Anglis. f. 267.

Caput XV. Concludit, recenſendo alios hujuſmodi eventus. f. 270.

Caput XVI. Charitas ipſius erga particulares proximos, & perſonas. f. 276.

Caput XVII. Quomodo ſubvenerit quibuſdam animabus exiſtentibus in Purgatorio. f. 279.

Caput XVIII. Concluditur narratione huc ſpectantium eventuum. f. 284.

Caput XIX. Quædam Ven. Marinæ viſiones divinæ, directæ ad morum noſtrorum inſtructionem. f. 288.

Caput XX. Pergit recenſere alios eventus, pro noſtra inſtructione. f. 292.

Caput XXI. Alia, quæ illi in diverſis materijs, ſemper autem doctrinam moralem concernentibus, agenti cum Deo evenerunt. f. 298.

Caput XXII. Continuat idem argumentum. f. 303.

Caput XXIII. Nonnulla hujus admirandæ Virginis monita, quæ conſcripſit, ad bene progrediendum in via virtutis. f. 307.

Caput XXIV. Aliquot viſiones & monita, quibus continetur inſtructio conducens ad regimen publicum. f. 312.

Caput XXV. Docet, quantum boni reperiatur in tolerantia adverſorum. f. 316.

Caput XXVI. Utiliſſimæ quædam devotiones & preces, quas ex cœlo hauſtas, nos hæc admirabilis Virgo docuit. f. 319.

Caput XXVII. Viſiones, & doctrina, quibus ipſi Deus expoſuit modum, quo Ejuſdem Majeſtas conſvevit ducere animas. f. 325.

Caput XXVIII. De cura, quâ tales animæ à Deo ducuntur. f. 330.

Caput XXIX. Diſpoſitio animæ ad contemplationem, & conſequendos in ea ſingulares favores. f. 336.

Caput XXX. Diverſi favores, & modi, quibus animæ contemplativæ tractantur à Deo. f. 341.

Caput XXXI. Proſequitur eandem materiam. f. 346.

Caput XXXII. Alij arcaniſſimi modi, quibus ſe DEUS ſanctis animabus communicat. f. 352.

Caput XXXIII. Concluditur hoc argumentum, commemoratis admirabilioribus modis, quibus ſe Deus ſanctæ animæ communicat. f. 356.

Caput XXXIV. Inſtructio myſtica, & monita hujus Virginis, ad intelligendam internam ſpiritûs agendi rationem, atque Deum inter & animam communicationem. f. 361.

Caput XXXV. Continuat eandem materiam, & inſtructionem. f. 367.

Caput XXXVI. Aliæ animadverſiones Doctrinæ myſticæ. f. 369.

Caput XXXVII. De illuſionibus, ac fallacijs, evenire ſolitis in hac via myſtica. fol. 374.

Caput XXXVIII. Quid fuerit à Deo docta, pro confirmatione quorundam Romanæ Catholicæ Fidei articulorum. fol. 378.

Caput

Caput XXXIX. Continuat eandem materiam, recenſet quædam notabilia de animabus parvulorum, & officio Angelorum, qui ſunt eorũ Cuſtodes. f. 381.
Caput XL. Juſta CHRISTI Domini noſtri, contra falſas Sectas, indignatio; myſteria ipſius pretioſi ſangvinis, communio Sanctorum. fol. 385.
Caput XLI. Quomodo Deus hanc Virginem, de ſpiritus ipſius veritate, reddiderit ſecuram. f. 390.
Caput XLII. Sanctus hujus Virginis timor, & quomodo à Deo reddita fuerit indies magis ſecura. f. 395.

# LIBER TERTIUS.

*Felix hujus Virginis obitus, glorioſæ ejuſdem exequiæ, & miracula, quæ Deus per illam patravit.*

Caput I. Nonnullæ revelationes, quas hæc Virgo habuit de ſuo obitu, poſtremis vitæ ſuæ annis. fol. 405.
Caput II. Felix hujus Virginis obitus, triumphalis ipſius ſepultura, & glorioſæ exequiæ. f. 405.
Caput III. Continuatur narratio quarundam circumſtantiarum ipſius ſepulturæ, & glorioſarum exequiarum. f. 411.
Caput IV. Quid authentici, & omni fide digni teſtes juraverint, de heroicis hujus Virginis virtutibus. f. 419.
Caput V. Inſinuatur aliquid diſtinctiùs de virtutum ipſius exercitio. f. 421.
Caput VI. Quòd ſua vota exactiſſimè obſervaverit. f. 426.
Caput VII. Rara ipſius in omnibus prudentia, & ſpeciale regimen familiæ. fol. 431.
Caput VIII. Referuntur ſummatim aliæ excellentes hujus magnæ Dei famulæ virtutes. f. 435.
Caput IX. Ardens ipſius charitas erga proximos, & quanta pro illis egerit. fol. 440.
Caput X. De ſingulari ſpiritu prophetico, quem DEUS huic Virgini communicavit. f. 444.
Caput XI. Continuatur idem argumentum, de veritate ipſius prophetiarum. fol. 448.
Caput XII. Opera admiranda, quæ Deus per illam patravit. f. 453.
Caput XIII. Deſcribuntur alia Ven. Marinæ miracula. f. 457.
Caput XIV. Continuatur miraculorum ipſius materia. f. 462.
Caput XV. Imponit finem narrationi miraculorum. f. 466.
Caput XVI. Deus manifeſtat cuidam ſuæ famulæ gloriam animæ Venerabilis Marinæ. f. 469.
Caput XVII. Proſequitur materiam prioris capitis. f. 473.

LIBER

IHS

# SECUNDA PARS, MIRABILIS VITÆ MARINÆ DE ESCOBAR.

## *LIBER PRIMUS.*

### Heroica animi demissio hujus Virginis, ejusdémq; sublimissima perfectio, quam anima ipsius isthac viâ est assecuta.

*SEmper spiritualis ædificij, quod Deus in anima architectatur, fundamentum est animi demissio, ideóq; præter plurima alia, ingens & istud inter spiritualia & materialia ædificia intercedit discrimen, quòd in his post apertas semel fossas, & jacta fundamenta, istis deinceps intactis, fabrica exurgat; non ita verò se res habeat in fabricis spiritualibus: ubi structura pariter crescit & substructio, neque ullus vel in altissima ædium turri elaboratus collocatur lapis, nisi unà profundior denuò eruatur fossa, & magìs ac magìs consolidetur fundamentum. Id in hac Sponsa Christi manifestè conspicietur: Siquidem dum magnus iste Dominus illius perfectionem ad summum perducebat fastigium, illa junctim submississima profundiores propriæ vilitatis fossas perpetuò moliebatur.*

# CAPUT I.

## Quàm profundas in ea, propriæ vilitatis cognitio, egerit radices.

*ANima ſancta pretioſiſſimum deſpicientiæ ſui aurum eruit ex fodina cognitionis ſui ipſius: quæ quidem in ipſa Chriſti Sponſa fuit ſpecialis & continua, cùm in ejus chartis, quas trecentis plures habeo, ſint quàm pauciſſimæ, in quibus pro gratiæ a DEO obtentæ baſi non ſtatuat ſui nihili conſiderationem, cui inter ſcribendum erat immerſa. Fuitque hæc adeò vehemens & incitata, ut illam ſibimet ereptam, ad millena in ſe ipſam jaculanda convicia atq; opprobria compelleret: quamvis, dum ita ſe loqui vera exiſtimaret, aliunde metueret, ne falſum contra ſe proferret teſtimonium, quin tamen hos vilipenſionis ſui affectus poſſet cohibere; quod certè in admirationem quemvis rapiet, qui exploratam, quâ erat prædita, conſcientiæ habet puritatem. Utiliſſimum eſt in hanc rem documentum, quod ei ab Angelo illius datum, nobiſque ab ipſamet his fuit verbis deſcriptum.*

Cœleſti inſtructa lumine, quod DEus meæ animæ ſæpenumero communicat, ut meam agnoſcam vilitatem & miſeriam, judico, me profundiſſimam eſſe abyſſum, fundóq; carentem puteum horroris, perſuadens mihi, nihil me eſſe: & quantumcunque me deprimam, ſemper tamen in me perſeverat dictamen, quod mihi identidem oggerit: Multò es vilior, multò es pejor, quàm exiſtimes; longè profundiùs eſt deſcendendum. Quando hunc in modum ſum comparata, affectus deſpicientiæ mei ipſius vehementiſſimè augetur, & quia aliud agere nequeo, innumeris me onero convicijs; neq; capio, quo pacto apprehendam, eſſe verum, quidquid de me aſſero mali, ita ut nequeam advertere, à me per Dei miſericordiam, nunquam ea peccata fuiſſe commiſſa, quæ mihi imputo. Cùm autem aliquando, prout aliàs frequenter, ſic eſſem conſtituta, poſt aliquot horas, ceſſante illâ divinâ illuſtratione, unà cum prædictis meis affectibus, dicebam: Bone DEus! qua tandem in re me fundo, dum habeo illud lumen, ut mihi veriſſimè eorum delictorum, quorum me arguo, videar eſſe rea, quæ tamen, ex Dei bonitate, nunquam patravi? Quomodo id explicabo meo Confeſſario? Nec enim falſum dicere vellem, ſed neq; etiam tacere, quòd omnem merear reprehenſionem. Ita me perplexam intuitus eſt meus Sanctus Angelus Cuſtos, gravem præ ſe ferens vultum, & more imperantis mihi dixit: Utquid, Anima, ſcrutaris, quod nec ſatis percipere vales, neq; exponere nôſti? Cui ego prorſus confuſa reſpondi: Domine Angele, nihil ultrà ſcio, nec memet poſſum explicare; atque ſic velut obmutui. Urgebar iterum à meo Domino Angelo, ut animi mei ſenſa aperirem. Ego verò quamvis cuperem obſequi, nihil ampliùs poteram, aut ſciebam, præter jam dicta, reſpondere. At ſaltèm aliquid, ajebat Angelus, ediſſere, tametſi tibi minimè verum aſſequi videaris. Tum aliquantò animoſior dixi: Hoc unicum profari poſſum, me cum Regio Propheta gemere, petendo: Ab occultis meis libera me Domine. Quid namque, Domine Angele, ego miſerabilis de me explorati habeo? Parum, inquiebat Angelus, dixiſti; parum percepiſti. Age nunc, atque auſculta me, & intelliges clarè hujus ſpiritualis ænigmatis ſignificationem. Pretioſiſſimum illud lumen, quod Dominus DEus animæ in hujuſmodi occaſionibus infundit, ut ſuum agnoſcat nihilum & miſeriam, neque oritur ex ratiocinatione intellectûs, neque initur argumentis, quæ tum concipiuntur; ſed indiſtinctè, abſque ulla tamen confuſione, manifeſtat animæ, quid exſe ipſa habeat, quidq; accipiat à Deo. Videt ſe omnia virtutum, gratiæ, ac talentorum naturalium bona habere quaſi commodato, ſéque ſuis duntaxat viribus tam nihil mereri,

mereri, quàm etiam nihil conservare posse, &, si Deus manum suam subtraheret, relapsuram in miseriam sui nihili. Atq; sicut accidit inopi cuipiam puellæ, quæ, postquam illi aliquis dives, pro die nuptiarum elegantem commodavit vestitum & cimelia, Domino omnia pretiosa ornamenta, peractâ nuptiali solennitate, restituit, manétque tam egena, quàm antea fuerat: sic anima clarè percipit, quid sibi possit evenire. Videt præterea luminis illius collustrata radijs, se ijs donis spoliatam, non modò mendicam, sed etiam expositam, obnoxiam, & pronam fore ad perpetranda abominabilia peccata, donec demum præceps rueret ad infernum. Inde fit, quòd animad vertendo, qualis tua esset anima, nisi à Deo custodiretur, verè illam ac meritò convicieris ob ea, quæ ex corrupta sua habet natura: & opprobria, quibus eam impetis, non tam redarguunt peccata, quæ non commisit, quàm abominantur illa, quæ committeret, si à Deo non protegeretur. Ex hac illuminatione, & ex generosis illis affectibus, multum eruitur boni, dum anima se taliter cognoscens semetipsam vilipendit: inde enim deinceps ardenter desiderat, ut ab omnibus ignominiosè tractetur, nullóq; habeatur loco, & existimetur digna omni imaginabili afflictione. Hoc ipsum desiderium vilipensionum sui ipsius, judicium istud, quod de se fert anima, postquam ab eo lumine recedit, instar calcaris exstimulat quidam, tunc illi communicatus velut olfactus spiritualis, quo percipit, absque ullo discursu & ratiocinio, execrabilem sui ipsius odorem, provenientem ex sterquilinio pestilentissimos exhalante fœtores. Istud est, Anima, cognitionis sui ipsius, quæ, allucentibus illius Divini luminis radijs, obtinetur, arcanum, ita declaratum, ut à te possit intelligi. Assecuta sum, quod à Sancto Angelo fueram docta, & mansi ab ipsius verbis in spiritu suspensa, ac repleta sui solatio, ob soluta mihi mea dubia. Deus sit benedictus, propter omnia opera sua, & misericordias, AMEN.

*Eximiæ fuerunt gratiæ, quas DEus huic suæ sponsæ præstitit, prout in præsenti historia exponuntur: prædictum tamen lumen, ut suæ vilitatis tam sublimem haberet cognitionem, fuit beneficium prorsus singulare. Recondit issima ipsi Deus manifestavit mysteria sed quando illi concessit, ut se tam veraciter agnosceret, clavim eidem donavit omnium suorum Thesaurorum, quod ipsamet in quadam sua scheda annotavit, quæ est hujusmodi.*

Dum nuper cum DEO agerem, toto cordis mei exoptans affectu, ut sanctissimam ejus voluntatem ad unguem explerem, denuóque illi servire inciperem, sicut qui incipit, ut more nostro loquar, prima ediscere Rudimenta literarum dixi eodem abrepta affectu: Domine mi Deus, quis me edocebit, quod desidero? Concede mihi aliquem, à quo id præstetur. Clementissimus Dominus mihi respondit: Ego jam inde ab exordijs tuis sum tuus magister, ego te quæcunque scis docui, tempérque tibi dedi meos ministros, tuo genio quàm maximè accommodatos, qui idem munus exequerentur. Quomodo verò, mi Domine, instabam ego, sum tam perversa, tam flagitiosa, adeò plena miserijs, adeóque parum ex tot auxilijs profeci? Tum mihi Dominus dixit: Non es tam inepta discipula: saltèm enim te istam tui ipsius docui cognitionem, quam semper habes; hanc à me didicisti. Ipsa est totius vitæ spiritualis clavis & fundamentum; per illam es assecuta, ut me modò cognoscerem, ac deinde eò pertinges, ubi memet frueris in æternum.

*Plerumq; animabus, ad hujusmodi cum DEO familiaritatem progressis, evenit, ut, quando novi cujuspiam luminis gratiam ab ejusdem Majestate consequuntur, eam præcedat cognitio propriæ vilitatis, quæ sit instar gradûs ad conscendendum illum thronum. Atque istud est, quod ipsi hîc Deus asserit, videlicet per cognitionem suæ miseriæ assecutam esse, ut eundem cognosceret. Idem hæc DEI famula multoties alias experta est, quódq; illi quadam præsertim vice accidit, sic recenset.*

Adverti, me feriâ sextâ nonnihil esse tepidam in ijs affectibus, qui præterlapsis diebus fuerant ferventissimi, quamvis tamen eosdem intimè infixos, & irradicatos animæ sentirem. Cœpi, utì potui, recitare

*Vitæ Mar: de Escob: P. II.*

Litanias, dixíque Domino meo: Mi DEus, quomodocunque mecum agas, bene mihi tecum est. Interea derepente exarserunt vehementes divini amoris affectus, quibus tota abrepta dixi. Profectò Domine, postquam jam didici viam ad te inveniendum, & ascendendum ad cœlestem Jerosolymam, necesse est me ascendere per scalas, utì aliàs, donec perveniam ad tuam januam, eámque pulsem. Quodsi verò Angelus aliquis flammeo armatus gladio prodiverit, ad prohibendum mihi ingressum, quid illi debeo dicere? quomodo illum alloquar? dic mihi mi Deus. Eo ipso momento mihi Deus contulit ingens lumen, & profundam propriæ miseriæ, meæque omnimodæ ad quidvis boni agendum ineptitudinis cognitionem, eóq; à me percepto respondens meæ interrogationi dixit: Quid dices, Anima, isti Angelo gladium gerenti? Nescio, ajebam, mi Domine, tu me instrue. Dices illi, subjecit Dominus, mihi placere, ut te sinat ingredi, eò quòd à me habeas facultatem ingrediendi. Et subitò adverti, me more solito conscendentem scalas, atque postquam perveni ad portam, omnia mihi evenerunt, quæ antea meæ menti Dominus objecerat. Conspexi Angelum gladio flammeo armatum, qui mihi dixit. Subiste, Anima, quò vadis? cumque ego respondissem, habere me à Deo facultatem, qui me illuc ascendere jussisset, præbuit mihi ingressum expeditum. Vixdum intraveram, quando statim obviam habui totam Beatissimam Trinitatem, agnoscens mirâ claritate distinctionem trium in una Essentia Personarum. Cognitio ista mihi fuit data per spiritualissimas quasdam, ac divinas figuras. Immersi me in immensum illud Bonum, ubi meo modo per arctissimam unionem sum fruita Divinâ Essentiâ. Deinde visus est mihi Dominus nonnihil recedere, & ego fui sopita suavissimo quodam spirituali somno, in quo meæ potentiæ aliquamdiu quieverunt. Iterum verò Dominus me sibi univit, ubi mansi, & hactenus maneo, unáq; hîc dego.

*Iste est unus è sublimissimis, in hac vita, modis contemplationis, quando superior animæ portio, arctissime Deo suo unita, & quasi conversans in cœlo, non tamen impedit portionem inferiorem, quò minùs sese peragendis rebus externis impendat. Hoc Sancta Virgo dicere vult, dum nunc, & aliàs frequenter ait, se in cœlo versantem cum DEO, unà hîc degere. Atque istam contemplationem hac vice est assecuta per cognitionem sui nihili. Plus autem instructionis continet alius favor, quem eâdem viâ obtinuit aliâ occasione, & ipsa ita enarrat.*

Demergebam me in profundam meæ miseriæ abyssum, agnoscens in me multos, eósque diversissimos defectus, persuadendo mihi, esse me omnium ream. Propendebam vehementer ad desiderandum, ut mihi DEus ad majorem meam confusionem manifestaret, essétne verum, me omnibus istis defectibus esse defædatam. Dum hac super re mecum ipsa disceptarem, prorupi cum ardenti affectu, quem in mea anima Dominus suscitaverat, in hæc verba: Isti sunt, Domine mi, mei defectus, atque tu scis, quoscunque commemoro, mihi inesse. Tum Dominus mihi cum divina suavi tamen, majestate respondit inquiens: Ego id non dico. Sive Tua Majestas id dicat, sive neget, ajebam abrepta à meo affectu, scis nihilominus id esse verum. Bene habet, respondit Dominus, ita convenit, ut hanc de te habeas opinionem. Attamen judicia mea, quæ penetrant universa, differunt ab humanis. Interea adverti, meos sanctos Angelos suis illis sibi consuetis, gravibus & mirís passibus sese moventes. Circumdabant omnes pulcherrimam quandam & grandem crucem, compactam quasi ex purissimis carbunculis, cujus extremitates erant velut ex auro obrizo. Et deprehendi me derepente vestitam tunicâ cæruleâ, defluente usque ad poplites, manicis ejusdem ad juncturas manuum pertingentibus. Apprehenderunt me subitò Angeli cum magna celeritate ac decentia, & extenderunt super illam crucem, atque expansa brachia alligaverunt secundùm juncturas manuum elegantissimis funiculis. Similiter solus Angelus *Minor* alligavit meos pedes. Imposuerunt deinde capiti meo coronam, quæ tametsi spinea, erat nihilominus spe-

cio-

cioſa, & miro modo coruſcabat: eâ verò impoſitâ caput meum fuit inclinatum. Tum mihi Dominus immiſit ſomnum quendam ſpiritualem, in quo nonnulla videbam & agnoſcebam, quæ mihi Dominus dignatus eſt manifeſtare. Interim Angeli erexerunt crucem, & ego ex ea pendebam, atque ſanguis deſtillabat ex vulneribus mihi inflictis à corona, qui defluebat per frontem & faciem, ſtillante pariter ſanguine per manus, pedes & latus. Ita eram conſtituta, quando vidi deſcendentem de cœlo Triunius DEI Majeſtatem, innumerabili ſtipatam Angelorum multitudine. Cúmque ad me acceſſiſſet, aſpexit me quàm benigniſſimè, canentibus interim ſuaviſſimè cœleſtibus ijs ſpiritibus millenas ejuſdem Domini laudes. Vidi poſtea, quòd Divina Majeſtas in ea ſpecie, quam gerebat, & omnis illa Angelorum cohors, unáq; ego, aſcenderemus ad cœleſtem Jeroſolymam, ubi, ùt eram crucifixa, fui coram eodem Domino collocata. Audivi tum Angelos, qui remanſerant in cœlo, quærentes ex alijs: Quænam eſt hæc anima? unde venit? Et extollebant millenis laudibus Deum ob ipſius bonitatem & beneficia, quæ exhibet animabus, ſpecialiſſima illis præſtando auxilia, ut eas in ſuo ſervitio promoveat. Poſt hæc me Sancti mei Angeli extenderunt pronam ſuper cœli illius pavimentum, quod mihi videbatur eſſe planum, & coloris cærulei, quale illud hîc ſpectamus, dum eſt ſudiſſimum, & omnium expers nubium. Ibi adverti me dehiſcere, ut quaſi in hoc cœlo ſepelirer, incumbente humeris meis, & corpori cruce. Supra iſtud velut ſepulchrum expanderunt pannum, quem, licet eſſet pretioſiſſimus, agnoſcebam eſſe funebrem: cæperúntque cantare Angeli, acſi celebrarent meas exequias. His peractis, poſtquam fui expoſita ex eo myſtico ſepulchro, induta veſte elegantiſſimæ & cœleſtis texturæ, ſum præſentata Domino, inſiſtens pedibus qui mihi benigniſſima ingentis amoris exhibendo indicia dixit latinè: Tota pulchra es anima mea. Videor mihi verò, ita adhuc abrepta in ecſtaſim, vehementer erubuiſſe, auditis his verbis, ideóq; illi dixi: Mi Domine, noli me taliter compellare: alioquin enim exiſtimabo, quòd non ſis tu, qui me alloqueris. Quandoquidem te, reſpondit Dominus, ſicut vidiſti, inſupérq; alio interiore modo, quem non agnoſcis, mundavi, bene te poſſum illis verbis compellare. Poſtea me illi Sancti Angeli collocaverunt in quadam humili ſella, & per quoſdam gradus elevaverunt ad locum ſublimem, ubi mihi Dominus contulit magnam ſuæ Divinæ Eſſentiæ cognitionem. Vidi res tantas adeóq; admirandas, ut, etiamſi ab anima cognoſcantur, nullatenus tamen poſſint declarari. Deinde fui ducta per alios gradus ad alium locum altiorem, in quo fui aſſecuta alium, priore ſublimiorem, modum cognoſcendæ ejuſdem Eſſentiæ, & Divinorum attributorum, prout in ſe ipſis ſunt, unáq; aliquid intellexi de modo, quo ſe Deus communicat ſuis creaturis. Tandem per alios gradus perveni ad aliam prædictis eminentiorem altitudinem, ubi me Deus clariùs edocuit de æterna ſua duratione, & interminabili illa perennitate. Hîc adeo fui ſubmerſa, ut potentiæ animæ penitus abſorberentur, mihíq; ipſi erepta prorſus ignorarem, ubinam eſſem, donec adverterem, me adhuc ibidem permanere: poſtquam autem inde per dictos gradus deſcendi, méq; Domino ſtiti, ubi antecedenter fueram, dedit mihi ſuam ſanctam benedictionem, atque ab ipſomet collocata in eorum Angelorum brachijs, fui ab illis quàm ſuaviſſimè delata ad meum angulum. DEus ſit benedictus. Amen.

*Credo, DEum illâ pretioſâ cruce ſignificare voluiſſe, quàm ſibi grata eſſet Crux, quæ ab hac Virgine tolerabatur, morborum, & continuorum dolorum, ac terribilium quibus à dæmone exercebatur, tormentorum, quemadmodum in prima parte dictum fuit: Atque his quidem continuè ad mortem uſque eſt excruciata. In eo autem ſepulchro myſtico indicare voluerit, ſeu illam jam eſſe rebus omnibus extra Deum poſitis mortuam, ſeu crucem ipſius duraturam uſq; ad ſepulchrum, quæ crux fuit, qualem modo dixi. Hæ ſunt conjecturæ. Nam quid Deus in iſtis tam ſublimibus myſterijs voluerit operari, niſi ipſe manifeſtet, difficulter poteſt indagari.*

# CAPUT II.

## Videt sibi repræsentatam propriam vilitatem, acceptátque humiliter pœnam ob defectus injunctam.

*QUia hæc Sponsa Christi, plurimum boni consequebatur, quando se per sui cognitionem despiciebat, non solùm* DEus *in purissimo ipsius corde plerúmq; hujuscemodi excitabat affectus, sed etiam illi symbolicè propriam repræsentabat vilitatem, ut suam agnoscens despicabilitatem, profundè sese humiliando, majore digna evaderet exaltatione. Atq; iste agendi modus est proprius hujus Divini amantis, ut dilectissimam sibi sponsam deprimat, quò eam meritis auctiorem ad ampliorem evehat gloriam. Describit ipsa Virgo quasdam hujus generis gratias, & de una earum loquens sic ait.*

Elapsâ die Dominicâ vacabam consuetæ orationi, & postquam specialem habuissem illuminationem, ducentem me in agnitionem meæ miseriæ ac tepiditatis, quâ tam bonum Dominum amo, eique inservio, sensi in mea anima vehementes affectus ac desideria ipsi placendi, & quàm perfectissimè serviendi. His abrepta illum invocabam & rogabam, ut me per viscera misericordiæ suæ doceret, quomodo, & qua in re sibi à me vellet serviri. Usque adeo hoc ardens desiderium invaluit, ut quodammodum non essem mei compos, videretúrq; mihi cor dirumpi. Interea audivi Dominum dicentem suis Angelis, acsi me non nôsset, quod aliàs quoq; facere consuevit: Quis clamat, méque tanto affectu invocat? quid est illi, quid vult? Et conversus ad unum specialiter Angelum dixit ipsi: Perge, vide quid ista anima velit. Continuò se coram me stitit speciosissimus Angelus, dixítque mihi: Quid vis Anima? mittit enim me Dominus, ut te nomine ipsius interrogem. Ego illi recensui multa mala ac defectus, quorum me agnoscebam ream, atque desideria, quibus ferebar ad placendum Deo, & interrogandum, quid me idcirco oporteret facere. Angelus meæ interrogationi nihil respondit, quin potiùs quasi aliud agendo me conabatur avertere ad alia, & concluſit dicendo: Bene est, quid vis Divino illi & cœlesti sponso significare? Audito hoc verbo interrupi ipsius sermonem, & erubescens, sicut soleo, quotiescunque id audio, dixi: Noli Domine Angele, noli mecum taliter agere, noli mihi hujusmodi verba dicere; sed expone mihi, quid sit miserabili huic peccatrici faciendum, ut serviat ac placeat Deo. Bene est, repoſuit Angelus: Verùm quid mihi committis ferendum, cùm me non deceat redire vacuis manibus, ita ut nihil è tuis rebus asferam. Nihil habeo, ajebam: quodsi aliquid haberem, totum Domino meo offerrem. Ego tibi, respondit ipse, donabo, quod illi possis mittere. Et cùm id diceret, animadverti, quòd in sua manu haberet elegantissimum ramum, plenum eximiæ pulchritudinis, & florum suaviter olentium, insupérq; onustum pomulis, quæ erant similia pretiosis unionibus. Hunc posuit ad meam manum, & quando illum attigi, deciderunt super me omnes flores ac fructus, ita ut ramus omni eâ elegantiâ spoliatus non quomodocunq; flaceſceret, sed non aliter exareſceret, quàm si ante multos annos fuisset ab arbore abscissus: quæ repentina mutatio me magno affecit stupore, ut dixerim Sancto Angelo: Quid est hoc? quomodo ramus tam speciosus est in tam aridum lignum conversus? Itáne verò? respondit Angelus, videamus. Et postquam ramum sumpsisset ad suam manum, cæpit ille ijsdem denuò cooperiri floribus ac fructibus, quos priùs habuerat, subitóque quàm celerrimè evolavit ad cælum. Vidi autem, quòd illum ramum præsentaverit Sanctissimæ Personæ Spiritûs Sancti, idémque Dominus speciem referens hominis, ipsum acceperit ad suam manum, & olfecerit, acsi ejus fragrantiâ delecta-

delectaretur. Et significans assistentibus Angelis, quàm sibi esset gratus is ramus atque acceptus, tradidit illum uni eorum, præcipiens ut ipsum servaret: quem iste dedit alteri, & hic tertio, ita ut, postquam trium Angelorum manus pertransivisset, postremus abiverit eundem asservaturus, quanquam intelligere non potuerim, quo loco. Finitâ visione mihi Dominus exposuit, quid significaret, quódque me per eam figuram doceret, quàm sint veritati conformia, quæcunque in me ipsa cognoscenda, conciperem. Intellexi, me mihi ipsi relictam esse illud lignum aridum, ita ut nihil aliud habeam, quàm miserias, inopiam, ac deformitatem: atque dum Divina Majestas quæpiam dona animæ largitur, quibus illam exornat, instar rami, floribus & fructibus, omnia esse ipsi attribuenda, & offerenda, tanquam unico ipsorum Domino.

*Idem illi fuit ostensum aliâ occasione, tametsi diversa fuerit figura & symbolum, quod ipsa refert his verbis.*

Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, postquam hîc mortuus, vivit in cælo, quam in vita degens mortali mei gerebat curam, etiamnum gerit, sicut aliàs dixi, méq; frequentiùs quàm tunc fecerit, invisit. Et cùm præ manibus haberem duo negotia, quibus aliquid impenderam temporis, existimans, me ijs diutiùs inhæsisse, quàm fuisset necessarium, timénsque ne quid deliquissem, consului Patrem Ludovicum, qui tum apud me erat. Quia verò ex Sancta cum ipso conversatione efferveſcebant affectus meæ animæ, cœpi alloqui Deum, & rogare, ut mihi pauperrimæ largiretur magnam aliquam eleemosynam spiritualem, quâ occasione Sanctus Pater Ludovicus dixit: Opportunè ades, modò potes mendicare. Et eo ipso momento mea anima fuit abducta à suo Angelo Custode, reperíque me ante quoddam amplum & elegans Palatium, ad cujus ingressum sedebat Deus cum magna Majestate, distribuens copiosæ multitudini eleemosynam, quæ ejus petendæ gratiâ accurrebat. Hoc spectaculo fuit mea anima singulariter exhilarata: erant namque homines promiscuæ ætatis, senes, juvenes, & infantes; omnéſque accedebant cum magna reverentia, observantia, & gratiarum actione ad petendam eleemosynam, quam illis Dominus impertiebatur cum ingenti voluptate, & speciali complacentia. Fuit mihi indicatum, omni illâ hominum turbâ repræsentari viventes in hoc mundo, & suppliciter à Deo, pro se atq; alijs, postulantes bona spiritualia. His omnibus ego aderam induta quadam obsoletissimâ & lacerrimâ veste, exspectans, ut mihi quoq; mea daretur eleemosyna, adhærente lateri meo continuè Sancto meo Angelo Custode. Verùm Dominus, postquam cessavit toti illi turbæ distribuere eleemosynam, recessit, & clausa fuit janua, quin ego quidquam acceperim. Egressus est deinde festinanter quidam Sanctus Angelus, qui me interrogavit: Quid hîc agis, Anima, quid quæris? Respondi ipsi: Domine, quærebam eleemosynam. At ille: Deus, ajebat, tibi provideat; statímque redivit ad Palatium. Hoc responsum magno mihi fuit solatio, dixíque in corde meo: Bene est, si Deus mihi providet, nihil mihi deest: & providebit mihi Divina Majestas, sicut mihi asseruit Angelus. Ad hæc omnia Sanctus meus Angelus Custos tacebat; postea verò dixit: Veni, Anima, progrediamur. Dum ipso comitante perambularem illud cœlum, venit nobis obviâ Christus Dominus, qui me perbenignè alloquens, vicésque meas dolens, dixit: Quò te pedes, Anima? quomodo tam miserè & malè vestita incedis? Cui ego cum magna simplicitate, quasi ipse id non sciret meliùs, accuratè enarravi, quidquid mihi evenerat. Dominus me audivit, dixítq; mihi: Noli in tali vestitu progredi; Ego te introducam ad gazophylacium Sponsi, ubi exornaberis pretiosis vestibus, quibus induta poteris petere stipem, quæ tibi dabitur. Reversa sum cum Domino, qui ingressus Palatium, me duxit ad pulcherrimum conclave: & postquam secuta Dominum introivi cum Angelo meo Custode, clausa est janua, manentibus extrà cæteris meis Dominis Angelis, qui me comitabantur. Erat dictum conclave plenum splen-

plendidiſſimis veſtibus, & pretioſiſſimis cimelijs, videbatúrq; mihi illic adeſſe ipſemet Deus, ſpecialiter verò ſacratiſſima Perſona Spiritús Sancti. Quidam Sancti Angeli ibi præſentes me ſubitò induerunt veſte, quæ nive fuit candidior ac ſplendidior, & huic ſuperpoſuerunt aliam purpuream, lucidiſſimis diſtinctam ſtellis, atque iſti ſecundæ tertiam pretioſiſſimis refertam lapidibus. Et poſtquam collum meum exornavillent pulcherrimo torque, caput autem ſpecioſâ coronâ, dediſſentq; mihi baculum ad manum, dixerunt: Jam perge, & confer te ad petendam tuam eleemoſynam. Exivi ex eo conclavi, & conſpexi quendam thronum Divinæ Majeſtatis, in quo reſidebat Pater æternus. Excepit me quàm affabiliſſimè, oſtendens, ſibi plurimùm placere ornatum mearum veſtium. Petivi ab ipſo demiſſè eleemoſynam, & ille cum ſuaviſſima benignitate mihi dedit grande fruſtum aurei lateris undequaque quadrati, cujus tres facies referebant quaſi inſculptas tres Divinas Perſonas, unáq; ſingulæ exhibebant omnes tres: quâ ratione mihi quàm vivaciſſimè repræſentabatur unitas Eſſentiæ trium Perſonarum. Quarta facies inſculptam habebat ſanctiſſimam Humanitatem Chriſti Domini, cum imaginibus ipſius Vitæ, Paſſionis & mortis, ita ut mihi repræſentaretur etiam unio Divini Verbi. Poſtquam hoc donum accepi, Pater æternus me dimiſit, exhibendo mihi magnam benevolentiam, & meus Sanctus Angelus Cuſtos, paritérq; cæteri mei Domini Angeli me duxerunt per illud cælum, ubi nobis denuò obvius factus fuit Chriſtus Dominus, qui mihi dixit: Quid fers Anima? quid eſt tibi datum? Tum illi monſtravi laterem aureum. Quamvis autem illum iſte Dominus à me peteret, nihilominus internè ab eo edocebar, quid mihi eſſet agendum, quòd nempe ipſum deberem rogare, ut conſervetur à meo S. Angelo Cuſtode. Annuit Ejus Majeſtas meæ petitioni, mandavítque, ut conderetur in theſauro, ubi erant repoſita dona mihi à Deo, per ipſius miſericordiam, collata. Interea Dominus deſijt videri, & mei Domini Angeli me perduxerunt ad meum cubicellum. Ibi intellexi, baculum, qui mihi fuerant datus, eſſe amabilem & paternam providentiam Dei, cui anima, ex ſe ipſa pauper ac miſerabilis, ſecurè & fiximiter innitens, obtinet remedium ſuarum neceſſitatum, quia admittitur, & celeriter expeditur, quando ad petendum accedit ornata virtutibus, ſignificatis per veſtes & cimelia, quæ mihi in ſacro Spiritús Sancti gazophylacio fuerant donata. Ipſe ſit in æternum benedictus Amen.

*Quòd amabiliſſimus Dominus noſter illi venerit obviam, dum quaſi derelicta plateas cæli perambularet, videtur indicare, viam ſecuram in progreſſu ſpirituali, & familiari cum Deo converſatione, Ducémq; certum eſſe Chriſtum Dominum, & ipſius myſteria, ad obtinenda ſublimiſſima dona Spiritús: Cæterùm verò ſemitas eſſe incertas, vel diverticula, per quæ nunquam ad exoptatum finem pervenitur. Atq; ſaltèm ex eo, quòd Chriſtus Dominus ipſam introduxerit in illud Divinum Gazophylacium, ubi fuit locupletata, ſatis clarè apparet, à Deo, nonniſi per merita dulciſſimi iſtius Domini Noſtri JESU Chriſti, animabus communicari bona, quæ ſunt ex ſe inopes, mendicæ, & veſte veteris hominis induta, quæ nihil eſt aliud, quàm miſeria. Hæc viſio eſt conformis alteri, quam habuit tendentem ad idem documentum, & ipſa ſic recenſet.*

Feriâ quartâ, in Feſto omnium Sanctorum, ſpectabam, à Deo illuminata, ex meo cubiculo, ſolennitatem, quâ ab univerſis honorabatur Chriſtus Dominus, ob cujus merita fruebantur eo infinito Bono. Omnes Angeli, & Beatæ animæ concinentes, millenis illum extollebant laudibus. Ego me ipſam conſiderans, neſcio quo affectu, cæpi exclamare, & lamentari dicendo. Eheu! eheu! eheu! Tum Dominus cum ea amabili, ſibi aliàs conſueta, diſſimulatione, dixit in cœlo ad quoſdam Sanctos Angelos: Qualis eſt iſta creatura, quæ lamentatur? Videte, quis ſit. Quidam ex ipſis me ſunt intuiti, atque reverſi ad Dominum, retulerunt ipſi, quis adeſſet. Et mox, jubente eodem Domino, deſcendentes ad meum cubiculum, poſtquam ab illis fuiſſem tecta quodam velut cœtone obſoleto, me duxerunt quàm celerrimè

ad

ad cœlum, ibíque extenderunt ad portam, per quam nonnulli introibant & exibant: Licèt verò illos viderer impedire, fui tamen ibi relicta. Vidi eo situ collocata, intra illud Beatorum domicilium descendens, instar pluviæ, quoddam manna divinum, simile minutæ grandini, super omnes illos cælestes Palatinos, cum magna suavitate, ipsorúmque voluptate. Significabatur mihi, eum in modum repræsentari assistentiam Dei, ejusdemque amabilem protectionem, & gloriam, quâ ab ipso reddebantur beati. Cadebat etiam supra me, ita ut ab ea cœlesti pluvia cooperiretur vilis ille cento, quo eram obvoluta: & sic indicabantur gratiæ, quas absque meo merito, spectatâ meâ propriâ miseriâ, omniúmque bonorum inanitate, consequebar à generosa magni Dei nostri dextera. Adverti interea, quòd per angustas quasdam scalas, quæ ex cœlo protendebantur ad terram, aliqui inciperent ascendere, quódque me conspectâ, quasi turbati decidérent. Ignorabam, quinam essent: intellexi tamen à Domino, ipsos lapsos fuisse propter suam superbiam. Benedictus sit Deus, reddátque nos humiles, ut illam januam ingrediamur.

*Non solùm verò* DEUS *hanc Virginem, tam præclaris figuris instruebat, quàm esset ex se vilis & miserabilis, verùm etiam de leviſſimis culpis & negligentijs (quæ vix erant reprehensibiles, & in hac mortali vita nunquam ab anima, quantumvis perfecta penitus evitantur,) commonefaciebat, quo fiebat, ut se humiliando intimo earum tangeretur dolore, illáſque ita exaggeraret, ut non posset conquiescere, donec à* DEO *pro meritis castigaretur: Id apparet ex eo, quod nobis hac de re scriptum reliquit his verbis.*

Feriâ tertiâ, vigesimâ sextâ hujus (erat Majus anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, biennio & ampliùs ab obitu Patris Ludovici de Ponte) postquam me invisisset Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, ut eo die nemini negarem accessum, qui solatij causâ adesset venturus. Ego oblita hujus mandati non admisi duas personas, quæ, inter aliàs, illo die venerant. Deinde, cùm acta mea revocarem ad examen, agnovi meum defectum ac negligentiam, & erubescens petij à Deo veniam, rogavíque illum ex animo, ut puniret istam culpam. Pijssimus Dominus exaudivit meas preces, jussitque me prosterni. His omnibus aderat meus Sanctus Angelus Custos. Existimabam me videri à toto mundo, ut mea culpa universis innotesceret, ob quod judicium, & suppliciũ adeò erubescebam, ut nequeat explicari. Jussa sum deinde erigi, atque ita stans satìs diu detinebar, quasi damnata ad infamem columnam. Postea rursus fui prostrata. Quâ pœnitentiâ peractâ, accessit meus Sanctus Angelus Custos, dolens meas vices, reduxítque me ad meum locum, ubi mihi dixit: Magno me hoc factum affecit solatio, quia ob istum actum humilitatis longè magìs placuisti Deo, quàm illi displicuerit tuus defectus, utpote quodammodo naturalis, & commissus per inadvertentiam: actus autem, quem nunc exercuisti, magni fuit meriti. Disponat de me Deus pro suo beneplacito, cedátq; id in gloriam Divinæ Majestatis.

*Anno sexcentesimo vigesimo nono, in Septembri, postquam ipsi Deus tam horrendas dolorum cruces & afflictionũ immisisset quàm unquam aliàs in vita, simillimas descriptis in prima parte, ut tanquam grata victima suo cruciatu gratiam his Regnis obtineret, cúmq; præterea jussa fuisset alia quædam in eorundem commodum præstare; elapso demum præfixo ad patiendum termino, die sextâ sequentis Octobris, refert, quod illi postea accidit, his verbis.*

Expleto tempore, quod mihi Deus constituerat, pro perferendis doloribus, ad procurandum majus bonum, existentium in his Regnis, animarum, prout jam retuli in chartis, quas scripsi in Septembri, feriâ sextâ, die sextâ Octobris, me vocavit Dominus, ut ascenderem ad locum valde altum, ubi se mihi Divina Majestas exhibebat spectandam. Non videbam, quâ mihi esset ascendendum, neque reperiebam scalas, sicut aliàs soleo. Et dixi illi: Domine, non potero ascendere, quia non est, quâ ascendam. Dominus autem dixit: Ascende utcunque poteris, ego te juvabo.

Conſpexi derepente duos gradus ſcalarum, & cùm pedem ad primum gradum elevaviſſem, apparuerunt mihi ſcalæ, quæ licet infernè eſſent latæ, magis tamen ac magis uniformiter coarctabantur, uſq; ad ſummitatem. In uno latere habebant ſuſtentaculum, ſuis incumbens cancellis, in alterò verò murum. Cœpi aſcendere, & quò progrediebar ulteriùs, eò magis murus ſenſim coibat, ita ut, poſtquam ad ſatis magnum ſpatium proceſſiſſem, mihi tantopere approximaverit, præcluſeritq; tranſitum, ut impoſſibile fuerit progredi, aut retrocedere, & eſſem quodam quaſi prælo conſtricta. In hac anguſtia aſpexi ad cœlum, & vidi Angelum, qui egreſſus ex quadam porta feſtinabat, nullibi ſubſiſtens. Vocavi illum: qui reſpiciens, vidénſque me concluſam, interrogavit: Quid eſt hoc, Anima? quis te ibi conſtituit? Dominus Deus me hîc conſtituit, reſpondi. Si te ibi conſtituit Deus, dixit Angelus, ille te inde educet; atque hoc dicto perrexit ulteriùs. Mox vidi egredientem alium Angelum, quem vocavi, ſicut priorem. Vertit ſe, méque aſpexit, & me neglectâ, nullo mihi verbo dicto, eſt proſecutus ſuum iter. Prodivit tertius, quem vocavi utì cæteros. Iſte magis mei fuit miſertus, acceſſit, affabiliter me eſt allocutus, dicendo: Quid hoc eſt, Anima? quomodo hîc hæres? quis te redegit ad tantas anguſtias? Domine Angele, ajebam, Deus me huc redegit. Invoca ergo illum, reſpondit ipſe, & pete ab eo gratiam, quam ille tibi præſtabit, educétq; te inde. Invocavi inſtanter Deum, & omni adhibito conatu, ut evaderem ex eo diſcrimine, tandem ſum inde egreſſa. Conſcendi poſtea alias ſcalas, quæ, prout ego progrediendo aſcendebā, ita velut conſtringebantur, & coaleſcebant. Perveni ad ſupremum gradum, reperíq; me ad portam cœli. Ibi vidi multos Angelos, quibus Dominus mandavit, ut me adducerent ad ſuum thronum. Quo facto, dum illic eſſem, dixit mihi Divina Majeſtas: Accede Anima. Quomodo es executa, quod te juſſi agere, & pati pro bono publico? Reſpondi, quia non poteram diffiteri: Domine, ſeu propter adverſæ valetudinis ſymptomata, quæ patior; ſeu ob fragilitatem & culpam meam, tepidè admodum ſum obſecuta Tuæ Majeſtati. Quid igitur tibi videtur, ſubjunxit Dominus: putásne, te promereri pœnam? Omninò, mi Domine, reſpondi; mereor pœnam propter meam ſocordiam. Puniatur, dixit Dominus. Et ſubitò ad me acceſſerunt quidam ex ijs Dominis Angelis, denudatíſque meis humeris, & ſuperiore dorſi parte, inflixerunt mihi, præſente Domino, circiter viginti ictus, donec Dominus, qui aderat ſpectator, dediſſet ſignum, dixiſſétque, ſufficere. Tunc meus Sanctus Angelus Cuſtos mihi impoſuit quoddam velum, quo me texit, & jubente Domino me reduxit ad meum angulum: ubi paulò pòſt audivi vehementem tumultum, & ingentem ſtrepitum in cœlo, ſtatímque ſum ſuſpicata, quid fieret. Nam diuturnâ experientiâ compertũ habeo, ferè ſemper, dum Tertia Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis ſuam exhibet majeſtatem & magnificentiam, operando aliquid eorum in terra, quæ huic ſummo ſpiritui ſpecialiter ſolent attribui, antecedere quendam ſtrepitum, tantámq; cómotionem, ut ſe cómovere videantur cœli, ſuámque amplitudinem & gravitatem inclinare ad terram. Deſcendit verò (ita enim apparet animæ) Divinus ille ſpiritus, admirandam demonſtrans pompam ſuæ majeſtatis & potentiæ, circumdatus à multis Angelis, duxítq; me, modo quodam ineffabili apprehenſam, ſecum ad cælum, & præbens me ijs cœleſtibus incolis ſpectandam dixit: Ita exaltabitur, qui ſe ex corde humiliaverit. Tum cooperiens me, operâ utendo Angelorũ, ſplendidiſſimo velo, excitavit in mea anima intenſiſſimum amorem, uniens me ſibi arctiſſimâ unione, poſt quam mihi infudit cognitionem ſimilem illi, quam aliàs percipio, quando anima quodammodo ſubmergitur in Divina Eſſentia: ubi nihil aliud repræſentatur, aut videtur, quàm quædam perfectionum & attributorum Divinorum abyſſus, præſertim verò æternitatis, immenſitatis, & infinitudinis: atque dum plurimùm de illa intelligit, pro ſuo captu, neſcit tamen tunc

anima

anima (minùs verò sciet postea) aliud dicere, quàm: Ampliùs est quàm hoc, ampliùs est. Etiamsi namque plurimùm cognoscat, simul tamen illi indicatur, superesse infinities plura cognoscenda: & anima submersa in hac infinitudine se perdit, ut sibi ipsi eripiatur. Ità mihi contigit, donec me translatam, sicut Deus novit, inveni in meo angulo. Benedicta sit Divina Majestas in æternum, Amen. Deinde mihi Dominus manifestavit, illam angustiam, ad quam fueram redacta, significare, quòd oporteat pati, & vincere difficultates, ut perveniatur ad consequendas à Divina ipsius manu magnas gratias.

*Reliqua hujus visionis possunt per se facilè intelligi. Tantùm remanere videtur difficultas in eo, quid significaverint illæ posteriores scalæ, per quas pervenit ad cœlum, & quæ eò magis constringebantur, atque in se ipsas coalescebant, quò altiùs Virgo ascendebat. Aliquid mihi in mentem venit, non tamen integrè satisfacit. Ago historicum, non interpretem horum mysteriorum; incumbitque mihi solummodo obligatio eorum declarandorum, si viderentur quidpiam continere difficultatis quoad, seu dogmata Fidei, seu opiniones ab Ecclesia approbatas, seu etiam probitatem morum: cum tamen in tribus istis vix reperiatur verbum, aut sententia, scripta ab hac Sancta Virgine, indigens explicatione. Usqueadeo omnia sunt conformia, non solùm in rei substantia, sed etiam in modo loquendi, ijs quæ sentit, ac docet Romana Catholica Ecclesia, omnis veritatis Mater. Quapropter, in nonnullis mysterijs, quæ sive Deus non declaravit Virgini, sive ipsa nobis declarata non reliquit (fortassè quòd ea deinde oretenus exponeret suo Confessario) tunc tantummodo aliquam addam explicationem, quando una ex parte planè fuerit probabile, eam posse doctis videri legitimam, ex alia verò prodesse rudibus, qui illam ipsam eruere nescirent. In alijs symbolis, ùt dixi, obscurioribus, malo illa reverenter venerari, quàm, non assequendo veritatem, interpretari.*

# Caput III.

## Glorioſa exaltatio, quâ Deus humilitatem hujus Virginis remunerabatur.

*Quanquam ex præcedenti visione satìs clarè intelligatur, quòd eodem tenore, quo hæc Virgo sese magis deprimebat, & exinaniebat, Divina Majestas illam amplùs exaltaverit; referam hìc, tamen seorsim alios favores, probantes, quomodo plerumque in hac etiamnum vita mortali, Dominus veritatem suam Evangelicam confirmet, quòd sola cordis nostri humilis submissio, sit causa conveniens gloriosæ exaltationis. Dicit verò hæc Dei famula, in una ex postremis suis chartis, sequentia.*

Erat mea anima vehementissimè confusa, quia mihi videbatur aliquot horis fuisse destituta vivaci illâ & actuali præsentiâ Dei, quam ipsi Divina Majestas ordinariè, ex sua misericordia, communicat. Cum hac apprehensione, & potentissimo affectu judicabam, meos defectus esse valde graves. Amarè de ijs dolebam, & existimabam me jam indignam, quæ comparerem in conspectu magni istius Domini: ideóque optabam, & conabar, ope naturalis meæ imaginationis, aliquam effingere figuram eorum, quæ fuissem promerita, mihíque repræsentare, quòd me Sancti Angeli, arreptam per brachia, ejicerent è domo, & conspectu DEI. Licèt autem affectus esset tam ardens, imaginatio tamen mea erat tam hebes & obtusa, ut non assequeretur modum, quo efformaret imagines, juxta meam voluntatem, quarum repræsentatione ampliùs erubescerem. Interea se oculis animæ objecit grandis crux, admirandi splendoris: & quamvis esset crux, videbatur

batur mihi nihilominus tota quasi auri obrizi, & pulcherrimorum luminum distincta tessellis. Jussa fui illam adorare, quod statim cum summo affectu feci, prosternendo me, manibus junctis, & os affigendo terræ. Ità vivacissimè apprehendebam meam propriam miseriam & vilitatem. Advertì deinde mihi superponi illam crucem, quæ à pedibus usque ad caput correspondebat toti corpori. Videbatur meis infirmis viribus esse gravissima, oppressit enim me adeò, ut ab ea sepelirer ac detruderer intra terram, in qua jacebam extensa, donec tota eâdem terrâ cooperirer, non absque inexplicabili anxietate & suffocatione. Id unum me solabatur, quòd semper præsentem viderem Sanctum meum Angelum Custodem. Post hoc adverti, amoveri eam mihi incumbentem crucem, & manibus Angelorum auferri ad cœlestem Jerosolymam. Ad caput autem illius quasi tumuli, in quo eram sepulta, vidi collocari quandam deformem calvariam carne nudatam, redimitam nihilominus etiam coronâ aureâ inæstimabilis pretij. Indicatum mihi fuit, illâ cruce figurari molestias, dolores & afflictiones, quas Deo opitulante sustineo, ac tolero per totum vitæ meæ decursum: auro autem ejusdem & splendore, significari merita respondentia patientiæ, quâ illas perfero, per virtutem crucis & sangvinis Christi Domini. Intellexi quoque, eo modo sepulturæ, & illâ calvariâ repræsentari nostram naturam, & pulverem, ac nihilum, ex quo fuimus formati; reducendósque nos in idem lutum & pulverem, ex quo nati sumus: Attamen per Dei misericordiam, & merita Filij ejus Christi Jesu, hunc pulverem & calvariam exaltari ad tam sublimem statum, ut reddatur capax regnandi cum ipso, obtinendæque coronæ infiniti pretij ac valoris. Dum considerarem hæc mysteria, atque ità comprehenderem meam miseriam, & quâ ratione merear cooperiri pulvere, meus Sanctus Angelus Custos aperuit sepulchrum, removit terram, méque inde eduxit. Contemplata me sum, & quamvis in mea propria specie me viderem, & figura naturali, eadem tamen erat adeò ineffabili lumine circumdata, ut mihi quodammodo divino cuidam soli viderer similis, ijs coruscans splendoribus, ut non reperiam modum illorum explicandorum. Advenerunt continuò multi Angeli, præsertim verò illi mei Domini, qui me semper in meo cubiculo suâ dignantur societate, & duxerunt me ad cœlestem Jerosolymam, concinendo svavissimâ & admirandâ harmoniâ laudes Domini DEI, tum ob id, quod est in semetipso, tum etiam propter infinitam bonitatem, quâ se liberalissimè comunicat pauperculis creaturis. Prostravi me coram Divina Majestate, cum summa mea erubescentia, quia affectus vilipensionis mei ipsius necdum intepuerant, cum quibus, ùt dixi, inchoaveram orationem, judicando me dignam, ut me Divina Majestas abominaretur, projicerétque à Divino suo conspectu. Benignissimus tamen Dominus, me suscepit amanter & benevolè, dicendo: Bene veneris Anima, refer mihi nunc, quidquid tibi evenit, siquidem id ex ore tuo volo intelligere. Ego contremiscens non audebam respondere, & aspiciebam meum Angelum Custodem, ut loco mei loqueretur, ac responderet. Sanctus Angelus, videns me adeò turbatam, orsus est sermonem, & arcanissimâ quadam ratione, ac breviter, quasi summatim recensuit, quæcunq; mihi acciderant, quæ Divina Majestas longè meliùs noverat: utitur tamen svavissimè hujusmodi ambagibus, ut se accommodet ignorantiæ & ruditati animæ, cum qua agit. Dominus libenter audivit narrata sibi ab Angelo, conversúsque ad me dixit mihi: Anima mea, dic etiam tu mihi modò, quis de his tuus sit sensus. Tum ad me accessit meus Sanctus Angelus dicens: Responde, Anima, tuo DEO, quid agis? obtempera statim. Ego occupata à meo pudore aliter loqui non potui, & dixi quod sentiebam: Mi Domine, & mi Deus, ego sum illa miserabilis creatura, pauper, & omnis boni expers, plena ad capillos usque capitis vitijs, defectibus, culpis & peccatis: Miserere mei secundùm magnitudinem miserationum tuarum. Surge, Anima, dixit Dominus: Jam enim didicisti sublimi-

missi-

missimam, summéq; necessariam scientiam vitæ spiritualis; & impertitâ mihi suâ sanctâ benedictione, mandavit Angelis, ut me ducerent ad alium altiorem locum, quàm eatenus habuerim. Illi obedierunt, constituerúntq; me in loco immensæ altitudinis, unde sum contemplata clarissimum lumen Divinæ Essentiæ magni DEI nostri, uniénsq; me cum ipso perdidi me penitus in eo imenso mari, ita ut nequeam dicere, quamdiu perseveraverim in illa felicissima abysso. Remanente verò ibi superiore parte meæ animæ, fui admirabiliter translata ad meum angulum, ubi ad me reversa ex raptu, tot abundante mysterijs, obstupesco, considerans opera magni Dei, gratiasq; illi agens quas possum, quòd se taliter tam vilibus comunicet creaturis.

*In alia charta refert, quod ipsi accidit vigesimâ tertiâ Octobris anni sexcentesimi vigesimi noni, ubi etiam clare exhibetur illud suave hujus purissimæ Virginis cum Deo certamen, dum ipsa se indesinenter aspernaretur, Deus autem semper progrederetur in ea exaltanda. Sic vero ait.*

Elapsâ feriâ secundâ fuit meum paupertinum cubiculum transformatum in conclave, quod totum videbatur constructum ex carbunculis: talem enim, licet multò excellentiorem, referebat colorem. In hoc Sancti Angeli collocaverunt, consuetâ sibi in hujusmodi operibus celeritate & accuratione, pretiosam sellam, suis coopertam cortinis, & omnia erant ejusdem coloris, quem habebat conclave, atq; repræsentabant magnam pompam & majestatem. Jusserunt me subitò in ea sedere. Verùm ea fuit mea erubescentia & verecundia, dum paupertatem, nihilúmq; meum compararem, cum elegantia sellæ plenâ majestatis, ut me nullâ ratione possem adigere ad obtemperandum illis meis Dominis Angelis. Tandem post longam renitentiam, apprehendentes me cum magna modestia ac decentia (quæ singularissima relucet in fidelissimis, & beatis istis Dei ministris) suismet manibus me composuerunt, & collocaverunt in ea sella. Subitò verò totum conclave, quale erat, unáq; ego, comitantibus me illis meis Dominis Angelis, fuimus elevati usq; ad portam cœli. Ibi me rursus occupavit tanta verecundia, quòd viderem mihi, quamvis tam sim miserabilis, ingrediendum esse, tanta cum ostentatione, ad conspectum illius summi Regis, & eorum Sanctorum Principum assistentium Divinæ Majestati, ut cœperim reluctari, ac rogare Sanctos Angelos, qui me comitabantur, ut me sinerent reverti; siquidem nullo modo auderem intrare. Substiterunt, ut aliquid tribuerent meæ imbecillitati. Et verò soleo in ejusmodi occasionibus mirari, dum considero suavissimum modum, quo magnus Deus noster, & cœlestes isti Spiritus ejus ministri, sese accommodant naturali nostræ inclinationi, donec Dominus, per suam sapientiam & omnipotentiam, disponat voluntatem, ut se suaviter Divino ipsius subjiciat beneplacito. Angeli adiverunt Divinam Majestatem, retulerúntque illi meam renitentiam, acsi eam ignoraret. Jussit autem me nihilominus ad se adduci. Ducta sum statim cum ingenti meo pudore, & prostrata coram illa tremenda Majestate, toto affectu meæ animæ cœpi dicere: Ecce, mi Domine, adest illa pauper, vulnerata, mendica, plena peccatis ac defectibus, ob quos ante paucos dies fui flagellata in tua Divina præsentia. Dominus me audiebat, & postquam cessavi loqui, dixit mihi summam demonstrans benignitatem: Bene est, Anima, modò requiesce in me. Post quæ verba fui abalienata à sensibus per somnum spiritualem, quem jam aliàs exposui. Quamvis autem illum explicem nomine somni, id non idcirco fit, quòd eo ligentur potentiæ; verùm propter suavitatem ac dulcedinem, quâ ab ijsdem illa percipiuntur, quæ tunc Deus in ipsis operatur. Ibi Divina Majestas meæ animæ manifestabat, juxta limitatum mortalis hujus statûs captum, Divinum suum Esse, sua attributa, & perfectiones, sicut aliàs. Hoc tamen fuit speciale, quòd unà auditem musicam multorum Angelorum, instrumentis & vocibus concinentium, à quibus adverti me impediri in attentione ad ea, quæ videbam, & quibus fruebar in Deo; fortasse quòd vas adeò angustum,

non posset tam multum capere. Interea Dominus, qui omnia comprehendit, jussit illos cœlestes musicos conticescere. Hunc in modum mansi intra Divinam Majestatem, & sicut pisces in flumine nunc se demergit in profundum, nunc ascendit ad superficiem aquæ, nunc adnatat ad ripam; ita ego in pelago Divinæ illius Essentiæ, jam quasi absorbebar & submergebar, jam verò quasi egrediebar ad ripam, poterámque aliquomodo considerare admirabilia, quæ mihi Deus in semetipso manifestabat, donec me, prosequentibus rursum Sanctis Angelis suam musicam, Dominus secum univit, abripiens meam voluntatem totâ amoris vehementiâ, ut me propter illum prorsus perdiderim in eo profundo, & amabilissimo mari Divinitatis. Hinc fui reducta ad meum angulum, licet nesciverim quâ ratione, aut viâ, præterquam quòd jis peractis, quæ retuli, me in eo repererim. Benedicta sit Divina Majestas.

*Quia hæc Virgo toleraverat dolores & cruciatus terribilissimos, à præterito Septembri anni sexcentesimi vigesimi noni, usq; ad sequentem Octobrem, pro suorum proximorum remedio, quos illi Deus commendaverat; fuerunt pariter singulares gratiæ, quas eâ tempestate finitâ accepit à Divina manu. Omnibus autem prædictis fuit insignior favor, quem est assecuta feriâ tertiâ sequentis hebdomadæ, ultimâ Octobris, & ego hoc loco refero, quia in illo, æquè ac in præcedentibus, relucet profundissima hujus Virginis humilitas & gloria, ad quam fuit evecta à Divina Majestate. Sic autem loquitur.*

Feriâ tertiâ, ultimâ Octobris, dum essem plurimùm occupata expendendis meis gravibus defectibus, & perscrutandâ meâ miseriâ, comparans meam paupertatem & nihilum, quod ex me ipsa habeo, cum magnitudine beneficiorum, ob quæ sum Domino meo obstricta, audivi Divinam ipsius vocem, dicentis mihi: Veni Anima, veni, & quiescès in me. Ego abrepta à consideratione, cui inhærebam, meæ miseriæ, quódq; me parum habere boni agnoscerem, statim respondi: Domine, non possum ire, aut comparere in tuo Divino conspectu, absq; omni comitatu. Verùm idem Dominus me, pro solita sua misericordia, per Sanctos Angelos duxit ad cœlum, ubi fui susceptа à Beatissima Trinitate, exhibente mihi singularem amorem, méque alloquente verbis, quæ cum magna mea referam erubescentia: semper enim (ut sæpè aliàs insinuavi) me pudur, alloqui magnum Deum ac Dominum nostrum, vel Personam amabilissimi Servatoris nostri, adhibito titulo Sponsi, cum existimem, hujusmodi compellationem nequaquam convenire vilitati tam abjectæ creaturæ, qualis ego sum. Revera tamen Dominus, qui ob immensam suam bonitatem demittit suam magnitudinem, ut nos exaltet, postquam coram illo comparui, mihi dixit: Veni Amica mea, Sponsa mea, columba mea. Prostravi me coram summa illa Majestate, erubescens & confusa his auditis, imputánsq; mihi omnia mala, quæ seriò apprehendebam. Fui elevata atq; collocata, & quasi acclinata ad magnum quendam montem, totum admirabiliter coagmentatum ex immensis thesauris, conflatis ex varijs, & pretiosissimis cimelijs. Non est dicibilis, aut imaginabilis pulchritudo & opulentia mihi in illis repræsentata, significantibus gratias, dona ac beneficia, quæ Deus præstat suis creaturis. Dum contemplarer lumen, & gloriam, quæ mihi illic manifestabatur, fui unita toti Sanctissimæ Trinitati unione arctissimi amoris, ubi mihi est collata cognitio Divini illius mysterij, sumque tam procul introducta, ut sic dicam, in arcana ineffabilia Divinitatis, perfectionum ipsius, & attributorum, ut nunquam aliàs cognoverim tam multa, aut intellexerim, quàm hac vice. Licet autem sit limitatum, quod cognovi, si conferatur cum ijs, quæ possunt in Deo cognosci, siquidem etiam hic meæ animæ repræsentabatur, sicut aliàs, illud *amplius* & *amplius*: nihilominus quod modò cognovi, adverto esse tam diversum ab eo, quod aliàs cognoveram, quàm est diversus volatus avis, dum pedem funiculo utcunq; longo habet ligatum, atq; dum volat omnino soluta. Nam quando est alligata, notatur limitatio, præfigitúrque ipsi terminus; soluta verò tam procul provolat,

volat, ut nullum habere videatur. Ita mihi nunc evenit, ut mihi videar quasi in immensum à me ipsa egressa, intra illam abyssum infinitæ Essentiæ Dei. Quamvis verò verum sit, quòd anima in hujusmodi occasionibus adeò soleat elevari & absorberi, ita sese perdere, ut absq; speciali concursu Dei ad nihil aliud animum possit applicare, vel attendere, aut ampliùs intelligere, quàm ipsi manifestetur, hac tamen vice id videtur fecisse. Existimabam enim me infinito inde intervallo distare, quò aliàs pertingere consueveram, ut judicarem esse impossibile, ad priorem locum reverti. Sed Dominus me ijsdem reduxit passibus (ut sic loquar) quibus me abduxerat, repetitis ijsdem amantissimis verbis, quæ dixerat initio, & adjectis alijs, ob quæ non minùs erubesco. Dixit autem, ut manerem in meo angulo, donec adesset tempus, quo per æternam possessionem essem fruitura illis bonis; atq; interea hos meos Dominos Angelos mihi inservituros (his ipsis verbis est usa Divina Majestas) se verò semper mihi adfuturum. Sit benedictus millies, laudetúrque tam bonus & misericors Dominus, qui usqueadeo liberaliter præstat gratias tam vilibus creaturis, qualis sum ego.

*Cum amabilissimus Dominus noster, Rex Regum, Dominus dominantium, Deus & homo de se dicat, se venisse, ad inserviendum & ministrandum hominibus; longè minùs est mirandum, quòd dicere potuerit, Angelos huic Animæ inservituros. Ita Sancti Patres loquuntur de Angelis Custodibus, magnum habentes in Divinis literis fundamentum. Die S. Francisci, anno sexcentesimo vigesimo septimo, quo à Deo exercebatur tremendis doloribus, quibus se dignam agnoscebat, etiámq; haberi instar canis, refert, quid sibi acciderit, hunc in modum.*

Videns me tot affectam doloribus, prorsúsq; ineptam ad agendum eo tempore cum proximis, ipsósque aliquâ ratione juvandos, querebar amanter coram meo Domino, & inter alia dicebam: Verè Domine, justissimè à te tractor instar canis, quæ tibi sum importunissima, & continuis clamoribus tibi incommodo. Sicut dum canis multùm ejulat, herus mandat, ut etiam fustibus expellatur; ita tu quoque, mi Domine, tanquam tædio affectus, me verberibus ac doloribus à te abigis. Sed, mi Domine, quid mihi est agendum? Non cogito, bonâ tuâ veniâ, sive desistere ab imploranda tua ope, sive à te recedere, qui solus es unicum bonum, & requies mea. Exaudivit Dominus meum gemitum, & cum suavissimo amore, atq; benignitate mihi respondit, dicens: Noli sic loqui: non es enim canis, sed Anima mihi dilectissima. Veni nunc mecum ad æterna habitacula, & quiesces: ego meâ potentiâ efficiam, ut eò ascendas. Duxit me secum Dominus, & quamvis hac vice mihi proprijs viderer progredi viribus, agnoscebam tamen occultam quandam virtutem, quâ ferebar. Postquam illuc perveni, dixit Divina Majestas: Ingredere, Anima, tuam civitatem, & locum æternæ tuæ habitationis. Ingressa sum, & Dominus me jussit sedere in quadam sella, subjungens: Circumspice, Anima, & vide quid agatur. Conspexi ingentem Angelorum multitudinem, quorum nonnulli resplendebant instar stellarum, alij quasi soles adeò mirabiles & pulchri, ut me redderent vehementer attonitam. Mox sensi quendam velut ventulum subtilem & suavissimum, quem pervolabant quædam quasi steliulæ, colore purissimum referentes aurum, & nitidissimè coruscantes. Hæ stellulæ cadebant super illos cœlestes spiritus: is verò ventulus, & aura quasi marina suavissima, non solùm me recreavit, refocillavítque animam, verùm etiam confortavit, nováque vegetavit alacritate naturam. Interim his perfruens bonis audivi dicentem Dominum: Age, Anima, ascende altiùs: & sine mora me Dominus constituit in ea altitudine, in qua fueram præteritis diebus; neq; ibi contemplabar aliud, quàm inconprehensibiles Dei perfectiones, prædita eâ notitiâ, quæ mihi pariter datur, cujus impulsu anima non cessat dicere: Ampliùs est quàm hoc; ampliùs est quàm hoc. Eo tempore vidi Personam Christi JEsu Domini nostri, qui me duxit, ut me prosternerem coram Beatissima Trinitate. Vidi

illam

illam, non eo modo, quo præterlapsis diebus, sed in quadam Divina caligine, quam, licèt sit ipsissima lux, nescio quâ ratione vocem caliginem, neque mihi suppetunt verba, quibus id possit vel remotissimè petitis explicari similitudinibus. Ibi unita magno huic Triuni Domino sum submersa, penitúsq; me perdidi, ut fuerim omnino à me abalienata: sed nec modò aliud scio, quàm me etiamnum ibidem manere secundùm partem superiorem. Gratiæ agantur huic magno Domino, Amen.

*Ista caligo, de qua plurima apud Doctores mysticos scripta reperiuntur, & quæ parum admodum ab inexpertis intelligitur, postquam autem usu fuit comperta, minùs potest explicari, est unus è sublimissimis modis, quibus se Deus communicat animæ, repræsentatus in ea caligine, in qua se Deus exhibuit Moysi, & in ea nebula, quæ replevit templum, quando fuit consecratum à Salomone. Ibi ait Salomon, Deum habitare in nebula: & Sanctus Paulus deinde dixit, quòd inhabitet lucem inaccessibilem. Eadem verò est utriusq; sententia. Nam quemadmodum hic sol, quando fulgentissimis radijs debilem nostrum perstringit visum, eò minùs nobis videtur lucere, quo magis oculi caligant, donec prorsus cæcutientibus ipsa lux videatur esse caligo: ita humanus intellectus, in isto gradu contemplationis quodammodo à Divinis radijs feliciter occæcatus, videtur sibi versari in caligine, quamvis suavissimum sit & pulcherrimum lumen, quo tum fruitur. Est comparatio simplicissima, sed alia accommodatior ruditati meæ non occurrit.*

# CAPUT IV.

## Prosequitur eandem materiam: recensentur aliæ admirandæ visiones.

OB *ardens desiderium, quo hæc Anima ferebatur ad magis ac magis penetrandam suam miseriam, existimans, nec absre, eò se, in serviendo exactiùs & submissiùs suo Deo ac Domino, procedere securiùs, quò se profundiùs in suæ vilitatis pulvere sepeliret; atq; ob amabilissimam hujus magni Domini de ea, propter id ipsum, ampliùs exaltanda curam, fiebat, ut illi Deus sublimissima isthuc spectantia ingeneraret sensa, quemadmodum vidimus, manifestaretq; nova plerúmq; mysteria, quibus cognitis magis in exoptata animi demissione proficeret. Eò tendit specialissima visio, quam aliquando habuit, & ipsa nobis descriptam reliquit, ùt sequitur.*

Immersit se mea anima profundæ cognitioni suæ miseriæ, atq; ob magnum lumen, quod ad illam concipiendam, & in hunc finem Divina Majestas magis magisque augebat, videbatur mihi mea vilitas esse quodammodo infinita, neque in hoc profundissimo puteo erat reperibilis ullus fundus. Quocirca in me fuerunt excitati affectus ac desideria, ut illuc pertingerem: summè namque avebam inquirere, quantum possem assequi. Tunc mihi Dominus dixit: Anima, si id tantopere desideras videre, descende per hos gradus, qui juxta te sunt. Aspexi, & vidi penes me profundissimum puteum, cujus fundum explorare non poteram; & in eo gradus lapideos, qui à crepidine descendebant usq; ad abyssum. Accinxi me quàm celerrimè, volens per illos descendere: sed meus Angelus Custos, & cæteri Sancti Angeli socij mei clamaverunt, dicentes: Anima, quò, compulsa tuorum affectuum vehementiâ, tam impetuosè progrederis? Expecta, non poteris enim descendere, nisi te comitemur. Hoc dicto accesserunt, stipaverúntq; mea latera. Incepi magno animo, & quàm generosissimè per dictos gradus descendere, abrepta à meo desiderio, non perpendens profunditatem & tenebras: nec videbam comites meos Sanctos Angelos; quod tamen, quasi omnis oblita, non curabam. Perveni demum ad terminum tot graduum, vidiq; me constitere ad initium cujusdam spatiosi campi,

& vix

& vix ad aliquot passus processeram, quando rursum conspexi meos Sanctos Angelos, qui me fuerant comitati, aliquantùm à me remotos; & propè me gregem deformium canum ac molossorum, diversas præ se ferentium figuras. Hi diabolico vultu in me conjecernnt oculos, & pari furore stridentes dentibus me sunt aggressi. Alij me videbantur velle devorare, alij impetebant manus, alij brachia, alij pedes, ita ut nulla esset pars corporis, quam non apprehenderint: alij arreptas vestes conabantur discerpere, latrantes interdū, ac terribiliter ululantes. Mirum erat, quòd in omni hac vexatione propè nullam sentirem afflictionem: quia illis negabatur à Deo facultas, ut tam vesanè furentes quidquā mihi inferrent nocumenti. Aspiciebam interea meos Dominos Angelos, qui cum magna pace ac dissimulatione nihil movebantur, & nullâ videbantur tangi curâ eorum, quæ spectabant. Ita me illi crudeles molossi reliquerunt, & huc atque illuc diffugerunt, formidabiliter ululantes & furentes. Paulò tamen pòst rursus congrediebantur, mordentes se invicem ac dilaniantes. Deinde dissipati recedebant, omnium rictibus cruore manantibus. Hæc verò ipsorum congressio, mutua dilaniatio, ac dissipatio fuit tertiò eundem in modum iterata. Indicabatur autem mihi, repetitas illas corrosiones, quibus in se mutuò exacerbabantur, provenisse ex rabie, & indignatione, cùm in me exequi non possent, quod optabant, donec tandem sunt ingressi quoddam rapax flumen, cujus pestilentes aquæ coloris erant atri, & abominabilis odoris.

Considerabam tam rarum casum, & grande periculum, in quo me videram constitutam, ut ab ijs molossis devorarer, nisi me Divina misericordia protexisset. Eram verò contentissima, dicebámq; prorsus ex animo, generosè, & solatio divino delibuta: His nempe, mi Deus & mi Domine, his sum digna, quæ omninò vitijs meis & peccatis, atque exiguo in virtute profectu, promerui. Accesserunt ad me tum mei Domini Angeli, dicentes amantissimè: Quid tibi videtur, Anima, de ijs, quæ spectavisti, & sustinuisti? Esne jam contenta? Non usquequaque, mei Domini, respondi ego: necdum enim fui tam malè habita, quàm mereor. Bene est, dixerunt ipsi, veni modò nobiscum. Duxerunt me ad ripam prædicti illius luctuosi & horribilis fluminis, vidíque sub ijs piceis aquis, quæ ardenti immixtæ igni fluctuabant, enormem confusionem, clamores & ejulatus infinitorum diabolorum. Tam formidabile spectaculum me reddidit vehementer attonitam, & illuminata à Deo, ut agnoscerem meam magnam miseriam, & exiguam virtutem, impellente me eodem affectu, dicebam intimè commota: Iste, anima peccatrix, est locus, quem occupare mereris, eò quod sis, qualis es, propter tua peccata: hoc tibi maximè convenit, plurimúmq; respondet tuæ malitiæ. Eum in modum aliquamdiu quasi angebar. Tum Domini mei Angeli mihi dixerunt: Veni, Anima: debemus enim te ducere per hujus fluminis pontem. Et sinè mora me duxerunt ad pontem angustum, quo transibatur ad alteram ripam. Pons iste fuit constratus pestiferis, multiplicis ac diversi generis, insectis. Esto bono animo, ajebant illi mei Domini Angeli, excita te: hàc enim tibi est transeundum, nos verò te comitabimur. Fui, fateor, vehementer afflicta, & timui: præ magno tamen & efficaci affectu, quo tam malè, quàm mereor, haberi optabam, valde animosè me ipsam sum allocuta: Hàc te transire oportet, etiamsi timeas & contremiscas: mereris namque tam periculosos transitus. Subjunxi multa hujusmodi, atque ita quò magis me reprehendebam, eò me ampliùs animabam, ad sustinendum rigorem illius transitûs. Tandem, opitulante divinâ gratiâ, sum pontem ingressa, qui, præterquam quòd esset angustus, carebat retinaculis. Audiebam, dum illum transirem, terribiles dæmonum ejulatus: quia tamen comites habebam meos Dominos Angelos, progrediebar audacter & imperterritè, quoadusque ipsum superarem. Vix pontem pertransiveram, quando incidi in quendam clivum montis, cujus descensus erat præruptus & profundissimus:

simus : apparebat in horribilis præcipitij speciem de industria efformatus. Hîc me iterum sunt allocuti Sancti Angeli, dicentes: Creatura Dei, noli despondere animum, & esto generosa: hâc enim tibi est descendendum. Subitò autem disparuerunt, recedentes à me, aut saltem sese occultantes, ita ut ipsos non possem videre.

In tam terribili discrimine remansi quasi sola, converti me ad magnum Deum nostrum & Dominum, dixíque illi eadem, quæ in cæteris transitibus, & quàm sim digna, ut sic mecum agatur; atque cum vehementia prædictorum affectuum (durabant autem semper immutati) me resignabam in ejus voluntatem, decernens facere, quidquid juberer. Incepi igitur cum ingenti timore & labore per illum formidabilem clivum descendere, ad cujus extremitatem me reperi in quadam planitie. Ibi mihi denuò apparuerunt mei Domini Angeli, quibus sum humiliter questa, quòd me in tanta tribulatione dereliquissent. Solati me sunt quàm amantissimè, dicentes: Nunquam te deserit Deus, sed neq; nos, ex Divino ipsius mandato. Procedamus nunc, Anima, per istum campũ, & perveniemus ad alium admirabilem locum, quem necdum vidisti, paritérq; debes transire. Ambulavimus aliquamdiu, & pervenimus ad grandem paludem, cujus amplitudo æquabat spatium alicujus Urbis: visa mihi fuit profundissima, cujus aquam permeabat ardentissimus, atq; terribilis ignis. Vidi illic innumeras animas patientes tormenta, cum adeò horribili angustia ac dolore, ut illum cruciatum nequeat ulla lingua humana explicare. Cùm autem tales ejus loci essent pœnæ, intellexi, ex maximis esse internam, quam patiebantur, eò quòd non viderent Deum. Inter tot animas unam duntaxat agnovi, quæ me commovit ad notabilem commiserationem, quia mihi diu in illo Purgatorio videbatur permansura. Videns ea genera tormentorum, eram quasi attonita: atque tunc mihi dixerunt mei Domini Angeli: Exita te, Anima, quia te oportet per hanc paludem transire ad alterã partem. Tum mihi Divina Majestas magnum addidit animum, & generositatem, atque cum ingenti solatio, quòd me viderem redactam ad hunc transitum, respondi ijsdem verbis, quibus antea, profitendo, me dignam esse omnibus ijs pœnis, & adjunxi: Fiat ita, mei Domini, ecce me ancillam mei DEI, impleatur in me sanctissima ipsius voluntas. Interea perlustrabam quaquaversum eam paludem, & conversa ad meos Dominos dixi illis. Ibitisne verò mei Domini Angeli mecum? Omninò, Anima, ibimus, responderunt ipsi: id enim jussit Dominus Majestatis. Ego desiderans plura pati, rursum illos interrogavi: Et, Domini mei, estne opus, ut deponam calceamenta? cùm videatur esse convenientius, ut potiùs ambulem nudipes. Ipsi autẽ mei Domini, conformantes se meo affectui, mihi dixerunt. Fiat licet, creatura Dei, sicut volueris. Exui calceos, & incepi transire illas ardentes aquas, neque tamen sensi vel minimam molestiam, aut dolorem; atque unà cum meis Sanctis Angelis perveni ad alteram partem. Reperi me subitò in amæno & pulchertimo campo, ubi *Minimus* ex meis illis Dominis Angelis (quanquam, ùt alibi dixi, virtute & fortitudine sit maximus) mihi porrexit calceos, dicens: Tege tuos pedes, creatura Dei, pergéq; nobiscum per istum campũ aliquantò ulteriùs.

Feci quod eram jussa, & postquam sum aliquousq; progressa, perveni ad speciosissimum pratum, totúmque floridum, ubi erant multi Angeli Dei, qui suavibus adhibitis instrumentis, & cœlesti melodiâ laudabant, ac benedicebant Dominũ Majestatis. Canebant verò extollentes laudibus magnum Deum & Dominum nostrum, tum ob id quod est in semetipso; tum ob ea, quæ præstat suis pauperibus creaturis, specialissima illis conferendo beneficia. In medio hujus glorioſi prati erat collocata admirabilis, miréq; exornata sedes, quâ conspectâ fui absorpta profundâ ecstasi, & paulò pòst mihi aliquantò magìs restituta, audivi illos Sanctos Angelos mihi dicentes: Anima veni nobiscum, quia sumus jussi à Deo, te ducere ad illum admirabilem locum, quem vides. Ivi

cum

cum ipsis, & postquam eò perveni, jusserunt me in prædicta sella sedere. Sensi notabilem difficultatem in acceptando eo honore, quo eram indignissima erubescebam summopere, prompta quidem ad obtemperandum, excusans me tamen eâ animi demissione, ad quam à mei ipsius cognitione movebar. Illi Domini Angeli non acceptaverunt meas excusationes, collocaverunt me in sella, & fui continuò, cum toto eo sacro comitatu, admirabiliter translata ad cœlestẽ Jerosolymam. Quando illuc perveni, relictâ sellâ, me prostravi coram immensa Majestate magni Triunius DEI & Domini nostri, à quo mihi amanter & benignè fuit dictum: Bene veneris ad hunc locum, quis te huc adduxit? quales sunt tui affectus ad desideria? Hæc Dei verba denuò in me excitaverunt, accepto speciali lumine, sublimem cognitionem, & profundam notitiam meæ miseriæ, meique nihili, & quàm expers, post obtenta à magno hoc Deo tot ac tanta beneficia, essem omnis boni, plena verò omni malitiâ. Intellexi vivaciter obligationem, quâ obstringerer eidem Domino, propterea quòd ab ipso essem, ex mera illius bonitate, præservata à gravioribus peccatis, cùm ob meam miseriam sim omnium capax. Ista clara cognitio me conficiebat, & sepeliebam me, cum ferventi affectu, in fimeto meæ vilitatis; gemebam, lamentabar, & ex toto corde dolebam de magnis illis peccatis, quæ potuissem committere, nisi me Divina misericordia præservavisset; Non aliter propemodum, quàm dolerem, si scirem, ea à me fuisse commissa. Atque id ipsum respondi meo Domino, dicens, his me agi affectibus. Hoc diu continuabam, videbatúrq; me Deus cum gustu ac perlibenter auscultare, & tunc mihi cùm singulari benignitate dixit: Bene tẽ sic exerces, abundè mihi satisfeci sti his affectibus. Veni jam mecum, & quiesces. Quia verò idem habebam lumen, quod antea, & vivacissimam magnæ meæ miseriæ cognitionem, respondi Domino dicens: Nequaquam, nequaquam, mi Deus, & Domine mi, nullatenus: neq; enim sum digna, ut accedam ad te: & sic reluctabar, quantùm poteram. Verùm Dominus DEUS suavissimam indicans benignitatem, me denuò vocavit, inquiens: Noli, Anima, tergiversari, aut me refugere; & suavi me violentiâ ad se pertraxit, cui me arctissimâ unione sensi unitam. Licet autem sub illius unionis initium, mihi videar potuisse aliqualiter meo affectui resistere, &, quasi mei me puderet, conata fuerim me subducere, paulò post tamen me Dominus non passus est progredi ulteriùs. Plenè igitur huic magno Deo unita, fui ducta à Divina ipsius Majestate ad immensam quandam altitudinem, & submersa sum in immenso mari illius Divinæ Essentiæ, ubi mihi fuerunt manifestatæ imperscrutabiles ejusdẽ perfectiones. Cùm verò hîc, nescio quamdiu, mansissem, eduxit me Dominus summo cum amore & benevolentia, quasi ad littus immensi illius pelagi, ubi conspexi quosdam Angelos, qui quodammodo attoniti ajebant: Ita Deus exaltat humiles corde. Deducebat me sensim, & velut gradatim Deus ex ea altitudine, atq; Angeli Dei me descendentem prioribus verbis per intervalla compellabant. Hunc in modũ me idem Deus, comitantibus ipsum infinitis Angelis, reduxit ad istud exilium, donec me reponeret in meo angello, quâ ratione mihi descensus non accidit multùm molestus. Etiam hîc perseveravi in magno mentis excessu, & quando integrè ad me redivi, non vidi ampliùs Deum in ea mirabili specie, in qua priùs illum videram. Egi illi, quas potui, gratias, pro ipsius bonitate, & pro beneficijs, quæ misericorditer præstat tam vilibus creaturis. Sit semper millies, iterúmque millies benedictus, Amen.

*Dignissimum in hac visione notatu est, quòd, licet omnium horribilissimus esset transitus, quando illi permeandus erat ardens ille lacus Purgatorij, hîc tantummodò nec timuerit, neq; passa fuerit ullam afflictionem, dolorem, aut molestiam, sicut antecedenter. Credo, eam ob causam, quòd, pedes denudando, generosius optaverit pati plura, pejúsque haberi. Revera enim anima, quantò quoad spiritum ardentiùs & animosiùs statuit sese humiliare, ac pati pro Deo, tantò minùs sentit molestiæ;*

*quódq; est ampliùs, eousq; progreditur, ut ex ipsa afflictione capiat solatium. Suavior, neque minus continens mysterij, est alia visio, quam ad idem propositum habuit, ùt sic recenset.*

Dum consueto essem prædita lumine, quod mihi hac de causa Divina largitur Majestas, fuit in me nuper excitata vivax quædam cognitio, quantopere mihi connaturalis, & conveniens sit locus, sterquilinium meæ vilitatis, quámq; me deceat in eo immorari perscrutandæ naturæ nostræ corruptioni, & rimandis meis peccatis atq; defectibus. Id ipsum amabam, id exoptabam. Crescebat lumen, exardescebat affectus, penitúsq; abij in ecstasim. In ea mihi videbar quàm celerrimè perambulare ingentem campum, & solicitissimè quærere fœtidissimum quodpiam sterquiliniũ, ubi figerem sedem, dicebámq; intra me, extraordinarios sentiens affectus: Videamus, an possim reperire hoc profundum & execrabile sterquilinium, locũ mihi competentem. Si Deus mihi quid mandaverit, & aliquid à me petierit, ibi me inveniet. Tum temporis mihi Divina Majestas dixit: Veni Anima mea, veni mecum. Ego autem, quia eram ab affectu contemptus mei ipsius occupata, respondi absque ulla consideratione: Non, Domine, non mi Domine, nunc tecum non ibo: propero namque ad quærendum competentem mihi locum. Dic verò mihi, Anima, subjunxit Dominus, quis est iste tuus, ita tibi competens locus, sicut dicis? Domine, reposui ego, est sterquilinium mearum miseriarum, ibi volo considere: si mihi aliquid volueris mandare, quære me, ibi me invenies. Atq; tanquam volens me expedire à Domino, meumque iter prosequi, adjeci. Abeo, Domine, abeo. Videbatur benignissimus Dominus præ se ferre singularem complacentiam & voluptatem, dum me audiret, dixitque mihi: Vade in pace, Anima; perge quò pergis. Itaq; rursus properantissimè investigavi illum meum tam exoptatum locum, & sic perambulans campum, observavi aliquantùm à me distans grande sterquilinium. Accurri ad illud velocissimè, & cum ingenti meo gaudio ac solatio conscendi supremum ipsius apicem, flexísq; genibus, & manibus junctis, atque oculis in cœlum defixis, affectu fervens, sensi meam animam maximâ affluere consolatione. Sic transegi aliquantum temporis, quod non designavero, & vidi subitò venientes Sanctos quosdam Angelos, adferentes admirabilem ac splendidam sellam, & accedentes paulatim ad radicem illius putidi montis mei fimeti. Affligebat me id, atq; angebat, & reluctabar quoad poteram, ne adverterem quid ageretur, ac adhærebam meo Deo, sicut dixi. Purissimi illi Spiritus me vocabant, quodammodo mihi blandiendo, dicentes: Anima, & creatura Dei, quid agis? veni, veni nobiscum in nomine Domini; quod aliquoties iterabant. Sed mihi ibi erat quàm optimè, valdéque mihi accidebat difficile ipsis respondere, & nec ostendebam me intelligere, quid dicerent, neq; etiam voluissem cogitare, me ab illis vocari. Tantùm subinde dicebam: Quis vocat? quis vocat? quem quæritis? & remanebam, utì priùs apud Dominum Deum, prosequens affectus meæ orationis. Ipsi mihi respondebant: Anima, aspice, sumus enim Angeli Domini Majestatis, & venimus ad te ipsius jussu, ut eas nobiscum. Ego modicum tacebam, ac deinde ajebam: Domini, ego id non intelligo: progrediamini ulteriùs, quia non quæritis me; progrediamini ulteriùs.

Inter has interrogationes & responsa, vehementem sum passa mentis excessum, & fui quasi consopita in Deo. Sancti Angeli advenerunt sine mora, adferentes illam mysticam sellam, méq; consuetâ sibi decentiâ apprehensâ in ea delicatè & suaviter collocaverunt; quod ego, quanquam modicè, cùm essem vehementer absorpta, observabam. Tum me sustulerunt ad cœlestem Jerosolymam, & prostraverunt coram Divina Majestate dicentes: Domine Majestatis Deus noster, en adducimus tibi istam Animam & creaturam, quam adiecere à te jussi fuimus. Magna certè fit difficultas, ingens ipsius tergiversatio, ut nobiscum veniret: non poteramus id ab illa obtinere, & excusabat se operosè. Dominus

minus audivit quod dicebatur à Sanctis, & cum majestate atque gravitate respondit: Bene est. Conversus autem ad me, quæ, sicut dixi, eram prostrata coram Divino ipsius conspectu, mihi dixit: Anima, cur id fecisti? quomodo decreto meo restitisti? te excusavisti, & non statim mandato meo paruisti? Auditis his verbis quasi cohorrui. Dixit præterea Dominus: Accipite, Angeli mei, istam Creaturam. Hic demum adverti me timere, existimans, Dominum proculdubio præcipere illis suis ministris, ut me exemplariter castigarent. Complevit verò Dominus cæptum sermonem, dicendo: & collocabitis illam in eo eminenti loco, quem ibi videbitis, cui superimponetis hanc epigraphen: Ita exaltat Deus humiles corde, & parvulos in sui æstimatione. Hunc in modum omnia fuerunt peracta, atq; ego in illo loco arctissimâ unione magno Deo & Domino nostro unita, penitus mihi sum erepta, quasique submersa in Divina Essentia. Nescio quamdiu id duraverit. Expedita ab hac unione sui correpta velut somno quodam spirituali, in quo magnam habui consolationem, & mira cognovi de rebus sublimissimis. Deinde me Dominus paulatim expergefecit, & reduxit ad meum angulum. Ubi cum ingenti meæ animæ solatio animadverti, me istâ vice assecutam fuisse à meo Deo extraordinaria bona. Faxit Divina ejus Majestas, ne illa gravibus meis defectibus perdam, utque me sciam exhibere gratam pro tot misericordijs. Ipse sit in æternum benedictus, Amen.

*Quòd Dominus Deus toties voluerit, sibi ab hac sancta Anima referri & exponi affectus cordis, quos illi idem Dominus largiebatur, longéq; melius, quàm ipsamet agnoscebat, valde est conforme modo, quo Spiritus Sanctus loquitur in Canticis. Atq; sic manifestè significatur complacentia ac delectatio, quâ Divina Majestas ampliùs dilatat affectus, ad gratum sibi obsequium cum profunda animi demissione exhibendum, quæ ita magis proficit, suaviúsq; explicatur, quàm quibusvis ratiocinationibus, quas intellectus procudit. Gratiosissimum est ad hoc propositum, plurimúmq; congruit argumento, in quo versamur, quod illi quadam vice agenti cum Deo evenit, & ipsa, ut sequitur, enarrat. Erat autem annus sexcentesimus, vigesimus quintus.*

Cùm Dominus dixisset (vacabam tum orationi, varios eliciendo affectus, ebullientes ex cognitione meæ vilitatis) ut sibi omnia animi mei sensa exponerem, & ego illi cœpissem multa mala referre, quæ mihi imputabam, prosequente me hanc narrationem, abripuit me ad cœlum, ascendens quasi per densissimam pluviam, sed valde lenem ac suavem, cujus guttæ aureæ apparebant instar minutulorum ocellorũ. His tota mea vestis fuit inaurata, mirúmq; in modum illustrata: sed & facies ac manus, quo eæ cadebant, pariter reddebantur splendicantes. Ita fui præsentata Domino Deo, & præcipiente mihi Ejus Majestate, ut pergerem narrare, quale de me ipsa ferrem judicium, méque id toto ardentis mei affectûs conatu agente, dixit idem Dominus: Quomodo ergo, si talis es, qualem te esse dicis, compares tam formosa, & vestis tua adeò resplendet? Domine, respondi, non est meum, quod accepi: Ego enim nihil hujusmodi habebam. Tuum est, quod mihi dedisti. Si igitur meum est, subintulit Dominus, offer mihi totũ. Cœpi subitò cum magna promptitudine exequi, quod à Divina Majestate jubebar: spoliavi me omni eo ornatu, & splendido vestitu quàm libentissimè. Divina Majestas omnia acceptavit, singularem ostendens oblectationem & complacentiam, statímq; illa mihi restituit notabiliter meliora, & cum magno valoris augmento. Subduxit se tum aspectui meo Dominus, quasi dispareret, & à meis Dominis Angelis, qui mecũ erant, fui ducta per quosdam latissimos gradus. Inde incepi audire musicam Angelorum, qui cœlesti harmoniâ, & admirabilissimis vocibus canebant laudes Deo. Superatis gradibus vidi in amplo quodam loco, quasi in spatioso templi choro, altare pretiosissimè adornatum, atque in eo Majestatẽ Dei, & parvum Ciborium, in quo erat parva hostia, non ejus crassitiei, cujus sunt nostrates, sed subtilissima, plurimúmq; quodamodo spiritualis, ubi Dominus ad me provolutam in genua

acceſſit, impoſuítq; ori meo illam hoſtiam. Licet verò agnoſcerem præſentem Dominum, non vidi tamen ipſum totum in ſpecie corporea, ſed ſolos unius manûs digitos. Mea anima ſummam ſenſit dulcedinem, atq; dum quaſi deliquium paſſa conciderem in brachia Angelorum, conſopita ibi fui ſomno ſpirituali, & poſtea ad me reverſa, me reperi in meo cubicello. Benedictus ſit Deus in æternum, Amen, Amen.

# CAPUT V.

## Profundâ ſuâ demiſſione animi, alias à DEO ſpecialiſſimas obtinet gratias.

*SI gratiæ, quas hæc Virgo ſuâ humilitate, à liberaliſſima magni DEI noſtri & Domini manu eſt conſecuta, ùt hactenus vidimus, fuerunt ſingulares, illa, quam nobis nunc referet, tam varias continet circumſtantias agnitionis ſui ipſius, quâ ſe reputabat viliſſimam; unâq; teneritudinis & familiaritatis, quâ Deus cum ipſa agebat, ut exiguo meo judicio cenſeri poſſit quàm ſingulariſſima. Non aliæ verò animæ, quàm illæ, quæ intimè penetrant, quantus ſit amor Dei, qui illarum causâ factus homo, & in ſtabulo natus, flagellatus, atque in cruce mortuus, perpetuò in Diviniſſimo Altaris Sacramento impiorum Catholicorum eſt expoſitus ſacrilegijs, & hæreticorum injurijs, ut cor devotum ex immenſis gratiæ ipſius proficiat theſauris, ejuſdémque charitas Juſtitiæ arctiùs uniatur, quibus idem Dominus, in ſacris literis, ſe unicè delectari fatetur, quóſq; tanquam oculorum ſuorum æſtimat pupillas: illæ, inquam, ſolæ animæ, quæ has veritates profunde meditantur, quas firmiter credere tenemur, & pro quibus aſſerendis perlibenter vitæ faceremus jacturam, omni hîc depoſito dubio fidem adhibebunt ijs, quæ legent; quin imò corroborabuntur in credenda infinita tam boni Dei benignitate. Ita porrò hæc Virgo ſcribit ſuo Confeſſario.*

Non pridem immerſa eram cognitioni meæ imbecillitatis & miſeriæ, amarè dolens de meis peccatis ac defectibus, quia multos à me eo die commiſſos exiſtimabam. Multa magno Deo & Domino noſtro dicebam, ad quæ me vehementia mei affectus impellebat: atq; interea jam ſemiabſorpta, ac tota ardens, identidem agebam: Mi DEUS & mi Domine, habeo* calculos quoſdam, ego quoſdam calculos habeo. Mea intentio, quia profundè inhærebam pernoſcendis meis delictis, erat, ut cum Divino hoc Judice componerem calculos rationum meæ animæ, poſtularem ipſius miſericordiam & veniam; útq; hæ rationes ita diſpungerentur, ſicut Deus vellet. Tunc mihi Divina Majeſtas quàm amantiſſimè dixit: Itáne, anima? habes calculos? Quid igitur modò petis? age, expone illos: libentiſſimè ipſis, in tui gratiam, meam impertiar benedictionem, pro tuo ſolatio, & multorum comodo, quibus eos diſtribues. Ego animadvertens, magnum hunc Dominum, eum in modum, quo Pater animi relaxandi gratiâ agere conſuevit cum parvula filia, ut me velut abſtraheret à meis deſiderijs, ſimulare, quaſi non perciperet, quid vellem, & loqui æquivocè, notabile illi dedi reſponſum: Non ſunt, mi Domine & mi Deus, non ſunt calculi precatorij, de quibus mihi eſt ſermo: ne quidem mihi in mentem veniſſet, ut aliquid tale peterem: ſed volo, ut fiat in omnibus rebus tua voluntas. Calculi, de quibus loquor, ſunt rationum, quas tecum inire deſidero, ut ſatisfaciam pro meis culpis ac peccatis, & naturalibus defectibus, à me coram Divina Tua Majeſtate commiſſis, quò his calculis computatis nihil ſupereſſet, quod à me ultrà exigas, & ego debitas exſolvendo pœnas, tuâ fruar amicitiâ. Hi ſunt, mi Deus, calculi rationum, quas

* Ambigua vox Hiſpanica *cuentas*, quæ Hiſpanis ſignificat rationes, ſeu dati & accepti computationem, prætereáque corollas precatorias, non poteſt cum ea gratia latinè exponi, quæ ineſt pluralí Hiſpanicæ. Explicata eſt tamen amphibologia per vocem *calculos*, cùm aptior non occurreret.

quas toto meæ animæ affectu, proſtrata coram tuo Divino conſpectu, tecum inituta adſum. Audivit Dominus quæ dicebam, & cum eadem amabiliſſima ſuavitate ac priùs (ſemper tamen hæc affabilitas admixtam habet graviſſimã majeſtatem, quæ pariter movet ad reverentiam, & ingenerat amorem: Perpetuò enim, quò Deus ſe in hujuſmodi occaſionibus magis exhibet ſuavem ac blandum, ut gratificetur animæ, eò majorem, inter tenerrimos affectus, excitat ſui venerationem) mihi dixit: Bene loqueris, Anima, bene loqueris: nihilominus vide, an non habeas calculos aliquos precatorios, quia, ſicut dixi, benefaciam tibi, impertiendo illis meam benedictionem, conferámque ipſis multas gratias & indulgentias; & erunt alexipharmacum contra quodvis ſpirituale venenum, etiámq; naturale, ſi expediet, cuique devotè tales globulos precatorios, cruces, aut numiſmata, aliáq; pietatis inſtrumenta, exoſculanti. Hoc Divina Majeſtas dixit, ipſóque facto præſtitit, benedicendo quædam ex ijs, quæ mihi recenter data fuerant. Magnum inde cæpi ſolatium, & cum ingenti affectu dixi Domino: Mi Deus, quid verò debebunt dicere, qui iſta exoſculabuntur? Et, non expectato ipſius reſponſo, celerrimè ſubjunxi: Dicent, mi Domine: Benedicta ſit magni DEI noſtri & Domini bonitas. Poſtquam id protuleram, ſummè erubui, agnoſcens, ea verba proceſſiſſe ex proprio meo ſpiritu, non exſpectato Dei reſponſo. Tum Divina Majeſtas, acſi id non curaret, mihi reſpondit: Bene eſt, Anima, gaviſus ſui, quòd agnoveris loquentẽ tuum ſpiritum, quando ego te alloquebar. Ne te tuum iſtud dictum affligat: contigit enim tibi, quod ſolet puerulo, qui alloquente ipſum Patre, more ſuo, antequam Parens ceſſet loqui, profert rem aliquã leviculam, ætati ſuæ conſonam & affectui, id quod Parentem delectat, movétq; ad riſum, ut dicat: Fiat omninò fili, ſicut vis ac dicis. His ſuaviſſimis Domini verbis ſui rurſus pacata, & acquievi.

Proſecuta ſum affectus meæ orationis, animadvertens mihi ſemper adeſſe & aſſiſtere Divinam Majeſtatem, quæ mihi interdum dicebat: Quid agis Anima? conſidera, an aliquid velis: nam oportet me tibi quidpiam iſtâ nocte donare. Ego id bene audiebam, & conabar me abſtrahere, ne attenderem ad hos favores, adhærendo eidem Domino viâ conſuetâ meorum affectuũ. Ita tranſegi ampliùs quàm horam, conquerens meo Domino, quòd me tot agnoſcerem ream peccatorum ac defectuum; rogabam illum, ut, quandoquidem anima mea eſſet infirma, faucia, & leproſa, ipſam curaret, ac ſanaret. Addidi, etiam pauperculum corpus ægrotare, & affligi in lecto, ab annis viginti quinque, quibus non vidit lumen ſolis, aut aliud, quo dolores poſſent leniri: me tamen ex hac miſericordia ſummum capere ſolatiũ, videríque mihi parum, quidquid paterer. Poſt elapſam hanc horam, & quod ultrà excurrit temporis, impenſũ his, quæ nunc retuli, dixit mihi Divina Majeſtas: Verè, Anima, exhilaraviſti me eo, quod in hoc poſteriore tui exercitij puncto aſſeruiſti: confeſſa enim es veritatem, loquens de diuturno tui corporis martyrio. Quapropter noli mirari, neque tibi videatur inſolens, quòd tibi uſitatas meas gratias exhibeam: æqvum ſiquidem eſt, ut eas illi præſtem, quam (ſicut ipſa, me inſpirante, dixiſti) detineo in ſtatu Crucis, atque tam diuturnorum, & tot, támq; gravium dolorum, quos quidem ego perſpectos habeo, & quaſi deſcriptos in Divina mente mea.

Poſt hoc, ut impleretur, quod Dominus dixerat, daturum ſe mihi videlicet aliquid eâ nocte, intuitus meum Angelum Cuſtodem, & reliquos Sanctos Angelos meos contubernales, ſignificavit ipſis ſuam Divinam voluntatem, quæ erat, ut me elevarent, & proſternerent coram ejus Divino conſpectu. Juſſit me deinde Dominus erigi, & provolutæ mihi in genua dixit: Anima exportige tuas manus ad theſaurum, quem tibi dare volo. Quo audito eram tota turbata ac perplexa, tantúmq; circumſpiciebam, ubi eſſent illi mei Domini Angeli, præſertim meus Cuſtos, ut adverterem, an mihi aliquid ſuggererent, quod mihi tum eſſet agendum. Tandem

aperui

aperui manus, prout jubebar à Domino, cujus Majestas cœpit in illas injicere multos nummos, quasi ex auro conflatos obrizo & fulgurante, quo ipso exornabatur & illustrabatur etiam manus Domini. Injiciebat Dominus quàm plurimos, ut mihi viderentur esse infiniti, plures, quàm angustis meis possent manibus contineri. Videns me adeò Divino illo thesauro didatã, & ignorans, quò illum ponerem, intuebar Sanctum meum Angelum Custodem, qui mirabili quodam gestu mihi innuit, ut observarem, me esse præcinctam linteo, quod secundum angulos apprehensũ attollens, imposui illuc thesaurum, quem cum magno solatio sum amplexata, nihilque præterea considerans celeriter assurrexi, ut discederem. Tum mihi Dominus benignissimè dixit: Expecta, veni huc Anima, quorsum tantopere festinas, nullo dicto ultrà verbo? Flecte hîc rursum genua, & lustra thesaurum, quem geris. Sic feci, denuóque illum perlustrando inveni, esse pretiosis ijs nummis aureis immixtos multos flores odoris suavissimi, & magni pretij. Indicatum mihi fuit, his significari acceptationem Divinarum inspirationum. Intellecto isto divino mysterio, complectens meum thesaurum, sum passa vehementem extasim: quâ durante ad me accessit meus Angelus Custos, &, postquam me discinxit eo linteo, accepitque thesaurum, servavit illum intra seipsum. Quando mihi restituta ad me redij ex raptu, & carui thesauro, obstupui, fuique aliquantùm desolata.

Hoc ipso tempore Dominus Majestatis me cœpit, quasi me abstrahendo ab ista solicitudine, nitidissimè exornare, proferendo interim arcana quædam verba, quæ ego non potui percipere, & pretiosissimæ vesti superimposuit splendidissimam catenam auream, elegantissimum torquem, cingulum, armillas, & annulos digitis, tandémque pretiosam coronam capiti. Cùm me ita viderem ipsâ magni illius DEI ac Domini manu exornatam, non explicavero verbis eos affectus, qui ex mea processerunt vilitate & nihilo, dum propter lumen, quod habui, profundè me ipsam agnoscerem. Submergebam me, nihil hæsitans, ac sepeliebam in abysso meæ miseriæ. Post hoc Dominus præcepit, ut me prosternerem, dedítque mihi suam sanctissimam Benedictionem, ac deinde Angelo meo Custodi, & reliquis ibi præsentibus dixit, ut me sic ornatam deducerent, quò me ducere jussi fuerant. Accesserunt ad me illi mei Domini Angeli, méque erexerunt admirantem tantas Dei miserationes. Imposuerunt meis manibus accensum, albo ac aureo distinctum colore, cereum, & comitantibus me his meis Dominis, alijsque multis Angelis, fui, non sine mysterio, ducta per admirabiles vias, quas, opinione meâ, nunquam transiveram. Pervenimus ad gradus immensæ altitudinis, quibus conscensis reperimus amplam & quadratam planitiem. Hic incipiebant infiniti alij gradus, vergentes velut aliorsum, & ad locum distinctum ab eo, ad quem priores tendebant, quibus omnibus superatis, me reperi coram magno DEO nostro & Domino, in cujus conspectu fui à Dominis meis Angelis prostrata. Postea ad me accessit meus Angelus Custos, elevavit me, & reliquit provolutam in genua, imposito meis manibus linteo, cum suprà dicto thesauro. Ibi me Divina Majestas edocuit, quid significaret præcedens mysterium, & agnovi, quòd mihi Christus Deus & Homo, Dominus & Redemptor noster, sub ijs figuris, ex mera sua bonitate & misericordia, applicaret thesaurum virtutis sacratissimorum suorum meritorum, & pretiosissimi Sanguinis, nostri causâ profusi. Eodem momento mihi Divina Majestas denuò cõmunicavit ingens lumen, ut cognoscerem meum nihilum, meámque miseriam, & quidquid habere possum bonum, esse liberalissimum Divinæ manûs donum, gratiosè à Deo collatum, eò quòd sit tam benignus, quàm est. Intelligebam, quantopere ob hæc omnia sim magno isti Domino obstricta, quámque idem mereatur, tantummodo propter semetipsum, amari & coli ab omnibus suis creaturis, in ipso glorificari: nec minor erat meus affectus quàm cognitio.

Dixit mihi tum Dominus: Bene huc veno-

veneris, Anima; salve plurimùm. Vehementer mihi places, unà cum ornatu & cimelijs, quibus te Divinus Spõsus exornavit. Ego, incitante me prædicto affectu, explicans linteũ, in quo erat thesaurus, deposui illũ ad Divinos ipsius pedes, offerendo eum ipsi, tanquam rem ejusdem propriam. Expoliavi me singulis ornamentis, quæ mihi Dominus dederat, & feci, quod antea: tandémq; obtuli etiam coronam ex capite detractã, cum reliquis, tam efficaci & ardenti affectu, ut, si tota Beatorũ, omniúmq; Angelorum gloria foret mea, omni me spoliarem, eámq; ipsi offerrem, donec redigerer ad paupertatẽ ac nuditatem, ut Deus magis glorificaretur. Postquam exui pretiosas vestes, quibus me Dominus ornaverat, eidémq; illas cum cæteris obtuli, animadverti me adhuc esse indutã tunicâ candidâ instar nivis, quæ adstringebatur cingulo aureo. Jam erat solutum cingulum, ut illud quoq; offerrẽ meo Domino, quando ipsum audivi peramanter mihi dicentem: Anima, noli deponere cingulũ, neq; exue hanc albam vestem: quamvis enim sit à me donata, nihilominus etiam tibi magnũ in illam jus competit, eò quòd libero tuo arbitrio responderis meis inspirationibus. Dum tã Divina & sublimia cognoscerem mysteria, junctis manibus elevavi oculos, agens magno huic Domino gratias, & passa fui vehementẽ mentis excessum. Ex quo ad me reversa, vidi quendam quasi Divinum & supercœlestem soiem, qui pulcherrimis radijs urentis, & æquè suavis ac fortis ignis, illuminabat ac beatum reddebat illum supernum locum, in quo existit. His irradiata mea anima se totam univit eidem Divino soli, & in ipsum quasi transformavit, intimè quodammodo illum penetrando. Perdidi memet, nec verbis possum explicare (quæ quidem in hanc rem minimè suppetunt) sed neq; ullo penitus modo edisserere ea, quæ divinissima vidi in Deo, & cognovi in eo Divinæ ipsius caliginis lumine, quo verbo uti consuevi, dum nescio, neq; possum quidquã exponere. Ignoro, quamdiu in hac profundissima unione permanserim. Quando post illam ad me redij, reperi me in meo angello, ita ut nec advertim, neq; intellexerim, quis me eò detulisset. Verùm Sanctus meus Angelus Custos, & reliqui mei Domini Angeli mihi dixerunt, me ab ipso Domino Deo, ijs, & alijs Sanctis Angelis illum comitantibus, eò delatam fuisse. Obstupesco, quemadmodum quisq; concipere potest, talia magni hujus Domini DEI nostri opera. Ipse sit millies iterúmq; millies benedictus, ob id quod est in semetipso, & ob id quod est erga nos suas miseras creaturas.

*In prima hujus visionis parte, ubi à magno DEO nostro & Domino tanquam à tenerrimo Patre, hæc sancta Anima tractabatur, ad vivum exprimitur, quod Spiritus Sanctus ait per sapientem: videlicet, Deum non tantùm deliciari habitando in animabus puris; sed etiam videri cum ijs ludere, seseque recreare eum in modum, quo amantissimi Parentes suis prolibus, dum adhuc sunt parvulæ, se oblectare consueverunt. Interim tamen notanda est summa majestas, quâ DEUS sui conservat observantiam & venerationem, eámque sibi concitiat inter suas teneritudines; id quod ea veritate, quæ ipsius inerat spiritui, asserit, etiámq. experiebatur hæc Virgo fortunata.*

*Ubi ait, pretiosissimis nummis aureis adjunctos fuisse flores, significantes promptitudinem hominis ad respondendum divinis inspirationibus, sublimissimè explicatur, quid in nostris reperiatur operibus attribuendum gratiæ, quidve nobis. Gratiam accipimus per pretiosissima merita Christi. Hæc, ùt postea dicit, sunt nummi ex auro obrizo: cooperatio nostra est instar florum, longè minùs æstimabilis, secundùm se spectata, quanquam suaviter oleat, magnig. sit pretij.*

*Abundè jam videtur dictum esse de profundis demissionis animi, cognitionisque sui ipsius radicibus, quas DEUS in hac Anima fixit, permovendo eandem ad tam ferventes affectus, eique idcirco tam admiranda exhibendo symbola & figuras. Nihilominus illi Divinæ Majestas aliquando, absque hujusmodi visionum apparatu, contulit sublimiorem omnibus prædictis notitiam, adeò singularem quoad affectus, ut ipsa fateatur, esse gratiam omnium maximam, quas in ista cognitionis sui materia, à suo Deo fuerit consecuta. Ita verò ait.*

Dum his diebus, tempore matutino,

versarer, cum Deo, postquam mea anima, cum Ejus Majestate quædam prorsus magna & arcana pertractavisset, fui in eodem Domino extra me rapta: qui mihi tum contulit altissimam, cui explicandæ nulla sufficit lingua, apprehensionem & cognitionem, ut immensam infinitæ ipsius Essentiæ intelligerem magnitudinem, & meam miseriam, vilitatem, atque ineptitudinem. Visus est mihi magnus Deus noster & Dominus suâ potentiâ & sapientiâ efformavisse in mea anima summam comprehensionē suæ magnitudinis & infinitæ Essentiæ, meæque exiguitatis & miseriæ, impressā quodammodo & insculptā profundissimæ & supremæ parti ipsiusmet animæ, ita ut non posset inde evelli, aut expungi: erat enim quodammodo illi unita per gratiam, & potentem Dei manum. Hæc paucula possum dicere de isto arcano favore, qui talem in me excitavit administrationem & affectum, ut dixerim ad Dominum: O mi DEus & Domine mi! felicem me reputo, quod attigerim tantam ætatem, & pertulerim, fuerímque per ejus decursum passa, quæ tu scis: siquidem pro ijs, per tuam bonitatem, obtinui, & sum assecuta à tua misericordia rem usqueadeo stupendā, quam mihi modò dedisti cognoscendam, de tua magnitudine, meáq; miseria. Et verò certum est, non fuisse istam gratiā, quam Deus meæ animæ præstitit, quales sunt consuetæ gratiæ illuminationis & agnitionis perfectionum ipsius, & infinitæ Essentiæ; sed alterius longè majoris & superioris, ac diversi gradûs. Sicut, exempli gratiâ, offertur cuipiam in patina pretiosus cibus, quem novit, scítque qualisnam sit; percipit ipsius odorem, tantúmque illum delibat, & hîc sistit, non autem comedit: atq; ita licèt eo aliqualiter oblectetur, non tamen reficitur, cùm non perveniat ad ipsius stomachum. Hoc discrimen certâ ratione intercedit inter duos modos, quibus se Deus animæ communicat. Modo solito videtur se Deus præbere animæ gustandum ac videndum; altero & speciali, de quo loquor, se integrè tradit, & cum ea quasi unit, sustentando ipsam. Sive dicamus ita evenire, sicut dum alicui ostenderetur pretiosissimum cimelium eo fine, ut illud videret, ipsiúsque agnosceret valorem, & eo sibi ad aliquod tempus commodato ad usum, absque ejusdem possessione, se oblectaret: aut si illi non tantùm dictum cimelium ostenderetur, ut se ejus rectearet aspectu, & ejusdem pretium agnosceret, sed etiam daretur possidendum, cederetque tanquam proprium. Laudetur Deus in æternum. Amen.

*Sicut sublimissimus est modus, quo* DEUS *nunc huic Virgini communicavit cognitionem Divinæ suæ magnitudinis, unà cum nostræ humanæ vilitatis: ita quoque tenerimus fuit alius modus, quo illi simili occasione contulit lumen ad eosdem duos effectus, sic nobis ab ipsa descriptus.*

Colliquescebat mea anima raris affectibus, quos illi Deus comunicaverat, amoris erga ipsum, & erga proximos. Desiderabam ardenter me in omnibus, & per omnia unire Deo, prout ipse mihi inspirabat, cúmq; deficerem viribus, ex intimo animo illum invocabā dicens. Quosque, mi Domine me dereliquisti? quousq; à me recessisti? Hoc sæpe iterabam, atq; tam vehementi ardore illum deprecabar, ut existimem me fuisse disrumpendam, nisi Deus responderet. Exaudivit me pro sua misericordia & infinita bonitate, dixítque mihi: Anima, quid habes? quid vis? Ego te non desero, neq; à te recedo: dic age, quid relis. Domine mi, ajebam ego, nihil volo præter te; & ecce, Domine, quod volo est, ut te magnâ vi complectar, teque comprehendam, & arctè meis brachijs stringam. Tum Dominus cum magna respondit affabilitate dicendo: Quid loqueris, Anima! an ignoras, me esse magnum, me esse immensum; te verò vermiculum, & nihilum? Quomodo igitur me vis complecti? Omninò, mi Domine, perseverabā ego, volo te complecti, téq; inducere intra viscera mea, intra me. Adverte Anima, reposuit Dominus, non poteris id præstare, non me capies. Ita, mi Domine, dixi, ita, potero. Altercabar sat diu, & Divina Majestas me ea suavissima mansuetudine tolerabat: videbat enim ardorem meorū desideriorūque mihi ipse inspirabat, atque tum mihi dixit. Fiat licet, Anima, experire quid possis. Et

Et cùm id dixisset, datum mihi fuit ingens lumen, cum quo agnovi infinitum ipsius Esse, & immensam ejusdem magnitudinem. Obstupui, & demersa in cognitionem meæ miseriæ atque exiguitatis, flexísque genibus procumbens humi, manibus junctis, & fronte affixâ terræ, dixi: Ah, mi Domine, quàm es magnus! Fateor meam miseriam & vilitatem. Atque ita non fui ausa attollere oculos, aut ullum præterea proferre verbum: sed adorabam in silentio immensitatem magni Dei nostri & Domini, ac pudefiebam in pulvere meæ vilitatis. Tantùm subinde dicebam: Non est jam, Domine, quod ultrà hac de re agatur. Tunc me Dominus jussit elevari, & peramanter subjunxit: Eja, Anima, experire tuas vires, & amplectere me. Hac mihi à Domino concessâ facultate, tentavi, cæpíque conari, ut caperem quantum possem. Comprehendi quantum patiebatur mea capacitas, & fui ita repleta Deo, ut ampliùs nequiverim, instar cujuspiam vasis, dum in magno fonte impletur aquâ, ut plus capere non valeat. Hac vice fui satiata ac impleta meo Deo, & quievi in illo per fortem ac arctissimam unionem, quæ diu duravit. Eâ cessante me reperi in meo angulo, advertens, etiam dolores meos multùm esse mitigatos. Ipse sit benedictus, Amen.

*Affectus, de quibus in principio hujus gratiæ est sermo, oriuntur ex fervore animæ existentis in eo gradu, qui à Sanctis Patribus vocatur sobria ebrietas charitatis. De hac multa dicuntur in Canticis. Tunc Anima ita est comparata, ut non tam observet quid dicat, quàm indicet quid amet; non expendit impossibilia, siquidem ipsi tantùm accidit impossibile, vivere absq; eo, quod desiderat, qua de re nonnihil dicetur in sequentibus capitibus.*

*Præsentem humilitatis materiam, fundatæ in sui cognitione, quâ hæc Virgo excellebat, concludamus illâ singulari gratiâ, quam ipsi Deus in cœlo præstitit, quando pro humili sui pudefactione, & emendatione vitæ optabat videre locum, quem suis peccatis promereri potuisset in inferno. Id evenit anno sexcentesimo vigesimo nono, Die vigesimâ quintâ Junij, describitúrq; ab illa his verbis:*

Patiebar meos consuetos dolores tam diuturnæ ægritudinis, atque nihilominus occupabat cognitione meorũ defectuum & miseriarum, quando mihi Dominus dixit: Veni, Anima, & respirabis modicùm à tuis afflictionibus. Ego, quæ semper in prædicto exercitio libenter vereor, respondi Ejus Majestati: Domine, si me aliquò vis ducere, deduc me ad infernum, vel ad purgatorium, ut videam locum, quem mereor, útque conspectus pœnarum, quæ illic perferuntur, me incitet ad emendandam ac reformandã meam vitam: quandoquidem tuus amor & beneficia, non obtinent meâ culpâ, quod à me exposcis. Dominus respondit, quasi dissimulanter, dixitq;: Bene est, sed veni modò mecum ad cœlestem patriam. Repetij meam obtestationem secundò, & cùm tertiò instarem, Divina Majestas adjecit: Nunc Anima, non expedit quod petis; videres enim ibi, unde vehementer affligereris. Post hæc Domini verba, accessit ad me Angelus meus Cũstos, dixítque mihi determinatè: Eja, Anima, obtempera, & fac quod juberis: atque sine mora apprehendit meos humeros, méq; elevavit, & reliqui mei Domini Angeli me celeriter, & cum modestissima sibi consueta decentia induerunt mysticis vestibus, sicut aliàs, duxerúntq; ad cœlestem Jerosolymam. Dum eò perveni, & procubui in genua, ille Dominus, qui me vocaverat, dixit: Veni Sponsa Christi, & accipe coronam, quæ tibi est præparata ab æterno. Ego hæc verba audivi cum magna verecundia, quia utì toties aliàs dixi, nunquam fum ausa Deum compellare nomine Sponsi. Verùm cùm executioni mandaretur, quod Ejus Majestas dixerat, imposuit meo capiti prægrandem auream, multísque pretiosis refulgentem lapidibus coronam. Quando mihi illam superponebat, dixi: Mi Domine, corona non datur, nisi post merita, & ego adhuc dego in vita mortali. Ipse mihi respondit: In mente mea jam sunt decreta omnia, nunc verò tibi ista corona dari potest pro ijs, quæ hactenus fecisti, & sustinusti. Interea Dominus mandavit meo Angelo Custodi, ut auferret meam



 coronam,

coronam, ac ſervaret, quod fecit. Subitò fui abrepta, & occupata ſomno ſpirituali, ubi anima placidiſſimè & tranquilliſſimè requievit in ſuo Deo, cognoſcens, quæ à Domino edocebatur, ijſdemq; ſeſe oblectans. Hunc in modum conſtituta, audivi ſuaviſſimam muſicam vocum, quæ erat Angelorum concinentium Divinas laudes: quamvis autem illa eſſet interiori auditui animæ jucundiſſima, aliunde tamen mihi videbar deſiderare, ut ceſſaret, quia me nonnihil abſtrahebat à ſuavitate, quâ fruebar in contemplatione Divinæ Eſſentiæ. Ita aliquouſque perſeverari, ignoro tamen quamdiu: ſed ſcio, quòd dolens, velle Deum, ut reducerer ad meum angelum, dixerim magno affectu Ejuſdem Majeſtati: Mi Domine, relinque me hîc, ne me reſtitituas exilio. quod aliquoties repetebam. Nihilominus Divina Majeſtas, conſolando me, mandavit, ut reducerer. Obſequentes Sancti Angeli me duxerunt alio modo, ſeu viâ diversâ ab ea, quâ priùs veneramus: quia me ſuſtulerunt ad cœlum elevatam velut lineâ rectâ, deduxerunt verò per ambages & circuitus, donec me reperi in paupere meo cubicello. Benedictus ſit DEUS ob ſuas miſericordias. Amen.

## CAPUT VI.

### Incipit tractatio de heroico gradu perfectionis, quem hæc Virgo eſt aſſecuta.

*QUiſquis attentè perlegerit hactenus dicta de profundis, à magno DEO noſtro ac Domino jactis in anima hujus ſuæ dilectæ Sponſæ, fundamentis, non mirabitur elegans virtutum ipſius ædificium tam altè aſſurrexiſſe, ut cenſeri debeat inter inſignitſima, quæ non ſolum præſenti, verùm etiam præteritis ſæculis, benigna & potens ejuſdem Domini dextera, per merita amabiliſſimi Servatoris noſtri, in ſua Eccleſia eſt architectata. Id ſatis apertè patet, ex omnium virtutum exercitio, quas nobis rigidiſſimè examinatas, Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte, in prima hujus hiſtoriæ parte, enarrat. Continuatæ verò eæ fuerunt, & creverunt poſtremis novem annis longævæ ipſius, benéque impenſæ vitæ; atque pari procedebant paſſu Divinæ Majeſtatis demonſtrationes, ex quibus intelligeret gradum perfectionis, in quo illam ex mera ſua infinita bonitate conſtituerat, & ad quem jam inde ab æternitate ipſam prædeſtinaverat. Anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, in Januario, inter ingentes afflictiones & dolores eam Deus dignatus eſt ſequenti viſione, quâ abunde probatur, de quo agimus. Sic inquit Virgo:*

Die octavâ hujus menſis mihi ſeriò dixit Dominus: Veni mecum, Anima, & videbis ſolennitatẽ, quæ celebratur. Ducta ſum à Domino ad cœlum, ubi ante omnia alia vidi meos parentes, & quatuor avos, quod ſpectaculum me ſummo affecit ſolatio. Vidi quoque nonnullas amitas, & conſanguineos, quos in hac vita noveram, nec non alios mihi ignotos. Omnes erant contentiſſimi: poſtremus autem procedebat meus Pater, geſtans puellam in brachijs. Taliter obibant illud cœlum, donec pervenirent ad thronum Sanctiſſimæ Trinitatis, cujus ſupremæ Majeſtati & Celſitudini meus Parens egit gratias pro data ſibi ea pupula, dedicavitq; illam ejuſdem obſequio, ſupplicans ut ipſam ſuſcipetet velut ſuam. Divina Majeſtas percepit oblationem, & ſingularem monſtrando complacentiam dedit puellæ ſuam benedictionem, dicens: Ego illam mihi ab æterno elegi, volo ipſam eſſe meam, mihique eandem conſervabo. Docuit me Divina Majeſtas, me eſſe iſtam puellam. Ipſe ſit benedictus.

*Qualis verò fuerit gratioſa hæc electio, ad quantam hujus animæ felicitatem, ad quantam ceſſerit gloriam Dei, oſtendit illa Divina Majeſtas vigeſimâ Februarij, ejuſdem anni, quod ipſa refert his verbis.*

Vehe-

Vehementer hoc die ardebam desiderio, quo assiduè per Dei bonitatem ferror, ad explendam in omnibus sanctissimam ipsius voluntatem. Conspexi tum personam Christi Servatoris nostri, qui ad me accedens, meúmq; brachium eo spiritualissimo modo apprehendens, quem aliàs retuli, duxit me secum ad cœlum. Nihil mihi videbar intueri aliud, quando perveni ad ea regia palatia, quàm illum suavem aërem, quem soleo appellare inauratum, ejus coloris, cujus est nubes illuminata à sole, & plena splendoribus. Inde me Ejus Majestas duxit ad alium locum altiorem, ubi erant profundissimæ aquæ, referentes speciem immensi maris. Navigabant illic multi in navibus vectorijs, associati Angelis. Erat mare tranquillum ac pacatissimum, & qui ijs vehebantur erant lætissimi atque jucundissimi. Trajecit me Dominus ad alterum litus, non navi, sed sustentatam suâ virtute. Mox me tulit ad altum montem, ubi etiam erat ingens turba, frueus multorum aliorum Angelorum societate: omnes exultabant, magnúmq; præ se ferebant solatium. Inde fui ab ipso ducta ad alium locum altiorem, ubi vidi Beatissimam Trinitatem, quæ me blandissimè, & cum singulari amoris exhibitione susçepit, interrogando me: Quid est hoc, Anima? quis te huc perduxit? quid quæris? Ego quasi obstupui, méque ipsam intuita vidi, quòd gererem habitum peregrinæ, habens meam penulam, & scipionem viatorium, statímq; dixi: Domine, sum peregrina, sum mendica, & venio, ut à te petam eleemosynam: da mihi illam, mi Domine. Quàm libentissimè, dixit Divina Majestas, accipe ex istis pretiosis gemmis in hac mensa, quascunque volueris. Conjeci oculos ad locum à Domino designatum, conspexíque mensam præstantissimis plenam gemmis, & pretiosissimis lapidibus, significantibus varia magni illius Domini dona, quale est donum prophetiæ, donum miraculorum, donum linguarum, & alia hujusmodi. Inter illa erat donum conformitatis cum Divina voluntate, ad eam in omnibus exequendam. Hoc viso exarsi illius desiderio, & acsi reliqua non essent tam admiranda, huic soli affectum addixi, manúmque applicui. Vix illud apprehendi, quando ex eo Triuno DEO pulcherrimi prodierunt radij lucis, qui, occupatis & illustratis omnibus meis sensibus & potentijs, me totam penetraverunt, adeò ut suavissimè animam meam, oblectando, me quodamodo transformaverint in ipsum Deum. Videns me ita constitutam, dixi: Quid est hoc, mi Deus? quid agis? Qualis est ista tua munificentia? Dominus respondit: Anima, noli mirari: non enim est multum, quòd me tibi totum donem, quando tu mihi das, quidquid habes, nihílque præter me quæris, atq; ut mea voluntas impleatur.

Hæc Dei misericordia fuit maxima, videbárque mihi me ipsam non capere, & penitus quodammodo excessisse hac vitâ mortali, atque dicebam intra me: Jam tandem istâ vice hîc permanebo, neque enim reverti sciam. Verùm Divina Majestas, quæ penetrabat meam cogitationem, tum dixit: Anima, qui te adduxit, etiam reducet, monstrabitque tibi viam. Animadvertendum est, eo tempore, quo versabar cum Sanctissima Trinitate, agens ea, quæ retuli, Sacratissimam Humanitatem Christi Domini nostri sese mihi occultavisse, ut eam non viderim. Cognoscebã autem, quomodo immensus ille & omnipotens DEUS beatos reddat Spiritus, & sanctas coram se assistentes Animas, ac dicebam. Volo id bene contemplari, & qualia hîc sint sublimissima hæc mysteria, ut aliquid de ijs loqui possim. Eodem momento conspexi secundò Christum Dominum, qui mihi dixit: Revertamur, Anima, veni ad tuum locum. Voluissem equidem ibi manere, sed Ejus Majestas mihi respondit: Necdum est tempus, veni mecum. Descendimus itaque ex prædicto monte, ubi erat illa hominum summo affluentium solatio turba, dixítque mihi Ipsius Majestas: Ecce, non semper in vita mortali meos Justos tribulationis igne exerceo; etiã illis concedo delicias, & oblectamenta, quibus perfruuntur conversando cum Angelis. Ingressi sumus deinde illud mare, quod vidi pacatum, & navigantes læ-

tos, ſicut antea: ſed ſubitò fuit horribili tempeſtate turbatum. Periclitabantur, qui mare pertranſibant, evadebant tamen periculum. Et Dominus mihi dixit: Animadverte, in vitæ mortalis mari omnia reperiuntur, malatiæ & tempeſtates; ſed qui eſt mecum, & in me confidendo navigat, non peribit. Deſcendimus tandem uſque ad meum angulum, ubi mihi magnus iſte Dominus dixit: Nunc, Anima, vale; ego non abeo, quia tecum maneo. Ita diſparuit, me prorſus à ſenſibus abalienatâ, donec mihi integrè ſum reddita. Volui poſtea aliquid referre de modo, quo Deus in cœlo Sanctos reddit beatos: verùm nec invenio verba, neque mihi id fuit poſſibile. Benedictus ſit in omnem æternitatem.

*Non videtur potuiſſe magis genuinè explicari perfectio, ad quam hæc felix anima pervenit, quàm dum ipſi Deus dixit, quòd ſeſe totum illi communicet, quia ipſa in omnibus ſtuderet propagandæ ejuſdem Domini gloriæ, & implendæ ſanctiſſimæ ipſius voluntati. Idem comprobatur eo, quod illi evenit decimâ octavâ Maij, anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, poſtquam ab hoc Domino, in proximorum commodum, ducta fuit ad remotiſſimas provincias (qua de re alibi agemus) atque illa ſic deſcribit.*

Vocavit me Dominus ac dixit: Veni, Anima, & quieſces, quia te fatigavi, circumducendo per iſta maria, & has regiones. Ducta ſum ad cœleſtem Jeroſolymã, ubi me coram Beatiſſima Trinitate conſtitutam, Sancti Angeli cum ingenti gaudio exceperunt. Circumdabant illum Divinum thronum, agebántq; ita mecum illi Angeli, ſicut agi ſolet cum puerulo, dum aliquò adducitur, ubi ſunt multæ matronæ congregatæ, quarum ſingulæ illum arripiunt, eíque blandiuntur, & indicia exhibent amoris. Aſſedi coram eo magno Deo, vehementer erubeſcens. Interim ij Sancti Angeli ſe invicem percontabantur: Quæ eſt iſta, cui DEUS tantam præſtat gratiam, & ſe uſqueadeo communicat? Ego me converti ad viciniores, dixíq; illis: Dicite, eſſe malam Chriſtianam. Ipſi interrogaverunt Dominũ Majeſtatis: Quare, Domine, es tam multa largitus huic creaturæ? Dominus autem reſpondit: Quia volui, & quia in omnibus ſuis operibus, verbis, & cogitationibus, ſemper ſtuduit ſe conformare meo beneplacito, & exequi meam voluntatem, ideòq; illi tradidi clavim meorũ theſaurorum, & ipſius arbitrio commiſi pacem ac bellum: illa verò omnia faciet ſecundùm meam voluntatem, & inſpirationes ac motiones, quibus à me in omnibus dirigetur. Ego hæc verba, quæ meus Deus loquebatur, audiebam velut attonita, & ajebam: Domine, quis adhibebit fidem tuis dictis? Et reſpondit cum ſumma majeſtate: Non poterit rationabiliter ijs denegare fidem; quiſquis crediderit, me eſſe bonum atque omnipotentem, & judicia mea eſſe juſta, viáſque meas & ſemitas occultiſſimas. His à Deo prolatis, fui ducta à Sanctis Angelis ad valde altum locum illius cœli, ubi me adverti gerere coronã in capite, & in dextera manu ſagittam. Sentiebam unà, me quodammodo iraſci, volebámq; illâ impetere quandam perſonam. Interim ad me aſcendit quidam Sanctus Angelus, & perhumanè ſagittam è mea manu ſuſtulit, ejúſq; loco mihi dedit ramuſculum olivæ. Deſcendit poſtea, depoſuítque ſagittam ad pedes Dei. Fui ſubitò ducta deorſum, & ad eoſdem Divinos pedes collocavi ramum. Tum Sacratiſſima Perſona JESU Chriſti Domini noſtri mihi ſpectanda præbuit vulnera ſuorum ſanctiſſimorum pedum, qui mihi etiam dignatus eſt dare facultatem, ut unum pedem oſcularer. Deinde ſum abrepta in eccſtaſim, & reſtituta mihi, reperi me in meo angulo. Ipſe ſit benedictus, Amen.

*Rara proculdubio fuit perfectio, quâ hæc famula Dei promeruit eſſe theſauraria Divinæ Majeſtatis, ſuiſque precibus agere arbitram in eventibus pacis & belli ſuorum temporum. Quantum hac in re profuerit noſtris Regnis, etiámq; exteris Catholicis, dictum eſt in prima parte, & in hac alibi multa referentur. Eadem ſpectat ſagitta vindictæ, quam ex zelo Divinæ Juſtitiæ ſpirando, dum videretur populatura pœnas, ſubitò ſe moveri ſentiebat ad affectus Clementiæ, quam ijs impetrabat, quibus Deus iraſcebatur. Verùm proſequamur gratiæ*

*gradus perfectionis, quos ipsi DEus alia vice symbolicè manifestavit, septimâ Decembris, An. sexcentesimo vigesimo septimo, ubi sic ait.*

Intenta eram orationi, & vacabam consueto exercitio, considerans meam vilitatem, quando me Dominus vocavit, dicens: Veni, Anima, conscende has scalas. Restiti, sicut aliàs (dum id mihi conceditur) sed cùm nihil proficerem, disposui me ad obtemperandum Divinæ Majestati, volénsque conscendere scalas, quas juxta me videbam, conspexi circa illam multos canes, qui licet essent parvi, magnam nihilominus præ se ferebant oculis & dentibus ferociam. Timui, sed accessit ad me quidam Angelus Dei, dixitque: Noli timere, Anima, nec enim est cur timeas; & arreptâ utraque meâ manu, converso ad scalas dorso, & vultu ad me, perduxit me usq; ad illarum summitatem, ubi, dum cœli aperirentur, me illuc introduxit, dicendo: Intra in gaudia Domini tui. Ingressa sum eam cœlestem civitatem, & contemplata sui illius gaudia, quæ erant ipsemet Deus, ejusdémq; omnipotentia, immensitas, & reliqua attributa, ac perfectiones Divinæ. Circumdedit me derepente virtute suâ Dominus, conclusítque intra se ipsam, dicendo mihi: Anima, ingredere gazophylacium meorum thesaurorum. Ibi mihi Dominus ostendit, quæ referre nesciam. Inter alia tamen vidi quosdam quasi soles pulcherrimos & lucidissimos, qui revera erant Divini thesauri; in quibus mihi distinctiùs repræsentabantur Divinæ perfectiones, actí eas singillatim intueter. Contemplabatur hos thesauros mea anima cum magna admiratione & voluptate. Videns me Dominus ita constitutam, dixit mihi: Anima, accipe aliquod cimelium istius gazophylacij, qualecunq; ex his volueris. Ego, utì semper me ipsam reformido, ac desidero non deviare à Divinis veritatibus, respondi: Domine, volo lumen; & absq; mora comprehendi unum ex ijs solibus, à quo ita fui irradiata, ut tam interné, quàm forinsecus tota replerer lumine. Consideravi deinde cætera omnia, quæ erant in beato illo domicilio, & vidi in quadam imagine maximas ac elegantissimas literas, atque in quovis lineæ fine grande punctum. Non intelligebam illas, sed neq; sciebam legere: cùm autem mihi exponerentur, vidi in ipsis expressam universam vitam meam, & status, quos eâ durante anima mea habuerat, qualitérque ab uno fuerim progressa ad alium, ac etiam inde deciderim, & quomodo per Divinam bonitatem post eos lapsus ascenderim altiùs; quasi idcirco descendissem, ut ascenderem. Videns verò tot charitatis & misericordiæ Divinæ effectus, dixi Deo: Domine ista tu mecum egisti: sed non exprimitur hîc, quid ego fecerim, non fuit enim hic mea peccata, nec mea ingratitudo, neque quàm malè tuis beneficijs & misericordijs usa fuerim, quámq; parum ex ijs sciverim proficere. Dominus tacebat, & cùm instarem interrogando, respondit. Hoc, Anima, jam præterijt, & quando peccator agit pœnitentiam, non meminî ultrà ipsius peccatorum, neq; ea ampliùs curo. Deinde me Divina Majestas secum univit arctissimâ unione amoris, quem mihi tantùm exhibebat, ut me ipsam perdiderim, usquedum mihi restituta, me reperi in meo angulo. Laudetur Deus in aternam, Amen.

*Quamvis incertum sit, permissionem levium, multóque magis gravium culparum, esse effectum Divinæ prædestinationis; Certissimum tamen est, Deum ex humanis lapsibus, qualescunque ij sint, consuevisse, ex mera sua bonitate, sumere occasionem provehendarum altiùs animarum, ut per pœnitentiam humiliores resurgant & fervent iores, quàm forent, si non cecidissent. Atq; hoc tantùm videtur velle hæc Virgo significare, dum dicit, quòd lapsus suæ vitæ, & culpæ (quæ quidem fuerunt perexiguæ ac veniales) ipsi profuerint, ut altiùs ascenderet: & tenui meo judicio, hi parvi defectus significabantur ijs catellis, à quibus impediebatur in ascensu scalarum. Ista namq; licet minuta peccata, sufficiunt ad nos remorandos, ne ascendamus ad perfectionem, donec nos ab illis, ope Divinæ gratiæ, & adjuvante nostro Angelo, expediamus. Quam sublimis fuerit gradus perfectionis, quem hæc Virgo conscendit, satis clare apparet ex arctissimo amoris vinculo, quo sibi illam Deus univit, postquam ipsi ostendit vias, quibus ascenderat.*

CAPUT

# CAPUT VII.

## Quàm fidelis, & obsequentis socij munus spiritui suo præstiterit corpus hujus Virginis, ut progrederetur in perfectione.

*NOn minùs pia, quàm vera est doctrina, efficacibus probata scripturæ testimonijs à Sanctis Patribus, quâ instruimur, quòd, sicut in peccatoribus perfrictæ frontis spiritus induere videtur conditiones carnis, certóq; modo brutescere, ut idcirco miserabilis homo prorsus in statum degeneret effrenis jumenti: ita in Justis jam perfectam virtutem assecutis, corpus (magis minúsve, juxta virtutis gradum) adeò imbuatur affectibus spiritûs, obsequatúrq; tantopere rationi, ut videatur effici spirituale; quem in modum homo ita penitus subjicitur suo Deo, ut caro tam procul absit ab impedienda anima in via perfectionis, ut potiùs illam suo modo videatur adjuvare, eique prodesse ad currendum expeditiùs. Divinam istam Philosophiam nos sublimissimè docuit hæc Virgo, hausta tum ex propria experientia, tum ex visionibus, quibus illam Deus dignatus est ipsi revelare. Unde in quadam charta, mense Septembri, Anno sexcentesimo vigesimo quarto, ita scripsit.*

Quamvis carni sua insit lucta cum spiritu, & natura peccato infecta impediat opera gratiæ, propter continuum pondus, quo à corpore, ejusdémque sensibus misera anima infestatur, ut ab amore & cupiditate rerum terrenatum deprimatur: interdum tamen, quando magnus DEUS noster & Dominus quampiam animam suæ dulcedinis prævenit benedictionibus, & gratiæ suæ donis exornat & corroborat, ipsam quoque naturam reddit spiritualem, atque mirâ providentiâ ac dexteritate, tantâ corpus jungit familiaritate spiritui, ut non auferendo suam naturæ nostræ conditionem, ita illam nihilominus videatur transformare, ut pro rata subjectionis, quâ naturalia subserviunt supernaturalibus, jã quodammodo intelligatur corpus quasi conversum esse in spiritum. Sanè terrum non desinit esse quod est, quando penetratur, totúmque occupatur ab igne; & nihilominus jam non apparet esse quod erat, sed transmutatũ in naturam ignis, ijsdémque præditum qualitatibus, quoad istæ in tam diversis compatiuntur subjectis. In hoc fortunato statu non solùm corpus non impedit spiritum, ut potiùs illi videatur prodesse, & præbere auxilium in agendo, sicut debilibus oculis prosunt conspicilia ad faciliùs & clariùs videndum, quod absque illis videre non possent. Hæc est felicitas istius statûs, qui tamen non facilè obtinetur: quia præsupponit diuturnum & continuum seriæ in rebus omnibus omnibus mortificationis exercitium, assiduam, atque fidelissimam cum Deo consuetudinem & familiaritatem.

Id me quadam vice docuit Majestas amabilissimi Servatoris nostri: nam ducendo me ad pulcherrimũ quoddam pratum, & gratiosissimis ornatum floribus, ibique mecum deambulando, mihi dixit: Vide, quàm sit speciosum & amœnum istud pratum. Hîc mihi fuit datum internum lumen, & cognovi, quòd, sicut illud pratum licet naturæ sit terrenæ, & ex terra progeneratum, spectatâ nihilominus pulchritudine, amœnitate, & jucunditate, apparet longè diversum, prorsúsque perfectius terrâ, ita terrena nostra natura unita spiritui, qui diu servivit Deo, seque in multis & varijs omnigenarum virtutum exercuit actibus, non perdendo quod est ex semetipsa, id tamen perdidisse videatur, seque propter unionem, & intimam cum spiritu initam consuetudinem, adeò in ipsum transformavisse, ut jam non amet quidquam, aut aversetur in hoc mundo, præter id, quod idẽ spiritus aversatur & amat. Dum inhærerem hujus veritatis cognitioni, dignatus est me Dominus edocere, majorem

&c.

ac majorem in hoc eodem ſtatu reperiri perfectionem, & corpus eò fieri ſimilius ſpiritui, quò huic promptiùs inſervit. Idcirco vidi, illud pratũ derepente à Divina Majeſtate fuiſſe converſũ in puras & pellucidas aquas, ſimiles puriſſimæ cryſtallo. Collatũ mihi fuit novũ lumen, & cognovi, quòd etiamſi illarum quoque materia ſit terrea, eidem tamen terræ Deus potente ſuo brachio ejuſmodi impertiverit accidentia, reddendo ipſam ita tranſparentem ac ſubtilem, ut non jam terræ præ ſe ferret ſpeciem, ſed cryſtalli. Eundem in modum, poſt diuturnũ virtutum exercitium, quò ampliùs anima corpus cum ejuſdem potentijs & ſenſibus ſubjicit ac ſubjugat, ut obſequatur ſpiritui, adeò ſibi illud unit & conſociat, ut non ſolùm ab ipſo non impediatur, vel retardetur in ullo opere ſpirituali, verùm etiam experiatur ita ad omnia expeditum, ut in eo ſtatu dicere poſſit, converſationẽ ipſius eſſe in cœlis, eò quòd nulli terrenæ rei inveniatur addictum, imò ardentibus affectibus amet, abſque ulla naturæ reſiſtentia, tantummodo æterna, optétque uniri ſuo Deo.

Audivi tum dulcem Angelorum muſicam, qui ſuaviſſimâ melodiâ canebant Divinas laudes. Inde me Dominus duxit ad cœlum, ſuæque Divinæ Eſſentiæ perfectiſſimè univit, comitante inferiore parte animæ ſuperiorem, conferendo mihi altiſſimam cognitionem attributorum & perfectionum divinarum. Interea egreſſa (ùt loqui ſolemus) ex arctiſſima illa unione, conſpexi mè totam, tum quoad ſuperiorem, tum quoad inferiorem animæ partem, atq; tam ſupernaturalem, quàm naturalem conditionem, potuíque animadvertere, iſtum eſſe perfectiſſimum ſtatum, in quo corpus non modò non remoratur animam in actionibus ſpiritualibus, ſed certo modo, propter initam amicitiam, quâ ſibi invicem junguntur, & perfectam obedientiam, quâ ſe corpus ſubjicit animæ, etiam pro ſua capacitate ſit particeps bonorum & gaudiorum ſpiritûs, ita ut natura ditetur bonis ſpiritualibus, quæ in ipſam ab anima derivantur. Sicut, ſi quiſpiam Rex deponeret aureum vellus, quod ex torque, pretioſis coruſcante unionibus & gemmis, pendulum habuiſſet, atq; collocaret in aureo ſcrinio, poſſemus dicere, non ſolùm novam accedere ſcrinio dignitatem, cùm contineat tam pretioſum cimelium, quod ex collo pependerat, & inſederat pectori regio; verùm etiam poſſe ampliùs locupletari, ſi aliquis ex ijs unionibus & pretioſis lapidibus avelleretur, atq; in illud decideret: ita licèt anima retineat omnia ſua bona ſpiritualia, eâ tamen ratione, Deo diſpenſante, illa communicat naturæ plenè obſequenti & ſubjectæ ſpiritui, ut ipſam ijſdem ditet, adeóque reddat bene affectam erga bona Divina, ut illa modo ſibi competente ſectari videatur, & amare, non aliter ac ipſemet ſpiritus. Has veritates, quas me Deus in iſta viſione docuit, ſum ex mera ejuſdem bonitate experta, in diverſis meæ animæ ſtatibus. Laudetur Deus.

*Quò meliùs prædicta doctrina intelligatur, & magna hujus Animæ perfectio, cujus gratiæ à Deo obtentæ, tam obtemperantem habebant naturam, & cujus ſpiritus quaſi ejuſdem ſecum effecit conditionis corpus; apponam hîc aliud ſcriptum, in quo generatim exponit ſuum ſtatum, ſequenti anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto, ſub illius finem. Proderit etiam ad intelligendum modum, quo in præcedentibus, ac deinceps referendis viſionibus, ad cœlum, aut aliò ducebatur.*

Præſens meæ animæ ſtatus eſt is, quem exponam. Videtur magnus Deus noſter ex ſola ſua infinita bonitate velle, ut magnæ gratiæ & miſericordiæ, quas meæ animæ præſtitit, deriventur in corpus, iſtúdque earundem fiat particeps, & illis perfruatur, quantum in hac vita mortali fieri poteſt. Nam videtur ab anima communicari corpori quædam virtus, à qua redditur ſpirituale, certóque modo ipſimet animæ conformatur, ut ita ſibi mutuò ſublimiſſimâ quadam familiaritate conſocientur; útque non tantùm corpus non impediat animam, quò minùs conſequatur dictas gratias, quin potiùs adjuvet, atque potentiæ & ſenſus corporis ita effecti ſpirituales gerant quaſi vicem conſpiciliorum, ut anima meliùs fruatur ſuo Deo, videátque & cogno-

cognoscat ipsius veritates. Nunc, dum corpus maximè infirmatur & languet, anima sentit, sibi deesse ipsius auxilium, non tantùm propter morbum corporalem, qui plerumque suæ naturæ relictus impedit optimas animæ operationes, sed etiam quia, permittente id Deo, non succurrit animæ, ob suam debilitatem, eâ virtute, quam ab ipsa acceperat, sicut illi priùs consueverat opitulari. Quando id fit, anima est unita suo Deo, eique adhæret deliciando, & non progreditur ad alia majora, ad quæ progrederetur, si adjuvaretur à corpore; quod quidem remanet quodammodo aëreum aut phantasticum, ita tamen, ut, favente Deo, peragat omnia opera humana. Hinc oritur, quòd, cùm Deus, juxta Divinam suam dispositionem, & immensam bonitatem, me elevat ad majora, quæ pro sua qualitate debebant ac solebant efficere ecstases & raptus, ijs tum caream; imò corpus sit vivacius, utendo omnibus suis sensibus & potentijs, quod tamen minimè impedit illam animæ elevationem.

Similiter, quando me Deus ducit ad cœlestem Jerosolymam, aut aliò, vel ad maria, ubi his elapsis diebus erant tempestates, pugnæ & exercitus infidelium, interdum feror solo spiritu, & sentio me remanere in meo loco; aliàs verò id non sentio, videórq; mihi tota abduci: & propter diversos effectus, quos in me operantur diversi modi harum profectionũ, quósque manifestè experior, judico non aliter se rem habere, ac dico. Deus sit semper benedictus, Amen.

*Multa hîc essent dicenda, verùm talia, quæ docti, multóque meliùs ij, qui illa sunt experti, facilè intelligent: ideóque pro ipsis superflua foret explicatio, cæteris autem inutilis. Nunquam enim à nobis posset percipi. Unde nobis sufficiat, ut ista generatim & simpliciter intelligamus, nostræq; animæ ex ijs proficiant, eliciendo inde humilem erubescentiam, quòd ea, quæ Deus communicat suis amicis, nostrum captum excedant.*

*Advertendum est, tam in his scriptis, quàm alijs multis, ab hac Virgine per naturam, seu naturale intelligi solum id, quod concernit corpus, ejusdémque potentias, & sensus materiales, qui sunt organa & instrumenta, ut anima spiritualibus potentijs utendo operetur, ità notitias & effectus habet supernaturales. Atq; de hac natura dicit, fuisse illam, ex Dei gratia, jam dispositam, ut esset aptissimum spiritûs instrumentum. Licet autem ista significatio, in qua sumitur natura, sit limitata (cum etiam id quod est rationale, suas habet actiones naturales) in materijs tamen mysticis est perquam idonea, & usitata.*

*Etiamsi verò virtus heroica, & animæ sanctæ consortium, divinâ adjuvante gratiâ, consueverit corpus ad hanc felicem perducere conditionem, quantumvis refractaria sit natura & rebellis, licétque corpus à congenita suorum humorum complexione, & proprio temperamento, inclinetur ad vitia; observare præterea oportet, quòd suavis dispositio magni DEI nostri & Domini, qui omnia ad suos fines suaviter dirigit & fortiter, plerumque animabus, quas ad altissimum destinat provehere perfectionis gradum, naturam bonam (quæ quidem singularis est gratia, quam nobis Christus Dominus promeruit, & pro qua Salomon gratias egit) atque docilem & accommodatam spiritui, quamprimum vitales incipiunt spirare auras, soleat impertiri. Talem Dei, erga hanc suam dilectam sponsam, fuisse providentiam ipsa fatetur, dum post eximias aliquando obtentas à Deo gratias, à se enarratas, hanc addit clausulam.*

His omnibus, quæ recensui, peractis, dicebam Domino: Mi Deus, quomodo mihi, etsi tam vilis creatura, & tanta sim peccatrix, tot támque inusitatas præstas gratias? Dominus autem mihi respondit: Quando te creavi, contuli tibi naturalia, posteáq; etiam supernaturalia dona, apta ac directa ad præstandas tibi istas gratias. Et has jam inde ab æternitate mea tibi conferre decreveveram, ideo solùm quòd voluerim, fuerítque meum beneplacitum. Hoc responso mea anima fuit commota, ut plurimùm miraretur Dei bonitatem, & pro ea summas illi ageret gratias, qui sit in æternum benedictus,

Amen.

CA-

# CAPUT VIII.

## Amabilissimus Servator noster Christus Dominus illi eo tempore revelat, se specialem ipsius fore instructorem.

*QUemadmodum hæc Virgo plurimùm, in singulari suæ, ultimis his annis, perfectione profecit, prout ex præcedentis capitis, ad annum sexcentesimum vigesimum quartum, & sexcentesimum vigesimum quintum pertinentibus scriptis intelleximus: ita etiam divinæ gratiæ (quæ novem istis postremis annis exæquare videntur omnes, quibus per præteritos septuaginta fuerat cumulata) augebantur, dum se tri dies magis Deus illi animæ communicabat, quam ad maximam suam gloriam, nostro seculo virtutum statuit exemplar, secuturis autem divinarum gratiarum prodigium. Has inter gratias est specialissima, quam obtinuit sub medium January, anni sexcentesimi vigesimi sexti: licet verò complures alias attingat materias, potissimum tamen spectat ad præsentem, dum de sublimi ipsius agimus perfectione. Ad hanc enim nihil magis illam invitabat, quàm quòd sibi tum a magno Deo nostro, acsi tot sancti & docti viri in mundo viventes, tòtque jam vitâ functi & beati, ac tandem tot cœlestes Angeli, qui ipsi continuè assistebant, eámque instruebant, in specialem constitui videret instructorem ipsummet proprium filium Christum JEsum Servatorem nostrum. Mirabilem istam visionem his verbis describit.*

Recollegi me agendo cum Deo, & eliciendo vehementissima desideria, atque ardentissimos affectus, ut me sanctissimæ ipsius conformarem voluntati, in omnibus meis operibus: præsertim verò petebam lumen, & cognitionem divinarum veritatum. Postquam autem alia quædam specialia cum ejusdem Majestate contulissem, conspexi Christum Dominum, delicium nostrum, in specie duodennis adolescentuli, comitantibus ipsum multis Angelis, qui illum adorabant, eique inserviebant. Incedebat summam præ se ferendo gravitatem & amabilitatē, deambulans in quadam velut aula: circumspiciendo autem huc & illuc, demonstrans solicitudinem, gravem sanctis suis manibus edidit gestum, dixitque: Non reperio, mi Pater, ullam creaturam, ullam personam, quæ mihi omnimodè sit apta, ut hujus Animæ necessitatibus prospiciat, eámq; consoletur: non reperio, Pater mi, nec ullum possum exquirere. Dum hæc admiranda verba audirem, & judicarem, mihi nihil quoad id deesse, de quo Dominus loquebatur, & querebatur, atque omnia mihi in rebus tam spiritualibus, quàm temporalibus abunde suppetere, obstupescebam, & recurrebam sæpiùs cum solitis meis timoribus ad magnum Deum nostrum, rogando illum, ut me illustraret, darétque mihi lumen, ad percipiendas suas veritates. Sacratissimus verò ille adolescentulus non cessabat prædicta verba iterare, & eosdem edere gestus cum summa majestate. Tandem vidi, quòd arcano modo ascenderit ad cœlum, & prostratus coram suo æterno Patre eadem cum magna reverentia repetierit, indicans dolorem, ob non repertum id quod optabat. Divina Majestas est illum intuita cum singulari complacentia & amore, suámque ipsi impertiendo sanctissimā benedictionem, respondit: Bene dicis, Fili mi dilectissime, bene dicis. Et conversus ad me, dixit mihi: Veni jam huc, Anima mea, veni huc, & respice ad illum in meo cœlo locum. Ego non potui tergiversari, & obtemperando conjeci oculos ad eum locum, quem mihi Deus designabat. Vidi ibi gravissimā quandam personam, & intellexi, ipsam esse præditam sublimi spiritu, minimèque vulgari virtute, atque majestate & sapientiâ, nec tamen mihi manifestabatur, quisnam esset. Dum hærerem attonita, dixit mihi Divina Majestas: Anima, spectabilis hæc persona, quam

quam illic vides, erit tuus dux, tuúsque instructor, & adjutor tuus in rebus omnibus, docebítque te omnes linguas.

Obstupescens, his auditis, respondi humiliter & verecundè: Mi Domine, tu es meus Deus, meus dux, mea lux, & meus Magister; quomodo me alteri vis committere? qua in re mea anima videbatur sentire difficultatem. Verùm idem Dominus Deus noster me est consolatus dicendo: Ita est, Anima, & erit, sicut dicis: modò autem non intelligis, quò collimem, sic tecum agendo, donec tibi id magis aperiam, ac declarem. Domine mi Deus, subjunxi ego, fiat in omnibus sanctissima tua voluntas. Dedisti mihi tot Angelos, ex mera tua bonitate, utì scis: & hi mihi, divino tuo jussu, benefaciunt, me adjuvant, meósque tot jam annis agunt socios: necesse est hæc omnia non sufficere, eò quòd magna sit mea miseria, & indigentia. Sis benedictus propter opera tua, & misericordias, atque imperscrutabilia judicia. Bene est, Anima, dixit Dominus: nihilominus animadverte. Dum aliquis Rex habet filium Principem, & suorum hæredem regnorum, quem sicut se ipsum diligit, non est contentus, quòd illi constituat nutricem, in cujus sinu educetur, vel alios famulos, à quibus vestiatur ac induatur; alios, à quibus circumducatur per ambulacra, & recreetur, atq; exhilaretur: præter hos enim ipsi assignat magistrum & magistram morum, cùm hæc omnia competant majestati Regis, & Filij Principis, qui educatur. Et super hæc omnia ipsemet Rex semper assiduè agit quasi superintendentem totius hujus familiæ, solicitus de filij educatione, atque cum paterna cura & amore invigilat, ut probè educetur, habeátque commoditatem, & quidquid facit ad eiusdem profectum. Sic igitur se suo modò habet, quod facio, talísq; est providentia, quâ prospicio illis meis electis, in quos ex mea bonitate, jam inde à mea æternitate, oculos conjeci.

Sermo iste Divinæ Majestatis me rapuit in admirationem, dum considerarem immensam illam charitatem, quâ curat, ut bene sit pauperculis creaturis: & inter hæc quodammodo naturaliter verecundabar, ac reverebar decoram speciem illius, qui mihi designabatur in magistrum; quia existimabam, proculdubio esse supremum Angelorum, & prorsus eximijs præditum dotibus. Videbam ipsum tanquam indutum purissimo & excellentissimo spiritu omnium Religiosorum Ordinum, quos Deus habet in sua Ecclesia, & acsi quodam ineffabili modo omnibus ipsorum foret exornatus vestimentis, unúsque ipse esset omnium simul junctarũ perfectionum capax, & quasi omnium scientiarũ perfectissimè gnarus ac linguarũ, ijs omnibus pariter sciret loqui, illáque docere, universa in quavis re, & qualibet veritate comprehendendo: ideóque absolutissimum posset agere Doctorem quarumcunq; superiorum, spiritualium, & extraordinariarum materiarũ, pollens insuper virtute ad corroborandos in ijs, quæ sunt naturalia & usitata, ac adjuvandos suos discipulos. Hæc omnia concipiebam (nequeo autem explicare, qualiter) de spiritu & proprietate hujus supremi Angeli, quia talem esse tunc arbitrabar, perseverando identidem in mea naturali verecundia, quâ retrahebar ab eo audiendo & alloquendo, quia ob illud mysterium eram quodammodo turbata & attonita.

Dum sic essem abalienata à sensibus, venit ad me quidam Sanctus Patriarcha cujusdam Religionis, jusítque me suo nomine quædam dicere nonnullis suis Religiosis, quos nominavit. Observavi, etiam unum ab ipso fuisse inter viventes nominatum, qui jam fuerat mortuus. Commota sum, & more meo extimui, an non paterer illusionem, dixíque intra me: Quid est hoc? cùm iste jam vitâ sit functus, quomodo, aut quare mihi à Sancto Patriarcha opus erat mandari, ut illum quoque alloquerer? Hærebam in eo dubio, semperque tamen in Deo meo confidebam, quòd me esset illuminaturus, prout semper ex sua misericordia facit, ut liberaret hac molestiâ. Tum ille supremus Angelus ad me accessit, mihique gravissimè & simul amabilissimè dixit: Anima, cur afflingeris? quæ est causa tuæ turbationis, dum

anime

animo revolvis, quâ ratione te is Sanctus Patriarcha jusserit alloqui illum jam mortuum Religiosum? Videtúrne tibi id mirum, quod tamen minimè est mirabile in vita spirituali? Non voluit tibi dicere sanctus, ut ea, quæ tibi commendavit, eodem modo nuntiares mortuo, quo viventibus: sed his, quòd illos admoneat, ut se emendent; defuncto autem, acsi ex eo quærat, quomodo sit constitutus ob culpas, quarum fuerat complex cum viventibus. Et verò ita se res habuit, quia mihi deinde anima illius defuncti apparuit, rogavítque me, ut ipsam commendarem Deo, siquidem graves pateretur pœnas ob illos ipsos defectus, quos Sanctus Patriarcha reprehendebat in viventibus. Hoc supremi Angeli (talem namq; ego esse putabam) dicto evasi doctior, unáque inde cepi solatium, dum animadverterem, Sanctum Patriarcham mihi significare voluisse, in quo versaretur statu defunctus. Postea intellexi à Deo, quòd in hoc eventu permiserit meam animam turbari, ut mihi præberet occasionem audiendi supremi Angeli, & alloquendi, útque illi assuescerem. Nihilominus, etsi mihi mysticus iste Angelus non multò pòst, divinum pandendo mysterium, aliam explanaverit magnam difficultatem, cùm ipsum necdum plenè agnoscerem, necdum etiam omnem perdebam metui junctam erubescentiam.

Hunc in modum transegi propè quinque dies, quando matutino quodam tempore diei Dominicæ, quâ Divini Pueri perditi recolebatur commemoratio, dum consuetis meis abrepta affectibus agerem cum DEO, postquam mihi cum ipso versanti quædam acciderunt plena mysterijs, derepente conspexi spectabilem illam miræ authoritatis personam, quam ego supremum Angelum appellabam, qui sedens in quadam admirabili sella me, magna cum majestate, & pari charitate, nullo tamen mihi dicto verbo, intuebatur. Subitò recurri ad Deum, quem cum ardenti desiderio, & vehementi conatu rogavi, ut me doceret, atque illuminaret ad agnoscendas suas veritates, quandoquidem nihil aliud amarem, ullóve prosequerer affectu. Interea, dum me abstraherem, & pro viribus vitarem aspectum illius supremi Angeli, vidi, non absque interna mei spiritûs pugna (quia non poteram ampliùs reluctari) accedentes quosdam Angelos, & magna cum observantia ac veneratione osculantes ipsius manum: deinde verò cum modestissima comitate illum exuentes vestibus ijs mysticis, quibus fuerat indutus, quæ mihi, sicut dixi, videbantur referre habitus omnium & singulorum Ordinum Religiosorum. Has autem exutas reponebant in grandi pelvi, quam suis quidam Angelus manibus tenebat. Dum exuerent ultimam vestem, quæ mihi apparebat candidior nive, vidi illum Dominū, quem hactenus esse judicaveram supremum Angelum, & qui tam amabiliter fuerat personatus, esse Personam Christi JEsu Domini nostri, veri Dei & Hominis. Idem Dominus retinuit vestem regiam magnæ Majestatis, & resplenduit divinis radijs instar solis, habuítque in sacratissimo suo capite pretiosissimum diadema.

Agnito hoc Domino nostro, illustrata eo lumine, quod mihi ab ipsius benignitate communicabatur, abjeci me ad sacros ejusdem pedes, & cum magno meo gaudio atque solatio ipsum adoravi. Tum surgens Dominus ex ea priore sella, descendénsque per paucos gradus, consedit mihi vicinior in alia æquè admirabili. Assistebant Majestati hujus Divini Regis plurimi alij Angeli, unà cum ijs, qui per ipsius misericordiam morantur in meo cubiculo: & ego adhuc manebam prostrata, atque propinquior illis divinis pedibus, nullum proferendo verbū. Ipse verò mihi amanter & benignè dixit: Anima, ego sum tuus Dominus, tuus dux, & tuus Magister; Ego sum ille, quem videbas quasi personatum, ut propterea obstupueris, fuerísque perplexa & attonita. Quod te modò oportet facere, & ego à te fieri volo, est, ut ad omnia respondeas, de quibus te proximi meo nomine interrogabunt, dicásq; illis, quidquid me velle, & cedere ad majorem meam gloriam, atque obsequium, intellexeris & sciveris. Loquere ipsis securè, ego enim tibi quavis hujusmodi occasione

semper adero, & illuminabo te, instruámque internè. Nunc vale, & quiesce in tuo Deo. Id dicendo impertitus est mihi suam sanctam benedictionem, & omnibus ijs Sanctis Angelis ibi præsentibus, abivitque Ejusdem Majestas, me obstupescente, & ob tam divina opera gaudente.

Deinde ab eodem Domino intellexi, illo adscito vestitu, repræsentante habitum omnium Religiosorum Ordinum, quo Ipsius Majestas se spectandam exhibuerat, significatum fuisse, quòd in hoc Domino nostro sublimissimè existant, atq; ab ejusdem Divina virtute universæ omnium creaturarum perfectiones in summo gradu deriventur; quódque admirabili eo modo, quo ostendebat se quærere, & non invenire ullam creaturam perfectam, & quæ omnimodè foret idonea, ad habendam mei curam, mihi indicare voluerit, se solum esse perfectissimū doctorem omnium scientiarum, & infinitâ præditum sapientiâ ac potentiâ, ad eas communicandas, seq; velle meum agere ducem & instructorem. Dixit mihi præterea, me per eos dies fuisse ab ipso relictam perplexam & meticulosam, non agnoscentem, qualis foret ea Persona, quæ mihi novo modo assignabatur, ut me doceret, propterea quòd delectaretur, videndo interea meos affectus, atque audiendo meos clamores, & suspiria ad Deum. Sicut Pater, qui, ut se filiolo suo recreet, videndo quid agat, & auscultando ejusdem querelas ac sermones, se simulat alium & occultat; deinde verò posteà personâ ipsum attollit ad brachia, illiusque blandiendo, & amoris exhibendo indicia, se præbet agnoscendum, unde puerulus exhilaratur, & repletur solatio, tenerè suum Patrem amplexando. Benedictus sit magnus hic Dominus in æternum, Amen.

*Non explicuit hoc loco Sancta Virgo, quomodo oporteat intelligere, quid ve significare Deum voluerit, dum illi promisit, fore, ut Divinus iste instructor eam doceat omnes linguas, quia id exposuerat in alio scripto, quod suo loco referemus: ubi ipsi Deus declaravit, donum linguarum, quod illi communicabat, esse spiritum nullis obnoxium erroribus, ut in diversis negotijs, variisque proximorum necessitatibus, qui ab ea peterent consilium, semper daret responsa vera, atq; tali loquelâ, modo, & ratione plurimùm omnibus prodesset, secundum cujuslibet indigentiam. Quod quàm fuerit exactè impletum, probat innumerorum hominum experientia, qui obsequentes consilijs & responsis hujus famulæ Dei, sunt adepti pacem in dubijs sui spiritûs, & in negotijs conducentibus ad bonum spirituale non erraverunt.*

# CAPUT IX.

## De purissimo, & ardentissimo, hujus animæ erga DEUM, amore.

*QUandoquidem perfectio animæ est connexa cum amore Dei, quin imò animam esse magis ac magis perfectam, non est aliud, quam esse magis magisque amantem Dei; nam quantùm crescit regina omnium virtutum charitas, tantundem quoque crescunt cæteræ & proficiunt: recensebo sequentibus capitibus nonnulla rara prorsus exempla charitatis hujus Virginis, & affectus amoris, quo ferebatur in Deum, unde possit intelligi altissimus istius virtutis gradus, quem, divinâ adjuvante gratiâ conscendit. Insinuavi nonnihil suprà de sacro illo incendio (quod sancti sobriam vocant ebrietatem amoris) quo hæc sponsa Christi sibi erepta, & quodammodo non satis rationis compos, dulcis solùm vehementiâ affectûs, anhelabat ad quandam amabilissima adynata, ut ipsius verba magis viderentur efformata in ardore voluntatis, quàm profecta à lumine intellectûs. Nunc aliquid huc spectans addam, ut eadem veritas clariùs percipiatur. Dicit porro in suo quodam scripto, vigesimâ octavâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto.*

Vacabam orationi vehementer optans videre magnum nostrum DEum, eoque frui, eliciendo tam amanter ardentes affec-

tus.

ctus, ut inde quasi tota conflagrarem, & colliquescerem; aliunde verò mea anima, avidissimè inhiaret scopo, quem inquiro. Dixi, quia me non poteram refrenare, Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, quousque mei obliviscêris, & avertes vultum tuum à me? Dominus audivit meos clamores, respondítq; mihi benignissime: Cur id dicis, Anima, & cur ita loqueris? Quando sum ego tui oblitus, aut quando vultum meum à te averti? sed bene est, ebria es mei amore, quia te introduxi in cellam meorum cœlestium vinorum: mereris veniam, dic licet quidquid volueris.

*Simili affectu anima ipsius ardebat vigesimâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, quando obtinuit à Christo Domino, summo nostro Bono, magnam gratiam, quam sic refert.*

Exarserunt vehementes affectus in mea anima, feriâ quintâ, facto initio ab ardenti desiderio perfectè implendi in omnibus Dei voluntatem, ut nullum in ejus obsequio admitterem defectum. Augebantur tantopere, ut cor videretur è pectore exilire, & abrepta violento hujus desiderij impetu, clamavi ad Deum, postulando ipsius gratiam. Divina Majestas mihi respondit cum magna suavitate, & exhibitione amoris, dicendo: Quid vis, Anima, quid petis? quiesce. Tum ego illi dixi. Da mihi quidquid habes, omnia, omnia. Hoc taliter protuli, quia dum anima sic est constituta, lingua animæ magis regitur affectu, quàm ratione. Quod dicere volebam erat, ut mihi Divina Majestas præstaret gratiam implendæ suæ voluntatis in omnibus, & per omnia, útq; misereretur sui populi Christiani, & eorum, quos illi soleo commendare. Divina Majestas pro sua immensa charitate ostendit, sibi placere, ut annueret meis precibus, & statim interrogavi: Mi Domine, quomodo id exequêris? respondítque mihi: Ego id imprimam tuo cordi, ut, quod dixi, in eo conserves. Conspexi subitò duos Angelos, qui manibus utrinque tenebant parvam pelvim, in qua erat cor. Postea vidi Personam Christi JEsu, Domini nostri, qui se hactenus non exhibuerat spectandum, tenénsque manu parvulum subtilissimum calamum inscribebat cordi quasdam literas. Attendi solicitè, ut viderem, quidnam scriberet, & vidi fuisse scriptum: *Fiet, quod desideras.* Considerabam eam manum JEsu Christi Domini nostri, & videbatur mihi esse diversissima à manibus, quas videre consuevi in Angelis, dum speciem assumunt corporis humani, aut quando illam assumit quæpiam ex reliquis Divinis Personis: continuò enim apparet, neque ambigi potest, eandem manum esse veram carnem, & manum veri hominis. Atque Dominus ita in illa venerabilissima Persona repræsentat Divinitatem & Humanitatem, ut ne vestigium quidem dubij animæ remaneat, illum Dominum verum esse Deum, & verum Hominem. Quod quidem tam clarè videt, adeóque firmiter ipsi infigitur, ut juraret, se id manifestè ac distinctè videre, neque aliter se rem habere, quàm asserat. Ibi adhæsi Domino repleta stupore, quo ita fui abrepta, ut, quando ad me redij, jam Ejusdem Majestas abiverit. Ipse sit benedictus in æternum.

*Quod Virgo evenire dicit, ut durantibus his affectibus, cor abscedat, quamvis id cum summa fiat vehementia, non tamen fit cum inquietudine & confusione, qualem adferre solet ille amor, quem Patres mystici vocant sensibilem, quique sentiri solet initio, dum anima incipit inire supernaturalem viam unitivam: nam is, de quo hic Virgo loquitur, eò quòd operetur longè efficaciùs, occupat intima animæ, éstque sine comparatione tantò nobilior, quantò secretior; & effectus, quos producere videtur in corpore, sunt jam alteriùs multò sublimioris, & planè ineffabilis rationis. Ipsum enim corpus, ùt suprà dictum est, videtur jam habere conditiones spiritûs, & modo quodam mystico assimilationis cooperatur vivacissimis animæ motibus, cum serenissima quadam inquietudine. Hoc potest ex scriptis istius Virginis colligi, quæ huic, & sequentibus inseram capitibus. Primum est tale.*

Passa fui his diebus quasdam absentias Dei, & quamvis, per ipsius misericordiam, sim contenta, qualitercunque Divina Majestas mecum agat, quia sum resignata in ejus beneplacitum, nihilominus sunt molestæ. Conata sum me, animadvertendo me

me esse afflictissimam, exercere in cognocenda me ipsa, & magnitudine Dei, atque in integra in divinam illius voluntatem resignatione, & amare ipsum ex toto corde meo. Ex omnibus istis actibus, quos elicueram, prorupi in vehementem querelam, dixique: Ah mi Deus, & mea salus! Ah mi Deus, & mea salus! Audivit me Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui à suo obitu mihi sæpissimè adest, & dixit mihi: Quid habes, Anima, cur lamentaris? quid quæris? sum infirma, respondi, quæro meum Deum, meum medicum, meam salutem. En adest, ajebat Sanctus Pater, aperi oculos, & videbis illum. Aspexi oculis animæ, & vidi juxta me JESUM Christum Dominum nostrum eo modo, quo post suam resurrectionem versatus est in terra, pretiosis suis insignitum vulneribus in pedibus, manibus, & latere. Tum mihi Ejusdem Majestas dixit: Accede, Anima: hîc enim reperies, quod quæris. Accessi ad Dominum, & subitò me inveni quasi immersam in ea divina vulnera, fuitque ab ijsdem meæ animæ communicata quædam divina virtus, quâ sum confortata & recreata. Ita ibi permansi diu abrepta, oblectando me ijs divinis bonis, quæ mihi à vulneribus Domini comunicabantur. Expergefacta ex hoc raptu adeò intimè amore Dei flagrabam, ut existimarem me cor habuisse discissum, & ex illo profluxisse rivos sanguinis, cum vehementi meo dolore, & acri sensu. Accessit tum ad me quidam Sanctus Angelus, & vase, quod adferebat, excepit sanguinem, quem cor meum profundebat, eoque excepto ostendebat vas plenum alijs Sanctis Angelis, qui illum contemplabantur cum admiratione & veneratione. Avolavit derepente Sanctus is Angelus ad cœlum, & præsentando illud vas Beatissimæ Trinitati, dixit: Domine Majestatis, vides hîc istud vas sanguinis, quem tua creatura ex corde suo effudit, cum ingenti dolore, te solum amando, ac desiderandò: Dominus est intuitus sanguinem, jussitque ipsum deferri ad thesaurum Ecclesiæ. Mox Angeli cœli incolæ, unà cum meis Dominis Angelis, cœperunt eximiâ melodiâ, & cœlesti musicâ canere: *Cantate Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit.* Finito cantu me reperi in meo angulo, ùt antea. Benedictus sit Deus.

*Semper dignus est magnus Deus noster & Dominus cantu, & laudibus suorum Angelorum, quæ semper magnitudine ipsius erunt inferiores, quibuscunque illum extulerint: nihilominus in admirandis eventibus, qualis est iste, Angeli exultantes, dum vident, quam teneræ Deus amet animam, & hæc fideliter suo Deo respondeat, videntur nova exoptare cantica, ad id celebrandum; etiamq. interdum, nostræ se accommodantes rusticitati, componunt versus, ut oblectent animam, ac deprædicent suum Dominum, quod hæc sponsa Christi refert aliâ occasione, ubi sic ait:*

Quanquã diuturna mea infirmitas semper sit feraciſſima dolorum, subinde tamen sunt notabiles eorundẽ accessiones. Dum autem natura esset oppressissima acerbis cruciatibus, atque unà spiritus vehementibus, & insolitis occuparetur affectibus cognitionis sui ipsius, & intimis desiderijs amandi Dei, illíque placendi, & suscipiendi in me necessitates ac ærumnas meorum proximorum, ut pro ipsis responderem, Sancti Angeli, adhibitis musicis admirabilis harmoniæ instrumentis, cecinerunt hos versus:

Excellentissima Majestas,
Deus æternùm colende,
Qui hanc puram creaturam
Transformavisti stupendè.

Jam totum cor ejus flagrans
Non cessat unquam dolere,
Dum summis exoptat votis,
Tibi semper adhærere.

Jam fastidit universa,
Omnibus renuntiavit,
Sui penitus oblita
Spem in te omnem locavit.
Tibi perpetim unita,
Et in sinu tuo sita.

Mala

Mala, quæ fiet, aliena,
Sua esse arbitratur,
Ad honorem quoque tuum
Cruce suâ se solatur.

Hoc ab Angelis cantari audivi. Deus sit semper benedictus, Amen.

*Quorumcunq; similium meminisse possum versuum, seu latinorum, seu vulgarium, quos in hujusmodi legimus historijs compositos à Sanctis Angelis, talem continent, veritati & sublimitati sententiarum junctum, candorem ac simplicitatem styli, tanquam eâ spiritûs concinnati puritate, quâ Sancti Apostoli & Evangelistæ altissima Dei mysteria descripserunt. Progrediamur in referenda magnitudine & excellentia affectuum, quibus hæc Virgo amabat suum Deum, & qualiter ipsi cor suum integrè subjecerit. Tenerrimus est modus, quo ista veritas comprobatur in ea visione, quâ illam fuerunt dignati Sanctus Petrus, & Sanctus Joannes Baptista, anno sexcentesimo vigesimo septimo. Id ipsa sic recensel.*

In Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, dum oppressa essem doloribus, plurimúmq; afflicta, dixit mihi S. Pater Ludovicus de Ponte, quasi me reprehendendo: Anima, & creatura Dei, quid tibi est? cur cruciaris, & affligeris? Esto bono animo, noli tristari. Dominus tibi vult gratificari, quia hodie ad te mittet S. Petrum, & S. Joannem, ut te invisant, & confortent. Cui ego: Sancte Pater, quid dicam his Sanctis, ubi venerint. Et Sanctus: Alloquere, inquit, illos more tuo. Non sic fiet, Sancte Pater, ajebam, suggere mihi tu, quid ipsis dicere debeam. S. Pater Ludovicus mihi respondit: Pete ab illis salutem populi Christiani, útq; rogent Deum, ne irascatur: pro te verò postula, quod tibi videbitur. Postea venerunt S. Petrus & S. Joannes Baptista. Quia autem fueram præmonita, non accidit mihi mira ea visitatio. Ingressi, me salutaverunt, & S. Petrus est nomine amborum locutus, dicendo: Anima, & creatura Dei, venimus jussu Divino, & nomine magni Dei ac Domini nostri, ad te visitandam, tibiq; nuntiandum, quod per nos significat, id est, ut in Festo nostro à Deo petas, quidquid volueris: omnia enim tibi concedentur. Gratias egi Deo pro tanto beneficio mihi exhibito; reverita sum Sanctum, &, quamvis subtimidè, rogavi illos, dignarentur loco mei intercedere apud Divinam Majestatem, ut misereatur populi Christiani, largiendo ipsi salutem in rebus temporalibus, tam calamitoso tempore, cohibeátq; suam justam indignationem, conceptam contra nostra peccata. Petij & alia pro me, útq; Divina Majestas det lumen & gratiam meis Confessarijs, ad assequendam in omnibus sanctissimam ipsius voluntatem, & me pro gloria Dei dirigendam. In nomine Domini, respondit S. Petrus, omnia tibi conceduntur. Deinde addidit. Et tu, Anima, quid habes, quod dones tuo Domino, pro præstita tibi ista gratia. Da nobis aliquid, quod illi adferamus. Respondi ipsis: Glorioſi Sancti, ego nihil habeo, quod ei donem: sum pauper creatura, & quidquid habeo est ipsius, jámq; illi donavi meam animam, meam voluntatem, meum cor, neq; aliud volo, quàm quidquid Divina Majestas de me statuere voluerit, atque ut tota in eo amando & honorando consumar. Bene dicis anima, subjunxit S. Petrus: sed adverte, istud cor continet intra se aliud cor, quod nobis dare potes. Obstupui, dum id audirem dici. Sanctus autem rursus dixit: Anima, dare Deo cor, est ipsi dare voluntatem, & nihil aliud velle, quàm facere, quæ illi sunt grata, eidémq; placere, & in omnibus rebus quærere majorẽ ipsius gloriam & honorem. Verùm hæc omnia sublimiùs & perfectiùs reperiuntur in superiore parte animæ: atque istud est cor cordis, quod nobis potes dare, & hoc feret S. Præcursor Domini (quem indicavit digito) magnus Baptista, qui puro Dei amore magis flagravit, quàm ipsimet Seraphini. Postea mihi cœpit enarrare prorsus eximias & admirandas laudes S. Baptistæ. Cùm S. Petrus cessavisset loqui, accessit ad me S. Præcursor, & aperuit digito meum cor, exemítq; inde aliud cor, quod in manibus Sancti cœpit resplendere instar stellæ, & digiti manus, quâ illud tenebat, similiter inceperunt coruscare. Hi duo Sancti mihi valedixerunt, & S. Petrus, tanquam

Pontifex, mihi dedit benedictionē. Quando pervenerunt ad cœlum, S. Joannes obtulit cor, quod adferebat, Beatissimæ Trinitati, dicendo: Domine Deus Majestatis, vides cor, quod tibi creatura tua offert in gratiarum actionem, pro exhibito sibi beneficio. Dominus idem cor aspexit, quod ipsi plurimùm placuit, & servavit illud intra semetipsum. Benedicta sit millies Ejusdem Majestas. Amen, Amen.

*Quod hic Princeps Apostolorum, dicit, dum ait, integram cordis Deo oblati traditionem, sublimiùs & perfectiùs reperiri in superiore parte animæ, atque istud esse cor cordis, videtur non esse intelligendum eum in modum, quo Mystici distinguunt partem superiorem animæ ab inferiore, sed quo à Theologis in anima designatur pars, seu portio inferior & superior. Quia verò anima, dum se Deo tradit, tantò meliùs operabitur, quanto motivum superioris partis fuerit nobilius, sincerius, & à proprio commodo defæcatius, etiámque ex eodem motivo, tantò erit perfectior amor, quantò fuerit ardentior affectus, præsente majore lumine; fit, ut semper humano cordi, novum & eo meliùs remaneat cor, quod offeratur Deo, quo altiùs elevaverit motivum, & sui amoris auxerit affectum. Id ipsum melius intelligetur ex sequenti Capite.*

# CAPUT X.

## De divinis sagittis, quibus cor hujus Virginis fuit confixum.

*ETiam Divinus amor suas habet sagittas, quibus purissima corda transfigit, sive ut quod res est dicam, solius ipse eas habet: illæ namque, quas profanum vulgus fœdo amori attribuit fuerunt deliria superstitionis, & inventiones dæmonis, qui in hujusmodi rebus cupit admiranda DEI opera imitari, ut ea reddat minùs æstimabilia. Sacrarum autem amoris Divini sagittarum, & inflictorum per ipsas vulnerum, non exigua habetur notitia ex Divinis literis, & magna ex Sanctis Patribus, extántque præclara in vitis Sanctorum exempla. Ea, quæ nobis hujus generis ist hæc Dei famula reliquit, sunt rarissima. Ex his nonnulla nunc referentur. Exordiar ab illo, quod est similius visioni, quam paulò antè, sub finem præcedentis capitis, exposui. Sic ipsa ait.*

Postquam plurimos, eósq; varios & ferventissimos elicui affectus, quos Dominus intimè in mea anima excitavit, sic cæteros superabat, quo me in omnibus rebus volebam conformare divinæ voluntati. Eo impellente sæpe cum incredibili desiderio iterabam: Crea in me, mi Deus, cor novum, &quod placeat tuis oculis; infunde spiritū rectū &novum viscеribus meis. Perseverabam diu in fervore horum affectuum, atq; subinde, cùm natura propter illorum vehementiam esset fatigata, quiescebam tantùm in Deo meo. Dum ita quiescerem, augebatur lumen, & ob istud rursum commovebantur affectus intensiores. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Quid agis Anima? qualis est tantus iste tuorum affectuum impetus? Nonne tibi constat, me jam aliàs feciſſe, quod modò postulas? Quâ ratione non recordaris, me, dum aliàs mihi ijsdem desiderijs molesta esses, meamet manu, ut te consolarer, abstulisse tibi tuum cor, & aliquot diebus retinuisse, ita ut assereres tuo Confessario, te carere corde, quod ipsi quoq; pulsus arteriarum, opinione Medicorum, indicabant; posteáquo illud renovatum suo loco reposuisse? Quomodo id non meministi? Ego admiratus benignitatem Domini loquentis, statim sum recordata, ita omninò actum fuisse, & respondi: Ita prorsus est, mi Deus, sicut dicis: verùm videor mihi thesaurum, mihi tum ex mera tua bonitate collatum, absq; dubio perdidisse, ac dilapidavisse. Quando verò, mi Deus, pretiosum aliquod cimelium amittitur, necesse est cum humilitate, confidentia & amore ad divitem redire, à

quo

quo fuerat donatum, ut aliud simile, & æquè bonum donet pauperi, qui illud perdidit. Quapropter ego indigna, mendica, & miserabilis venio ad te divitem, potentem, & infinitâ præditum bonitate, eandem petitionem, easdémque preces iterando. Dominus me audiebat gravissimo vultu, immensam spirante majestatem, & postquam aliquantùm siluit, acsi aliquid, prout nos loqui consuevimus, consideraret, amanter mihi deinde & blandè dixit: Verè, Anima, vehementes sunt tui affectus & desideria, quæ benignis respicio oculis: libenter te solor, tibique gratificor, ac proinde etiam nunc tibi cupio satisfacere. Sed adverte Anima: si tua petitio, pro tuo majore fructu & solatio, fuerit impleta, te ob id molestiam & dolorem naturalem perpessuram, quanquam non absque magno solatio, & commodo tuo; quin & proximorum, quibus hæc mea misericordia innotescet.

Non est explicabilis modus, quo cum summa majestate, paritérque suavitate, Dominus hæc verba proferebat. Ego obstupui præter morem, & hæsi aliquamdiu absorpta in Deo. Paulò pòst ad me redij ex hoc raptu, & prostravi me coram eo magno Domino, dicendo quantâ potui animi demissione & resignatione. Ecce, mi Domine, ancilla tua indigna, fiat mihi secundùm sanctissimã voluntatem tuam: neque enim refugiam illam afflictionem & crucem, ut pro ea consequar tantam misericordiam, & beneficiũ, quod à te petij. Hoc audito Dominus conjecit suos divinos oculos in quendam, qui mihi unus è superioribus Angelis, & singulari præditus esse majestate videbatur, cui gravissimo quodam nutu significavit, ut exequeretur jussa. Admirabilis ille Angelus (quem ego ob summam excellentiam in ipso agnitam, tunc vocavi Angelum magni consilij, quia arcanissimo modo, quem nescio explicare, meæ animæ repræsentabatur, quòd esset Persona JEsu Christi Domini nostri) statim tendendo arcum, quem habebat in manibus, est ejaculatus in me ignitam, & non minùs ardentem, quàm fulgurantem sagittam, quâ aperuit meum pectus, transfixitque cor, cum acerbissimo naturæ dolore & cruciatu; qui tamen fuit temperatus dulcedine ac suavitate. Contemplata sum meum cor, & vidi in eo exaratas tres parvas lineolas. In prima erat scriptum: *Hic*; in secunda: *habitat*; in tertia: *JEsus*. Referebat quoque cor colore & splendore speciem elegantissimi carbunculi. In ejusdẽ medio erat gratiosissimus parvulus infantulus, dormiens, & incumbens suo brachiolo. Magnâ me istud spectaculum affecit admiratione: quamvis enim idem antehac viderim, & quando me Dominus dignabatur solari sese manifestando, sæpe fuerim solita videre inscriptas meo cordi eas literas, ibidémque taliter dormientem Puerulum, quæ gratia diu continuabatur: quia tamen hæc jam ab aliquot diebus prorsus cessaverat, novo, & majore tum fui correpta stupore. Quocirca effervescens ob hanc visionem, ac tenerescens, dixi: Quid hic agis mi Deus & Domine? quid agis? an dormis? Estne verò nunc tempus dormiendi, dum anima cum hostibus pugnat, & confligit? Expergiscere dilectissime Domine, expergiscere, noli dormire. Si namq; Dux præsens exercitui dormiat quid facient pauperes milites? Dicebam id summo cum affectu, & mox quasi ducta pœnitudine, imponens ori digitum, rursus cum eodem ardore ajebam: Dormi Domine mi, dormi mi Deus, dormi quàm auspicatissimè; nemo te suscitet, taceant omnes creaturæ, neq; ullum edant strepitum: multùm enim meâ interest, ut dormias. Absit, ut expergefactus aspicias abyssum mearum iniquitatum, justáque commotus irâ & indignatione me punias juxta meritum meorũ peccatorum. Dormi, licet, mi Domine, ne mihi eveniat, si expergiscaris, quod jure meritissimo timeo.

His colloquijs & affectibus insumpsi multum temporis, tandémque profundè absorpta me univi Deo, & mihi reddita reperi me alio modo præsentem Divinæ Majestati in cœlesti Jerosolyma, atq; prostratam coram Beatissima Trinitate. Vidi autem illud meum cor in Divinis ipsius, modò Patris, modò Filij, modò Spiritus San-

Sancti manibus, & ab omnibus Divinis Personis diligi, amantérque tractari, & illis placere. Videtur mihi cor etiamnum fuisse clausum, quia derepente adverti, quòd à Divina Majestate aperiretur, quasi vellet mysterium intra illud existens contemplari. Apparuit verò in eo ille Divinus Pusio jam expergefactus, cui Pater æternus, intuendo ipsum benignissimis oculis, dixit cum ineffabili amore & suavitate: Bene hîc, mi dilectissime Fili moraris, bene hîc mysticè manes. Gere curam hujus cordis, quod tibi commisi, gratificare ipsi, meóque, & totius Trinitatis nomine, novum confer robur. Benedictus is Puer, & Dominus noster acceptavit mandatum sui Patris æterni, & promisit se id facturum. Subitò mihi visum est cor iterum occludi, ideóque non videbam ampliùs manentem intus Puellum. Rursus abalienata fui à sensibus, unita Domino Deo, totámque me in illo perdidi, & evigilans ex hoc raptu, quem existimo fuisse diuturniorem prioribus, de quibus sum locuta, reperi me in meo angulo, sensíque me jam habere cor suo loco restitutum: durante siquidem visione, dum illud contemplarer in manibus Beatissimæ Trinitatis, nescio quâ ratione, agnoscebam miserum corpus esse destitutum corde, & sentire ipsius absentiam.

Redux ad meum angulum, integrè mihi reddita animadvertebam, & experiebar in meo corde novas gratias & prærogativas illi à Deo communicatas, plurimùm obstupescendo, dum expenderem, quæ tanto cum mysterio acta fuerant: imprimis autem animo revolvebam illum modum, quo se mihi Dominus exhibuerat dormientem. Solicitabar, dicebámque Domino in mea solita oratione: Quid est hoc mi DEUS, & mi Domine? quid est hoc? quid volueris indicare, quòd te mihi sic dormientem ostenderis? In hac solicitudine, non percipiendo mysterium, transegi circiter horam. Quia tamen Divina Majestas, per infinitam suam misericordiam, me nunquam in his rebus relinquit dubiam, dixit mihi postea quàm benignissimè: Quid habes, Anima? quid te affligit? Ecce, noveris, quòd, dum quispiam Dominus, multorum possessor thesaurorum, aut Paterfamilias optimè cinctum habet palatium, vel domum suam bene muris munitam, optimâ instructam custodiâ, non metuat latrones, vivat securissimus, séque ad capiendum somnum conferat, ac dormiat sinè ulla cura. Pariter dum Dux militaris optimè munitos habet suos portus, sua mœnia bene instructa militibus, & apparatu bellico, quietè suis horis dormit, & imperturbatè, quia non timet hostem. Id verò nec dives, neq; Dux faceret, si forent imparati: quin potiùs vigilarent, noctésque ducerent insomnes, continuè excubando, & quaquaversum circumspiciendo, ut se immunes à latronibus servarent, & hostibus. Ita suo modo Anima, se habet mysterium, quod vidisti, hæc est ipsius significatio, unde me jam intellexeris. Esto bono animo, noli nimiùm metuere, & confide in me, quia te nunquam deseram, sicut tibi multoties dixi: quanquam semper habitura sis aliquem timorem, qui est signum, ût nôsti, à me tibi datum, quòd spiritûs tui via sit vera & secura. Hæc est rerum actarum summa, quamvis omnia rudissimè recensuerim. Repleta fui maximo solatio auditis his postremis Dei verbis. Laudetur ab omnibus suis creaturis in æternum. Amen.

*Gratia, qua illi fuit exemptum & innovatum cor, quo Dominus initio hujus visionis illudit, continet præterea alia, quæ suum alibi obtinent locum, pro quo illa idcirco intacta reservo. Nunc maneamus in nostri sexûs. Quod hîc de dolore dicitur & molestia, quam ideo perpessa fuit natura, tam certum est, fieri in hujusmodi eventibus, quàm est arcanus modus, quo iste dolor excitatur, qui tantus interdum est, ut corpus infirmetur, manifestum subeundo periculum. Non est hujus loci, disputare, quomodo id fiat: sufficiat interim dicere, quæ isthæc legerit, scire, Danielem his agrotavisse, post duas visiones, quas habuit: imogéque periculosiorem esse ægritudinem & languorem, quando raptibus admixti sunt affectus ardentis amoris (de quibus hîc agimus) quod intelligi potest ex Sacris Interpretibus Canticorum secundo capite. Istud vitæ discri-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*men manifestè apparebit ex eo, quod hæc Virgo refert, ipsique huc spectans evenit mense Octobri, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, prout sequitur:*

Postquam mihi Deus vehementia indidisset desideria, quibus exoptabam bonum & salutem animarum, præsertim verò conversionem Regni Angliæ, & residuæ, necdum ad fidem Catholicam reductæ Galliæ, dum id magnis à Deo affectibus peterem, &c. Feriâ quartâ, secundâ Octobris, conspexi coram me crucem, habentem omnia brachia æqualia, & æquè latam ac longam, cujus brachiorum extremitatibus, non secundùm latitudinem, sed longitudinem, affixa erant alia minora lignella. Averti oculos animæ, utì aliàs soleo, ab ista cruce, subterfugiens illius conspectum, méque ab ea abstrahens, prout poteram, recurrendo ad præsentiam DEI: verùm ipsa semper durabat, donec me feriâ quintâ, horâ secundâ matutinâ Divina Majestas, consuetâ suâ suavitate, adegit ad eam aspiciendam, ut id non possem amplùs evitare. Intuita igitur sum illam, & vidi, crucem esse quasi igneam & chalybeam, atq; in medio quatuor brachiorum quandam cuspidem instar sagittæ: post crucem autem quodammodo latebat absconditus Deus Dominus noster. Appropinquabat mihi Divina Majestas unà cum cruce, incutiente mihi eâ sagittâ majorem semper timorem: & accedens ad locum, in quo eram, affixit me eidem cruci, ita pectori meo inserendo sagittam, ut penetraret dorsum, ac dicendo: Vulneravi te sagittâ mei amoris. Disparuit, relinquens me affixam cruci, sicut dixi. Mox advenit Sanctus meus Angelus Custos, magnam exhibens vultu mœstitiam, & commiserationem, acsi ostenderet, se multùm eo, quod acciderat, affligi. Mei quoq; Domini Angeli, qui mihi ordinariè assistunt, se è suis stationibus moverunt, & soliciti advenerunt, quasi aliquid fuisset factum, magnam exigens curam. Omnes ad me accesserunt, méque, quodam conopeo à se cooperam, derepente sustulerunt ad cœlum, & prostraverunt coram Beatissima Trinitate. Tum Sanctus meus Angelus Custos provolutus in genua coram ea summa Majestate, eodem mœsto vultu, & velut illachrymans, dixit: Domine Majestatis, & Deus Omnipotens, en præsento tibi hanc tuam creaturam, cujus vita jam est desperata, siquidem illam tuâ sagittâ adeò vulneravisti, ut nequeat vivere. Obsecro te Deus & Domine noster, per tuam bonitatem & misericordiam, ut nunc auxilio tuo adsis. His Angeli verbis Pater æternus clementissimè respondit, dicens, ita futurum, & effectum illius sagittæ attemperatum iri. Deinde se convertit ad Jesum Christum Dominum nostrum, nullo ipsi dicto verbo. Qui, acsi percepisset voluntatem Patris, ad me accessit, evulsitq; ex pectore, scaturiente cum impetu sanguine è vulnere, crucem & sagittam, quæ apparebat ignea & chalybea. Postea applicuit suas sacras manus, alteram dorso, ubi erant hiatus, quos fecerat sagitta, & quando eam amovit, quam applicuerat pectori, vidi ex pectore Patris æterni proceuntem Divinum radium resplendentem, & præditum virtute confortandi, sanandi, ac vivificandi, qui feriens hiatum pectoris mei penetravit usque ad aperturam dorsi, refocillando me & confortando, tantúmque mihi conferendo vigorem, ut novas recuperaverim vires, & ex debilitate, quam mihi vulnus sagittæ attulerat, convaluerim. His peractis dixit Divina Majestas meis Dominis Angelis, ut me suaviter reducerent ad meum angulum, quod factum est. Sequenti deinde mense Novembri, die S. Andreæ, mihi Dominus dixit, illam formam crucis quatuor æqualium brachiorum, cum sagitta (postquam mihi aliam magnam præstitit gratiam, cum in modū, quem nunc referam) fuisse figuram quinque vulnerum Christi Domini.

Dicto die S Andreæ, dum collecta versarer cum Deo, occurrit meæ memoriæ difficultas, quam sum passa, in conscribendis ijs, quæ agebantur in mea anima, & quæ mihi Divina Majestas ex mera sua misericordia revelabat, eò quòd interdum non essem disposita, ad illa referenda meo Confessario, neque idoneam ullam haberem personam, cui ea possem dictare. Id

mihi cogitanti, *Minimus* è quinque Sanctis Angelis, qui morantur in dextro latere mei cubiculi, dixit: Soror, ego scribam, quidquid scribendum erit. Vehementer mirabar hanc promptitudinem, & ajebam: Nequaquam, mi Domine, nequaquam id fiet. Institit rursum dicendo, se habere, ubi dictata scriberet. Cúmque ita concertaremus, effluxit nonnihil temporis, quia id summo conatu detrectabam, quoadusque me Deus, quemadmodum aliàs consuevit, suavi efficaciâ compulit, ut verbis Angeli præberem assensum. Et postquam illi dixi, ut scriberet, dictavi ei epistolam ad Divinam Majestatem, quam mihi ipsemet Dominus conceptis verbis suggerebat. Absolutâ epistolâ, quæ ab Angelo fuit scripta literis aureis & cæruleis, porrexit mihi chartam, ut illam subscriberem. Ego quasi attonita tergiversabar: sed Sanctus Angelus apprehendit meam manum, fecitq; ut eam scriberem. Expressa epistolæ verba, & modus subscriptionis est ad literam, prout hic à me apponuntur.

Tam vehemens & flagrans est effectus amoris, qui ardet in mea anima, meúmq; cor exurit, postquam illud vulneravisti forti & potenti, atque efficaci cuspide ferri & clavi tuæ quadripartitæ, & in extremitatibus decussatæ crucis, repræsentantis tua quinque vulnera, ut vivam moriendo, & vivendo moriar, útque mea anima te in Divina quadam caligine fruatur, & in te permaneat, perpetuò tibi unita.

†*Ancilla Jesu Marina.*†

Angelus subitò complicuit chartam, & postquam ipsam singillatim reliquis quatuor Angelis porrexit, atque aliquid cum ijs contulit, quod ego non intellexi, ascendit ad conspectum Dei: ubi vidi, quòd se coram ea summa Majestate prostraverit, tertióque chartam exosculatus illam tradiderit in Divinas ipsius manus. Suscepit Divina Majestas epistolam ex manu Angeli, quâ perlectâ dixit: Hæc Anima se subscribit ancillam JEsu, & ego sum illius Pater, atque Spiritus Sanctus ejusdem est Sponsus. Quibus dictis eam tradidit Spiritui Sancto, & spiritualissimo ac divino modo, in quadam subtilissima materia referente membranam candidiorem nive (erat enim quiddam præstantissimum, cui nihil in terra est comparabile) impressit ista ipsa verba, & sequentem hic adjunctâ subscriptionem.

Accepi tuam epistolam, Anima, & exhilaratus sum tuis verbis, affectibus, animique tui expressionibus. Dolores tui convertentur in perpetua gaudia, & Divina tua caligo in lumen & claritatem æternâ, atq; tua fruitio, & unio cum Deo, in sempiternam ejusdem Dei possessionem.

IS QUI SUM.

Deinde cœlestem illam materiam, cui hoc responsum erat impressum tradidit Angelo, qui sese prosternendo, & epistolam hanc ter exosculando, sicut fecerat tradendo meam, abivit à conspectu Dei, venítque ad locum; in quo ego eram, ut ut ipsam mihi daret. Eram tota abrepta profundo, & reverentiæ pleno stupore, quòd viderem hos Divini amoris excessus & affectus. Extimui autem amplius, & nullatenus fui ausa suscipere responsum, agnoscens me indignam, ut tam cœlestem rem attingerem. Quamvis autem Angelus instaret, ut responsum acceptarem, reluctabar, rogabámq; ipsum, ut illud daret Sancto meo Angelo Custodi; quod fecit, & is acceptum servavit. Benedicta sit in æternum Divina Majestas propter suas misericordias, Amen.

# CAPUT XI.

## Continuatur idem Argumentum.

*Insegnis-*

*INsignissimæ sunt gratiæ, quas hæc Anima mense Octobri & Novembri, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, est consecuta: Verum quia magnus Deus & Dominus noster amabilissimè suarum gratiarum prodigus, si creatura se gratam pro acceptis exhibeat, ac ad alias novas disponat, nullum statuit limitem in ijs præstandis; non destitit ab exhibendis ipsi majoribus hujusmodi beneficijs, efformando in eadem Virgine ardentem charitatis Ætnam, & cœlestem divinorum suorũ amorum fornacem. Hinc vigesimâ nonâ Decembris ejusdem anni, rursum ipsam vulneravit eo modo, qui ab illa refertur in quodam scripto sequentis tenoris.*

Rogabam Deum die Dominicâ, vigesimâ nonâ hujus, inter tertiam & quartam matutinam, ardens desiderio & incensis affectibus, ut mederetur malis, quæ comminabantur exorientia inter Principes Christianos bella; atque eodem desiderio compulsa mea anima exclamabat cũ magna vehementia, invocando Deum, ajebátque: Ah mi Domine! Divina Majestas mihi respondit: Quid vis, Anima, quid petis? Erant hæc desideria tanta, & adeò ferventes affectus, ad obtinendam istam à Deo misericordiam, ut existimem disrumpendũ fuisse meum pectus, nisi mihi Ejusdem Majestas respondisset. Respondit verò mihi bis, quamvis ego neutrâ vice quidquam ab eo petere sciverim: subitò namque me occupabat quidem spiritualis somnus, quo velut respirabam à mea afflictione, quiescendo in Deo. Tertiò tandem ipsum invocans, dum mihi responderet, quid vellem, seque benevolum exhiberet ac benignum, quasi mihi non essem præsens (sicut mihi quandoque in hujusmodi occasionibus contingit) dixi: Volo Domine, ut mihi des omnia. His verbis, licèt essent tam generalia, tantumodo significabam desiderium, quo tenebar, ut nulla anima periret, utque averteret mala, quæ ex istis bellis metuuntur. Dominus mihi cum amabili gravitate respondit: Bene est. Et cùm me sic toleraret, obdormivi quodammodo in ipso. Redij postea ad me, & vidi oculis animæ JEsum Christum Dominum nostrum crucifixum, & in cruce mortuum. Mea commotio orta ex isto conspectu fuit inusitata: quotiescunque enim taliter Majestatem Ejus conspicio, seu in cruce, seu in sepulchro, mea anima configitur dolore, atque si hic Dominus non attemperaret mæstitiam & commiserationem, ad quam me cõmovet, procul dubio ea sufficeret ad me vitâ privandam. Idcirco illi dixi: Mi Domine, estne jucundum istud festorum tempus conveniens, ut te ita spectandum exhibeas? Et avertendo oculos internos ab eo spectaculo, repetij meam orationem, rogans Deum, ut mihi daret lumen ad agnoscendas suas veritates, & implendam in omnibus suam sanctissimam voluntatem: hoc namque erat unicum desiderium meum. Perseveravi aliquamdiu in ista petitione, insistendo vehementibus desiderijs, donec me Divina Majestas adegit, ut rursus intuerer dulcissimum Dominum nostrum Christum cruci affixum.

Vidi igitur ex sacris vulneribus manuum, lateris, & pedum, stillantem sanguinem, id quod meam animam permovit ad ingentem teneritudinem & commiserationem: Animadverti autem prodeuntes quoque ex ipsis radios velut aureos, eum in modum, quo spectantur in ardente candela, dum visus corporeus est imbecillis; atque observavi, eos radios remanere in spatio intermedio, quin ad me pertingerent. Extimui ob hanc novitatem, iterúmque supplex à Deo petij, ne me sineret decipi. Subitò radij manuum, qui coaluerant quasi ex auro, sanguine, & luce, ad me appropinquabant, cúmque mihi essent viciniſſimi, conspexi in medio eorundem acutam cuspidem chalybeam. Natura timore perculsa non defuit suo officio, & ego tota contremui. Utraque radiorum cuspis me vulneravit in palmis mearum manuum, atq; recedentibus statim his radijs & cuspidibus, adfuerunt radij è latere & pedibus, qui idem præstiterunt in pedibus meis & latere, ita ut radius pedis dextri, in quo Christus Dominus habet vulnus, feriret non pedem meum dextrum, sed

sed sinistrum. Tum meus spiritus penetratis his radijs, eosdem pertransivit, donec ingrederetur in apertum illius Domini latus, ubi sui intimè unita amabilissimo Servatori nostro. Durante hac unione me Ejusdem Majestas duxit ad cœlum, in cujus limine, priusquam intrarem, vidi prodeuntem Beatissimam Trinitatem, quasi ad excipiendum Christum JEsum Dominum nostrum, qui protulit hæc verba: Ecce adduco illam mecum unitam. Atq; tum mihi disparuit ea figura Christi crucifixi, vidique ipsum in illa specie, in qua alias à me conspici solet. Ibi me sibi univerunt Divinæ tres Personæ, & illuminaverunt, ut intelligerem illud altissimum mysterium, cognoscendo distinctionem Personarum, ac Divinæ naturæ unitatem, & quomodo licèt tres sint Personæ, non sit tamen nisi unus Deus. Vidi deinde meam animam ita sicut aliàs constitutam, velut imersam in eodem Deo, quanquam nunc in longè superiore gradu. Fruita sum juxta mensuram meæ exiguæ capacitatis eo summo & supremo bono, quoadusque mihi restituta, me reperi in meo angulo. Deus sit semper benedictus.

*Alij admirabiles modi, quibus Christus Dominus hanc magnam servam Dei participem reddidit suorum tametsi occultorum vulnerum fuerunt alibi relati. Nunc tantùm agimus de sagittis amoris, & quasi chalybe duratis cuspidibus, quibus Deus pectus illud transfixit, in quo nova in dies suscitabat amoris incendia, quæ his annis, de quibus scribo, fuerunt frequentissima. Recensui hujusmodi eventum pertinentem ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum quartum. De anno subsequente sic loquitur.*

Contulit mihi Deus, ex sua bonitate ingens lumen, ad agnoscendos hostes animæ, & obstacula impedientia profectum ipsius, atque salutem. Ita excitavit in meo corde vehementes affectus & ferventia desideria, ad ea omnia superanda, & complectendum solum Deum, ipsumque in rebus omnibus quærendum. Conspexi derepente Personam Spiritûs Sancti, qui me, exhibendo mihi specialia amoris indicia, vocabat, & invitabat, ut secum abirem. Abivi, quia non potui resistere. Paulò post ad me venit, quidam Sanctus Angelus, singulari conspicuus modestiâ, ferens in sua manu baculum instar pedi episcopalis dixítque mihi: Anima, accipe hunc baculum, quem tibi adorandâ Persona Spiritûs Sancti mittit, ut eo non solùm recreetur tuus spiritus, sed etiam natura corroboretur, & evadat validior ac vegetior, eoq; mihi tradito discessit. Erat baculus præditus eâ virtute, de qua Angelus fuerat locutus, & mea anima, prætereáque portio naturalis illam bene est experta: cùm enim pessumdatas habuissem vires, statim me sensi magìs robustam, & vividam. Non dixero, cujus materiæ fuerit is baculus, & quidem videbatur esse coopertus rosis, unáq; confectus ex pretiosis metallis, & odoriferis compositionibus. Interea fui propinquiùs adducta ad Divinam Majestatem, & non vidi præter Sacrosanctam Personam Spiritûs Sancti, qui me excepit cum magna affabilitate, & exhibitione amoris, mandavítq;, ut sibi aliquid offerrem. Ego illi obtuli baculum, mihi ab Ejusdem Majestate donatum, quem in meis manibus tenebam. Acceptavit illum, valde sibi in eo complacens, moréq; humano applicabat suo vultui, & olfaciebat. Tum conspexi Divinam Personam Verbi æterni, quæ me etiam, paria præbendo dilectionis indicia, est allocuta, & dixit mihi, ut Ipsi quoque aliquid darem. Domine mi, pobam, nihil habeo: sum enim pauperrima. Si quidpiam haberem, quàm libentissimè tibi totum offerrem. Et ille benignè respondit: Ergóne mihi nihil dabis, qui tui causâ sum factus Homo, & assumptâ naturâ humanâ, pro te redimenda dedi meum sanguinem ac vitam? Erubui, & repetij, quod antè dixeram. Impone mea manum, subjunxit Dominus, in tuum sinum: invenies enim, quod mihi possis donare. Imposui illam, & exemi quandam quasi mediam lunam, seu aureum diadema, quod obtuli Domino, & ipse suscepit, magnam præ se ferendo complacentiam. Postmodum se mihi manifestavit Sanctissima Persona Patris, qui me arcte stringebat, ac Verbum æternum. Dice-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bat magnus Dominus, ut sibi quidpiam darem, eò quòd ipse mihi dedisset suum Filium, ut pro me Homo fieret. Jussit me pariter inserere manum in sinum, ubi reperi aureum globulum, qui, licet fuerit exiguus, habebat tamen in se delineatum totum mundum, & omnia eo contenta.

Eo momento prodiverunt ex tribus Divinis Personis radij, instar sagittarum, quæ penetraverunt meam animam, & Dominus dixit: Vulneravi te meis fortibus, potentibus, & efficacibus sagittis. Passa sum deliquium, & sensi contractas naturæ vires, ideóque concidi in brachia meorum Dominorum Angelorum, qui mihi aderant, occupata à somno spirituali, quem sæpe exposui. Postquam ex eo ad me redij, reperi me in meo angulo, ubi mihi fuit indicatum, quòd baculus, & ipsius ornatus significaverint gratiã Spititûs Sancti, ejusdémque dona, per quæ præparat, confortat, & corroborat animam; Diadema verò, humanitatem Christi Domini, & illius merita, nec non redundantes ex ipsis in nos fructus; globus aureus, seu mundus in compendium redactus, Essentiam Dei omnia replentem, & Divina ipsius attributa, quibus universa gubernat. Illuminavit me quoque Deus, ut cognoscerem, quid ad honorem Divinæ Majestatis in singulis ijs oblationibus præstiterim, præsertim per affectum, quem habui, ut illi donarem totum mundum, si esset meus. Ipsum oro, ut convenienter serviverim, deincépsque serviam, & sit benedictus in æternum, Amen.

*Violentior fuit sagitta amoris, quâ illam idem Dominus sauciavit decimâ nonâ Januarij, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo: id quod ipsa his verbis recenset.*

Feriâ tertiâ, decimâ nonâ hujus, dum ardenter desiderarem placere Deo, ipsúmque ex intimo corde meo invocarem, vidi Beatissimam Trinitatem, ex qua procedebant maximi splendores: inter quos prodijt ardens sagitta, in cujus cuspide apparebat color quasi chalybis. Evibrata tendebat rectà ad meum cor, & ingressa pectus pertransivit illud usque ad dorsum, tanto cum dolore & cruciatu, ut etiam natura fuerit notabiliter immutata. Passa illum fui toto eo die, & sequenti vehementer torquebar, extendentibus se quibusdam velut radijs per totum pectus, dorsum, & brachia, mihíque ingentem afferentibus molestiam; donec nocte subsequentis diei, qui erat sacer Sancto Sebastiano, vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, alloquentis Sanctos quosdam Angelos sibi assistentes: dixit illis, ut supponerent suaviter meo capiti suas manus, in quibus quiescerem. Et derepente me, ignoro qualiter (neque enim vidi, quòd Sancti Angeli ad me accessissent) deprehendi esse vestitam, atque coram eo Domino, qui procul distabat ab eo loco, in quo ego fueram. Ibi me coram ipsius conspectu prostravi, & adoravi illum, statímq; concidi tanquam mortua, sicut accidere solet patienti deliquium, & S. Angeli supposuerunt capiti meo manus. In his tantillum quievi, usq; dum Majestas JEsu Christi Domini nostri, surgens è sua sede, evulsit sagittam, quâ transfixũ habebam pectus, tactóq; meo capite me refocillavit & confortavit, ablatâ acerbitate doloris, quem patiebar, quamvis aliquæ illius reliquiæ superfuerint in manibus, & alijs corporis partibus. Ita aliquamdiu abalienata mansi à sensibus, donec desinente mysterio mihi fui restituta. Deus sit benedictus.

*Etiam in morbis merè corporalibus, quemadmodum legimus in Evangelio, Christus Dominus interdum solebat quasi sensim reddere sanitatem, non ob defectum Omnipotentiæ, cùm sit Homo-Deus; verùm ut ex spatio temporis clariùs agnosceretur beneficium, quo integra differebatur curatio, vel ob alia mysteria. Utrag, ratio magis urget in curandis doloribus mysticis, de quibus hoc loco agimus. Ac proinde non est mirum, Divinum Medicum permisisse, ut hac Virgo aliquas pateretur præteriti doloris reliquias.*

*Advertendum est, ab his divinis sagittis dolori, quem adferunt, tantam quandoq, admisceri suavitatem, ut anima ægrè ferat, se ab eo dulcissimo dolore, & illâ suavitate, quâ affligitur, liberari. Extant aliqua hujus rei exempla in libris mysticis, cujusmodi est, quod nunc sequenti capite videbimus.*

# CAPUT XII.

## Alij admirandi hujus generis eventus.

*EOdem Anno, vigesimâ Aprilis, illam Deus rursum vulneravit sagittâ, quæ multò magis fuit mystica, & visio specialiores habuit circumstantias, quam his verbis refert.*

Postquam aliquantùm respiravi ex gravibus doloribus, quos his diebus sum passa, agebam hodie horis matutinis cum Deo, qui mihi dixit: Anima, veni mecũ, & quiescas. Audivi subitò ingentẽ in cœlo strepitum, & vidi descendentes ex eo Angelos Dei binos, elegantissimè ornatos. Ultimò procedebat currus quasi triumphalis, circumdatus à multis Angelis. Vehebatur illo quidam glorioſissimus adolescens, quem non agnovi. Currus à me distabat ultra ducentos passus. Angeli descendebant per gradus ex cœlo ad terrã, & inde procedebant longo ordine usq; ad meũ angulum. Quando primi advenerunt eò, ubi ego erã, fuerunt officioſissimè excepti à meo Angelo Custode, & reliquis ipsius socijs, qui ex Dei misericordia morantur in meo cubiculo. Tum Angelus meus Custos accessit ad me, cum cæteris socijs, à quibus mihi dictum fuit: Soror, Deus mandat, ut te eo curru vehamus ad cælestem patriam, veni nobiscũ. Quamvis autem ego, ob meos solitos timores, tergiversarer, duxerunt me tamen, stipantibus utrumq; meum latus ijs Sancti Angelis, & collocatam in curru evexerunt.

Ibi animam quam dixi curru fuisse vectã, agnovi esse mei fratris, qui cum magna virtutis opinione obierat duodennis, qui me salutatâ dixit: soror, non noscis me? scito, me esse tuum fratrem, plurimúmq; desideraviſſe, ut te viderem & cognoscerem, atq; intelligerẽ magnas gratias, tibi à Deo præstitas, & spectarẽ gloriam, quâ in hac etiam vita mortali interdũ frueris, quod mihi Deus concesſit. Nunc venio te avecturus, futurúsq; hodie tuus comes. Fui vehementer gaviſa, videndo illũ tam glorioſum. Vecti sumus usq; ad portam cœli, cum eo comitatu Angelorum ascendentium ijsdem gradibus, per quos descenderant. Postquam illuc pervenimus, descendi ex curru, & fui præsentata Beatissimæ Trinitati. Ibidem statim audivi alium sonum, acsi terra commoveretur, atq; grandinaret, ac perstreperet pluvia cœlestis: cadebant verò pretioſissimi lapides. Fui nonnihil turbata, quasi timerem, & Sancti Angeli videbantur deridere meos timores. Coruscabant quoq; radij divini ignis, qui incendebant illos cælestes spiritus. Deus me suscepit magna cum affabilitate & amore, manifestando mihi mirabilia suæ Divinitatis & attributorum, quæ nequit ulla lingua explicare, ac intellectus absque eo lumine pervestigare. Dum his fruerer bonis, audivi alũ tumultum tonitruorum cum fulgetris, inter quæ, & inter splendores Divini illius vultûs magni Dei nostri, erupit igneus & lucidus radius, instar aureæ sagittæ, quæ vulnerato meo pectore pervasit cor, permeans usque ad dorsum, totámq; me afflammavit, adeò penetrarer ab ipso Deo, qui illius videbatur specie obtectus. Procidi in pavimentum ejus cœli quasi mortua, cum ingenti dolore & afflictione, quam etiam natura patiebatur: Interea verò Divina Majestas communicabat meæ animæ magnas sui ipsius notitias. Et observandum est, licet mihi Deus frequenter præstet has gratias, quandam nihilominus semper in modo harum visionum reperiri diversitatem & novitatem: semper enim anima edocetur de pluribus, quæ ab illa clariùs ac perfectiùs percipi, & cognosci videntur.

Angeli me ex eo arcano somno optabant suscitare, existimantes, me ibi expiraturam. Sed Dominus illis dixit: nolite eam suscitare, sinite illam paulò diutiùs frui bonis æternis, quæ nunc possidet. Ipsi autem responderunt: Domine, metuimus ne moriatur, atq; hîc remaneat. Relinquite illam nihilominus, subjunxit Dominus. Post aliquantũ tempus, quod ignoro quàm fuerit lon-

longum, Dominus jis dixit: Modò ipsam susciteate, ac deducite ad suum angulum. Illi non fuerunt ausi, dicentes: Domine, expirabit. Tum ad me accessit JESUS Christus Dominus noster, exemitque eam sagittam. Quanquam autem ob illam sentiatur quidam non exiguus dolor, est nihilominus ejusmodi, ut molestum sit ipso carere, ideóq; amanter conquerens Deo, dixi: Mi Domine, quare me spolias beneficio, quod mihi contulisti? Divina Majestas respondit: Non, Anima, non spolio te illo, verùm sicut chirurgus applicatis unguentis medicinalibus & ligaminibus, suo tempore ea deponit postquam fuerunt operata, remanente in curato & sanato vulnere eorum effectu; ita jam in tua anima remanet bonus effectus hujus sagittæ. Deus, qui omnia novit, scit, quàm salutaris mihi tunc effectus fuerit communicatus. Quod ego dicere possum, est, ipsam naturam fuisse afflictam, neque modicam extitisse molestiam, ortam ex doloribus, quos deinde sequentibus diebus toleravi. Benedictus sit idem Dominus per omnem æternitatem. Amen.

*Aliâ insuper Deus, ad augendum amorem animarum, quas ad tam excelsum evehit statum, utitur formâ radiorum, qui etsi non vulnerent instar sagittarum, accendunt tamen, & inflammant tantopere animam, ut ipsum quoque corpus inter dolores, quasi torreatur, parumque videatur abesse, ut resolvatur in cineres. Tales erant, quas hæc fortunata Virgo est experta anno sexcentesimo vigesimo octavo. De his ita ait.*

Jussit me Dominus, ut post multos dolores, quos fueram perpessa, quiescerem, ire secum ad cœlestem patriam. Ibi me reperi coram quodam quasi Divino fulgentissimo sole, qui emittebat pulcherrimos splendoris radios, atq; tales, ut, quoscunque feriebant, inflammarent ac delectarent. Videbatur Divinus iste sol habere faciem quaquaversum respicientem, licétque esset unicus, complecti in se omnia. Incepi timere, & volui quodammodo me subtrahere ac abscondere, eò quòd misera mea natura non posset sustinere vehementem vim tam divinorum radiorum. Ita metuenti quidam Sanctus Angelus dixit: Veni huc, Soror, constituam te in eo loco, unde hunc Divinum solem possis intueri modo tibi magis congruo. Quamvis autem verum sit, me mutavisse situm, radij tamen permanserunt, quales antea fuerant. Vulneravit me illis Divinus iste sol, & paulatim ad se pertractam secum univit, quasi me sibi incorporaret. Fui adeò accensa, ut ardor etiam ab ipsa natura sentiretur. Anima diu tanto beneficio fuit fruita, sed certum est, meum corpus non solùm fuisse affectum dolore, verùm etiam quodammodo tostum & exustum.

Postridie, dum tempore meæ orationis essem magnopere afflicta, gravésque sentirem dolores, dixit mihi quidam Sanctus Angelus imperativè: Veni mecum, Soror, & absque mora, non exspectato meo responso, apprehendit meum brachium, duxítq; me ad cœlum per quasdam, rametsi gratas, nebulas. Ibi vidi, à Divina Majestate evibrari splendores luminis, & ignis divini, vehementis, urentis, & nihilominus suavis, qui pertingebat ad Beatos, ipsósque summa cum abundantia & voluptate replebat omnibus bonis, ita ut illis nihil penitus deesset: etiamsi verò ijsdem perpetuò fruerentur, non afficiebantur tamen propterea nauseâ, vel fatigabantur; imò videbantur quovis momento inchoare suam fruitionem. Interdum prodibant ex eodem hoc Domino divinæ quædam flammæ, à quibus correpti transformabantur in ipsum Deum. Hoc viso cœpi timere, ne me ijdem divini radij ferirent, sicut pridie, & incenderent, dixíq;: Eheu, Domine Angele, quorsum me duxisti? Extimui amplius, & exclamavi: Quid est hoc, Domine Angele? qui mihi respondit: Eja, Anima, tace, ne timeas, ne timeas. Interea erupit ex Deo vehemens ignis, qui me inflammavit, & in momento arctè univit eidem magno Deo, totam in ipsum transformatam: atq; dum ibi etiamnum dego & maneo, animadverto, me simul esse in meo angulo. Benedictus sit Deus propter mirabilia opera sua.

*Vult dicere, quòd superior anima portio unita, in ea altissima contemplatione, suo Deo,*

*quo ita fruitur, acsi jam quodammodo degeret in cœlo, portio inferior hic in terra, sine ullo impedimento peragat, quæcunq; illi obveniunt, quasi tota anima foret expers ejus fruitionis, quâ ipsam naturaliter oporteret rapi in ecstasim. Iste gradus est ex supremis, ad quem spiritus in hac vita pervenit, qua de re jam alibi dictum est. Concludo hanc materiam, de his amoris radijs & sagittis, aliâ visione, quam recenset eodem anno sexcentesimo vigesimo octavo, vigesimâ quartâ Julij, ubi pariter apparebit, quid in superiore scripto significare voluerit dicendo, se a Sancto Angelo imperativè, non expectato ipsius consensu, ductam fuisse ad cœlum. Describitur ab ipsa sequentem in modum.*

Feriâ secundâ, manè vigesimâ quartâ hujus, cùm versarer in præsentia Dei, more meo consueto orans, allocuta me est Divina Majestas, dicendo: Veni, Anima, veni citò mecum. Et compellebat me tantopere, ut non potuerim resistere, quemadmodum plerumq; his divinis gratijs reluctor, quia cognosco meam indignitatem, & propendeo ad viam usitatam, planam, & securam, sitam in exercitio orationis, & virtutum. Fui igitur celeriter ducta ad cœlestem Jerosolymam, & constituta coram Majestate Domini Dei nostri, qui me jussit considere seorsim in quadam sede, cujus memini in alijs scriptis. Ibi mansi in eo genere contemplationis, quam frequenter consuevi vocare somnum spiritualem, propter pacem, dulcedinem, & quietem, quâ tum anima fruitur, abrepta, & quasi absorpta in Deo, conferente ipsi profundissimam & suavissimam cognitionem perfectionum suæ Divinæ Essentiæ. Fruita sum aliquamdiu isto gratioso somno, post quem ad me reversa, disponente ita tunc Deo, (licèt enim bene advertatur, & sentiatur, animam abstrahi ab ea quiete ad alium modum intelligendi, interveniente repræsentatione figurarum: nihilominus vix potest vel obiter explicari, quid sit, jam in tali raptu quasi dormire, jam quasi vigilare) notavi procedentes ex meo vultu & pectore quosdam lucidissimos radios, qui pertingentes ad pectus magni Dei & Domini, sedentis cum magna majestate in suo regio throno, efformabant in ipso globum splendentem instar solis: quo sic efformato, & quodammodo ibidem insculpto, radij ex me prodeuntes se se contrahebant, donec disparerent.

Deinde vidi, multos ex ijs Sanctis Angelis se prosternentes coràm eo divino throno, & adorantes Deum, qui suis alis (vidi enim ipsos, quales hîc depinguntur) tegebant suam faciem, quasi venerarentur illius judicia, & faterentur, à se non comprehendi magnitudinem admirandorum eiusdem arcanorum. Tum ille Dominus surrexit, & more humano est emensus aliquot passus, habens illum globum lucis in pectore, qui incepit emittere scintillas, paríimque fuit in eadem resolutus, partim ascendit ad quandam immensam altitudinem, ubi quasi est immersus Divinæ Essentiæ & magnitudini. Ista contemplabar et ea sede, in qua fueram ab initio collocata: & quamvis ignorem, quâ ratione ibi permanserim (dum namque talia fiunt, anima nequit, absque singulari Dei dispensatione, cognoscere omnes circumstantias, liberè eas expendendo) videbar mihi tota illic existere, & acsi mea anima foret diversa ab illa, quæ me vivificabat, & ab ea, quâ intelligebam id, quod mihi à Deo manifestabatur, ita mihi is globus lucis videbatur esse mea anima: neque dubito, hanc per illum fuisse repræsentatam, & superiorem ejusdem partem mansisse in Deo: Nam Divina Majestas, ex sua misericordia, mihi eâ ratione dignata est significare, quòd ipsam apud se retineat, satisfaciendo hunc in modum meo desiderio, implendi in omnibus & per omnia Dei voluntatem, atque non aberrandi ab ipsius veritatibus: quandoquidem istud videtur esse unicum, nullúmque aliud in hac vita, meum desiderium.

Ut autem me magis redderet severam, cùm sit adeò bonus & misericors, postquam ad me redij, retinui in eadem illa ardentia desideria, ut tota essem DEI, & quàm convenientissimè illi servirem, placerémque in omnibus, emisit radium lucis instar sagittæ, cujus longitudo erat quasi spithamæ, eóque meum cor, acsi Divina

Maje-

Majestas hoc modo ejusdem possessionem confirmaret, tantâ vi transfixit, ut etiam natura inde aliquem, in ea parte, sentiret dolorem. Hac me occasione converti ad Deum, tanquam optans, ne mecum ita ageret, eò quòd semper propendeam ad serviendum illi viâ planâ, exercendo virtutes, & interrogavi ipsum: Domine, cur mecum sic agis, & in tam vili creatura operaris res tam insolitas? Divina Majestas respondit: Quia volo; neque à me est exigenda alia ratio. Cùm tamen tuum desiderium amplius requirat, dico tibi, me id facere, quia te semper inveni obsequentem meæ voluntati, ità ut mihi, aliquid à te petenti, nunquam repugnaveris. Hoc cum ingenti mea refero verecundia. Faxit Deus, ut semper ipsius voluntatem impleam, & sit benedictus in æternũ. Amen.

*Quod ista admirabilis, sponsa Christi dicit, esse videlicet inexplicabile, quomodo in hoc genere raptuum anima, ex eo somno spirituali, ubi merè intellectuales, & nobiliores habentur notitiæ, expergefiat, ut evigilans, aliquid cognoscat intervenientibus figuris, qua in re sum exequitur munus imaginatio, est communis Patrum sententia, agentium, tametsi alijs verbis, de hac materia. Causam oportet eam esse, quia ibi non fit, quod suo modo hic evenit, dum naturaliter dormimus, prout nonnemo posset cogitare, ut sicut hic in quieto & suavi somno, ubi nulla obstrepit cogitatio, vel solicitudo, variæ interdum excitantur imaginationes, & species bene coordinatæ, quas appellamus somnia: ita in eo somno spirituali, & pacata animæ serenitate, Deus repræsentet per figuras quadam mysteria, adeò ut aliquâ ratione dici possit, animam quoque, durante illo somno mystico, somniare mystice. Revera enim non videtur esse apta comparatio: nam hic, dum somniatur, verè dormitur; ibi cessat somnus spiritualis, illúdq; genus tranquillæ fruitionis. Et videtur anima ex eo expergisci, ut attendat figuris, quas ipsi Deus exhibet. Licèt autem quandoque, cum his imaginarijs figuris, unà dentur notitiæ intellectuales, quæ in voluntate excitant ingens gaudium; iste tamen orationis modus, cum hoc additamento, non est ille, quem sancti propriè vocant somnum spirituale, de quo hic serva Dei loquitur.*

# CAPUT XIII.

## Revelatur illi à Deo varijs modis, quòd sit confirmata in gratia.

*TAnta perfectio Amoris, quo hæc benedicta Anima serviens suo Deo, fuit prædita, abundè ostendebat, gratiam ipsius & sanctitatem non fuisse simulatam: Nihilominus, quia etiam justæ nonnullæ animæ, quæ visæ fuerunt similium gratiarum statum attigisse, propter sua tamen peccata, & ex imperscrutabili judicio Dei illa permittentis, aut amiserunt gratiam in perpetuum, ut se tandem deprehenderent esse damnatas, aut saltem aliquando, commisso quopiam gravi scelere sese ad tempus ea viderunt spoliatas; idcirco clementissimus Deus voluit hanc sponsam (quam sciebat nihil metuere vel millenorum infernorum, per totam æternitatem sustinenda supplicia, præ sui, etiam ad unum momentum, separatione à Divina ipsius Majestate) reddere securam, revelando illi, quod ipsam confirmaverit in sua gratia, ne illum unquam graviter offenderet. Hunc à Deo favorem varijs modis obtinuit: inprimis dum ad eam misit schedam, duodecimâ Decembris, Anno sexcentesimo vigesimo quarto, quod refert his verbis.*

Istis diebus frequentissimè visitor à Sancto Patre Ludovico de Ponte, qui mihi dicit, méque docet multa de Deo, magnum adferentia solatium. Duodecimâ verò Decembris illum conspexi juxta me, cum adferret quandam chartam, quam coram me cæpit legere, sicut facere consueverat, quando vivebat. Perfectam tradidit uni ex meis Dominis Angelis, ut eam mihi daret. Suscepit illam cum magna reverentia, & osculatus est: sed ego ipsam

non sum ausa acceptare, ex observantia erga Sanctum Patrem Ludovicum, quem rogavi, ut traderetur meo Sancto Angelo Custodi. Nesciebam, quodnam esset schedæ argumentum, tantúmque notavi, quòd tam Sanctus Pater, quàm Angeli ea perlectâ multùm fuerint recreati, specialissimè verò sit exhilaratus & gaudio perfusus Sanctus meus Angelus Custos, indicans se tunc intellexisse, quid scheda contineret. Deinde mihi Sanctus Pater Ludovicus dixit: Anima, noli refugere, aut tergiversari, ut nobiscum converseris, qui sumus beati: nosse enim debes, te unam ex nobis futuram, & in æternum fruituram eo, quo fruimur: neque sis meticulosa, cùm non habeas, quod metuas, atque tui Confessarij approbent gratias, quas à Deo consequeris. Bene modò fecisti, quòd non susceperis schedam, dederísque illam Sancto Angelo servandam. Ego tibi assistam, docendo, illuminando, ac dirigendo te in omnibus operibus tuis. Unum duntaxat facere non potero, utpote absolvere te in Sacramento Pœnitentiæ, hoc namque est reservatum degentibus in vita mortali. Vidêris velle scire, quid illa scheda contineat: Jam tibi constat, Deum binis vicibus tibi, diversis occasionibus, fuisse dignatum dicere, te per ipsius bonitatem esse confirmatam in gratia: nunc autem per hanc schedam Deus id innotescere voluit tuo Sancto Angelo Custodi, eidémq; denuò, atque unà mihi revelari.

Postquam Sanctus Pater finivit sermonem, in quo mihi multa alia exposuit, Sanctus meus Angelus Custos ad me venit valde hilaris & gaudens, propter gratiam mihi à Divina Majestate præstitam, dixítque: Anima, est ingens favor, & gratia tibi à Deo concessa prorsus extraordinaria, paucísque sanctis exhibita. Necesse est, ut illi gratias agas, & ex gratitudine hæc duo præstes, ut ipsum ampliùs ames, & majorem in ejusdem Majestate spem colloces. Ista, & alia mihi dicebat Sanctus Angelus: verùm ego eram aliquantùm distracta, quia obversabatur meæ memoriæ, quod mihi paulò antè dixerat S. Pater Ludovicus. Sanctus Angelus silebat, exspectabátque responsum. Postea rursus audiebam loquentem, sed post modicam auscultationem mihi denuò ea rediebant in memoriam, quæ priùs cogitaveram: unde iterum distrahebar. Ob hunc defectum fui vehementer afflicta, obnixéque rogavi Sanctum Angelum, ut illum puniret. Ipse tacebat, ego verò magis instabam, ne istam culpam relinqueret impunitam, quia me illius commissæ pudebat. Precibus itaque meis victus, tres dorso meo ictus inflixit, præsentibus alijs Sanctis Angelis. Videbatur autem his meis Dominis Angelis displicuisse, quòd sic ab illo fuissem castigata. Tum Sanctus meus Angelus Custos, quasi stringendo humeros, dixit: Ipsa id voluit, fuítque mihi importuna. Benedictus sit DEus propter misericordias suas. Amen.

*Hinc videtur colligi, Deum permisisse arbitrio Sancti Angeli Custodis, ut castigaret, aut ignosceret illam tam levem, & velut naturalem negligentiolam. Quapropter ipse permotus precibus Virginis, & affectu, ut magis proficeret, eam castigavit: aly verò ducti affectu clementiæ maluissent, ut illi ignosceret. Neque est novum (ut novimus ex sacris literis) hos Sanctos Spiritus, licèt summa sit voluntatum inter illos consensio, nihilominus in quopiam negotio discrepare sententijs. Cæterùm quod attinet ad schedam, observandum est, singularissimum fuisse favorem, quem Deus huic Animæ exhibuit, non solùm confirmando illam in gratia, verùm etiam id ipsi revelando: inde tamen quoque inferri, rarissimum pariter extitisse perfectionem, & perseverantiam in bono, quam Divina Majestas in ea agnoscebat, sciens ipsam, quantumcunque cerea redderetur, non lapsuram graviter, neque adeò latenus remissiorem futuram in sancto timore, circumspectione, & cura, ne se periculo vel minimi defectûs, qui divinis posset oculis displicere, exponeret. Id probatur ex eo, quod illi evenit anno sexcentesimo vigesimo octavo, & ipsa breviter sic describit.*

Excitati fuerunt in meo corde vehementes affectus, ut assequerer, quomodo placerem Deo, unáque timor, quòd possem eodem magno Deo privari, & præcipitari in aliquam ipsi displicentem culpam.

Qua-

Quapropter mea anima cœpit exclamare, dicendo Divinæ Majestati: Mi Domine, latrones, mi Deus latrones; qui me volunt spoliare! Accurrit meus S. Angelus Custos, dicens mihi: Quid tibi accidit, Anima, quid vis? Domine Angele, ajebam, latrones, latrones! Tum ille imponens manum meo capiti, & postea humero, dixit: Noli timere, Anima, noli affligi: habes Deum intra tuum cor, & manes in DEO; illuc non ingrediuntur latrones, neque te Deus derelinquet. Gratiæ agantur tam bono Deo, & sit benedictus, Amen.

*Quamvis anima certò sciat, veram fuisse revelationem, quam de sui confirmatione in gratia habuit, nonnunquam tamen se hoc lumen occultat, & anima affectibus amoris admiscet affectus castissimi timoris, qui tamen præteritæ revelationis fidem minimè imminuunt, quin potiùs docent circumspectionem, quâ hæc vita mortalis sit transigenda. Et credibile est, inter motiva, ob quæ Divina misericordia quampiam animam in hoc favore confirmat, esse etiam istud, quòd prævideat sanctos timores, quibus illam interdum sit præoccupaturus. Anno sexcentesimo vigesimo quinto, ipsi Deus denuò gratiam istius confirmationis revelavit. Id illa (post narratam vehementiam affectuum, quibus arserat, ut se in omnibus rebus conformaret Divino beneplacito) obstupescens, se, quod amplius est, posse eodem esse tempore securam, unáque timere, inter alia recenset sequentibus verbis.*

Allocutus est me Deus quàm benignissimè dicendo: Quid habes, Anima, quid vis? Cui ego: Mi Domine, plena sum superbiâ, & multis peccatis. Postea subjunxi multa mala, quæ in me reperiri dolebam, & concluſi dicendo: Hæc & alia plura habeo peccata, quæ tu Domine agnoscis. Dominus mihi pro sua bonitate respondit: Nihil tale agnosco: si verò ea haberes, non possent à me non videri. Non vides illa, ajebam ego, quia tuâ charitate & misericordiâ tegis peccata desiderantium tibi servire. Bene dicis, respondit Dominus: verùm non ita ipsa tego, ut remaneant in anima, sed mundando ab ijs animâ, ac dissimulando pœnam, quam propter illa fuerat promerita. Ut autem videas, quòd in tua anima non reperiantur, converte huc oculos, & spectabis animæ tuæ statum. Aspexi, & vidi superiorem ipsius partem immersam Deo, intiméque illi unitam, quemadmodum ipsam aliàs spectaveram, & tum dixi: Bene est, Domine: nihilominus verò dego in statu mortali, in quo possum peccare, téque offendere. Verum est, dixit Dominus, quòd, quantum in te est, posses peccare: sed re ipsâ non peccabis, cùm sis à me undequaque munita, & confirmata in mea amicitia, & gratia.

Ob hæc verba fui repleta magno solatio, aliunde tamen retinui eosdem, quibus nunquam careo, timores. Licèt enim nesciam dicere, quomodo id fiat, video tamen, quòd Dominus Deus noster sublimi suâ sapientiâ, summáque dexteritate hæc conjungat, ut illuminet animam, certámq; reddat, ipsum loqui, & ab eo proferri illa verba adeò consolatoria, dum eam in ijsdem ipsius relinquit timoribus, ac suspicionibus, ut, quamvis id nesciat explicare, utrumque tamen in se clarè experiatur.

Sequenti feriâ secundâ, nonâ Decembris, post peractam sacram Communionem, rursum mihi Dominus idem asseruit, quod suprà dictum fuit, confirmando per suam misericordiam, me ab eo ita custodiri & protegi, ut ipsum non offendam. Ego illi dixi: Profectò, mi Domine, ignoro, quâ ratione ista duo sint combinanda, mea mala vita, cum tantis tuis gratijs atque beneficijs. Et Dominus mihi respondit: Quid agitur in fundo tuæ animæ? (bene intellexi, Divinam Majestatem loqui de desiderijs, quæ mihi ex sua bonitate indit, ut in omnibus & per omnia exequar sanctissimam ipsius voluntatem) & subjunxit: Quid est præstantius in arbore, magísque necessarium? Manifestum est, meliorem esse radicem, fructum autem utiliorem. Sicut autem arbor habet folia, ita etiam in anima reperiuntur quidam defectus naturales, qui non obsunt radici, neq; fructui tollunt saporem, aut salubritatem. Benedictus sit Deus in æternum.

*Notandum est, quàm sublimiter Dominus Deus approbaverit phrasim scripturæ sacræ, dum*

*dum utens consueto nostro more loquendi dixit, quòd tegat peccata suorum amicorum ac dissimulet; atque præterea, quomodo conformiter definitionibus suorum Vicariorum, Pontificum Romanorum, & veritati, quam ipsius Ecclesia tuetur adversùs impios hæreticos, doceat, qualiter oporteat intelligere, quòd interdum dissimulet pœnam, semperque animam à peccatis mundet, infundendo illi gratiam inhærentem. Verùm ut revertamur ad beneficium ipsi præstitum, quòd nunquam esset ab eo deserenda, ita tamen, ut non penitus amitteret illum sanctum timorem; prorsus est admirabile, quod ipsi accidit in Julio, Anno sexcentesimo vigesimo nono, & ab ea sic describitur.*

Affligebant me valde mei dolores, & soliti cruciatus: atque cùm vehementer languerem, dixit mihi Dominus: Anima, es fatigata, veni mecum, & quiesces. Duxit me Divina Majestas ad cœlestem Jerosolymam, ac dixit: Quiesce hîc, ista est tua patria, tua quies, & perpetuum tuum domicilium. Mansi ibi, meóque modo sum fruita æternis illis bonis. Hoc evenit aliquantò priùs. Nuperrimè verò vidi Dominum cum comitatu multorum Angelorum, cui dixi: Mi Domine, magnopere desidero securè his vijs progredi, quibus me ducis, & non possum nisi importunè semper instare, ut mihi largiaris tuum lumen, ne errem. Tum Divina Majestas vocavit unum ex ijs Dominis Angelis, qui videbatur esse ex majoribus ac dignioribus, & porrigendo ipsi auream clavim, dixit: Accipe istam clavim, & trade huic creaturæ. Accepit illam Sanctus Angelus, veniénsq; ad me, comitantibus illum multis alijs, dixit: Anima, accipe hanc clavim Divini gazophylacij, quâ illud poteris aperire, ut inde sumas exoptatum lumen: quod etsi tibi Deus jam dederit, vult tamen te pro tuo libitu ingredi, ut idem lumen accipias, perinde acsi eo careres. Hæc proferebat cum singulari reverentia, tanquam debita Deo, cujus mandatum exequebatur. Et applicando clavim ad meum pectus, impressit eandem intra illud, ac imposuit, cumque mihi valedixisset revertebatur. Ego, tametsi essem vehementer turbata, illi dixi: Domine Angele expecta, noli abire: dic mihi, an taliter sim securè processura, & nullam in his vijs patsura illusionem? Sanctus Angelus respondit, quod mihi aliàs dictum fuerat: Habe pro signo, te bene procedere, quòd non sis caritura hoc sancto timore Dei; Divina Majestas te non permittet errare, quia te habet scriptam in libro vitæ. Et hoc dicto discessit, neque tum ampliùs Dominum vidi, qui me fuerat allocutus, aut Sanctos illos Angelos, qui ipsum fuerant comitati. Mea anima fuit repleta solatio. Benedictus sit Deus. Amen.

*Quanquam prædictæ gratiæ sint admirabiles, videtur tamen esse longe admirabilior alia, quam ad idem propositum pertinentem est consecuta, & quæ saltem tenerius suavissima Christi Domini viscera manifestat. Hæc ipsi fuit præstita sub finem Anni sexcentesimi, & paulò serius, & ita à Sancta Virgine recensetur.*

Excitavit in me Deus potentissimum affectum, complectentem multos alios, quo inflammata & incensa dicebam hæc tantùm verba Divinæ Majestati, eáque sæpe repetebam. Mi Deus, & unicum Bonum meum, tu es ultimus meus finis, mea hæreditas, & possessio æterna, mi Deus, & mea salus. Dum id agerem, abripuit me derepente Dominus, uniendo me sibi, videbarque mihi quasi submersa in Divina Essentia; verùm ita, ut, quemadmodum piscis innatans mari, illas aquas quaquaversum permeat; vel sicut avis, quando fertur per aërem, huc & illuc volitat, & interdum jam in sublimissimis arboribus, jam in altissimis turribus, jam alibi quiescit, quò à naturali suo ducitur instinctu, ita suo modo anima mea intra pelagus Divinæ illius Essentiæ immorata fuerit modò huic modo alteri Divinæ perfectioni ipsius attributorũ. In hac profunda ecstasim ansi diu, & postquam ad me redij, exarserunt in me vehementia, & flagrantissima desideria, quibus cõpellebar ad me conformandam in omnibus & per omnia Divinæ voluntati, ut neq; minima ipsi contraria attentarem in mea anima reperiretur. Licèt autem hæc desideria in illa, per Divinam misericordiam, semper quasi fixa perseverent, unà cum igne amoris erga magnum Deum,

igne amoris erga magnum DEUM & Dominum noſtrum, nunc tamen, ùt ſæpe aliàs, Divinus Spiritus ſuffla vit, & ſuſcitavit grandem flammam. Interea conſveti mei timores invadebant meum cor, petebámq; à DEO Domino noſtro ſanctum ipſius lumen. Tunc ejuſdem Majeſtas mihi peramanter & blandè dixit: Anima mea, quid times? unde provenient tui timores? in his te ego relinquo, propter magnam ſecuritatem, quam adfert animabus ſanctus timor mei. Quia verò omnia myſteria, quæ in ipſis operor, & beneficia, quæ ijſdem confero, quando uniuntur meæ cruci, ſunt tutiſſima, atque inæſtimabilis pretij; ideo noli, Anima, mea nimiùm timere, & eſto certa, in ijs rebus, quibus nunc diſtineris, ſemperq; diſtineberis, dummodo nolis voluntariè repudiare lumen, & ſanctos affectus, quos tibi aſſiduè concedo, hos timores ſemper duraturos, tèque ex tuis operibus relaturam fructum, dum pro tui boni ſpiritûs indicio id habebis, quòd nullatenus deflectas ab ijs, quæ tibi dicentur à tuo Confeſſario. Audiebam hæc divina verba cum magno meo ſolatio & ſatisfactione: nihilominus præſumpſi dicere: Domine & DEUS mi, quamvis omnia firmiter credam, quæ mihi dicis, tamen, quia infinitè deſidero, ut hi affectus, quos mihi concedis, ad placendum tibi, & implendam in omnibus tuam ſanctiſſimam voluntatem, non periclitentur in mea voluntate, quæ ex ſe eſt valde mutabilis, vellem eoſdem à te tam firmiter in ea infigi, ut ſicuti in hoc mundo eæ ſcripturæ, quæ continent omnes requiſitas clauſulas, dicuntur eſſe firmæ & irrevocabiles, quin revocare poſſit contractũ, qui ſe ijs obligavit, ità mea anima nequeat retrocedere ab his intimis deſideriis tuæ majoris gloriæ, quæ ipſi, pro tua miſericordia, contuliſti.

Audiens Dominus Majeſtatis mea ardentia deſideria, quæ ipſe in meo corde excitabat, eíque tum ſuggerebat, quàm beniginiſſimè, & acſi delectaretur præbendo mihi ſolatium, reſpondit: Bene eſt, Anima, bene eſt. Plurimùm mihi placet, quod cum tanto profers affectu: decerno, ut omnino tuæ petitioni ſatisfiat. Subitò autem ſe mihi CHRISTUS JESUS, Dominus noſter, quem videbam præſentem, exhibuit videndum in ſplendido & admirabili throno, regiâ indutum veſte. Habebat in ſuo ſacratiſſimo capite diadema, & erat circumdatus ab innumeris Angelis, qui ipſi inſerviebant ac deferebant honorem. Mox graviſſimo ſanctiſſimæ ſuæ manûs geſtu quaſi quempiam advocabat, vidique advenientem S. Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam, qui ſeſe inclinando, poſt profundam Divino illi Domino exhibitam reverentiam, cæpit admirabiliter ſcribere id, quod ipſi dictabat. Abſolutâ ſcriptione ſe glorioſus Apoſtolus proſtravit humi, coram eodem magno Domino, tradidítque illi chartam ſubſcribendam. Obſervavi autem eundem Apoſtolum, & duos Angelos, qui erant ex ſupremis, aſſumptis in manus pulcherrimis luminibus, lucentibus inſtar ſtellarum, functos fuiſſe quàm reverentiſſimè, tametſi eminus, munere velut facigerorum. Divina Majeſtas ſubſignavit ſcripturam, cujus tenor & expreſſa verba, aureis exarata characteribus, unà cum forma ſubſcriptionis, erant ad literam, prout ſequuntur.

Ego JESUS CHRISTUS Filius DEI vivi, dico, me velle & annuere, ut omnes affectus, & vehementia deſideria, quæ comunico animæ hujus creaturæ, ſimúlque opera ijs conformia, perpetuò, & ad finem uſque vitæ ipſius, in ea perſeverent. Quapropter manu propriâ ſubſcribo meum nomen.

*Ego Rex Jeſus Chriſtus Filius Dei.*

Subſignatum hoc ſcriptum Dominus reddidit ſancto Joanni, mandando ipſi, ut id clauderet, ac deponeret in meo pectore. Sanctus accepit chartam ex manu illius ſummæ Majeſtatis cum magna reverentia, eámque exoſculando, & ſtatim venit ad locum, in quo eram, tactóque ſuâ manu ſpiritualiſſimè & admirabiliſſimè pectore meo, acſi referaret quampiam ſacram ipſanothecam, illud apetuit, in eóque recondidit chartam, occludendo rurſum, & relinquendo pectus, quale antea fuerat. Mea anima fuit ſummo repleta ſolatio, propter tam inſvetum beneficium,

remansítque aliquamdiu in profundissimam abrepta ecstasim. Postquam autem ad me redij, vidi, necdum abivisse Divinam Christi Domini nostri Majestatem, qui me peramanter & affabiliter alloquendo, & impertiendo mihi suam sanctam benedictionem, dixit: Vale nunc, Anima, & quiesce in tuo DEO. Fui tenerrimè commota, & quodammodo sopita, quiescens in Domino. Ipse sit semper benedictus, propter omnia sua opera & misericordias. Amen.

*Semper immensa Creatoris nostri & Domini liberalitas est profusior in dando, quam creatura in petendo. Hæc Anima desiderabat se obligare Deo, quasi scripto irrevocabili, & DEVS se ipsi eundem in finem irrevocabili scripto obstringit. Ità idem Dominus egit cum Noë, & omnibus nobis: quia dum nobis incumberet, ut nos ad serviendum ipsi obbreremus, ille, sicut ajunt sancti Patres, se obstrinxit authenticâ sui arcûs scripturâ, quem posuit in nubibus, quòd nos non esset amplius diluvio perditurus.*

# CAPUT XIV.

## Agitur de aliis, præcedenti similibus, scripturis, quæ comprobant perfectionem, & spiritum hujus Virginis.

*EXimia istius Virginis perfectio bene ex eo probatur, quòd DEVS ipsi tam multum confiderit, ut illi revellaret, eam esse confirmatam à se in gratia, quia confidebat, quòd neque etiam tanta securitas solicitam ejusdem circumspectionem esset imminutura, ut nihilominus impigrè semper studeret magis ac magis suo Domino placere. Attamen, cùm sit prorsus specialis ac tenerrimus modus, quo ipsam DEVS prædictâ gratiâ in antecedente visione est dignatus consolari, adferam alios ejusdem generis, ut, si non efficaciùs, majore saltèm numero testimoniorum demonstretur, tum ardens illius desiderium perseverandi in bono, innovatóque fervore proficiendi in uberiore DEI gratia; tum etiam suavissima misericordia, quâ se Divina Majestas ei id ipsum petenti in dies magis faventem exhibuit. Quod nunc exponam, evenit anno sexcentesimo vigesimo quinto, & refertur ab illa his verbis:*

Impellentibus me vehementer affectibus, quibus anhelabam ad exequendum in omnibus rebus Divinum beneplacitum, adeò ut mea anima videretur consumi, & colliquescere, atque ipsa etiam natura deficere, dixi Domino: Mi DEUS & Domine, per temetipsum & tuam infinitam bonitatem oro, imprime in me, & in meo corde, literis sangvine meo scriptis, quòd nunquam velim, aut consentiam, ut vel minimum quid faciam, quo tametsi levissimè, offendaris; quin imò tantum desiderem, quoad potuero & scivero, ut te magis glorificem, nihilq; mihi placeat, quàm major gloria tua. Hæc, & alia hujusmodi Domino DEO dicebam, quasi præ vehementia amotis non essem mei compos, ipsíque soli, tanquam unico mei desiderij centro, tota inhærerem. Dominus me audiebat, ostendendo sibi placere, quòd me ita constitutam viderem, dixítq; mihi cum svaviſſima Majestate. Fiat omnino, Anima, sicut dicis: Volo tibi hanc scripturam, & istam velut obligatoriam syngraphen, ad præstandum tibi id, quod à me petis, conficere, ut, quemadmodum simili occasione aliàs dixisti, me possis compellere ad standum promissis, quæ quidem ego nunquam possum non servare. Hoc dicto intuitus est cum summa Majestate quendam Angelum ex principalissimis sibi assistentibus, dixítque: Angele mi, scribe, quod tibi dictabo. Sanctus Angelus continuò accepit ex manu alterius apparatum scriptorium, & quandam velut membranam candidissimam, atque scripsit, quod à Domino dictabatur. Quo peracto, porrexit, profundè sese inclinando, calamum Divinæ Majestati, ut scripturam subsignaret, id quod Dominus fecit. Schedæ porrò ipsius & subscriptio est ad verbum hæc, quam appono.

Ani-

Anima fervens, accepto tuam petitionem, fateórque, mihi tuis desideriis, propositis, & cogitationibus, juxta omnem meam voluntatem, in perpetuum abundè esse satisfactum: atque suscipio libenter tuam oblationem.

*Ego Rex supremus, Creator cœli & terræ.*

Deinde mihi mandavit, ut etiam ego illam subscriberem, venítque ad me is sanctus Angelus, adferens schedam & calamum, ut id facerem: ideóque, videndo tanta Divinæ bonitatis prodigia, eram turbatissima, & existimo me totam contremuisse. Angelus meus Custos me animabat & excitabat ad subscribendum, atque obtemperandum Domino: verùm ego eram, sicut dixi, ita comparata, ut putarem, mihi esse impossibile id facere. Tum sanctus Angelus, qui Domini fuerat secretus Scriba, apprehendens meam manum, imponénsque illi calamum, me adegit ad subsignationem, & scripsi:

✠ *Ego ancilla Jesu Marina* ✠

Observandum est, me, dum suscepi Sacramentum Confirmationis, eò quòd non fuerit bene perceptum meum nomen Marinæ (acceptum à me in Baptismo) vocatam fuisse Mariam. Unde intellexi dubium sancti Angeli, quod tum habuit: quia postquam dictam subscriptionem absolveram, conversus ad Dominum dixit: éstne hìc apponendum utrumque nomen? Verùm Divina Majestas ostendendo, se id, modo nostro loquendi, quasi considerate, respondit: Nequaquam, nè propterea aliquando oriatur quæpiam confusio: præterquam quòd primum nomen, datum ipsi in Baptismo, sit præcipuum.

Itaque sanctus Secretarius complicuit schedam, superscribens illi instar tituli: *Animæ anhelanti, & aspiranti ad suum Deum.* eámq; exosculans magnâ reverentiâ porrexit Domino. Quando Divina Majestas illam suscepit ad suam sanctissimam manum, statim mystica illa scheda adeò cœpit resplendere, ut referret speciem purissimi auri, & vehementis atque amabilis ignis. Venit tum ad me magnus ille Dominus, quæ eo tempore tolerabam gravem crucem amoris, timoris, & admirationis: cúmque videretur aperire meum pectus, posuit in illo eam schedam, non jam complicatam, sed expansam, ut literæ & subscriptiones essent valde patentes, ac legibiles, iterúmque pectus clausit, sicut priùs fuerat clausum. Ipse sit in æternum benedictus, propter omnia admiranda sua opera, & magnas misericordias, placeátq; ipsi, pro infinita sua bonitate, ut hæc miserabilis ipsius creatura & ancilla, non perdat, ac dilapidet, per suam incuriam & miseriam, auxilia, dona, & beneficia, quæ à liberalissima ejusdem manu consequitur. Amen.

*Eodem anno obtinuit aliam similem gratiam, cum ijsdem prærogativis amoris Divini, quæ tamen majus continet documentum, pro nostra instructione. Id illa sic post alia refert.*

Agnoscebam, illuminante me DEO, meam vilitatem eò profundiùs, quò plura intelligebam de magnitudine DEI. Anhelabam ad hunc magnum Dominum ingenti desiderio, & invocabam illum nonnullis versibus Davidicis, quos mihi idem Dominus in memoriam revocabat, præsertim verò dicebam: *De profundis clamavi ad te Domine &c.* atque alijs mille modis Dominum implorabam, colliquescens amore ipsius, & mea anima optabat uniri ejusdem Majestati. Ac tandem dixi: Modò, mi Deus, volo tecum convenire; ineamus, mi Domine, pactum. Audivit me Divina Majestas, & respondit mihi peramanter: Anima, paciscamur; quid mihi tu dabis? Mi Domine, ajebam rursum, quid ego habeo, quod tibi dare possim? Dabo tibi, quidquid mihi à te datum fuerit. Fiat, licet, respondit Deus. Quid verò mihi dabis? Dabo tibi, mi Domine, reposui, meam animam, meum cor, omnes gratias mihi à te præstitas, & quidquid mihi deinceps dederis. Sit ita, Anima, dixit Dominus, accepto hæc. Et ego tibi dabo amorem mei, magnum lumen, & cognitionem mearum veritatum; atque non separabor à te, nec tu à me: & postea vitam æternam, quæ horũ omnium est finis. Quamvis mihi omnia ista dixerit Dominus, possémque summum inde capere solatium, in fervore tamen meorum affectuum non

acquiescebam, ideóque dixi: bene scio, Domine, te ex parte tua servaturum promissa: sed ego sum miserabilis, & non implebo, quod debeo: nam, sicut vides, plena sum defectibus in omnibus, quæ ago. Adverte Anima, respondit Dominus, ego omnes res creavi, dedíque cuilibet suam naturam: à me dependent in sui conservatione, & contuli illis ea, quibus ad sui conservationem indigent; neq; ipsas unquam fallo, sed nec illæ me, quia omnes debito suo satisfaciunt, secundùm id, ad quod sunt creatæ, Solum hominem in terra condidi libero præditum arbitrio, ut me liberè agnosceret, mihi serviret, me amaret: atque in hunc finem illi præbeo omnia necessaria. Cùm igitur tu me seriò ames & quæras, utendo ex tuo arbitrio tam fideliter meâ gratiâ, nunquid ego tibi denegabo, quo opus habes? Non, non denegabo.

Post hæc omnia adhuc aliquantùm metuebam meam malitiam: conticui tamen, & non sum ausa ampliùs Domino respondere. Quia verò Divina Majestas omnia perspicit, cognovit meos timores, & solitâ suâ benignitate mihi dixit: Nónne autem nunc vis meam subscriptionem? Hoc audito fui tota turbata & confusa, atque incepi vehementer timere, an non fortàsse hìc aliquid, ex mea parte, interveniret deceptionis, & Dominus mihi dixit: Num ignoras, hoc tibi à me certum signũ me esse, qui tecum loquor, fuisse datum, quòd nunquam sis caritura sancto timore, his occasionibus meæ communicationis? Istis Domini verbis fui iterum pacata, Mox Angeli attulerunt necessaria ad scribendum, & Divina Majestas scripsit tres lineolas, eo ordine ac verbis, quæ hìc appono.

Ego sum tuus Deus & Dominus,
Atq; nunquam datam tibi fidem violabo.
IS QVI SUM.

Hæc ego omnia videbam magna cum teneritudine, & pari erubescentia mea, optabámque, ut Dominus mihi daret illam schedam, & non alicui Angelo, sicut aliàs fecerat. Divina Majestas agnovit meum desiderium, mandavítque Angelis, ut me ducerent ad locum, in quo erat, quod fecerunt: atque tunc vidi clariùs, quis mecum loqueretur, esse videlicet Personam Jesu Christi Delicij nostri, idémque Dominus posuit illam chartam intra meum pectus. Rapta sum in ecstasim, & Divina Majestas me secum fortiter univit, duxítque ita ad cœlestem Jerosolymam, ubi sum millenis fruita bonis, quæ nequeunt explicari. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Quanquam sit adeò amabilis & singularis modus harum divinarum schedarum, non est tamen alienum à Divinis literis, quòd Deus dicatur scribere, quódve in his visionibus imaginarijs sancti Angeli compareant instructi thecâ pennariâ, & omni apparatu requisito ad hoc ministerium. In scripto, quod nunc refferam, licèt non fuerit deventum ad executionem, ut ab hac Virgine conficeretur, prout optabat, nova scriptura proprio sanguine exarata, quâ se Deo mancipàret; nihilominus reperiuntur, quæ faciunt ad comprobandum id, de quo agimus, utpote varij modi, quibus illam Deus reddidit securam de sua perseverantia perfectione. Idcirco existimavi esse hoc loco ponendum, eóque magis, quòd sanctorum Angelorum testimonio, nullam in hoc genere majorem fuerit gratiam assecuta. Recenset hæc illustris Virgo favorem his verbis:*

Impenderam nonnihil temporis consveto meæ orationis exercitio, quando acta impetu meorum affectuum, dixi Divinæ Majestati: Domine mi Deus, nunc tibi volo reddere rationem meæ perversæ vitæ, & meatum gravium culpatum, quia, meâ opinione, multas in tuo obsequio cõmitto, propter meam magnam fragilitatem ac miseriam: & aliunde ex toto meo corde, ex tota mea anima, & omnibus viribus meis tibi placere desidero, vellémq; tibi quàm perfectissimè satisfacere, nihil aliud admiscendo. Quocirca, mi Deus, & mi Domine, te rogo, & toto meo corde, quàm demississimè possum, obsecro, ut, postquam, ex mera tua bonitate, mihi hos potentes affectus, & vehementia desideria dedisti, cùm ex me nihil valeam, nihilque sim, mihi gratiosè largiaris, quò ea desideria omnia impleantur. Respice Domine, meam peccatricem, & pauperculam ancil-

animam: summè enim proprium est tuæ magnificentiæ, & bonitati infinitæ, gratias superaddere gratiis, & ipsa tua dona novis remunerari beneficiis. Eodem modo, & eodem desiderio te oro, per Jesum Christum amabilissimum Servatorem & Dominum nostrum, atque per sanctissimam ejus Matrem, ut, cùm meam animam vijs tam insvetis digneris ducere, ipsam illumines, eidémque sanctissimâ tuâ directione adsis, ut cognoscat, & assequatur tuas veritates, tuámque Divinam voluntatem, in quam ego toto meo affectu meam miserabilem transfundo, conculcando & pessumdando omnia, quantumvis minima, quæ in omnibus & per omnia non fuerint conformia tuo sancto beneplacito. His intenso fervore insistebam, quando audivi Dominum mihi dicentem: Quid agis, Anima mea, quid agis? quale est tuum exercitium? Accede ad me propiùs, nam procul quodammodo ab altissimo loco distas, & videamus, quid tanto affectu proferas, qualémq; mihi velis reddere rationem.

His à Domino dictis, me reperi admirabiliter, & ita, ut ignorem, qualiter id acciderit, perductam ad cœlestem Jerosolymam, atque prostratam coram Divino conspectu, ubi humili & ardenti affectu denuò omnia prædicta repetij, addidíque cum magno impetu & efficacia: Deus & Domine mi, offero tibi, donóque totum cor meum, totam vitam meam, ac animam, & quidquid sum, atque habeo: siquidem omnia tua sunt, & tu mihi ea dedisti; quod quidem deliberatissimâ meâ plenâ voluntate facio nunc, & in perpetuum, opitulante tuâ gratiâ. Hoc supposito, & tuâ infinitâ pietate, rogo te, quàm possum humillimè & obnixissimè, per temetipsum, per Jesum Christum unigenitum Filium tuum, perque ipsius, & sanctissimæ ejus Matris merita, ut de omnibus suprà dictis formetur scriptura stabilis, exarata sangvine cordis mei, & vitæ meæ, quò id firmissimè in me in perpetuum perseveret, adjuvante tuâ gratiâ & misericordiâ. Dominus Majestatis audivit cum summa complacentia, quod dicebam, & conjiciens in me suos oculos, mihi dixit: Non vides, Anima, in rationibus, quas mihi dedisti, cur te reprehendam, aut castigem, sicut desideras. De cæteris, quæ tanto affectu postulas, videbimus. Et postquam se ille Dominus gloriæ, ac Pater æternus cõvertisset ad sacratissimas Personas Verbi Divini, & Spiritûs Sancti, præsente Majestate Jesu Christi Domini nostri, Dei & Hominis veri, Divinæ eæ tres Personæ, quasi inter se conferendo, dicebant: Verè hæc Anima, & tota ista creatura est, quantùm ad ipsam attinet, tam bene disposita, ut illi, quod petit, interveniente gratiâ, quæ illi negari nequit, concedatur. Et subitò, velut idcircò, se ille Dominus Majestatis ad me convertit, dixítque: Audivimus, Anima, tuam humilem & ferventem petitionem, atque propter bonitatem nostram & misericordiam, tuámque bonam dispositionem, tibi libenter & amanter; quod à nobis petivisti, in perpetuum concedimus. Quamobrem, quódque ita sit futurum, accipe, Anima, nostram benedictionem. Simul ac mihi illam Divina Majestas impertita est, fui abrepta in profundam ecstasim, magno affluens solatio, & obstupescens opera, ac misericordiam suavissimam hujus magni Dei. Quamdiu in ea manserim nescio, & reversa ad me, fui in meo angello.

Cœpi magnas agere gratias huic Domino, & expendere, quid in me fuisset operata ea misericordja, quam susceperam, & habui ingens solatium, nihil in animo ambigens, quin prædicta verè evenerint, æstimando unà tam singulare beneficium, méque pro ea gratam exhibendo. Deprehendebam me immersam in sterquilinium meæ miseriæ, cum indesinenter perseverante sancto timore Dei. Ita occupatæ apparuit quidam Angelus Dei, & dixit: Quid agis Anima, quales nunc sunt tuæ cogitationes & affectus? Ego, quia non erat ex mihi notis, me converti ad meum sanctum Angelum Custodem, ut me illuminaret; id quod ipse fecit, & ab illo instructa respondi cœlesti hospiti, dicendo: Angele Dei, considerabam attente ac solicitè ea, quæ in me est operata hæc Domini

misericordia: siquidem summè exopto assequi veritates hujus magni Dei, & vivere ac mori in sancto ipsius amore & timore. Audivit me sanctus Angelus, & velut, admirabundus, mihi dixit: Profectò anima, vehementer me exhilaravisti, placétque mihi pariter veritas tui boni spiritûs, & viæ securæ, quâ à Deo duceris. Nam obtentâ nunc ab hoc Domino tantâ gratiâ, manssisti in profunda tui ipsius cognitione, & sancto timore Dei, qui manet in æternum. Modò Anima, vive in pace & in tuo Deo, cujus sancto nomine fui missus, ut contestarer veritarem tui boni spiritûs, téq; consolarer in Domino Deo nostro. Ita mihi valedixit sanctus Angelus, & subitò ad me venerunt Domini Angeli mihi cohabitantes, omnésque magno cum gaudio & jubilo laudantes Deum, millies mihi gratulabantur tantam gratiam à Domino præstitam, atque subjunxerunt: Adverte Anima, quamvis Majestas Dei Domini nostri tibi multa hujus generis, ac talia contulerit beneficia, nullum tamen tibi contulit hâc formâ & modo. Scísne Anima, qualiter tecum nunc tuus magnus Deus & Dominus egerit? Ecce sicut Rex, qui sibi absentem aliquam Principissam desponsavit, postquam missis ipsi magnis cimeliorum, & ornamentorum aureorum opibus, adamantibus, margaritis, carbunculis & smaragdis, aliísque hujusmodi gemmis, illam omnibus his pretiosis donis ditavit, insuper eidem mittit aliud longè pretiosissimum, licet ex eodem metallo auri, & pretiosis lapidibus confectum, à cæteris tamen cimeliis differens artificio, ornatu encaustico, & elegantiâ, ut propterea à Principissa specialiter æstimetur: ita Anima, tecum aliquomodo videtur egisse tuus Deus ac Dominus. Redde illi magnas gratias, & laudes. Ego sum admirata magnum Deum nostrum, qui semper sit benedictus, propter opera sua & misericordias. Amen.

*Modus ille concilij & consultationis trium Divinarum Personarum, dum Divina Majestas locuta fuit de pluribus, ad significandam distinctionem suppositorum, non solùm est conformis phrasi sanctorum Doctorum, sed etiam Divinarum literarum. Accommodat se benignissimus ille Dominus, tam in representandis figuris imaginarijs, quàm in argumento sermonis, rudi modo, quo mortales formamus nostros conceptus. Atque id ipsum, quod ab æterno decreverat, videtur subjucere consultationi, & considerare adveniente occasione executionis, ut nos doceat, se non fortuitò, & qualemcunque in modum: sed Divinâ Sapientiâ, & incomparabili consilio, à sua æternitate negotium ac dispositionem singularum animarum pertractavisse.*

# CAPUT XV.

## Edocetur à DEO, de diversis perfectionis gradibus, ad quam anima ipsius progrediebatur.

*Sicut gratia, quas benignissima Dei misericordia huic suæ dilectæ sponsæ, ab ipsis illius initijs præstitit, non eò dirigebantur, ut earum duntaxat suavitate oblectaretur; verùm etiam animaretur ab amplectendas rigidas doloris & amoris cruces, quas illi ipsemet tolerandas injungebat, útque hac ratione altissimum consequeretur statum perfectionis: ita quoque ipsi eundem in finem multis modis, & symbolis manifestare voluit diversos status, quos ejusdem anima habuerat, & differentes gradus, quibus progressa fuerat; rudum, quo à Deo præveniebatur, & secundùm ipsius cooperationem ducebatur viâ regiâ virtutum, per speciales tamen, quamvis tutissimos, sui spiritûs timores. In quodam scripto anni millesimi secentesimi vigesimi quinti ita ait:*

A multis mihi mensibus Deus exhibebat spectandam meam animam, constitutam in Divina ipsius præsentia, & post aliquot tempus conspexi eundem Dominum in specie Divini Solis, ex quo tam divini, támque inexplicabiles prodibant radij lucis, ut nihil reperiatur, cui possint compara-

rari. Et vidi meam animam, non quemadmodum priùs, sed unitam illi summæ Majestati. Ita ipsam sum frequenter contemplata. Præterlapsis autem multis diebus; quibus eam, nec hoc, neque alio modo videram, venit mihi in mentem, decimâ sextâ Octobris, quænam foret causa, quòd is visionis modus cessavisset, cùm illam toties, tantóque temporis spatio habuissem. Id mihi expendenti fuit à Deo dictum, nè mirarer, eò quòd anima mea in alio longè superiore gradu existeret, quò mea cogitatio non posset, absque speciali ipsius favore, pertingere: quem mihi exhibere volens Ejusdem Majestas subjunxit: attolle oculos, & aspice. Atque ipso operante in me, quod jubebar, aspexi, & vidi meam animam, non figurâ præditam simili corporeis, prout antea, sed modo quodam tam spirituali, ut neque tunc sciverim, quantumvis attenderim, nec deinceps, licèt hac de re cogitaverim, assequi potuerim, qualiter, aut quibus verbis exponerem spiritualissimum illum, & usque adeo à nobis imperceptibilem modum, quo mea anima erat constituta. Solùm intellexi & vidi ab illa, præterquam quòd esset unita Deo, ac Deus ipsi, possideri Divinum illud Esse, eo tam singulari modo, quem nullatenus scio explicare, ut nihil aliud agere sciverim, quàm inusitatâ quadam ratione obstupescere, & mirari. Quare conversa ad Deum, dixi: Quid verò agit anima, Domine, & quid ibi operatur, ubi eam constituisti? Respondit mihi, illam oblectari, quiescere & cognoscere: quod quidem egomet sum experta. Dixi rursum: Quid tandem tibi, Domine, præstitit obsequij, ut tantas obtineat gratias? Et Divina Majestas reposuit: si tu es oblita, quid fueris passa, ego non sum oblitus. Quo mihi indicavit, eas mihi ab ipso præstari gratias, propter multa, quæ præteritis mensibus passa fueram. Hinc nihil ampliùs interrogavi, cùm nihil aliud appetam, aut velim, quàm solummodo, ut in omnibus & per omnia, in me impleatur Divina ejus voluntas.

Antehac, etsi eodem anno, tota fueram immersa supernaturalissimæ contemplationi, specialiter à Deo illuminata, ad cognoscendam admirabilem, & integram Christi Domini nostri resignationem, in sanctissimam voluntatem sui Patris æterni, ut tantis impensis suis, & commodo nostro redimeret genus humanum. Postea dum cogitarem de timoribus, quos plerumque habeo, ita ut mihi ab illis nequeam temperare, quamvis ipse Deus, & Confessarij mei me reddant securam, locutus est mihi Dominus, & ostendit grandem cimeliorum montem, ac thesaurorum maximi pretij: videbantúrq; esse res rarissimæ, & prorsus supernaturales. Erat mons valde magnus & altus, in cujus vertice apparuit splendidissima crux argentea, emittens ingentes radios lucis, & repræsentabatur mihi, quasi illa crux custodiret longè meliùs eas divitias, quàm milleni milites. Vidi eminus circa illos thesauros magnam impiorum turbam, sed valde procul distantem, quos sumè optabant diripere: sed non erat ipsis id possibile, propter fortitudinem illius tam potentis crucis, neque eos ullo modo potuerunt invadere. Dominus mihi dixit: Ecce Anima, iste mons divitiarum, quem vidisti, est tuus spiritus, qui his à me cumulatur thesauris; & crux argentea, quæ illos custodit, repræsentat sanctum timorem, tibi à me datum, ut tibi totus infernus unitus nocere nequeat: vive securè. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

*Aliâ vice, per idem tempus, postquam fuisset à Deo ducta, ob quoddam mysterium, ad videndum sacrum sepulchrum Ferosolymitanum (de quo nobis alibi erit sermo) refert, quod illi cum Deo evenit post reditum, multúmque facit in rem præsentem.*

Postridie mihi dixit Divina Majestas, exhibens se videndam in Persona Spiritûs Sancti: Veni Anima: quia te in hoc mundo exerceo afflictionibus. Et hoc dicendo me re ipsâ quoque duxit ad cœlum, ubi me conspexi coram Beatissima Trinitate, circumdatam ab innumeris Angelis, & Animabus beatis. Constituta verò coram ijs beatis Spiritibus, summam præ se ferentibus majestatem & gloriam, derisi memetipsam, considerando, me illis comparatam

ita

ita esse egenam, sicut est pannosus aliquis mendiculus, comparens coram multis Aulicis splendidè vestitis. Mox mihi visa sum à Deo fuisse elevata ad apicem cujusdam altissimæ cognitionis Divinæ Essentiæ, ubi quasi submergebar, méque perdebam. Deinde quodammodo attemperans excessum illius sublimis cognitionis, fecit, ut quasi singillatim agnoscerem modò ipsius justitiam, modò misericordiam, & alia attributa, ubi anima videbatur sui magis esse compos. Tum illi dixi: solebas, Domine has mihi præstare misericordias, ostendendo mihi meam animam intra te constitutam, & jam à compluribus diebus id non facis. Adverte, respondit Divina Majestas. Sicut, quando Mater à se genitum parvulum filium, suis complectitur ulnis, fovet ac alit, & alia ipsi præstat beneficia, filius illa suscipit, licèt non agnoscat; ita ego non cesso tibi conferre magna, quamvis ea non semper æquè cognoscas. Ideo, ut videas statum tuæ animæ, aspice. Et exhibuit mihi subitò animam in specie pulcherrimæ aviculæ, quæ sinè ulla intermissione, & ore aperto volitabat, intuendo magnum illum Deum, à quo quasi cibabatur, alebatur, fovebatur, & replebatur bonis. Mirabar hæc videndo, & abrepta fui in Deum, eique arctissimè unita, donec mihi reddita, me reperi in meo angulo. Ipse sit benedictus. Amen.

*Admirabilis hæc serva Dei se pro his, & alijs sui spiritus progressibus, quos deinceps recensebimus, præparavit ferventi actu amoris Dei, & exprimente puritatem cordis, cujus exercitio tum intenta erat, quantum ex eo colligi videtur, quod illi evenit cum sancto Francisco Xaverio, decimâ quintâ Januarij, ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti, & ipsa hunc in modum recenset.*

Decimâ quintâ hujus, vehementer oppressa doloribus, vidi gloriosum sanctum Franciscum Xaverium, descendentem ex cœlo ad meum cubiculum, cum multorũ Angelorum comitatu, qui, postquam advenerunt, dulcissimè cœperunt concinere laudes Dei, Sanctus autem me salutavit, dicendo: Dominus sit tecum, soror. Venio ad te jussu Divinæ Majestatis, ut te invisam, donémque tibi ipsius nomine pretiosum cimelium, quod hîc adfero. Aspexi, & vidi, quòd haberet in manu quiddam valde pulchrum, candidum instar nivis, & quoad formam simile umbellæ albi lilij: habebat enim folia repanda, qualia hic flos habere solet. Interrogavi illum: Quid est hoc benedicte Sancte? Et respondit mihi: Est flos summi pretij, cujus odor & fragrantia confortat & alit animas: & istum tibi, tanquam talem, nomine Dei offero. Tergiversata sum more meo, & nolui illum acceptare, rogando Sanctum, ut daretur uni ex ijs sanctis Angelis ipsius comitibus. Nequaquam, subjunxit Sanctus, à me illum accipere debes: ita namq; vult Deus. Et hoc dicto mihi appropinquabat. Ego quasi turbata & confusa, præ magna observantia, & veneratione, quâ Sanctum præsentem prosequebar, reluctabar ampliùs: verùm is illum inseruit meæ manui, quâ ab ipso applicatâ meo pectori, flos illud permeavit, ita meam animam immutando, ut ingentem sentiret svavitatem, plurimúmque recrearetur & corroboraretur. Mirabar valde hos effectus, & cogitabam intra me, quidnam illud mysterium significaret. Sanctus verò me intelligens, mihi dixit: Præcedentibus diebus elicuisti actus heroicos, quibus, dum Deus probaret tuum amorem, magno fervore, promptitudine, & generositate tui cordis & animæ, te obtulisti, quòd non esses scienter commissura ullum peccatum veniale, quamvis inde emolumentum dependeret totius mundi, & eo admisso salvandæ essent omnes animæ à Deo conditæ, quem tantopere amavisti, ut omnibus rebus renuntiaveris, nè ipse offenderetur, & eousque progressa fueris, ut malles pœnas sustinere inferni, quàm vel minimam culpam venialem advertenter committere. Propter hunc actum, quem Deus magni fecit, tibi ejusdem Majestas misit hunc pretiosissimum florem, accensendum illis, qui præ cæteris erunt spectabiles in coronâ, quam tibi Deus dabit in cœlo: quia per istum actum fuerunt tua merita mirum in modum exaltata & aucta. Cùm autem tibi Deus præstiterit tam singularem gratiam,

tiam, æquum est, ut mihi aliquid è tuis rebus dones, quod tuo nomine præsentem Divinæ Majestati. Respondi illi; Quid habeo, glorioſe Sancte, quod possim offerre meo Deo? siquidem Divina Majestas mihi sua confert dona, quæ minimè mereor, dulcésque suas traducit aquas, per hunc è malo limo factum canalem, in quo evadunt amaræ & salsæ. Bene est, dixit Sanctus: nihilominus da mihi unum filum ex tua veste; volo dicere, unum affectum tuæ voluntatis, quia Deus illum magni æstimabit. Tum respondi: Ago ipsi infinitas gratias pro tam singularibus beneficijs, & amo illum super omnia. Sanctus ostendit sibi esse satisfactum, & apprecatus mihi pacem, redivit ad cœlum, unáque cum ipso multi ex ijs Angelis: alij enim diu permanserunt in meo cubiculo.

Converti me ad Deum, postquam Sanctus abivit, dixíque illi: Quid est hoc mi Deus? quomodo te potero amare, & qualiter tibi potero præbere hospitium, & habitationem placentem in mea anima? hìc te invocabo, & non cessabo, donec mihi præstes istam gratiam, ut te possideam, exequárque in omnibus rebus tuam sanctissimam voluntatem. Verùm cui exhibes mi Deus, tam speciales gratias? quomodo eæ conveniunt vitæ tam communi & vulgari, quàm est mea? Pro illis tam magnis obtinendis, me oportet degere in tertio cœlo, & vivere absque cibo, sicut fecerunt, ac faciunt multi Sancti. Dominus mihi valde benignè respondit, dicendo: Non sunt necessaria hæc media ad hos fines: meæ sunt omnes viæ, quibus mihi servitur, & nisi cavissem, nè te affligerem, jam tibi id aliàs dixissem: nunc tamen tibi dico, me contulisse tuæ animæ tale robur, & naturali debilitati consuluisse eum in modum: ut absque his raptibus, & extraordinariis mediis, possis mecum familiariter agere, & audire ac videre, quæ tibi manifesto. Fui vehementer, súmque etiam num ob omnes Dei miserationes tantopere pudefacta, adeóque me illi obstrictam agnosco, ut nihil in me deprehendam præter verecundiam. Ipsi sit gloria. Amen.

*Quàm libenter Deus in purissimo istius Virginis corde habitaret, atque ad qualem meritorum sublimitatem illam evexerit, colligitur etiam ex eo, quod ipsi sub finem Martij (quo tempore Ecclesia, hoc anno sexcentesimo vigesimo quinto celebrabat mysteria passionis amabilissimi Redemptoris nostri) & sub medium Aprilem, accidit agenti cum Divina Majestate. Id ab illa sic refertur.*

Per hos dies Passionis mihi persæpe Dominus, nihil tale cogitanti in memoriam revocavit ea verba Evangelij: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur &c.* Et illuminavit me specialiter, ut agnoscerem majestatem & magnitudinem Domini morientis, ipsíque illatas injurias, atque permovit ad magnam teneritudinem & commiserationem. Deinde in me Divina Majestas excitavit vehementes affectus, ac desideria illi serviendi, & ejusdem quærendi, ac possidendi. Dicebat illi mea anima cupidissimè: Deus & Domine mi, ubi moraris? ubi te inveniam? ubi te quæram? Certè, Domine, aliquando, dum poteram egredi domo, te quærebam per angulos Ecclesiæ sancti Pauli, tandémque te in omnibus reperiebam. Hoc dicebam cum tanto affectu, ut deficerem viribus, videárque mihi fuisse expiratura, nisi mihi Dominus responderet, quod ejusdem Majestas fecit quàm clementissime, dixítque: Bene dicis Anima ibi me quæsivisti, & invenisti: modò autè quære me in angulis tui pectoris. Quærebam Dominum intra meam animam, & in ejus recessibus, ac inveniebam: præsertim verò ipsum reperi in meo corde, ubi erat impressum sanctissimum nomen JESU. Tum dixi ad Dominum: Mi Deus, quàm sunt sordidi hi anguli meæ animæ! Et Divina Majestas mihi respondit: sum natus in stabulo, & jam assvevi hujusmodi angulis; tuo tamen corde magìs delector.

Decimâ sextâ Aprilis manè habui quædam indicia, quòd mihi Deus præstare vellet aliquam gratiam, prout solet. Rogavi, ob meos timores ac desideria, nè errarem, summo affectu Dominum, ut mihi largiretur suum lumen, & inter alia dixi Ejus Majestati: Mi Deus & mi Domine, per pretiosissimum tuum mei causâ profusum

sangvinem, & per quinque vulnera tua, te oro, ut removeas à me omne mendacium ac illusionem; da mihi tuum sanctissimum lumen, ut cognoscam tuas veritates, & non decipiar. Deinde, quia mihi videbar excessisse in eo, quod intensis affectibus postulaveram, prostravi me coram Deo, & petij ab illo veniam. Divina Majestas mihi dixit: surge Anima, quia me non offendisti. Tum elevavi oculos, & conspexi JESUM Christum Dominum nostrum affixum cruci: non vidi ipsius faciem, sed quasi latus, siquidem mihi eâ occasione fuisset difficillimum, ut potuissem perdurare intuendo totum Dominum, tam lamentabili specie præditum. Vidi præterea, ex pretiosissimis ejusdem quinq; vulneribus effluentes quinque copiosissimos rivos sangvinis, quem quinque Angeli excipiebant quinque admirandis vasis. Domini mei Angeli me elevaverunt, & erigentes me in pedes, effuderunt super meum caput totúmque corpus, illum pretiosissimum sangvinem, supponente quodam Angelo meis pedibus vas vacuum, in quo sangvis residuus colligeretur. Postquam igitur eo fuissem perfusa, & omnes meæ vestes, deducta fui à meis Dominis Angelis ad meum pauperem lectum, tota madefacta, ut me velut siccarem, resplendentibus instar auri meis vestibus, quibus me statim exuerunt, & fui induta veste albâ.

Postea vidi, à sanctis illis viris, Josepho & Nicodemo, refigi corpus Christi Domini, jam mortui, à cruce, percussis clavorum cuspidibus, ut eximerentur, resonantibus quasi ictibus in meis auribus. Iidem deposito eo sacro corpore ex cruce, extensum in grandi lapide, & mundatum unxerunt, ac involverunt candidissimo linteamine, collocatúmque in quodam velut feretro mortuali, quod carebat tegumento, tulerunt in suis humeris ad sepulchrum, comitantibus illud multis Angelis, & sanctis mulieribus, aliísque discipulis Domini. Dei Genitricem non vidi. Passa fui extasim, in qua deploravi Dominum, quasi per quadraginta horas sepultum, & acsi eæ præterivissent, dum ad me sum reversa, inveni ejus Majestatem resuscitatam, instar solis miro modo refulgentem, & insistentem lapidi sepulchrali.

Paulò pòst vidi Ipsius Majestatem in meo cubiculo, eo habitu, quo post suam resurrectionem versabatur in terra, & dixit: Anima, vísne mihi præbere cibum? Bene intellexi, Dominum loqui de cibo spirituali, & respondi ipsi: Mi Domine, quid ego habeo, quod tibi dare possim, cùm cor meum sit immundum, fœdum & corruptum? Dominus respondit dicendo: Omnino habes. Hæc disserebam cum Domino, quando vidi, à nonnullis sanctis Angelis instrui parvam mensam, quæ erat longior quàm lata, prorsúsque admirabilis. Texerunt illam mappâ albissimâ; apposuerunt mappulas manuales, & elegantissimas parvas patinas crystallinas, ac sellam ad caput mensæ pro Domino, cujus Majestas accessit, & decentissimâ gravitate assedit in sella. Ducta sum ad mensam summè erubescens, quasi ad partem inferiorem, è regione Domini. Angeli cœperunt adferre cibum mysticum in paridis, quas collocabant in mensa: Dominus aspiciebat edulia, ac delibabat, quæ oti admota ostendebat sibi bene sapere, & Angeli indicabant, se plurimùm gaudere, quòd ea Domino placerent. Tunc mihi Dominus dixit: hæc patina est undecim Monialium, quas mihi dedisti, & collocavisti in Ordine Religioso; hæc est aliquot puerorum, quibus prospexisti; ista est gravium afflictionum, quas sustinuisti: & dicebat Dominus plura similia. Ego plurimùm obstupui, attribui mihi opera, quorum ipsemet Dominus fuerat author. Post hæc Dominus dixit: Jam Anima, tu me cibavisti ac refecisti: modò ego te volo reficere. Et acceptam ad manum placentulam rotundam candidissimi panis, illius magnitudinis, cujus est parva hostia, mihi visus est consecrare, quam mihi porrexit sumendam pro Eucharistia. Atque revera sensi in ore naturalem eorum accidentium saporem. Postquam me Dominus refecit hoc sacro epulo, dixit: Veni mea Anima, mecum ad cœlestem patriam. Duxit me secum, & præsentavit Beatissimæ Trinitati, immersíque me in illud Divinum

Esse,

Esse, ubi mansi. Sit in perpetuum benedicta Divina Majestas.

*Quemadmodum est de fide, quòd operibus nostris insit valor & meritum, per sanguinem Redemptoris nostri & Domini Jesu Christi, ità figura balnei, quo id hìc significatur, non solùm est conformis modo loquendi Patrum, sed etiam sancti Joannis Evangelistæ in Apocalypsi dicentis, quòd sancti in sanguine Agni laverint, & mundaverint stolas suas, Mensa mystica, quæ hìc fuit instructa, est ea, quam pariter (ùt nonnemo interpretatur) in Apocalypsi Christus promittit animæ victrici, ubi ait, quòd in eadem cœna, ac ad eandem mensam anima Dominum, vicissimque Dominus animam sit cibaturus. Eodem namque tempore, quo anima realiter cibatur sacra Eucharistiâ, videtur Dominus pasci affectibus & virtutibus animæ; estque communis SS. Patrum phrasis, & imprimis usitata in Canticis, ut actus nostri virtuosi vocentur fructus maturi, & convivia, quæ Divinæ Majestati exhibentur.*

# CAPUT XVI.

## Progreditur in recensendis, quæ similiter concernunt insignia merita, & gradus perfectionis, ad quos ipsius anima pervenit.

*NOn incipit magnus Deus noster & Dominus animam, fideliter sibi servientem, provehere ad perfectionem, ut sua ei cesset elargiri beneficia: continuat illa quàm liberalissimè usque in finem. Et immensa ipsius bonitas, per ea quæ præstitit, se ad alia denuò præstanda obstringit. Id, quoad præsens propositum, ex eo patebit, quòd Divina Majestas suavissimè liberalis, paulò pòst jam dicta, est operata in hac sua dilectissima famula, mense Majo ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti, & ipsa nobis his verbis descripsit:*

Die Dominicâ, decimâ octavâ Maij, ipso die Pentecostes, cùm fuissem à Divina Majestate prænonita, quòd mihi inter horam octavam & nonam matutinam, singularem esset præstitura gratiam, vidi multos Angelos commeantes velut inter cœlum & terram, aptantes & exornantes totum illud spatium, quod replebant luce, & splendoribus aureis, eum in modum, quo, dum magnus quispiam Princeps est egressurus ex suo palatio, aut dum prodit sanctissimum Sacramentũ sacro die Corporis Christi, mundantur, adornantur, & investiuntur tapetibus viæ, ob reverentiam illius magni Domini illàc transituri. Ita Angeli adaptabant, & replebant ornatu atque gloriâ illam viam, totum videlicet spatium, quod mihi inter cœlum ac terram patebat. Derepente cœpit exaudiri magnus strepitus, isque, licèt suavis & gratus, nonnihil tamen vehemens ac potens. Tum mihi isti mei Domini Angeli dixerunt: Veni nobiscum soror, quò te volumus ducere. Et non expectato ullo responso, in momento me perduxerunt ad amplum & spatiosum campum, ubi me incessit desiderium, ut illuc adducerem quasdam mihi notas personas, unam præsertim meam sociam, quam apprehenso ejusdem brachio trahebam, ut adesset ijs, quæ Deus facere volebat. Vidi in eo campo procul à me dissitos multos diabolos (quos etiam pridie videram) qui immani rabie sese invicem dilaniabant, gravem aliquem præ se ferentes dolorem & afflictionem, quâ divexarentur.

Protinus cœpit è cœlo ros cadere, instar lenis & minutæ pluviæ, qui invalescebat: incipiebat enim turbari aër cum nubibus, ingenti & procellosâ tempestate, ruente ex cœlo copiosâ grandine, quæ tota videbatur esse gemmâ: cotuscabant fulgura, perstringentia meos oculos, proximéq; attingentia meam faciem. Quanquam essem securissima, aliunde tamen eram quodammodo attonita, audiens totam illam tempestatem, vidénsq; tantam grandinem, & alia, quæ in me ex cœlo de-

cidebant, licèt omnia essent pretiosissima & svavissima, magnóque me afficerent solatio. Interea super me ruit ex cœlo ingens globus velut igneus & aureus, vehementer accensus, statímque inter illam pretiosam grandinem, & cœlestem pluviam emicuerunt duo radij, alter aureus, alter argenteus, qui penetraverunt corda duarum mihi notarum personarum, ibi in spiritu præsentium, & super illam meam sociam etiam cecidit pars magna ejus divinæ pluviæ, præcipuè vero pretiosorum è cœlo ruentium lapidum. Istâ quasi tempestate finitâ, continuò fuerunt eâ vehementiâ commoti cœli, ut tota illa machina videretur discerpi, ruitura ad terram. Omnis ille tumultus & commotio significabat summam potentiam & majestatem Dei, qui juxta nostrum modum intelligendi, & sicut id Deus tunc manifestat, descendebat ad campum, in quo eram, infinitâ stipatus multitudine Angelorum. Ita se mihi exhibuit Divina Persona Spiritûs Sancti, qui me sibi tam fortiter & arctè univit, ut nihil unquam simile sim experta, quia mihi videor fuisse tota intimè intromissa in illud Divinum Esse, & in eam immensam ac incomprehensibilem profunditatem, ubi me sibi admirandâ & svavissimâ vi adstringebat. Dum ita essem constituta, exsolvit me, more nostro loquendi, tribus vicibus ex eo sacro nexu & unione, tametsi nihilominus manerem in illa Divina Essentia, ut possem singulatim contemplari, & cognoscere ipsius infinitatem, immensitatem, & magnitudinem aliáque divina attributa Potentissimi illius Dei & Dominini nostri. Ibi videbam, possidebámq; eas divitias, & pulchritudinem ac svavitatem, quod qualiter fiat, lingva nescit explicare, atque etiam anima vix novit concipere. Post aliquod tempus (quantum id fuerit, ignoro) me reperi in meo angulo, vehementer admirans, quæ ibi acciderant.

Manè die sequenti, quæ erat feria secunda, vidi quosdam Angelos, perambulantes illum campum, qui in calathos elegantes & pretiosos, colligebant delapsas ex cœlo gemmas, & uniones. Omnia erant pulcherrima ac pretiosissima, & ego illis dicebam: Domini Angeli, date mihi quæ colligitis. Responderunt mihi: quid petis Anima? desiste à tua petitione: satis enim habes, satísque tibi datum est. Cogitavi, quid agerem, & videbatur mihi magna esse mea aviditas. Tandem vidi, quòd ablatis duodecim quasi corbiculis, seu canistellis eorum thesaurorum, ascenderint ad cœlum, obtulerintque illos Deo: qui sibi in ijs complacens mandavit, ut deferrentur in thesaurum Ecclesiæ. Benedictus sit Deus. Amen.

*Similis præcedenti, & quamvis aquè mysticus, attamen delicioſior eſt alius favor, quem illi in hoc genere Deus præſtitit, vigeſimâ quartâ Julij, eodem anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto, & ipſa ita recenſet.*

Habui hodie, quæ aliàs habere soleo, præsagia, præstandam mihi à Divina Majestate magnam aliquam gratiam, vidique derepente, parari à meis sanctis Angelis magnâ celeritate mensulam, eandémque nitidissimè instructam repleri odoriferis floribus, & patinis variorum fructuum. Deinde vidi, quod ad mensulæ caput gravissima cum majestate assederit sacratissima Persona Spiritûs Sancti, speciem gerens humanam, in qua tamen erat observare illam subtilitatem, de qua aliàs dixi, ac diversitatem, quâ (& verò maximè) differt à corporibus, quæ assumunt sancti Angeli, & Animæ beatæ, ut converlentur cum hominibus. Siquidem umbratile corpus, in quo se Deus exhibet videndum, est absque comparatione subtilius ac delicatius. In eadem figura mihi etiam comparuerunt aliæ duæ Personæ, repræsentantes mihi modo quodam arcanissimo, sed aptissimo, dogma sanctæ Fidei, de unitate Essentiæ in Trinitate Personarum. In hoc tamen opere, quia Deus illud specialiter attribui voluit Spiritui Sancto, magis se manifestabat hæc Divina Persona, quàm reliquæ duæ. Interea meus sanctus Angelus Custos, & cæteri mei Domini Angeli, me exornaverunt ijs vestibus, quibus aliàs, & abductam ex eo loco, in quo eram, collocaverunt ad mensam, è regione illius Divini ac Adorandi Spiritûs, qui arreptos

manibus flores, ſuperpoſitos menſæ, olfaciebat, & acſi magnam ijs ineſſe adverteret fragrantiam, ajebat: Oh ſpecioſos flores! quàm gratioſo me afflant odore! Et accepto poſtea quodam fructu, applicatóque labijs, dicebat: Quàm pulcher fructus! quàm grati eſt ſaporis! Hæc verba Dominus proferebat, oſtendens, magni à ſe fieri eos flores & fructus, qui (licèt id non abſque magno rubore, & verecundia mea dicam) ſignificabant exigua quædam obſequia, quæ ſibi à me exhibita Dominus dignabatur acceptare. Tum, ut multis me cumularet gratijs, dixit: quandoquidem mihi tu tam ſuaves propoſuiſti flores, adeóque delicatos fructus, etiam ego tibi volo gratificari. Et apprehensâ pretioſâ patinâ, impoſuit in illam præſtantiſſima dona, ac elegantiſſima cimelia: cúmque ego mirarer, videns tam magnũ, támque pretioſum theſaurum, dixit mihi Divina Majeſtas: Adverte Anima, ſicut dum in terra Pater aliquis magnâ ſuâ diligentiâ & ſolicitudine congregat multas opes, & conſtituto inde fideicommiſſo illas attribuit filio majori natu, præ cæteris charo, ita ut ijs fruatur, proſpiciendo ſibi de ſplendido victu & amictu, cui commendat reliquos minores natu fratres, ut ex earum facultatum reſiduo, illis ſubminiſtret alimenta, veſtes & vitæ neceſſaria: ita ego tibi liberaliter impertior hæc bona, ut diteris, eadémque diſpertiaris inter omnes tuos amicos. Cùm autem agerem gratias pro tam ſpecialibus donis, exiſtimans, mihi qualecunque abundè ſuffecturum, tametſi foret minimum, adjecit Divina Majeſtas dicendo: Quando magnus Princeps in terra init matrimonium, adjecit Divina Majeſtas dicendo: Quando magnus Princeps in terra init matrimonium, non aquieſcit, poſtquam ſuæ ſponſæ moderata quædam donavit cimelia, & quadantenus ſplendida veſtimenta; ſed jubet illi fieri modò hanc, modò aliam elegantem veſtem, donátque ipſi diverſa pretioſa ornamenta: ita me ego erga te volo exhibere liberalem, nullos meis beneficiis limites præfigendo. Deinde ſancti Angeli collocaverunt eam patinam coram reliquis duabus Perſonis, quæ ſe mihi minùs manifeſtabant, & ſingulæ in illam etiam tam multos congeſſerunt theſauros, ut ſint ineffabiles: neque enim, quantùm animæ apparet, ea illorum erat copia, quæ hîc eſſe conſuevit, ſed ſinè comparatione major. Tum quatuor ſancti Angeli, accepto eleganti velo, cujus ſingulos angulos ſinguli apprehenderant, cooperuerunt eo patinam, quam tulerunt ad me, replentes me ijs pretioſis bonis. Interea Dominus ſurrexit, & cùm mea anima abſentiam ipſius ægrè ferret, optarétque illum ſequi, mandavit Ejus Majeſtas meis Dominis Angelis, ut me ducerent ad cœlum. Quo facto, manſi in illo Trino & Uno Domino, arctiſſimè ipſi unita, donec mihi reddita, me reperi in meo angulo. Deus ſit benedictus. Amen.

*Licèt articulus ſit fidei, unam eandémque eſſe operationem Trium Divinarum Perſonarum, quidquid Deus extra ſe operetur, & quæcunque bona communicet animæ; nihilominus in his imaginarijs viſionibus, utì ſæpe alias vidimus, deincépsque videbimus, ſolent ſingulæ Divinæ Perſonæ repræſentari operantes ſeorſim, & communicantes ſua ſpecialia dona, ut nobis Deus ſignificet, quàm verè ipſius Eccleſia nonnullos effectus, quos novit eſſe communes & indiviſos ejuſdem Dei, attribuat, certâ quadam conformitate & ſimilitudine, uni Divinæ Perſonæ; alios autem alteri: velut effectus potentiæ Patri, ſcientiæ Filio, amoris ſpiritui Sancto. Multò poſteriùs aliam à Deo, famula ipſius, majorem ejuſdem generis gratiam obtinuit, ut intelligeret, in quo gradu ſua eſſet anima conſtituta, quanquam ea corpori multis conſtiterit doloribus (qua de re alias dictum eſt) quibus fuit oppreſſum. Ad ſingularem inſuper præſens beneficium excitabit admirationem pias animas, quæ id legerint, quando illum Dominum Majeſtatis, qui nullo negotio providere poteſt pauperibus, quibus vult ſubvenire, adeò aliunde in ſua gubernatione animadvertent eſſe ſuavem, ut videatur quaſi ſtudioſè exquiſiviſſe vias, quibus per hanc Virginem, tempore famis, ſuccurreretur quibuſdam pauperculis, acſi humanis indigeret inſtrumentis, ad exequendum, quod facere decrevit. Conſcripſit ipſa caſum, ut ſequitur.*

Mea quædam socia, & ego diu coram Deo deliberamus, essetne conveniens, eo anno, ob quasdam rationes id svadentes, plus in domuncula nostra remanere tritici, quàm præcisè opus foret pro alenda familia. Interea mea anima fuit abrepta in suum Deum, cujus Majestas modo gravissimo & sublimi (ac tali, ut eo ipso multa, nisi fallor, significarentur) mihi dixit: Adverte, congrega quantum poteris tritici, singula namque grana erunt valde proficua, quia ego illa supra modum multiplicabo, in remedium necessitatum. Mea anima fuit his verbis auditis vehementer turbata, & dixi Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, considera id, per temetipsum te oro: siquidem ingens videtur oriturum scandalum, si occurrente occasione innotescat, à me hanc tritici copiam fuisse accumulatam, cùm habeat pro paupere. Res hæc tuum concernit honorem & gloriam: nam honoris mei, prout scis, nullam gero curam, quem tibi quàm libentissimè offero. Divina Majestas prædicto modo respondit, dicendo: Noli hac de re solicitari, & confide mihi. Ego ita fui comparata, ut nesciverim desistere à replicando, & interrogavi: Quomodo fiet istud? quomodo faciendum est, cùm annexas habeat dictas difficultates? Non interroga me ampliùs, ajebat Dominus, fac quod dixi. Mea anima fuit afflicta, quamvis resignata in Divinam voluntatem. Dico autem (nescio, an, ut me ipsam consoler, quanquam loquar vera) sæpe à Domino Deo intimari animæ, ut aliquid faciat, quod discrepat à legibus ordinariis, & ejusdem animæ propensione, ad probandam ipsius humilitatem, resignationem, fidem & fiduciam. Dum ita essem perplexa, & consvetis meis angerer timoribus, obversabatur meæ animæ occulta quædam cogitatio, & quasi eminus adveniens reflexio; fuerítne tamen Deus, qui mihi id dixerit? Attamen dubitare non poteram, quin ipse mihi sit locutus. Hac occasione dæmon me est conatus intricare, eo duntaxat fine, nè illi veritati fidem adhiberem. Verùm mea anima id bene agnovit, quidquid ab ipso simularetur, ideóque abscessit. Tum mihi Dominus dixit: bene dæmonem agnovisti; agnosce & me, quandoquidem te illumino, ut similia discernas. Tenebar nihilominus adhuc desiderio rogandi Deum, ut hæc res, si foret ipsius voluntas, non ageretur serió, sed esset experimentum, quò memet agnoscerem, totámque ipsi committerem. Divina Majestas exequatur in sua indigna ancilla, quidquid conforme fuerit ejusdem voluntati & beneplacito.

Sequenti postea nocte Deus idem repetivit, dicendo: Congere, quantumcunque poteris, pro pauperum necessitatibus. Atq; dum considerarem, & propter meos timores (qui esse videntur nimij, sicut mihi Divina Majestas significavit, & mei Confessarij multoties dixerunt) cum anima mea inirem rationem, quàm esset certum, id à Deo dici, deprehendebam aliqui dubio, verè ita se rem habere, adeò ut, si à me exigeretur juramentum, omnia esse vera jurarem, quantùm quidem intellectus meus à DEO illuminatus, poterat judicare. Et tamen aliquid sensi difficultatis in petenda eleemosyna, quanquam ad eam petendam essem prompta. DEUS nihilominus me hactenus non reprehendebat ob hanc meam tergiversationem, licèt me aliquantùm, & svaviter, ob excessum meorum timorum redarguerit.

Post hoc, dum more consveto agerem cum DEO, invasit me quoddam desiderium, modo mihi parum usitato, ut viderem & intelligerem, quanam re occuparetur superior pars meæ animæ, & qualis à Divina Majestate distineretur obsequio: siquidem illam, post aliquot admirabiles ascensus, animadvertebam esse quasi procul à me abstractam in suum magnum DEUM, & in eam Divinam caliginem, ubi quàm secretissimè cognoscebat & amabat illam gloriam, eáque fruebatur. Id quidem percipiebam confusè, non autem videbam distinctè, quid ageretur; atque hoc fuisse videtur, quod tum cognoscere optabam. Eveniebat mihi, exempli causâ, quod viro cuipiam nobili, qui, postquam dilecto suo filio, deducto ad aulam, prospexit de officio in palatio, & procura-

vit

vit conſpicuum in obſequio Regis gradū, revertitur contentiſſimus in ſuam patriam, gaudens relinqui à ſe filium tam bene, & in gradu tam proficuo collocatum: licétque careat ipſius conſpectu, ſolatur ſe tamen verâ & fideli notitiâ, quam habet, quòd juvenis non ſolùm ſerviat Regi, ſed etiam ejuſdem protectione fruatur, & gratiâ. Talis autem Parens etiamſi id ſciat abſens indiſtinctè, vivátque plenus ſolatio, quando interdum recordatur ſui filij, nequit tamen, quantumcunque deſideret, ſcire, quali negotio & obſequio ſpeciatim eo tempore occupetur, inſerviendo Regi: an videlicet ipſi miniſtret aſſidenti menſæ, an illum comitetur, an operam navet eidem induendo, aut recreando, vel aliud ſimile præſtet ſervitium. Ignoro, utrùm iſta comparatio ſit alicujus momenti, quia, cùm myſterium ſit arcaniſſimum, nec ſcio, neque poſſum me explicare, ſicut vellem.

Hunc itaque in modum propendebam ad ſciendum, quid tum ageret ſuperior pars meæ animæ, quando audivi Dominū mihi dicentem: Anima quid vis, ac deſideras? Adverte, non ſuffecturas tibi vires, ad ſuſtinendum tantum lumen, quanto indiges, ut videas, quod optas. Meus affectus fuit auctus, & reſpondi avidè: Omnino, ſuſtinebo illud, adjuvante tuâ gratiâ. Animadverte, iteratò dixit Dominus, te non fore ſufficientem ei ferendo. Utut ſit, ajebam, quamvis non ſim ſufficiens, mi Deus, fac mihi iſtam gratiam. Tum Divina illa Majeſtas patefecit ingens fulgur luminis, quod propter ipſius magnitudinem vocavi inacceſſibile (& nihilominus neſcio, quid hæc vox *inacceſſibile* ſignificet) vidíque, eam partem ſuperiorem meæ animæ ardere, ac totam penetrari ab eo lumine inacceſſibili, eſséque in illud quaſi transformatam. Deinde ipſam etiam conſpexi intra intima penetralia & profunditatem Divinæ Eſſentiæ, ubi illi Deus altiſſimas communicabat cognitiones, de ſuis Divinis perfectionibus, de ſua æternitate, omnipotentia, & ſapientia, adeò ut mea indigna & pauper anima videretur ſpatiari intra ſuum DEUM, ſicut piſcis pertranſit, & liberè percurrit aquas, quouſque poteſt pertingere (nequit autem unquam omnes permeare) intra fluvium, in quo progignitur. Taliter conſtituta fuerit eo circiter temporis ſpatio, quo ter dici poſſet ſymbolum Apoſtolorum, donec penitus perdita & ſubmerſa in illo immenſo mari Divinæ Eſſentiæ, eum obtinuit ſtatum, in quo, per Divinam miſericordiam, plerumque eſſe conſuevit. Ex iſta ecſtaſi remanſerunt in paupere corpuſculo moleſtiſſimi effectus: ſiquidem mihi ita intumuit pectus & ſtomachus, ut ipſa quoque oſſa perciperent dolorem. Fui vehementer afflicta, & graves ſum paſſa dolores totâ die, atque, opinione meâ, non ſinè indiciis lethalibus: quia tamen necdum advenerat hora mea, intra quinque aut ſex horas præterijt acerrimum hoc tormentum, in quo me exiſtimabam expiraturam: per integrum nihilominus diem magnos ſuſtinui cruciatus. Gratias ago DEO, qui ſemper ſit benedictus, & impleatur in me ſanctiſſima ipſius voluntas. Amen.

*Cùm hæc Virgo ad tam ſublimem evecta gradum viderit ſuam animam, mirum non eſt, quòd deſideraverit, ipſam jam prorſus à carcere corporis videre abſolutam, ut plenè fruerétur bonis, ad quæ anhelabat. Deus tamen, volens ipſius perfectionem adhuc altiùs progredi, confortando ejuſdem naturam, contrà tam vehementes impetus ſpiritûs, & millenos alios dolores ac afflictiones, extrahebat illius vitam, quoadúſque ſuis paſſibus impleret cumulum meriti, ad quem ab æterno fuerat prædeſtinata. Id quod ipſa breviter adnotavit in ſchedâ ſcripta undecimâ Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, cujus hæc ſunt verba:*

Undecimâ hujus, dum ægerrimè haberem, & graviſſimos paterer dolores, videbatur mihi anima, modo ſpiritualiſſimo, & quem explicare neſcio, egredi per oculos, nares, & os, acſi ſepararetur à corpore. Quomodocunque demum fuerit conſtituta, abivit ad cœleſtem patriā, comparuitque coram Majeſtate Domini DEI noſtri. Fui benignè excepta ab hoc magno Domino, qui mihi dixit: Bene veneris Anima, nónne venis ad capiendam poſſeſſionem æterni domicilij, quod perpe-

tuò

tuò inhabitabis? Ita, mi Domine, dixi ego, ideóque jam ſtatim hîc vellem manere. Nequaquam, reſpondit Dominus, modò non convenit: verùm ſervi, ſicut fecit Jacob, ſeptem annis pro formoſa Rachele, atq; nunc adjuva tuam imbecillem ac debilitatam ſororem. Noluit DEUS dicere (quod mihi tamen fuit clariſſimè ſignificatum) me victuram ſeptem annis, ſed ſolùm eâ eſt uſus comparatione, quòd tempus ac ſervitium reſpondere deberet præmio à me expetito, utque nunc anima ferret opem corpori, quâ indigebat. Gratiæ reddantur DEO, qui ſit benedictus. Amẽ.

*Finem capiti huic impono, adnectendo ſingularem gratiam ipſi à DEO præſtitam, in qua videtur compendium contineri omnium, quæ de illius perfectione dici poſſunt, quando ipſi DEUS conceſſit, ut in omnibus rebus ſe conformaret divino ejuſdem beneplacito. Iſtud evenit in Januario, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, & refertur ab illa his verbis.*

Agebam inſtanter cum DEO, abrepta à vehementibus affectibus, & ardentibus deſiderijs, ut me in omnibus rebus conformarem ſanctiſſimæ ejus voluntati: videbar mihi confiei, & dixi Divinæ Majeſtati, toto conatu meæ animæ, intimèq; ſentiendo, me dicere verum: Mi DEUS, ſi tota terra, & cœlum, etiámque ipſius gloria foret mea, omnia tibi darem, & ex toto corde meo, modò tu mihi largireris, ut id unum aſſequerer, quò in omnibus implerem tuam voluntatem. Hoc animo meo agitabam magno fervore, quando juxta me conſpexi ſanctum Patrem Ludovicum de Ponte, quo fui multùm recreata, dixíque illi: Sancte Pater, audiviſtíne, quid dixerim? Omninò Anima, bene audivi, reſpondit Sanctus. Roga igitur DEUM, ajebam, & ora quàm impenſiſſimè, ut mihi concedat, quod ab eo peto. Sanctus elevavit oculos ad cœlum junctis manibus, petivítque id à DEO. Mihi, pro mea illa aviditate, petitio Sancti videbatur minùs fervens, & dixi: Sancte Pater, ora DEUM quàm inſtantiſſimè, quod ſi non feceris, rogabo hos meos Dominos Angelos, ut ipſi orent. Tum vidi meum DEUM, qui mihi amantiſſimè & benigniſſimè dixit: Certè Anima, placuiſti mihi, & ſatisfeciſti plurimùm tuâ oblatione, ac precibus. Accepto, quod mihi offers, acſi mihi id re ipsâ dares, & verè tibi dico, me annuere tuæ petitioni, ut omnia agas conformiter meæ voluntati. Obſtupui immenſam magni hujus Domini bonitatem, audiens hæc ab eo dici, & aſpiciens Patrem Ludovicum de Ponte, dixi illi: Sancte Pater, animadvertiſtíne magnam DEI bonitatem?

Paulò pòſt mihi dixit Dominus: Anima veni mecum, aſcende hàc. Erat ibi quoddam quaſi ſuſtentaculum, cujus eſt uſus in ſcalis loco fulcri, protenſum uſque ad cœlum; nõ aderant tamen ſcalæ, ideóque reſpondi: Hàc mi Domine, non poteram aſcendere. Omnino poteris, ajebat Dominus, aſcende. Repoſui: non video, quâ viâ. Tum quidam Angelus DEI mihi dixit: *Angelis ſuis DEUS mandavit de te: in manibus portabunt te.* Et abſque mora ſuppoſuit meis pedibus volam ſuæ manûs, rulítque me ad cœlum, innitentem dicto ſuſtentaculo. Ibi me ſibi DEUS tribus vicibus univit (quia ſubinde aliquantùm quodammodo egrediebar ex ea divina abyſſo) donec illic perdita me reperiin meo angulo. Laudetur DEUS in æternum. Amen.

❋❋❋

# CAPUT XVII.

## De admirandis quibuſdam ipſius eventibus, dum aſcenderet ad cœleſtem Patriam.

*QVanquam in reliquis omnibus materijs, quas antehac pertractavimus, jam viderimus, hanc puriſſimam Virginem pleroſque divinos favores, à munificentia magni DEI noſtri & Domini obtinuiſſe, quando ipſius anima (atque interdum etiam corpus, ſicut ſuperiùs diximus) ad cœleſtem rapiebatur Patriam:*

*triam: visum mihi nihilominus est, convenire, ut seorsim per aliquot capita referam quosdam ejusdem admirabiles ascensus, ad beatum illum montem, ubi triumphat Civitas Dei, in quantum in his clarius exprimuntur afflictiones ac dolores, quibus gravabatur, & meritum, quod ipsi inde augebatur (quæ est materia præsentis nostræ scriptionis) dum illi has Deus gratias conferret. Residui alij ascensus similes, commodioribus alijs interserentur locis, pro diversitate argumentorum, quæ pertractabimus. Quem nunc describo, accidit sub finem Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, paucissimis diebus ab obitu sancti Patris Ludovici de Ponte. Id ipsa sic narrat:*

A multis diebus patior gravissimos & exorbitantes dolores, in omnibus præcipuis miserabilis corporis membris, ortos ex eo mysterio, quod in alia charta fusè descripsi, quando Delicium nostrum Christus Dominus, affixus cruci, mihi eo modo, cujus mea imbecillitas & exiguitas erat capax, & qui illi placuit, tormenta communicavit ac dolores suæ sacratissimæ Passionis. Dum igitur in asperitate hujus crucis versarer, multúmque affligerer, vidi Dominum, qui mihi peramanter & benignè dixit: Creatura & Anima mea, si forem capax commiserationis & afflictionis, haberem illam, quia à te video tolerari istam crucem, in qua te constitui: quod quidem facio ad majus tuum bonũ, & gloriam meam. Ideò nunc modicùm in me quiesce, & conscende gradus illius mysticæ scalæ, quam ibi videbis, atque ingredere in meam cœlestem civitatem. Hæc divina verba me ingenti repleverunt solatio. Vidi scalam, & cucurri ad illam quàm celerrimè; cœpi velociter ascendere, fuítque tanta, nescio quomodo, mea festinatio, ut non observarem, an me comitarentur, nécne, mei Domini Angeli. Perveni cum eodem affectu usq; ad summitatem scalæ, & cùm vellem ingredi portam cœlestis Jerosolymæ, occurrit mihi Angelus, unus ex principalioribus, & magnæ authoritatis, qui me detinens, vultu ad majestatem composito, mihi dixit: siste anima, quò pergis tam festinanter, & cur? quid vis? Audiendo hæc verba, quæ mihi magnâ gravitate, & imperiosè dixit sanctus Angelus, fui quasi turbata, ac tota meticulosa respondi, prout potui, dicens illi: Domine Angele, ego huc veni jussu Domini Majestatis, permitte me in nomine ipsius intrare. Tum ille eodem modo, quo antea: Quâ ratione tu vis, inquit, ut tibi credam, verum esse, quod dicis? quale signum, aut quod nuntium adfers à Domino, ut te intromittam, sinámque ingredi in hanc cœlestem Patriam, quam nulla creatura in carne mortali vivens potest introire? Fui propterea magis turbata, & confusa, quàm initio. Lustravi meas manus, & pectus, an aliquid in hoc, aut in illis adferrem: cúmque nihil penitus viderem, perplexa verecundabar. Aspexi me iterum, & vidi, me habere manibus & pectori inscriptum manu Dei, literis aureis, mandatum, ut permitterer intrare. Læta idcirco, & plena solatio, dixi illi cœlesti Janitori: Domine Angele, aspice meas manus & pectus, ubi gero facultatem mihi datam à Domino Majestatis, éstque ipsius privilegium: permitte me ingredi amore hujus Dei. Tum ille quodammodo admirabundus, considerando quod videbat, sibíque in eo complacendo, statim dixit: Bene est Anima, optimas adfers commendatitias, ingredere cum benedictione Dei. Ita me admisit, & ingressa sum subitò, quò desiderabam.

Vix intraveram cœlestem Jerosolymam, quando me vidi circumdatam ab omnibus illis meis Dominis Angelis, commorantibus in meo cubiculo. Obstupescebam, & eram attonita, contemplando gloriam, & pulchritudinem illius loci. Circumspiciebam quaquaversum, videbámq; multos Angelos, & fortunatos spiritus, atque à DEO illuminata cognoscebam, quomodo ipsos Divina Majestas sui visione redderet beatos. Tunc mei Domini Angeli ad me accedentes mihi dixerunt: Anima, hìc tibi manendum non est, oportet te ad alium locum hujus Civitatis Dei progredi, sicut mandavit Dominus. Mei Domini, ajebam, ego locorum istorum non habeo notitiam, nec scio, quà mihi sit eundum. Veni nobiscum, dixerunt ipsi, duce-

ducemúsque te, quò convenit: sumus enim harum viarum periti, habemúsque illas perspectas. Atque derepentè fuit mea anima ducta ab his meis Dominis quadam viâ planâ, quæ tota apparebat abundans gloriâ. Inde me eduxerunt per quosdam gradus ad immensam altitudinem, ubi videbatur habitare, & quasi residere Majestas Dei Domini nostri, & totius Beatissimæ Trinitatis. Ibi fui prostrata coram hoc magno Domino, in quo situ diu permansi. Deinde sum elevata, & cùm omni ex parte perlustratem illas altitudines immensas, ubi omnia erant Deus, & ampliùs Deus, nihil præterea aliud videbam, nec Angelos, neque Animas beatas. Rapta fui in ecstaticum quendam stuporem. Postea defixis oculis intellectûs (quem Deus suo lumine replebat) in eo Divino Esse, & in Beatissima Trinitate, vidi, & cognovi illud sacratissimum Mysterium, atque quomodo Sacratissima Persona Patris, intelligendo & cõprehendendo seipsũ, producat Conceptum ac Verbum mentis; & hoc Verbum æternum, seu Conceptus sit, vocetúrque Persona unigeniti ipsius Filij. Vidi, qualiter hæ duæ Personæ, se amando producant Amorem, & hic Amor productus sit, ac vocetur Persona Spiritus Sancti, síntque tres Personæ distinctæ, & unus tantùm Deus, una Divina Essentia. Hunc in modum fui bono temporis spatio constituta: & cùm Deus alio me, atque sublimiore lumine illustraret, cognovi, quâ ratione ille Triunus Deus, ob suam immensam magnitudinem sit incomprehensibilis, quódque à nulla creatura possit concipi, & plenè cognosci; ipsemet tamen Deus suâ sapientiâ & magnitudine se comprehendat, habeátque intra suum Divinum Esse venam suæ gloriæ, ita ut idcirco nullâ indigeat creaturâ. Id significabatur eò modo solitarij secessûs ab omnibus creaturis cœlestibus, in quo degebat illa summa Majestas, prout se mihi tunc repræsentabat. Hæc omnia cognoscebam tam clarè, ut mihi verba non suppetant, quibus ea possint explicari. Inter has divinas illustrationes ita eram abrepta, ut nec de me quidquam scirem, neque me agnoscerem. Tum me Dominus arctâ secum unione univit.

Quando ad me redivi, apprehenderunt me suis brachijs mei Domini Angeli, atq; coopertam splendidissimo velo deduxerunt, quasi non advertentem, per gradus, quibus ascenderam, & postquam me constituerunt in eo primo loco, in quo fueram, quando sum ingressa illam Civitatem Dei, spoliaverunt me velo, quo me contexerant. Lustravi undique, sicut antea, totum illum locum, & cognovi, quomodo omnes illi Angeli & Beati viderent Deum, eóq; fruerentur, juxta diversitatem meritorum, quæ ipsis divina gratia liberalissimè communicaverat, quin tamen ullus comprehenderet infinitum illud Esse Dei. Deinde, licèt manerem in eo raptu, mea anima aspexit se ipsam, vidítque se totam accensam, & penetratam à quodam divino igne, instar ferri, quod ex fabrili fornace extractum, quamvis naturam retineat ferri, speciem nihilominus & effectus habet ignis. Videns me ita constitutam, pulsa fui spirituale deliquium, quasi deficiens viribus. Tunc me Domini mei Angeli denuò texerunt illo velo mystico, per quod videbatur promicare ignis, & radij lucis, sublatámque rursus ad sua brachia, posuerunt in meo angulo, me propemodum nisentiente, auferentes mihi ibidem iterum illud velum. Totum hoc mysterium me tam profundâ affecit admiratione, ut ei aliquot diebus durante, perquàm difficulter ad me reverti potuerim.

Quinque aut sex diebus pòst, præstitit Divina Majestas aliam magnam meæ animæ misericordiam, similem ei, quam retuli, etsi diversus fuerit illius modus, habuerítque alias nonnullas circumstantias, quas, nè me hìc magìs diffundam, & quæ jam alibi descriptæ fuerunt, prætermitto. Addo solùm, me tum ita fuisse submersam in immenso mari Divini Esse, ut multis diebus ad me redire nequiverim.

Uno horum dierum, post sacram Communionem, se mea anima in momento temporis deprehendit, quasi indutam Jesu Christo Domino nostro, fuítque ipsi communicata, quantùm exigua mea fer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bat capacitas, & debilis natura, virtus Divina, unà cum doloribus, quos idem Dominus in sacratissimo suo capite, pectore & humeris sustinuit. Sic multis diebus fui constituta. Benedictus sit Deus in æternum: ipse novit meam verecundiam, quâ, ut obtemperem meo Confessario, ista refero. Fiat sanctissima illius voluntas.

*Ad finem hujus chartæ fuit adscripta manu Confessarij ipsius, Patris Michaëlis de Orenja, velut explicatio, quam audiverat ex ore sanctæ Virginis: licentiam videlicet, quam in manibus & pectore gerunt Animæ justæ, ut ingrediantur in ea æterna habitacula, habeántque conversationem suam in cœlo, esse opera virtutum, & charitatis, atque affectus amoris, conjunctas ardentibus, placendi quàm perfectissimè magno Deo nostro & Domino, desideriis.*

*Atrocissimi fuerunt dolores & cruciatus, quos ista famula Dei hoc tempore toleravit, quia nempe illi porrigebatur bibenda portio, ex Calice Passionis Christi Domini. Ingenti ringebatur invidiâ diabolus, dum ipsam ita videbat constitutam: major tamen erat animus, quo illa patiebatur, & suavissima complacentia, quâ Deus, acceptando ipsius sacrificium, eam quandóque consolabatur. Patebit hoc ex eo, quod eodem tempore, eadémque occasione evenit, & sic ab illa, paulo pòst modò dicta, refertur.*

Versanti mihi in dolorum meorum & tormentorũ ardenti fornace, indidit Deus ferventissima intensorum actuum resignationis desideria, útque me totam, & in perpetuum subjicerem sanctissimæ ipsius voluntati. Obsistebat illis diabolus, crudeliter me oppugnando, suggerens mihi, me non posse tam multùm præstare. Scísne verò tu, ajebat, an non Deus velit, ut hoc modo diu patiaris? quidsi illi placeret, ut in æternum? Id ipse optimè sciet, poteritque efficere, tu autem non poteris sustinere. Et inculcabat mihi multa alia ad idem propositum, quæ me vehementer vexabant & angebant. Resistebam illi & repugnabam, iterando magna cum difficultate & molestia meos actus resignationis. Dum id agerem, fui ducta à meis Dominis Angelis ad cœlum, ubi provoluta in genua coram illius magni Triunius Dei Majestate, circumdata ab ijsdem meis Dominis Angelis, qui me adduxerant, & adstante mihi sacratissimâ Virgine Dominâ nostrâ, præsente totâ Curiâ cœlesti Angelorum & Sanctorum, elicui ferventissimũ actum resignationis in voluntatem Dei, quo ipsi obtuli sanitatem, vitam, corpus, animam, ac voluntatem, & quidquid aliud haberem: specialissimè verò me prõptam exhibui quoad meos dolores & afflictiones, earundémque durationem, desiderans toto animo in his omnibus divinum beneplacitum, etiamsi Divina Majestas vellet, ut hi mei cruciatus, in summo suo rigore, durarent in æternum. Omnia ista, quàm optimè sciebam, proposui & suscepi. Post hunc actum mei Domini Angeli me prostraverunt humi in eo cœlo, texerúntque pretioso panno aureo & nigro. Pulsatæ fuerunt campanæ, quarum sonus, licèt agnoscerem easdem quasi in signũ funeris pulsari, referebat jucundam & svaviſſimam musicam. Finito hoc pulsu, fui discooperta, & postquam mihi benignissimus Dominus impertitus est istam benedictionem, reducta sum ad meum angellum. Benedictus sit Deus. Amen.

*Deinde trigesimâ Martij ejusdem anni, recensendo specialiter aliud quoddam genus tormentorum, quibus fuit afflicta à dæmonibus, & gratiam sibi à Deo præstitam, sic ait.*

Per sex Quadragesimæ hebdomades, gravissimos sum passa dolores, & extraordinarios dolores, atque martyria tam terribilia, ut, quando nunc illorum reminiscor, existimem, mihi impossibile fore, ut ea rursum salvâ vitâ sustinerem: omnia verò proveniebant à diabolo, quia illi Deus indulserat, ut me non aliter exerceret ac Jobum, sicut ipse diabolus minas mihi intentando est fassus. Cúmque ego ipsum appellarem, patrem mendaciorum, & irriderem, respondit mihi: Non credis mihi, videbis id autem. Quod revera sum experta, etiámque ij, qui mihi aderant, ad me curandam & consolandam, adverterunt, ideóque vices meas dolebant. Affligebar verò tunc, discruciabar, sentiebámque ingentem internam angustiam, & tristi-

stissimam solitudinem, quoad operationes divinas. Quando enim hæc fiebant, licèt superior pars meæ animæ semper sit suo Deo unita; inferior tamen illius portio, natura, & ejus potentiæ patiebantur derelictiones, tantúmque in ipsis remanebant quædam desideria continuæ in Dei voluntatem resignationis, quod equidem duranibus his afflictionibus facere conabar. Sic se res habebat, quando ex consvetis mihi signis animadverti, Deum mihi velle extraordinariam aliquam exhibere misericordiam, sicut antehac erat solitus. Et re ipsâ me id affligebat (nam quæ ipsius est bonitas, bene mecum agitur, dum amore ipsius patior) conabárque me abstrahere, ne attenderem prodentibus se indiciis consolationis.

Hodiernâ tamen die, quæ est Sabbathi, trigesimâ hujus, priusquam diescret, adverti, quòd mei Domini Angeli, qui incolunt aulam auream, referarent illius januam, & omnes quatuor confidentes in quodam velut scamno, Angelus autem *Minor* in sella, quæ tantummodo habebat reclinatorium dorsi; illi instrumentis aliis musicis, hic verò tibiâ, inceperint personare, & canere laudes Dei, insumentes aliquam textûs partem in eo specialiter laudando, ob victoriam, quam ipso concedente, his diebus retuleram de diabolo. Tum reliqui mei Domini Angeli, commorantes in meo cubiculo, tractando sua instrumenta, cantúque suo concordando cum alijs existentibus in aula, formaverunt suum chorum, sibíque tanquam alternatim utrinque respondentes, continuaverunt diu musicam, quæ supra omnẽ modum erat svavis, admirabilis, & divina. Eâ absolutâ accessit ad me sanctus meus Angelus Custos, cum suis quinque socijs, & dixerunt mihi: Soror, Dominus tibi vult gratificari, dispone te. Insonuit interea grandis in cœlo strepitus, & hi mei Domini subjunxerunt: soror, Divinus Sponsus venit, ad invisendam suam sponsam. Ego fui afflicta, dixíque: Absit, mei Domini: necesse est ut me abstraham, sum namque maxima peccatrix, & miserabilis, indigna tantâ misericordiâ. Optimè mihi est in meo simeto, ubi me Dominus his diebus collocavit: non est, ut de hac re agatur. Talis erat quoad hoc meus affectus, ut multa hujusmodi verba ingeminarem, neque mihi id finerem persvaderi. Nonne verò, soror, responderunt ipsi, debes velle, quod vult Deus, & exequi ejus voluntatem? Permitte Deum in te agere, quod illi placuerit. Hoc audito, me resignavi in Dei voluntatem, quamvis retinuerim semper nescio quid repugnantiæ.

Eo momento vidi in porta cœli terrestrium, quod videbatur occupare universum mundum, & intra illud sacratissimam Personam Spiritûs Sancti, absque figura, seu specie imaginaria, sed quasi tectam quadam Divinâ caligine, circumdatam à millenis Angelis, progredientem ad me. Pervenit ad meum cubiculum, cum summa authoritate & majestate, resonante dulcissimâ musicâ illorum cœlestium Aulicorum. Eâ præsente omnes mei Domini Angeli, sepositis instrumentis, quæ manibus tractabant, se prostraverunt humi, ipsámque adoraverunt: & rursum assurgentes, prosecuti sunt stando priorem musicam. Ego cœpi timere & formidare; Divinus autem ille Dominus arcanissimo & spiritualissimo modo ad me accessit, elevavítque me modicum ex meo loco, dicendo mihi, me quidem esse promptam ad parendum, non tamen sine aliqua repugnantia, atque ita me reliquit. Accessit Ejusdem Majestas secundò, iterúmque me paululùm elevavit, & statim recessit. Cúmque me jam plenè resignatam videret in divinum suum beneplacitum, accessit tertiò, & elevavit me, secúmque unitè ac duxit ad cœlestem Jerosolymam, unà cum omnibus sanctis Angelis. Ibi me reperi coram Beatissima Trinitate, & in eo ipso loco, ubi superior pars meæ animæ solet morari. Hic mihi peramanter & benignè dixit Pater æternus: Bene veneris filia mea; & Verbum æternum mihi dixit: bene veneris amica mea; atque Spiritus Sanctus: bene veneris sponsa mea. Cape possessionem beatitudinis, quâ in æternum perfruêris. Nequit humanâ lingvâ explicari, qualia sint ea bona, quæ ibi vidi, & qui-

quibus sum fruita eo modo, quo possibile est ijs frui in hac vita mortali. Hæc visio & fruitio exiguo duravit tempore. Deinde me Divinus Spiritus tertiò sibi univit, sicut priùs, deduxítque ad meum locum; & postquam huc perveni, impertiendo mihi suam benedictionem dixit: Benedicta sis à Patre & Filio, atque à me tu, & omnia, quæ in te habes, & supra te. Habebam prorsus fortuitò supra lectum quasdam corollas precatorias, & Ipsius Majestas illas specialiter benedixit. Rapta sum in ecstasim, & quando ad me redij, mysterium erat finitum. Laudent hunc magnũ Dominum universæ creaturæ. Amen.

*Qualis hæc sit aula aurea, & qui sancti Angeli, in illa commorantes, fusè fuit narratum in prima parte. Post hunc, & præcedentem ascensum, ubi insinuatur, quid hæc admirabilis Virgo sit passa à dæmone, visum mihi est, referre illum, in quo Regina cœli, Dei Genitrix, & Domina nostra ipsi contulit potens contra communem hunc hostem tutamen. Effluxerant duo menses, & amplius, post prædicta, quando id evenit (utpote in Junio ejusdem anni) ideóque dilatis aliò alijs intermedijs visionibus & ascensibus, existimo hanc magis facere ad propositum contextùs, quo in tam uniformibus materijs diversa assumimus argumenta, pro historia tot divinis abundante prodigijs. Describit illam ipsa sequentem in modum.*

Matutino quodam tempore vacans consuetæ meæ orationi, vidi ex Divino Sole, qui erat ipsemet Deus, prodeuntes divinos radios, ferientes meam animam, & me per illos ascendentem, donec pervenirem ad eum ipsum locum, in quo moratur pars superior meæ animæ, quæ, utì in multis alijs chartis scripsi, habitat in Deo. Comitabantur me omnes mei Domini Angeli. Postquam illuc perveni, prostravi me coram Sanctissima Trinitate, adorans illum Dominum, meóque modo fruens eò Divino Esse. Sacratissima Persona Spiritûs Sancti mihi dixit: bene veneris Anima mea ac dilecta mea, veni & quiesces in cœlesti Patria; statímque alloquens meos Dominos Angelos, dixit illis: Angeli mei ducite ipsam per Civitatem, & recreate illam. Mihi adeò bene erat apud pedes Domini, ut noluerim ire, neq; aliquid amplius præter id, quo fruebar, videre; & quasi innuebam meis Dominis, qui me volebant ducere, ut me relinquerent. Dominus mandavit denuò, ut me recreationis causâ circumducerent. Ego deliciabar & reluctabar sicut priùs, fixè intuendo Divinum illud Bonum, quod oculis meis obversabatur. Divina verò Majestas, idem tertiò præcepit Angelis, dixítque mihi: Nunc tandem Anima, perge cum meis Angelis; jam te intelligo, ego te comitabor, & non derelinquam te. Itaque fui circumducta per totius illius cœlestis Jerosolymæ interiorem ambitum, & vidi amœnissimos campos plenos majestate Dei, & quadam divinâ distantiâ spectabiles, quæ erat Divina solitudo, ubi mea anima quiescebat, penitúsq; solitaria fruebatur suo Dilecto, ac Divino Domino.

Hìc mihi disparuit ille Divinus Sol, cúmque fuissem paulatim circumducta per hanc divinam solitudinem, postquam finivi circuitum, & perveni ad locum, ex quo abiveram, conspexi pulcherrimum & admirabilem thronum regium, in quo sedebat glorioſissima Virgo Domina nostra circumdata à magna Angelorum multitudine, qui illam certò adorationis modo honorabant tanquam Dei Genitricem. Erat obstupescenda, & specialissima pulchritudo hujus magnæ Reginæ, plenæ gloriâ & majestate. Gerebat elegantissimum cingulum ex auro, unionibus & gemmis confectum, symbolum purissimæ suæ conceptionis, immunis à peccato originali; & maximum torquem inæstimabilis pretij, qui erat symbolum integerrimæ ipsius virginitatis; pendebat pretiosum cimelium ad ejusdem pectus, significans multa merita, quæ sibi juxta pedem Crucis accumulaverat, & magnam, quam illi sanctissimus ipsius Filius ibi virtutem sui pretiosi sangvinis, communicaverat. Habebat suas manus plenas annulis aureis, quibus erant insertæ præstantissimæ, & lucidissimæ gemmæ, repræsentantes admiranda opera, quæ fecit degens in hac vita mortali. Adduxerunt me eò Domini mei

Angeli, ubi erat Ipsiq; Majestas, & procubui in genua. Tum hæc magna & amabilissima Domina assurrexit, descendénsque per aliquot gradus throni, salutavit me valde affabiliter, pari me amore est amplexata, atque ego strinxi sacros ipsius pedes. Jussit me erigi, elevavi caput, quod vicinissimè admoverā pedibus meæ Dominæ, & mansi provoluta in genua, obstupescens illam divinam ipsius pulchritudinem, quæ est ineffabilis. Dixit mihi Ejusdem Majestas: Soror, nolo te discedere, quin aliquid è meis rebus auferas. Detraxit annulum ex sua manu, posuítque illum in mea, dicendo: Accipe hunc annulum, qui tibi erit tutela ac defensio adversus diabolum, ut tibi non possit nocere, ipsúmque à te repellas: præterea per illum efficieris particeps mearum virtutum. Sicut attrectanti chirothecas imbutas ambrâ, aliquid illius odoris adhæret; sic etiam tibi, dum accipis hunc annulum, adhærebit aliquid è meis virtutibus, iisq; redolebis. Egi, quantas potui, meæ Celsissimæ Dominæ gratias. Et postquam mihi utraque Majestas, primùm Dominus, deinde Sacratissima Mater, dedissent benedictionem, jussit me Dominus reduci ad meum angulum, quò me Domini mei Angeli reduxerunt.

Quodam postea die sum bene experta virtutem annuli, quem mihi Dei Genitrix dignata fuerat donare: nam advenit dæmon, volens mihi suo more nocere, exposui manum, & ille infelix, conspecto eo annulo, non potuit tolerare lucem, quæ micans ex resplendente, illi inserta gemma, offuscabat ipsius oculos, atq; ita actus in rabiem profugit. Benedictus sit magnus hic Deus, & sanctissima ejus Mater, in æternum. Amen.

# CAPUT XVIII.

## Pergit referre alios similes admirabiles animæ suæ, unà cum corpore, ascensus ad cœlum.

*HOc eodem anno, post præcedentem visionem, priusquam à Deo rursus raperetur in cœlum, vidit dæmones, torquentes quandam animæ ipsius figuram. Suspicata est, sibi eâ ratione significari, illos rabiem suam saltem exercere in sumenda vindicta de ejus effigie, cùm ipsammet aggredi non possent, eò quòd protegeretur ab annulo, quem acceperat à Beatissima Virgine; eum in modum, quo hìc ministri Justitiæ reum, qui fugâ salvare potuit corpus, castigant in statua. Id illa, paritérque ascensum ad cœlum, breviter enarrat dicens:*

Vidi his diebus in meo cubiculo, è regione mei paupertini lecti, quatuor ferocissimos dæmones, & inter eorum manus humanam effigiem, mihi similem, quam vexabant ac torquebant, ultrò citróque ipsam versantes. Quamvis autem conarer avertere vultum ab hoc spectaculo, méque ab eo abstrahere, non poteram: abripiebat enim meos oculos, & vehementer me affligebat. Quidam sanctus Angelus ex ijs, qui mihi cohabitant, illos aspexit, statimque celeriter aufugerunt, & illa figura humana instar fumi. Deinde vidi descendentem ex cœlo sanctum Angelum maximâ præditum potentiâ. Postquam advenit, agnovi esse sanctum Michaëlem, qui è mei regione consistens, me salutavit dicendo: Creatura Dei, Omnipotens Deus te adjuvet ac defendat. Auditâ hujusmodi salutatione fui afflicta, cogitans, ipsum sic loqui, quòd dæmon grande adversus me machinaretur malum. Sanctus tamen Angelus me reddidit securam, asserens, id non propterea à se dici, quin imò se venire, ut me ducat ad Patriam cœlestem; & magnâ authoritate, non relicto mihi spatio ullius exceptionis, arripuit mea brachia (atque, ùt mihi videtur, animam unà cum corpore) & impositam suis humeris, derepente me sustulit ad cœlum, præsentavítque Divinæ Majestati, dicendo: Domine mi, hæc est creatura, quam à tua Majestate sum jussus adducere

ad

ad tuum Divinum conspectum. Dominus me est clementissimè intuitus, & quasi eximendo animam ex corpore, accepit illam in suas Divinas manus, méque sibi univit, relinquendo, meâ opinione, corpus animâ destitutum, quod tamen ideo non fuit afflictum aut debilitatum, imò potiùs vehementer recreatum, & confortatum. Ego expendebam mysterium, dicebámq; intra me: Quomodo hoc potest fieri? non tamen interrogabam. Tum mihi Deus: dicam, inquit, tibi. An non vidisti, adferri torquem, seu vellus aureum Regi, impositum pretioso scrinio, ex quo aureum vellus eximitur, & collocatur prope Regem; scrinium verò custoditur, ad asservandum in eo rursus torquem? hoc igitur tibi contigit. Exemi tuam animam è scrinio corporis, & nunc tibi illam reddo. Restituit Deus meam animam suo corpori, & mei Domini Angeli me reduxerunt ad meum angulum. Benedicta sit Divina Majestas in æternum. Amen.

*Admirabilissimus est hic raptus, ob multas circumstantias, quas docti possunt ex ijs observare, quæ sancti Patres, & sacri Interpretes annotant in illa verba Apostoli 2. Corinth. 12. v. 2.* Scio hominem &c. *Subsequentes non sunt majoris considerationis, plus tamen continent instructionis, & omnes diversimodè probant, qualis fuerit vita, & perfectio affectuum hujus Virginis, quibus se pro tam extraordinarijs favoribus disponebat. Proximus accidit in Julio ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quarti, refertúrque ab illa his verbis.*

Hoc tempore matutino, in oratione consveta, multos eliciebam actus amoris Dei, & aliarum virtutum. Eram quodammodo mei impos præ affectu, & ebria amore divino, ideóque dixi vehementi æstuans desiderio: Mi Deus, cupio tibi aliquid dare è meis rebus. Postquam hoc dixi, Dominus mihi respondit: fiat omninò, Anima, da mihi aliquid è rebus tuis, suscipiam id libenter. Statim adverti meum excessum, & audaciam ortam ex vehementia mei amoris, ac dixi: Ah mi Domine, nihil habeo, quod tibi dem; sum pauper creatura tua: quidquid habeo boni, tuum est, & jam tibi donavi; si verò aliquid habeo, quod sit meum, est malum, sunt peccata & miseriæ. Dominus reposuit: ita Anima, da mihi aliquid ex ijs, quæ habes. Domine mi, respondi, accipe cor meum, renova, munda, purifica illud, & redde rectum. Dixi insuper alia eò tantùm tendentia, ut me totam resignarem in voluntatem hujus magni Dei. Divina Majestas acceptavit hanc oblationem. Tunc me Domini mei Angeli elevaverunt, & posuerunt in quodam frusto cœli, quod erat coloris cærulei, quale hìc videmus, ex quo prominebat meum caput & brachia, dixerúntque mihi: Dispone te, Anima, venit enim Divinus Sponsus. Audivi subitò ordinatissimum sonum campanarum, & inter has tintinnabulum valde sonorum, quo mihi videbantur intimari mundo gratiæ, quas Deus præstat suis creaturis. Vidi postea multos sanctos Angelos, in hoc spatio intercedente inter cœlum & terram, præparantes, sicut aliàs scripsi, viam pro adventu Domini. Interrogavi meos Dominos: éstne, sancti Angeli, necesse, ut præparetur via Domino, cùm Ejus Majestas nullâ re indigeat, præterquam se ipsâ, contineátq; in se omnem magnificentiam & pulchritudinem cœli ac terræ? Et responderunt mihi: Ita prorsus est, soror, verùm nos Angeli significamus subjectionem, & cultum, quo in his, quæ vides, veneramur Deum. Descendit interea ex cœlo Divina Persona Spiritus Sancti, resonante jucundâ musicâ illorum sacrorum Ministrorum, magna cum majestate ac pompa, & appropinquavit mihi, non gerens speciem aliquam, aut figuram, sed spiritualissimè, quod solus potest advertere, & cognoscere intellectus. Vidi quoque ibi adesse Jesum Christum Dominum nostrum.

Tunc mihi dixit Deus Spiritus Sanctus: Anima, venio, ut, quod de dando mihi tuo corde promisisti, exequaris. Ego statim, plurimùm gaudens & exultans, obtemperavi Domino, dicens, ut in me adimpleatur sanctissima ejus voluntas: adesse enim me obsequentem, tanquam ancillam ipsius. Accessit interea ad me Christus Dominus, discooperuit meum pectus, quod

quod erat tectum eo frusto cœli, atque digito suæ sacrosanctæ manûs formavit crucem in latere siniſtro, apertúmque fuit illud meum latus, & sensi magnum dolorem. Advenit sacratissima Persona Spiritûs Sancti, & exemit meum cor ex suo loco, dicendo: Veni Anima mea, & fruêris mecum meâ gloriâ, bonísque æternis meæ cœlestis Patriæ. His peractis Dominus denuò ascendit ad cœlum, ducens secum meum cor, & memetipsam, quæ radijs quibusdam luminis eram conjuncta eidem cordi, adeò ut existimem, me intra illum Divinum Spiritum & Dominum nostrũ, totam fuisse ductam ad cœlum, tam meam animam, quàm corpus. Inde, & ex eo Divino pectore, ubi eram, vidi, postquam illuc perveni, totam illam cœlestem aulam & gloriam Beatorum, quâ etiam ego meo modo fruebar. Oculi mei corporei viderunt stupenda opera Dei, quamvis longè aliter, quàm ea viderit mea anima; hæc namque illa videbat illustrata lumine multò excellentiore ac admirabiliore; ij verò illuminati luce longè inferiore, & velut è longinquo, quasi ex pulchritudine illius Palatij conjectantes majestatem Divini Regis. Postea Dominus dixit meis dominis: Ducite, Angeli mei, istam creaturam ad suum locum, usque ad tempus, quod determinavi, ad eam ex vita mortali educendam. Redij ad me ex raptu, & inveni me in meo angulo. Deinde intellexi à Domino causam, ob quam mihi JESUS Christus Dominus noster latus aperuerit, efformatâ super illud cruce, ut Divinus Spiritus cor meum inde eximeret, eam fuisse, quòd omnes misericordiæ & beneficia, quæ à Deo consequimur, nobis conferuntur propter universa merita Passionis, Crucis, & Mortis JESU CHRISTI Servatoris nostri. Ipse sit benedictus in æternum. Amen.

*Hunc in modum ista Virgo ad cœlum, cum anima & corpore, hoc anno sexcentesimo vigesimo quarto, ascendit quàm sæpissimè: id quod magis apparebit ex sequentibus, quæ scripsit proximo Augusto, ubi mira narrat, à me verbis ipsius exponenda, & sunt, quæ subjungo.*

Dignatus est me Deus his diebus iterò, magnâ vi elevare, diversis temporibus, in ecstasim, secúmque unire, ita ut abriperet non tantùm quoad spiritum, & superiorem partem animæ, verùm etiam corpus & naturam, qui raptus erant diuturni: unde postea in meo loco experiebar corpus vehementer confractum, & naturam valde afflictam. Eo nihilominus tempore, quo durabat unio, fruebar Divinâ Majestate magno cum solatio, ac proinde dum ab ea separarer, difficulter & perquàm invitè illud solatium deserebam, atque huc revertebar. Cogitabam, quid Deus à me vellet, frequenter, adeóque præter morem me visitando. Feriâ quintâ, quæ erat Octava Assumptæ in cœlos Deiparæ Virginis, mihi dixit Divina Majestas: Anima, vísne venire mecum, ut fruaris meis æternis bonis? Mi Domine, respondi, durúm mihi his diebus, & sentio me vehementer fatigatam. Verè Anima, subeunda tibi erit molestia, si venire velis. Resignavimus in Divinas illius manus, útque in me impleretur sanctissima ipsius voluntas. Postquam præbui consensum, aspexit meus Dominus omnes meos Dominos Angelos, acsi ipsis indicaret, quid illis esset agendũ. Unde accesserunt ad me, dicentes mihi: Soror nostra, debemus te exornare, ut abeas cum Domino, atque tum quinque ex ijs familiariores, qui mihi cohabitant, me exuerunt vestibus, quas ordinariè gero, relictâ mihi solùm unâ albâ. Deinde singuli me eo, quod quisque adferebat, quàm spiritualissimè, & contactu Angelico summæ gravitatis ac modestiæ, ùt aliàs retuli, exornabant. Primus me cooperuit illo quasi peplo grandi cæruleo, eleganter acu picto, quo tota tegor, & alijs quoque occasionibus ab ipsis obvelari soleo. Secundus superimposuit peplo brevem pretiosissimam penulam. Tertius texit caput meum velo. Quartus Angelus mihi dedit in manus linteolũ, quod adferebat pendens ex uno angulorum. Quintus ad me venit, & inclinatus me induit nitidis calceis, quos paulò fuerat exosculatus, ideóq; magno fui horrore exosculatus, ideóq; magno fui horrore fusa rubore. Sanctus autem Angelus mihi dixit: Permitte id fieri, soror, quia jubs

illos exòsculor, eò quòd tibi sint dati à Divino Sponso.

Sic exornatam me Spiritus Sanctus, Deus & Dominus noster, qui his aderat, accepit ad sua Divina brachia, tulítque ad cœlestem Jerosolymam, comitantibus me Dominis meis Angelis. Existimo, me dubio procul totam eò fuisse ductam, secundùm corpus & animam. Non poteram consistere pedibus, & propterea, quando illuc perveni, fui collocata in pavimento illius cœli, quod erat coloris cærulei, quale hìc spectamus, vultu converso ad Dominum Deum Triunum. Divina Majestas conjecit in me oculos, dedítque mihi suam sanctissimam benedictionem. Mox Angeli inchoaverunt cœlestem musicam, concinendo laudes Dei, gratias ipsi agentes, inprimis pro infinita ejus bonitate, ac deinde pro beneficijs, quæ præstat suis creaturis, præsertim verò mihi, quasi admirantes ea, quæ ego consequebar. Finitâ hac musicâ fui elevata ab Angelis, necdum tamen potui pedibus insistere, ideóq; me rursum posuerunt in pavimento, fuique sepulta in eodem cælo, eminentibus, inde solùm capite, brachijs, & pectore, vultu quasi ad latus reflexo. Interrogavi meos Dominos, cur fuissem sepulta? & responderunt, id esse factum, ut mihi sic indicaretur, quòd in ea cœlesti Patria nemo possit totus permanere, dum vivit in carne mortali. Tum conspexi è regione mei Divinum Solem, qui erat meus Dominus: emittebat pulcherrimos splendores, ac divinos lucis radios, quibus me attigit, attraxítque ad se, elevans me inde, ubi eram sepulta, quoadusque me totam sibi univit. Fruita sum diu Ejus Majestate, atque Divino Esse, cum magno meo solatio.

Hæc unio me non impedivit, quò minùs animum ad me reflecterem, & considerarem tot, ac tam extraordinarias misericordias & gratias, quas mihi Deus præstitit, & continuè præstat; atq; intimam familiaritatem, ad quam me Ejusdem Majestas, ex mera sua immensa bonitate, admittit. Dum igitur me viderem exornatam eleganti vestitu, quo me Domini mei induerant, & memoriâ repeterem, quàm invita aliàs (sicut initio dixi) desererem illud Bonum, ac reditem ad miserias terrenas, dixi tum ferventi affectu ad Deum: certè mi Deus, vehementer mitor tuam bonitatem, quòd talia mihi conferas beneficia: quibus tamen quàm libentissimè renuntio, neque ijs frui volo, si tu id velis; nec tecum hìc permanere, sed reverti ad meum angulum, ac ad meum nihilum, atque ita pati, quamdiu sanctissima tua fuerit voluntas, & propter te omnia derelinquere. Audivit Dominus meam oblationem, ex sinceríssimo animo, mihíque possibili promptitudine profectam, & dixit: Verè Anima, id agendo mihi complacuisti, & satisfecisti. Polliceor, daturum me tibi omnia, quibus renuntiavisti, duplicata, & me ipsum in æternum, quod tibi etiam aliàs obtuli.

Post hoc, unita eidem Domino, fui reducta ad meum angulum, ubi ad me ex raptu redij. Eram deinde solicita, & quasi perplexa, revolvens animo, quæ acta fuerant: quia mihi videbar tota fuisse translata ad cœlum, quoad corpus & animam, spiritum & naturam, atque observavisse, quòd ibi tota existerem; aliunde verò etiam judicabam, quòd interdum senserim, me quasi hìc degere in meo angulo, propterea me non poteram sufficienter intelligere, aut cognoscere tam arcanum mysterium. Tunc mihi Dominus dixit: Veni huc Anima, cur vacillas, ac dubitas? Nónne ego integer existo in Sacramento Altaris, & in quavis illius parte, atque in multis templis? Ita mi Domine, respondi: verùm iste est articulus Fidei, & sic se rem habere credo; quod autem mecum agitur, est longè aliud. Est quoque Fidei articulus, reposuit Dominus, me esse omnipotentem & facere, quod volo: descendo, quin deseram dextram Patris mei, & me spectandum animæ, cui bene volo, multúmque sum addictus, præbeo, licèt rarò, & ob gravissimas causas: atq; sic possum præstare, quod te dubiam reddit, eò etiam magis, quòd secundùm Divinam Essentiam sim ubique, & ubicunque sum, ibi mihi sit cœlum, atq; hìc opus istud exequi possim, qui

sum omnipotens. Hoc mihi dixit Dominus, qui sit benedictus in æternum. Amen.

*Responsum Christi Domini, quantumvis breve, est, quia ab illo datum, plenum mysteriis. Ex eo eruitur solutio quorundam dubiorum, de quibus hodiéque altercantur Theologi, & sacri Interpretes, multùm ab invicem opinionibus discrepantes. Dubitatur, an aliquando Christus Dominus, postquam ascendit ad cœlum (excepto admirabili modo, quo Fides docet, ipsum realiter advenire ad Sacramentum Eucharistiæ) personaliter descenderit ad terram; an verò, quotiescunque à Sanctis videtur, id per imagines tantùm fiat ac figuras, genuinè Dominum repræsentantes; an tandem animæ ipsorum elevatæ, illum videant in cœlo, acsi ab ijs videretur in terra? Hìc dicit Dominus, se, licèt rarò, & ob gravissimas causas, revera personaliter descendere, quod est valde conforme sententiæ sanctorum Patrum, & sacrorum Interpretum (neque, exiguo meo judicio, negari potest, nisi manifesta fiat verbis sacri textûs violentia) existimantium; ita Dominum descendisse, ad convertendum sanctum Paulum. Dubitatur præterea, multóque magis disceptatur, an, dum Dominus ad terram descendit, deserat tunc cœlum, an verò realiter occupet duo loca circumscriptivè? Videtur autem hìc Divina Majestas significare, quòd hoc minimè implicet, posseque ipsius omnipotentia realiter suum corpus in diversis constituere locis, per distinctas, non tantùm definitivas, sed etiam circumscriptivas ubicationes. Atque notandum est quòd Eadem Majestas, ex potentia, quâ, prout nos docet Fides, pollet quoad ubicationes definitivas, sumpserit argumentum ad circumscriptivas, ut has facilius crederemus. Et tali ratione quietam reddidit hanc Virginem, instruendo illam, non esse impossibile, quòd adverteus, se totam degere in cœlo, quandóque unà sentiret, se existere in terra, cùm ipsam potuerit, per suam Omnipotentiam, ponere totam in duobus locis. Adjunxit Dominus, pro solatio hujus dilectæ suæ sponsæ, aliud suæ potentiæ miraculum (quod est extra controversiam) docendo illam, se ubivis, seuutique, in quantum est Deus, existit, ita posse non aliter operari, ac in cœlo; acsi, ni fallor, ipsi diceret, id non semper evenire, ut eam constituat in duobus locis, sed quòd, relinquendo illam realiter hìc in terra, & in eo angulo, ubi ille manifestet arcana cœli, & semetipsum, ut illicèd judicare potuerit, se, dum ibidem maneret, degere etiam in cœlo.*

# CAPUT XIX.

## Recenset ejusdem generis gratias, ex quibus colligitur magna ipsius perfectio.

*QUamvis non reperiam adnotatum diem hujus gratiæ, quam nunc describam, invenio tamen illam eodem consignatam anno & mense, quo præcedentem: & spectatâ chartarum serie, fuerit ipsi præstita paucis ab hinc diebus. In hac porrò sic erit.*

Vacabam aliquando his diebus manè meæ consvetæ orationi, & vidi Christum Dominum, Delicium nostrum, affixum cruci, vehementer afflictum. Conabar, ob meos timores, abstrahere imaginationem ab hac visione, & prosequi meum exercitium; Dominus autem clementissimè insistebat suo proposito, ut me ad se pertraheret, & ego perseverabam in mea tergiversatione. Tunc mihi ejusdem Majestas dixit: Desiste Anima, affligis enim me: aspice, qualiter sim constitutus. Tandem me Dominus, nihil immutatus, ad se pertraxit, ac transversam superpositus cruci, in eum modum, quo pastor suis imponit humeris oviculam. Interea adverti, Ipsius Majestatem velle ascendere ad cœlum, & dixi intra me: Quæ connexio cœli cum CHRISTO crucifixo? Ibi iste Dominus degit resuscitatus, & gloriosus. Ille verò tanquam dominium habens cogitationum, quas vel occultissimas perspicit, mihi respondit:

Nisi

Noli judiciorum meorum scrutari veritatem, aut mea dijudicare decreta. Tum idem Dominus paulatim suâ virtute ascendebat ad cœlum, ferens me ita impositam cruci. Postquam pervenit quasi ad portam cœlestem, disrupti fuerunt cœli, & prodijt Pater æternus, qui peramanter, & benevolè dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi plurimùm complaceo. Vidi præterea, quòd illum ipse Pater æternus deposuerit ex cruce, exterserit ejusdem vulnera, eáque sanaverit, relictis illi tantùm vestigijs quinque vulnerum, atque unà quasi intrà ipsummet (quod quâ ratione factum fuerit, explicare nequeo) radice Passionis ejus & Mortis. Induit illum pretiosis regijs vestibus, imposuit capiti ipsius coronam imperialem, & manu apprehensum introduxit ad cœlum. Ducebat me Christus Dominus secum, & visa sum mihi ipsum comitari gerendo speciem oviculæ, mansíque apud sanctissimos illius pedes.

Interea Pater æternus exhibuit illam sanctissimam Humanitatem, Verbo unitam, toti cœlesti aulæ, dicendo: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi multùm complacui; est Deus vester, Rex universalis cœli & terræ: adorate ipsum, semperque glorificate, & canite illi infinitas laudes, siquidem propter illum, & Divina ipsius merita vobis data est gloria, quam possidetis; gaudete in eo, tanquam Servatore vestro. Tum omnes Beati se prosternentes præstiterunt, quòd à Deo jussi fuerant. Post hoc JESUS Christus Dominus noster, alloquens Patrem suum æternum, ita dixit: Pater mi, hìc tibi adduco, & præsento istam oviculam, instar exemplaris animarum degentium in mundo, ut ipsi exhibeas gratiam & misericordiam. Comparui derepentè in mea propria specie, provoluta in genua ad pedes Patris æterni, induta, calceata, & exornata splendidis vestibus, cimeliis, & coronâ, quæ aliàs refero, mihi fuisse data à Divino Spiritu. Obstupui, videns me ita constitutam, & Pater æternus me intuitus dixit: O quàm egregium exemplar! verè mihi magnopere placet. Et post multa insuper alia in hunc sensum dicta, mandavit suis Angelis, ut me, recreationis gratiâ, circumducerent per totam illam cœlestem Patriam: quod illi fecerunt, & ego tum conjeci oculos in Deum nostrum, existentem in divino quodam Sole, qui me radijs suis corripuit, sibíque arctissimè univit. Redivi postea ad me, & reperi me in meo angulo. Laudetur Deus in æternum. Amen.

*Sanctus Ambrosius & alij Patres, super parabolam ovis perditæ scribunt, humeros, quibus Divinus Pastor suam tulit oviculam, ut illam ad cœleste ovile reduceret, esse brachia Crucis, seu brachia Domini crucifixi, eò quòd nos per Crucem recuperaverit. Hanc veritatem nos ad literam docere voluit Deus in præsenti visione. Dum intra Christum Dominum jam glorioſum dicitur remanere radix mortis ipsius ac Passionis, videtur significari, quòd illa mors reliquerit in Domino radicem semper vivam, non ut rursus moriatur, sed semper fructificet, multósque producat quotidie fructus, acsi in dies actu pro nobis moreretur.*

*Concludo gratias, quas hoc anno sexcentesimo vigesimo quarto ejusdem generis obtinuit, eâ, quam est assecuta, interveniente Reginâ cælorum, & ipsa ita enarrat.*

Feriâ quintâ, decimâ nonâ Decembris, sub horam secundam matutinam, vidi sanctissimam Virginem Dominam nostrã, quæ ad me veniens mihi dixit: Veni mecum soror, & ducam te viâ, quâ hactenus necdum iviſti. Cúmque reluctarer, ob consvetos meos timores, non valens ampliùs resistere, circumspexi, & vidi scalam tendentem ad cœlum, similem ei, quam aliàs videram: hanc illa præpotens Domina cœpit conscendere, ducens me secum, diverso tamen modo procedentem; cùm Ejus Majestas progressa fuerit per scalæ medium, & ego extra illam, ad ejusdem latus. Mirabar, me ita ab ea magna Domina duci, ut non sustentarer à scala. Ubi pervenit ad januam cœli, priusquam eò ingrederetur, dixit mihi: Declarabo tibi mysterium, cur te duxerim extra scalam, donec huc perveniremus. Ascensus iste significat, quòd, sicut naturaliter est impossibile, ut corpus ascendat in altum absque scala, aut alio adminiculo, cui innitatur,

& ubi ſuum ſuſtentet pondus; ita fieri nequeat, ut ulla anima ſpiritualiter & ſupernaturaliter ſic aſcendat, quin feratur à Deo, & favoribus gratiæ ipſius adjuvetur. Intravimus cœlum, ſtatímque me præſentavit Beatiſſimæ Trinitati, ubi ſanctus meus Angelus Cuſtos, qui nos comitabatur, me proſtravit. Pater æternus mihi dixit amanter: bene veneris Anima. Poſt hæc verba, Virgo Domina noſtra protulit alia, quæ non intellexi, unde conſecutum eſt, ut ſingulæ Divinæ Perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, mihi ſingulas porrexerint quaſi hoſtias parvas, eum in modum, quo ſumimus ſacram Euchariſtiam. Dum vehementer mirarer, conſiderans hoc myſterium, Dominus mihi dixit, his tribus hoſtijs repræſentari tres Miſſas, quæ celebrantur in feſto Nativitatis Chriſti, & myſteria, quæ ijs recoluntur: utpote nativitatem æternam Divini Verbi, quâ gignitur ex ipſa ſubſtantia & natura Patris, Deus de Deo; nativitatem temporalem, quâ Verbum Incarnatum ex puriſſimis natum fuit viſceribus Virginis Dominæ noſtræ; nativitatem ſpiritualem, quâ per gratiam & charitatem naſcitur in animabus. Finitâ viſione me inveni in meo angulo. Laudetur Deus in æternum. Amen.

*Explicationem myſterij trium Miſſarum, quas die Nativitatis ſinguli peragunt Sacerdotes, prorſus apparet eſſe divinam, atque doctam à magno Deo & Domino noſtro. Laudetur à ſuis creaturis, quandóquidem uſque adeo animas amat, ut pro illarum honore, ipſummet Sacramentum (in quo Chriſtus, ſeu realiter ſe reproducit, ſeu novum occupat locum) ſicut eſt ſymbolum duplicis ipſius ineffabilis nativitatis, velit quoque eſſe ſymbolum illius, quâ per gratiam naſcitur in animabus, quas juſtificat. Non multò pòſt, decimâ Januarij, anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto, ad alium fuit myſticum invitata aſcenſum, quem ſic deſcribit.*

Feriâ ſextâ, decimâ currentis, fui vehementer integrâ nocte afflicta ardoribus & æſtibus, exurentibus totum meum corpus, ita ut nè quidem modico poſſem tempore ſomnum capere, aut quieſcere. Vidi tum Majeſtatem Domini Dei noſtri, qui compatiens meis doloribus, mihi dixit: Quid tibi eſt, Anima? quid habes? Domine mi, reſpondi, patior, ut vides, dolores, inſuperque etiam affligor ab interni meis timoribus. Infirmitas tua, repoſuit Dominus, non eſt ad mortem, ſed ut magis manifeſtetur gloria mea; indicans mihi, judicio ipſius, non eſſe me infirmam quoad animam, quamvis ego me talem reputarem. Tum ego: Mi Domine, quando tot in corpore ſuſtineo dolores, & moleſtias in anima, videor mihi à te non amari, quia te occultas. Et quando ego, dixit Dominus, Filium meum tradidi in manus peccatorum, à quibus fui afflictus, dedíq; diabolo facultatem, ut illum perſequeretur, amabámne ipſum? ita profectò. Taliter verò tecum ago: ſi enim me quandóque ſubtraho, ideo id facio, ut poſſis pati, & patiendo me glorifices.

His omnibus aderat ſanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui mihi, quaſi ſubridendo, dixit: Modò Anima, libenter cum Domino ires ad cœleſtem Patriam: ego te ducam, veni mecum. Omnino, reſpondi, libenter eò pergerem, fateor: nolo tamen ſancte Pater, ut à te ducar. Quare autem, quæſivit ipſe. Quia es vir, ajebam ego, & non ſoleo comitari viros. Quamprimum id protuli, comparuit Marchio ſeptem Eccleſiarum admodum hilaris, dixítque: Etiam ego illam pati ratione aliquoties invitavi, & noluit ire. Subjunxit tum Pater Ludovicus: Nónne verò Sancti Dei, qui te viſitaverunt, & interdum duxerunt, ſunt viri, quales nos? Ita eſt, reſpondi, ſed quia illos in hac vita mortali non noveram, non me reddiderunt ita perplexam. Si Deo placet, ut proficiſcar ad cœleſtem Patriam, ducent me ſancti mei Angeli, ſicut plerumque ſolent. Sancti approbaverunt meam tergiverſationem.

Venerunt deinde ad me Domini mei Angeli dicentes, Deum velle, ut aſcendam ad cœleſtem Jeroſolymam: & animadverti, Sacratiſſimam Perſonam Spiritus S. deſcendere ad meum cubiculum, non cum ſtrepitu & pompa, uti aliàs, ſed quietè. Is meam animam ſibi arctè univit, ducens me

me secum, comitantibus me Dominis meis Angelis. Sensi inde summum in anima mea gaudium, voluptatem, & lætitiam; aliunde verò etiam maximos in corpore dolores & cruciatus. Hoc ego valde sum mirata, quia propè nunquam fueram experta. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Quid miraris? Quod sentis, est aliquale specimen eorum, quæ gesta fuerunt in anima Filij Dei, Christi JESU, Servatoris vestri. Postquam pervenimus ad cœlum, præsentavit me Divinus Spiritus Patri æterno, qui mihi dixit latinè: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quo audito supra modum obstupui, & extimui. Divina verò Majestas addidit: non dico tibi id, sicut dixi Filio meo, sed tanquam uni è meis charioribus filijs adoptivis. Audi, nónne tuis calcas pedibus omnia creata, quandoquidem propter me universa dereliquisti? Ita, mi Domine, respondi, quidquid est reperire in mundo, dereliqui, tametsi imperfectissimè, mallémque millies mori, quàm scienter, & ex proposito committere vel unicum peccatum veniale; & quamvis ab eo penderet salus mundi, non committerem illud, sciens tale esse. Cùm igitur ita sit, ajebat Dominus, cur miraris, quod tibi dixi? Mansi ibi aliquamdiu fruendo his delicijs in ecstasi, posteáque sum reversa ad meum angulum. Deus sit benedictus. Amen.

*Marchio iste septem Ecclesiarum, est Dominus Rodericus Calderonius, cujus pœnitentia, & gratiæ, quas illi Deus in carcere contulit, sunt fusissimè, jubente ipsomet Deo, descriptæ in prima parte. Circumspectio hujus Virginis, quâ in sua juventute cavebat virorum conspectum & consortium, adeò illi profundè inhæsit, ut etiam grandæva modestè verecundaretur, sanctéque metueret, visâ tantùm humanâ virorum specie, quâ se ipsi spectandos exhibebant Sancti. Cujus rei mira extant in prima parte exempla, & supersunt nonnulla, quæ deinceps suis locis adnotabuntur.*

*Visioni, quam initio hujus capitis retuli, ubi se hæc Virgo vidit in specie oviculæ, est aliquantùm, licet novas prorsus continens circumstantias, similis illa, quam modò describit, habuitque vigesimâ sextâ Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto.*

Feriâ quartâ, vigesimâ sextâ Februarij, vidi ingredientem in meum cubiculum sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui consedit in mystica illa sella, sicut aliàs, ibíque modico tempore moratus est, nihil loquendo: postea surrexit, me stupente, quòd abiret, nullo verbo dicto. Tum conspexi advenientem magnâ multitudinem Angelorum, quorum aliqui gestabant cereos, alij parvá vexilla, alij alia insignia. Sanctus stabat, dum omnes ingrederentur, erántque plurimi. Deinde vidi sanctum Patrem se prosternentem, vultu ad terram usque, in eo loco, quem occupabat, demisso acsi profundâ illâ inclinatione honorem exhiberet cuipiam advenienti. Interea adfuit, qui magnus aliquis videbatur esse Princeps, & erat poströmus, claudens grandem illum comitatum. Substitit, postquàm pervenit ad sanctum Patrem, & jussit ipsum assurgere, cæpítque eundem alloqui. Quid dixerit, ignoro; vidi tamen, sanctum Patrem, auditis ijs verbis, descendisse per quosdam velut gradus, qui comitantibus illum aliquot Angelis, mihi appropinquavit, & consistens ad dextrum meum latus, dixit super me quandam orationem, datáque mihi suâ benedictione, redijt ad priorem locum. Tum prædictus ille magnus Princeps, in habitu & cultu pastoritio, accessit ad idem latus, & magnâ majestate mihi dixit latinè: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* atque subitò me spirituali ac decentissimo modo abripuit, & imposuit suis humeris meam animam, præditam figurâ mansvetissimæ oviculæ. Dum me sic teneret is Divinus Pastor, ascendit ad cœlum, cum comitatu illorum cœlestium spirituum, ibíque coram tribus Divinis Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, deposuit oviculam, & collocavit in pavimento illius cœli, ubi ea figura fuit derepente mutata in speciosam animam, sicut hìc depingi consvevit.

Tunc amabilissimus iste Pastor dixit ad Patrem æternum: Hìc, Domine, tibi adfero

fero hanc meam oviculam, sangvine meo redemtam, in qua mihi complacui, gerentem mea insignia in manibus, pedibus, & latere; atque apprehensis meis manibus, discooperuit signa, quæ in ijs, & in reliquis partibus habebam. Pater æternus, præ se ferens ingens gaudium, dixit: vivo ego, nunquam illam deseram. Postea Divina Majestas arripiens meas manus aspexit signa, quæ in illis gerebam, paritérque Filius, ac tum etiam Spiritus Sanctus. Ego his attendebam, licétque, dum similia eveniunt, rarò persona, cui exhibentur, animadvertat, quid agat; hac tamen vice ego id interdum feci, & notavi, me aliquoties præ vehementia symptomatum quæ his diebus patior gravissima, exspuisse. Mirabat magnopere advertens, quòd existimarem, me ibi quasi totam existere, atque hìc nihil remansisse, præter exuvias corporis (sicut, quando hìc fortiter exprimitur pomum aureum, nihil remanet, præter corticem, ac pelliculas, & grana) atque nihilominus sentirem, etiam hìc ab anima corpus animari, quia exspuebam, & experiebar effectum ipsius symptomatum. Ista sunt mysteria, quæ difficulter possum comprehendere, & nullâ ratione scio meliùs explicare.

Re ipsâ mansi apud sacratissimam Personam Spiritûs Sancti, qui me elevavit ad quendam altum locum, ubi vidi meam animam quasi in duas divisam partes: inprimis in ea specie, de qua mihi in hoc scripto fuit sermo, iterúmque illo modo spirituali, & longè sublimiore, quàm sit is, de quo aliàs disserui. Et acsi revera forent duæ, pars illa superior est allocuta alteram, dixítque ipsi: bene veneris Amica, quæ his bonis mecum es fruitura in æternum: nũc illa videre non potes; verumtamen accede, & percipe quantum poteris. Tum super me cecidit quædam velut nix candidissima, à qua fui confortata, & arbitror, ab ea superiore parte fuisse in me derivatam quandam occultam virtutem ac vigorem, ut aliquomodo ea bona, quæ assequi erat impossibile, viderem, iísque fruerer. Taliter fui brevi tempore constituta, & postquam descendi ad locum, in quo antea fueram, ostendit mihi JESUS Christus Dominus noster choros Angelorum, & ordines Beatorum. Subitò verò demonstrans suam omnipotentiam, apprehenso unico capitis mei crine, me retulit quam svaviſſimè ad meum angulum, ubi me collocavit in manibus meorum sanctorum Angelorum, quibus mandavit, ut me refocillarent & confortarent: quod ipsi eâ præstiterunt solicitudine ac dextetitate, quâ dexter quispiam, & singulari præditus charitate ægrorum curator, tractare consuevit infirmum valde debilem, & moribundum.

Deinde sanctus Pater Ludovicus de Ponte descendit, sicut ab initio, ex prædicto suo loco, dixítque rursum super me quandam orationem, & redijt eò, ubi prius fuerat. Dum autem ego ista mirarer, & optarem scire, quidnam significarent, dixit mihi sanctus Pater: Noveris, te mihi specialiter esse commendatam à Deo, ut proinde sicut degens in vita mortali, tot annis curam tui gessi, non quoad res duntaxat spirituales, sed etiam naturales, moderando afflictationes corporis, & omnia ita disponendo, ut non deficeret natura: sic etiam nunc, Dei jussu, gero curam tui animæ, unáque corporis, nè natura adeò debilitetur, ut deperdatur vita: quibus dictis à me discessit.

Postridie vidi JESUM Christum Dominum nostrum, in specie pulcherrimi Solis, qui mihi appropinquans, ita me suis radijs totam occupavit, ut propterea contremuerim, & derepente tantâ me ad se vi abripuit, ut eam vehementissimè sentiens dixerim: Domine, evellis mihi cor, & viscera! Ita mansi apud Divinam Ejus Majestatem in magna ecstasi, post quam me inveni in manibus meorum Dominorum Angelorum, quibus Deus præcepit, ut me refocillarent & confortarent, quod eâ præstiterunt curâ & charitate, quâ pridie. Sit Ipsius Majestas benedicta. Amen.

*Dum hæc admirabilis Dei serva ait, quod etiamsi existimaret, se quasi totam degere in cælo, remanentibus in terra tantùm exuviis corporis, nihilominus anima vîva fuerit animare corpus, siquidem in illo sentiret effectus*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*suæ ægritudinis, arbitror ita contigisse, ut Deus benedictam eam constituerit in duobus locis (sicut suprà fuimus philosophati de anima & corpore) hìc unitam corpori, illúdque informantem; ibi præditam ubicatione, præscindente illic ab his effectibus, nunquam tamen illos alibi excludente. Hoc doctis sufficit, cæteri credant: quia iste modus opinandi est probabilis, atque si Omnipotentiæ conceditur, posse id fieri à Deo in corporibus, erit evidens in animabus.*

*Altera difficultas est de anima se ipsam alloquente, acsi forent duæ, eo solvitur, quod nobis evenit in statu naturali, ubi superior animæ portio melioribus collustrata Divinæ gloriæ rationibus, semet instruit, & convincit, ut suas deserat rationes inferiores, quibus proprium spectabat commodum, nè amplecteretur, quæ sunt perfectiora. Advertendum autem est, hìc à me portionem inferiorem non illam vocari, cui communiter ista appellatio attribuitur, & quæ est sola potentia imaginativa, ejusdémque appetitus; sed intelligi à me etiam id, quòd ad intellectum spectat & voluntatem, quando minùs perfecto reguntur lumine, & fervore, qui ex eo oritur. Dicit igitur Virgo, nisi fallor, animam, id est portionem ipsius inferiorem, compulsam à superiore (quæ, ut antehac diximus, erat in altissimo eo statu, quem ipsa non comprehendebat) fruitam fuisse nonnullis analectis illius beatitudinis, non quòd appetitui & potentiæ imaginativæ aliquid inde obtigerit (modò tamen in hac fruitione nihil intervenerit sensibile: quanquam etiam sic difficile foret explicare, quomodo considerata illá ubicatione cœlesti, potentiæ sensitivæ aliquid possent percipere, quæ ibi non aderant) sed quòd fruitio intellectus & voluntatis, propter lumen magis attemperatum, quàm sit illud habituale & rarissimum, fuerit aliquantò sensibilior. Multis alijs modis id posset explicari, quibus omnibus probaretur, quòd, licèt sint adeò admiranda, ut vix, quantumvis remotissimè valeant apprehendi conjectando, quæ magna hæc mulier cognovit de rebus spiritualibus, nihil tamen in ijs sit reperire, quod vel transversum ungvem deviet à Catholica veritate, & vera doctrina.*

# CAPUT XX.

## Arcana quædam ipsi à Divina Majestate manifestata, quàm diversimodè se Beatis communicet, atque alij hujusmodi favores.

Cùm hæc Virgo usqueadeò in ea cœlesti domo DEI esset familiaris, ut juxta literam videatur, omnis jam ipsius conversatio fuisse in illa sacra Aula; non modò ipsi Divina Majestas concessit, ut in ijs mysticis ascensibus frueretur analectis ejus gloriæ, sed etiam quadantenus cognoscceret differentiam, quá ij cœlestes Palatini, pro suorum diversitate meritorum illá fruuntur, ostendens hac ratione, qualis esset hujus sanctæ Animæ perfectio, cui non solùm se faventem exhibebat, sed etiam indicabat, & exponebat gratias, quas alijs præstabat: sicut hìc Princeps aliquis non tantùm intimo amico est bene addictus, verùm & ordinem pandit, quo alijs gratificatur. Vigesimâ Junij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, ita ait.

Hodie manè me Dominus, nihil tale cogitantem, vocavit, & dixit mihi: veni mecum. Quis me vocat? respondi ego. Et sic mansi cogitabunda ultra horæ quadrantem. Iterum me Dominus vocavit, dicendo: veni mecum Anima, & edocebo te, quæ sit gloria mea. Quis me vocat? reposui. Ego sum Dominus Deus tuus, respondit Divina Majestas: an me non novisti? jam te novi Domine, subjeci. Ah mi Domine, quomodo tibi tam inurbanè respondi, cùm tu sis meus Deus! Id inde provenit, dixit Dominus, quia es terrea. Duxit me Dominus secum ad cœlestem Patriam, & ostendit mihi beatitudinem, quâ perfruuntur illi superni spiritus, inprimísque Infantes, qui suscepto Baptismo absque proprijs moriuntur meritis. Erant venu-

venustissimi, videbantúrque singuli totidem Reges coronati: hi excedunt omnia, quæ reperiuntur, & sunt considerabilia in terra. Incolebant vastum campum, quasi à cæteris separati, intra cœlestem tamen Patriam, videntes, & cognoscentes, amantésque immensum illud Esse Dei. Quia verò hac primùm vice vidi, quod seu locũ concernit, quem inhabitabant, seu etiam modum, quo fruebantur Deo, videbatur mihi spectaculum obstupescendum. At quando perveni ad spectandos alios Beatos, qui proprijs suis operibus, adjuti à Divina gratia, suam obtinuerunt beatitudinem, adverti maximum, quo ab invicem differunt, intercedere discrimen. Inter fortunatos hos Infantes, specialiter à Deo illuminata, agnovi animam filioli Comitis de Alba, qui recenter paulò antè baptizatus, intra tres horas obierat, & erat gratiosissimus.

Post hoc vidi vastum, & amœnissimum fluvium, in quo navigabant multæ animæ sese objectantes, quasi veherentur pontonibus. Hæ associatæ multis Angelis canebant divinas laudes. Erat musica svavissima, & resonabat per illud flumen dulcissimè. Contemplata sum illas diutissimè; & vidi, quòd subinde attollerent oculos, quasi ad ætherem illius cœli, ac intuerentur quandam velut Lunam plenam lucidissimam, & insolitæ prorsus pulchritudinis, atque ab eadem reciperent cœlestes influxus, quibus admirabiliter recreabantur, & exhilarabantur. Hæsi attonita, videndo illud mysterium, quia ignorabam, quid significaret: & cùm taliter essem constituta, Dominus mihi dixit: scias Anima, pulcherrimam eam Lunam, quam vides, symbolum esse meæ Sanctissimæ Matris, cujus visione & amabili contemplatione Beati redduntur participes specialis, & maximæ gloriæ accidentalis.

Inde sum ducta ulteriùs intra illam cœlestem Patriam, ubi mihi fuerunt ostensi simul omnes reliqui Beati. Universi intuebantur Divinum quendam Solem, ineffabilibus plenum splendoribus, & ab hoc ipsis communicabatur gloria essentialis, quam eorum Animæ obtinebant. Erat ille symbolum magni Dei & Domini nostri. Vidi, quòd, cùm Animæ cognoscerent & amarent illud Divinum Esse, idem Divinus Sol eas intimè penetraret, ipsæque vicissim illum. Ità satis diu contemplabar istud mysterium, fruebárque eo juxta meum modum, quoadusque fui abrepta in ecstasim, & restituta mihi reperi me in meo angulo. Deus sit semper benedictus.

*Fortunatorum istorum Infantium, de quibus hic loquitur, meminit in alijs visionibus, quas alibi referemus. Ut nostram prosequamur materiam, specialiter est notatu dignum, quod vidit vigesimâ primâ Aprilis, anno sexcentesimo vigesimo quinto, & sic recenset.*

Feriâ secundâ, vigesimâ primâ hujus, intenta meæ orationi, vidi scalam, quæ ex meo cubiculo pertingebat usque ad cœlum, & erat ascensu ardua: conabar me subtrahere, quantum potui, prout soleo, quando mihi relinquitur mora, id quod ita feci, ut mihi Christus Dominus dixerit. Age Anima, attende, quia te jam dimittolor. Hac ratione acquievi. Dominus subjecit: Ascende mecũ Anima, per hanc scalam ad cœlum, duxítque me Ejusdem Majestas sursum indutam meâ conversi veste per eam scalam, non sinè mea magna molestia. Sub ipsa erat spatiosus campus, & in illo multi truculentissimi dæmones, qui adversum se pugnabant, mordentesque instar rabiosorum canum: & postquam ego cœpi ascendere, summum præ se ferebant dolorem. Duxit me verò Divina Majestas secum per scalam, comitantibus me omnibus meis Dominis Angelis, & post illam à nobis superatam, fuit apertum cœlum. Ingressus est Dominus, & ego illum sum secuta. Ibi me præsentavit Sanctissimæ Trinitati. Deinde fui ab eodem magno Domino per quandam velut declivitatem illius sanctæ Civitatis ducta, inter duos Beatorum ordines, quos quidem tales advertí esse, quòd fruerentur Deo, esseníque contentissimi: sed nescio quid in ipsis viderim, ut existimaverim, ab illis non obtineri, aut possideri illam gloriam eo modo, quo ab alijs Beatis. Erat gloria & beatitudo æterna, sed plurimùm differens ab ea, quam videram in alijs. Id ego multùm consi-

considerabam, & mirabar: siquidem, licèt ipsos viderem Beatos, nihilominus respectu beatitudinis aliorum, præsertim verò insigniorum Sanctorum, erant, ut sic dicam, velut mendici, quemadmodū præsente Sole obscurantur stellæ. Postea me Ejusdem Majestas duxit ad quendam locum eminentem, ubi mihi ostendit gloriam aliorum Beatorum longè diversam, admirabilissimam, atq; abundantem magno lumine & splendore. Vidi specialiter quosdam maximos Sanctos, distinctis conspicuos gloriæ prærogativis, qui plurimùm super alios eminebant, & priores illos videbantur infinitè excedere. Inde sum ducta à Domino ad aliam multò superiorem ac diviniorem altitudinem, ubi sublimiore modo morabatur Majestas Triunius Dei. Ibidem vidi supremam, & plenissimam gloriam. Univit me sibi Deus, & mansi intra illud Divinum Esse.

Postquam ex intima ista Divina communicatione redivi, méque reperi in meo loco, revolvebam animo, quæ videram, & reddebat me attonitam eorum, quos primos conspexi, gloria quodammodo imperfecta, aliorum collata gloriæ. Non intelligebam, quid significaret arduitas illius scalæ, cujus mihi ascensus accidit tam molestus, aut unde provenerit rabies, quam dæmones ostenderunt. Et quamvis, per Dei misericordiam non desiderem scire amplius, quàm ipse velit, ac disponat; eram tamen velut solicita, quòd Dominus tunc dissimulabat. Verùm Divina Majestas, pro sua magna bonitate, videtur non potuisse ferre, ut me videret hac afflictam solicitudine, dixítque mihi post unam horam. Scias Anima, illos Beatos, quorum vidisti duos ordines, quósque tantopere es mirata, esse animas eorum, qui in hoc mũdo vitam egerunt scelestam ac perversam plenam mortalibus & gravissimis peccatis, sæpe resurgentes, denuóque relabentes; tandem autem, per meam clementiam & misericordiam, obiverunt in mea gratia: & postquam fuerunt mundatæ in pœnis Purgatorij, data fuit ipsis gloria, quam vidisti, quæ licèt sit gloria, cæterorum tamen gloriæ comparata est minùs perfecta. Scala, quam vidisti, repræsentat magnam difficultatem, quâ eam gloriam obtinuerunt, propter persecutionem dæmonum, & suam maximam tepiditatem. Alia gloria, quæ tibi fuit ostensa, longè hac præstantior, adeóque excellens, est præmium animarum, quæ mihi in hac vita perfectè serviverunt. Tum ego dixi Divinæ Majestati: Quare verò, Domine, mihi manifestas hæc mysteria? Libenter, respondit Dominus, pando meis servis mea arcana: præterea ut cognoscas gratiam, quam tibi præsto, dum te duco eâ viâ, quâ progrederis; útque homines sciant, quid amittant, quando mihi non serviunt, sicut debent; ac etiam ut pro talibus ores. Hoc mihi dixit Dominus, qui sit in æternum benedictus. Amen.

*Subdit postea, quod huc quoque pertinens, postremis hujus mensis diebus vidit, & sic ait.*

Sub finem Aprilis, post extraordinarios affectus amoris Dei, quibus mea anima & cor ardebat, mihi dixit Divina Majestas: Modò Anima, es fatigata, veni mecum, ducam te, & videbis hortum, quo meliorem nunquam vidisti. Duxit me Deus ad cœlestem Patriam, ostenditque mihi spatiosum, & pulcherrimum campum, atque in eo omnes Beatos. Cognovi ibi naturam, & essentiam Angelorum, & omnium reliquarum Hierarchiarum, unáque Patriarcharum & Prophetarum, ac cæterorum Beatorum, & Parvulorum, de quibus sum aliàs locuta, atque illorum Beatorum, quos ante paucos dies videram, & qui, nostro modo loquendi, videbantur gloriam habere imperfectam. Fuit visio admirabilis, ubi tantam vidi cœlestium ac divinorum magnalium varietatem. Dixi tum Divinæ Majestati: Domine, isténe est hortus? Ego illum voco immensorum pompam bonorum. Postea mihi DEUS ostendit sanctissimam Virginem Mariam, & sacratissimam Humanitatem JESU Christi Domini Redemptoris nostri, ac deinde Beatissimam Trinitatem, omniúmque gloriam, modo possibili, & accommodato meæ exilitati. Vidi tamen divitias gloriæ ac thesauros Divinos, qui me rapuerunt in admirationem; præterea qualiter

hic Dominus, instar Divini Solis, suis influat radijs in illos Sanctos, eósque reddat Beatos, communicando ipsis sua immensa bona.

Vehementer mirabar hanc magnificentiam, quando ad me venit sanctus Pater Ludovicus de Ponte, mihíque, dixit: Soror, veni mecum ad tuum angulum, jam enim est tempus. Ego, quia eram quàm contentissima, dixi: Relinque me sancte Pater, & reluctando nolebam cum ipso ire, quamvis insisteret, ut me abduceret. Eo tempore ad me venit Dominus, dicens: Age Anima, veni mecum, ego te ducam. Paulò pòst reversa ad meum cubiculum, ducente me Domino, conspexi illum quasi Solem lucidissimum, evibrantem divinos radios, qui erat figura sacratissimæ Personæ Spiritûs Sancti. Tum se coram illo prostravit Pater Ludovicus de Ponte, rogavitque ipsum, ut differret, si ei liberet, mysterium, quod volebat operari, siquidem esset nociturum meæ valetudini, propter meam debilitatem: verùm Dominus id ipsi eâ vice noluit concedere, perstrinxítque ijs radijs divinis meum pectus & cor, atque unitam illi Divinæ Essentiæ me transformavit in se ipsum, ubi hactenus permansi, ita ut propè cum nemine possim conversari, nisi perquam difficulter. Benedictus sit in omnem æternitatem. Amen.

*Videtur sancta Virgo hac occasione indicare, quòd non solùm viderit gloriam Sanctorum, sed etiam naturalem eorundem essentiam, quandoquidem dicit, se cognovisse naturam & essentiam Angelorum, & cæterorum Beatorum, posteáque ait, se vidisse ipsorum gloriam. Verùm utcunque se res habeat, longè admirabilior est gratia, quam in hoc genere obtinuit tertiâ July, hujus anni sexcentesimi vigesimi quinti, ubi non quomodocunque gloriam vidit Beatorum, sed etiam illam, quamvis brevissimo tempore, videtur delibavisse. Audiamus eventum, qui est singularissimus, & ab illa refertur his verbis.*

Feriâ quintâ, tertiâ Julij, dum versaret cum Deo, & commoverentur, eo præsente, affectus meæ animæ, dixi ejusdem Majestati intensissimo affectu: Certè Domine & Deus mi, pluris facio, si tuam tuquat voluntatem, quàm quidquid reperire est in cœlo & in terra. Atque hoc affectu durante mihi multa in mentem venerunt, præsertim verò judicabam, nihil pome existere extra Deum, quod magis zelem, méque ampliùs delectet, quàm impleam ipsius voluntatem, licèt id agendo jacturam facerem vitæ, unáque omnium aliarum rerum. Dominus magni faciens hanc meam oblationem, & quàm amantissimè mihi respondens, dixit: Optimè es locuta, Anima, plurimùm mihi isto actu placuisti, quem elicuisti. Polliceor tibi per memetipsum, quòd tibi propter illum sim singularem præstiturus gratiam. Fuerat mihi pridie dictum, solvere ex Anglia ingentem classem hæreticorum, contra Regna Hispaniæ, & quia mihi id nunc in mentem venerat, dixi: Iraque mi Domine, cùm mihi sis gratiam istam præstiturus, fiat, si illi hæretici non sunt convertendi, quin imò ab ipsis es offendendus, perseverantibus in suis erroribus, & sua vitiata vita, ut illos destruas, & auferas ex hac mundo, ubi tantas moliuntur injustitias, volúntque injurijs afficere tuos servos, urámque sanctam Ecclesiam. Dominus gravissimâ quadam mansvetudine respondit: Bene est Anima, bene est; significans mihi, non istam esse gratiam, quam mihi esset præstiturus.

Mox conversus ad meos Dominos Angelos, commorantes in meo cubiculo, dixit: accipite istam creaturam, vestite illam, & exornate, sicut aliàs consuevistis, & imponite currui triumphali, ac vehite, quo ipsam ego volo proficisci. Sancti Angeli responderunt; profundè sese inclinando: Domine hunc vestitum custodit Divinus tuus Spiritus, utpote illius dominus. Sit licèt ita, dixit Dominus; ipse iterum circo mittet sui Præfectum vestiarij. Audiebam hæc verba, obstupescens immensam charitatem hujus magni Domini nostri, qui ad ostendendum nobis suum ardentem amorem, tantopere se nostro accommodat modo loquendi, & communi rerum usui, ut ista præmittat, quò melius intelligamus ipsius benevolentiam, quam

Ego

Ejusdem Majestas non sciret melius, ubi esset ille vestitus, & Angeli ignorarent voluntatem sui Domini, aut cogitarent ipsi esse ignota, quæ illi referebant. Domini mei Angeli me re ipsâ sustulerunt in altum, & Divina Persona Spiritus Sancti, præmisso suo vestiarij Præfecto, descendit stipata innumerâ multitudine Angelorum. Adveniebat Ipsius Majestas speciem gerens humanam, assumptâ subtilissimi corporis figurâ, quale aliàs videre soleo. Est autem corpus phantasticum, assumptum à Divinis Personis, absque comparatione, ùt in alijs chartis dixi, delicatius eo, in quo comparere consueverunt Angeli. Postquam Divina Majestas cum omni illo cœlesti comitatu advenit, sui quàm spiritualissimè induta eo vestitu & ornatu, cujus alijs occasionibus memini, & elevata ad currum triumphalem. Erat is parvus, & supernè totus discoopertus: materia erat similis solari, & pulchritudo ipsius ac splendores erant stupendi. Trahebatur à quatuor sanctis animalibus (voco verò animalia, quia id mihi Deus modo quodam, quē nescio explicare, ita repræsentabat) & singula gerebant insigne ac symbolum distinctum, unum Lunæ, aliud Solis, aliud Aquilæ, & aliud Leonis. Isto curru, & cum hoc comitatu fui vectâ ad cœlestem Jerosolymam, ubi me ille Divinus Spiritus, ac Deus noster, magnâ majestate & pompâ, deposuit ex curru, & paribus mihi exhibitis indicijs amoris, dixit: Veni Sponsa mea, & cape possessionem bonorum, quibus fruêris in æternum. Jam dixi, quanto cũ rubore & verecundia, eò quòd sim vilissima creatura, audiam hoc nomen Sponsæ: hìc autem vel maximè erubui.

Duxit me Divina Majestas ad quendam altissimum locum, ubi videtur cumulatissimè repleviſſe meam animam gloriâ, collatâ mihi speciali cognitione Divinæ Essentiæ, & ipsius perfectionum atque attributorum. Et verè existimo, mihi hac vice fuisse certo modo, quem exponere nescio, communicatam beatitudinem illorum, qui fruuntur Deo. Sicut si diceremus, à quopiam percipi saporem alicujus cibi, quem tantùm admovisset labijs, non tamen comedisset: ita, licèt mea anima non frueretur eâ gloriâ, quam possident Beati, videtur nihilominus dictâ ratione illâ fuisse fruita, ipsámq; velut delibavisse. Finitâ hac visione & fruitione, tota Sanctissima Trinitas me sibi univit, ubi mea anima fuit quasi submersa in immenso Divinitatis pelago, donec post breve temporis spatium me reperi in meo angulo, sed ita, ut mihi videretur aliquid deesse, &, quamvis viverem, corpus tamen meum carere animâ.

Interea me denuò est allocutus Dominus, dixítque sanctis Angelis, ut me ducerent ad cœlum, quò etiam pars inferior ac natura ijs bonis frueretur. Inveni me subitò rursum in cœlesti Patria, nescio profectò an cum corpore, an absque illo: scio tamen prorsus mirum mihi accidisse modum, quo tum videbam, quæcunq; erant in ea fortunatissima Civitate. Quia dum contemplarer pulchritudinem & splendorem ineffabilem Beatorum Spirituum, & gloriosarum Animarum, quæ erant inter ipsos, debui manu oculos obtegere, sicut illos tegimus, quando perstringuntur à Sole. Primum, quod mihi Divina Majestas ostendit, fuit, quòd viderim meam animam unitam illi Domino, & quasi intimè penetratam ab eo Divino Esse. Deinde conjeci oculos in totam illam cœlestem multitudinem Angelorum, & Animarum sanctarum: ac denique, etsi velut eminus, vidi gloriosam Virginem Mariam Dominam nostram, cujus conspectus me singulariter exhilaravit. Inter hæc, juxta supputatum postea à me tempus, præteriverunt tres circiter horæ: cùm enim inchoata fuissent horâ noctis duodecimâ, quando plenè ad me redij, jam erat tertia matutina. Adverti, dũ fruerer eo glorioso cõspectu, nescio quomodo, seu in me fuerit excitatus antiquus ille meus affectus agendi cum Deo viâ ordinariâ, seu existimaverim, dictum mihi fuisse, ut reverterer: adverti, inquam, me, sive repugnando tunc illi affectui, sive resistendo ei, à quo jubebar abire, dixisse Deo, quia nempe mihi erat bene: Expecta mi Deus, expecta paulò diutiùs. Verùm tandem operâ meorum

rum Dominorum Angelorum sum secundò reducta ad meum angulum. Laudetur Divina Majestas in æternum. Amen.

*Quædam hujus scripti difficultates sunt superiùs sufficienter explanatæ. Quod attinet ad cætera, non tam nostrâ indiget explicatione, quàm incitat ad affectum gratiarum actionis, erga magnum Deum nostrum, qui se usquoadeo sublimibus modis, liberaliter & amanter communicat suis creaturis. Animalia mystica procul dubio fuerint Angeli. Possent præterea dici alia, sed quæ ex sacris Interpretibus, agentibus de curru Ezechielis, facilè intelliguntur.*

# CAPUT XXI.

## Concluditur horum ascensuum materia, admirandis quibusdam eventibus.

*Dixi jam capite decimo septimo, omnes propè descriptas à nobis gratias, quas hæc Virgo à Deo est consecuta, præstitas ipsi fuisse, dum à Divina Majestate elevaretur ad cœlum; atque hoc loco, ubi pertractabamus argumenta perfectionis, ad quam pertigerat, illos tantummodo ad cœlum ascensus esse collectos, ex quibus id ipsum clariùs concluderetur. Tales sunt, quos nunc referam. Qui sequitur, evenit, anno sexcentesimo vigesimo sexto, sic ab ipsa descriptus.*

Die secundâ Decembris, à media nocte ad horam usque quartam matutinam, egi cum Deo, eliciens ferventes affectus contemptûs mei ipsius, depromptos ex mei cognitione, quam mihi Ejus Majestas communicabat. Erant adeò vehementes, ut deficerem viribus, & rogando Deum, ut me adjuvaret ac illuminaret, dicebam summâ mihi possibili devotione Psalmum: *De profundis.* Deus meus solabatur & confortabat, tandémque duxit ad cœlestem Jerosolymam. Ibi me Domini mei Angeli prostraverunt super pavimentum illius cœli, & acclinavi caput ad fasciculum delicatissimorum, & svavissimè redolentium florum, qui illic erat, atque obdormivi. Somniavi, ostendi mihi, videríque à me Divinam Essentiam, & ejusdem attributa, eo modo, quo in hac vita mortali possunt in mysticis videri figuris. Expergefacta sum ex somno, & visa mihi fui, non somniavisse, sed sicut dixi, vidisse illud Bonum: atque re ipsâ non fuit aliter. Postquam evigilavi ex isto quasi somno, ducta sum à meis Dominis Angelis ad Majestatem magni Dei nostri, qui mihi dixit verba, quæ aliàs, & referre semper plurimùm erubesco, sed à Confessario meo scribere sum jussa: fuerunt autem hæc: *Tota pulchra es amica mea.* Cùm ita me compellari audirem, abalienata fui à me præverecondia, ac dixi: Mi Domine, noli me taliter compellare, alioquin dicam, istud alloquium non esse tuum. Divina Majestas dissimulavit hanc meam oppositionem. Angeli verò me derepente immerserunt in quendam velut puteum illius cœli, qui totus quoque erat cœlum, & coloris cœlestis. Intravi ipsum usque ad pectus, ibique me, nescio quâ ratione, renovavi, & videor mihi inde exivisse alia. Tum Dominus speciem gerens Divini Solis, me pulcherrimâ irradiavit luce, ita ut etiam ego resplenderem, & propter radios prodeuntes ex meis brachijs, manibus, digitis, ac pectore, quibus perstringebantur mei oculi, cœcutirem. Ita hoc biduo fui constituta; postquam sum reducta ad meum angulum. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Die decimâ nonâ Augusti, anno sexcentesimo vigesimo septimo, refert in scripto sequentia.*

Toto fermè hoc mense Augusto sum passa gravissimos oculorum, pectoris, & dorsi dolores. Exurebant me vehementes quidam æstus, integris durantes diebus & noctibus, méque continuè excruciantes, langvente ac deficiente naturâ, ut mihi viderer exspiratura. Fiat Divina voluntas. Interea conspexi Majestatem Jesu Christi

Sec-

Servatoris noſtri, qui mihi dixit: Anima mea, veni mecum, & reſpirabis à tuis afflictionibus: non videor enim poſſe ampliùs permittere, ut tam multa patiaris. Ducta fui à Domino ad cœleſtem Patriam. Ibat ſolùm mea anima, quam videbam in ſpecie quaſi quadrimeſtris infantuli, candidiſſimam, gerentémque longos & flaviſſimos capillos. Taliter conſtitutam me Dominus duxit ſuis ſanctiſſimis manibus, & præſentavit Beatiſſimæ Trinitati. Pater æternus me ſuſcepit ad ſua brachia, in quibus vidi meam animam, non jam in ea priore ſpecie, ſed modo ſpiritualiſſimo. Univit me ſibi idem Dominus, & reliquis duabus Divinis Perſonis, unione forti & ſvavi. Ibi mea anima manſit, atque etiamnum manet, dum id ſcribo, fruens dulciſſimis illis delicijs ac amplexibus: & aliunde natura hìc patitur, quæ antea. Benedictus ſit Deus. Amen.

*Simili occaſione, ùt ſuprà retulimus, illi dixit Dominus, hunc modum gaudendi, unáque patiendi, eſſe ſpecimen quoddam eorum, quæ in hac vita mortali acciderunt Chriſto Domino amabiliſſimo Servatori noſtro, qui ſummam gloriam conjunxit tremendis doloribus. Admirandus eſt ſequens eventus, qui contigit decimâ ſextâ Maÿ, anno ſexcenteſimo vigeſimo octavo, & ab illa his verbis deſcribitur.*

Rogabam in mea oratione Deum, ut me illuminaret ac doceret, quomodo me conformare deberem ipſius voluntati, cúmque deſiderarem, ut mihi Divina Majeſtas gratiam præſtaret, prout illi placeret, cœpi ſubitò dubitare, an non fortaſſe optarem res extraordinarias? unde ſtatim dixi magno fervore: non mi Domine, non volo, nec deſidero quidquam præter te, nihílque magìs cupio, quàm tibi ſervire, ac te quærere, quacunque ratione volueris. Quodſi mihi dæmon ingeſſerit aliquam imaginationem, ut ſecter viam quampiam ſingularem, nullo modo illam admittam: non habet ille quod hac ſuper re mecum agat: alioquin ipſum comburam & concremabo. Dominus me beniguiſſimè audivit, dum id dicerem, reſpondítque mihi ſvaviſſimè: Anima, quid dicis? quomodo poteris comburere, & concremare dæmonem? omnino mi Domine, ajebam ego, dico, quòd ipſum ſim combuſtura, & concrematura, ſi mecum hac de re egerit. Adverte, quid dicas, repoſuit Dominus. Omnino mi Domine, rurſus dixi: jam enim ſcio, qualiter me id facere oporteat. Debeo nempe, mi Domine, illum exſibilare ac deridere, & nihili facere, quidquid mihi fuerit locutus: nam nihil magis urit dæmonem, quàm dum ſe videt deſpici, & vilipendi. Nunc Anima, dixit Dominus, veni mecum, es enim fatigata, & refocillaberis in me.

Duxit me ſecum Dominus ad cœleſtem Jeroſolymam, & præſentavit proſtratam Patri æterno, qui bene mihi precatus, me juſſit ſurgere. Et animadverti, quòd, poſtquam meam animam, dum hac vice aſcenderet, vidiſſem in ſpecie parvæ puellæ, me viderim, quando hìc fui à Domino juſſa ſurgere, transformatam quaſi in virgulam fumi aſcendentis ex thure, quódque directiſſimè aſcenderim in altum. Hunc itaque in modum, ubi ſurrexi, ſum à Domino ducta ad maximam altitudinem, quò, ùt mihi videtur, nunquam hactenus aſcenderam: an quia tam eximia ſunt bona cœleſtia, ut quotieſcunque obtinentur, aut conſpiciuntur, appareant nova? Poſtquam aſcendi ad prædictam altitudinem, vidi ſtupendiſſima magnalia immenſæ Eſſentiæ Dei, quæ excedebant omnia, à me aliàs viſa. In ſummitate & vertice illius altitudinis, vidi, ſupra ſublimiſſimos Cherubinos & Seraphinos exaltatam, ſpecioſiſſimam & gratioſiſſimam Dominam, quam nulla poteſt lingva dignis efferre laudibus. Eminebat admirabili majeſtate ſuper omnia ibi ſpectabilia, videbatúrque mihi, ipſiuſmet Dei ſuſtentari brachio. Quando agnovi, eſſe Celſiſſimam Virginem Dominam noſtram, non capiebam me præ ſolatio. Salutavi illam quàm optimè potui; petij ab ea gratias pro multorum, qui ſe mihi commendaverant, remedio; rogavi ipſam, ut inſtanter intercederet apud ſuum ſanctiſſimum Filium. Audivit me peramanter, dixítque mihi, ſe id facturam. Dum iſto

fruerer conspectu, univit me secum Deus, ubi, disparente mihi sanctissimâ Virgine, sum satis diu fruita stupendis bonis, & quievi in Divino Esse.

Postquam ad me redivi, dixit mihi Dominus: Anima, jam est tempus, ut abeas ad tuum angulum, & scribas epistolas pro meo honore, & profectu ac solatio tuorum proximorum. Non mi Domine, dixi ego, non abibo, nisi me tua Majestas comitetur. Nescio, qualiter anima hujusmodi occasionibus sit comparata, ut, dum summè reveretur Deum, nihilominus sic loqui non vereatur. Omnino Soror, dixit Divina Majestas, abi, dabo tibi aliquem, qui te comitetur. Et ostendendo mihi quandam beatam & elegantissimam puellam circiter sexennem: hæc inquit, te comitabitur. Non Domine, rursus respondi, non abibo, nisi te comite. Itaque comitetur te etiam, subjunxit Dominus, Ludovicus de Ponte, & Marina Hernandez tua socia. Tandem, quantumcunque invita, debui redire, comitantibus me tribus sanctis Animabus, quas mihi Dominus assignaverat. Quando perveni ad meum angulum, accessit ad me illa pulcherrima, ac beata puella, & dixit mihi: amita mea, non me novisti? atque arctissimè me est amplexata. Tum illam agnovi, & respondi ipsi: ita, deliciolum meum, bene te nosco. Scias autem, amita mea, dixit puella, me in cœlo occupari eo, quod asserui in fine vitæ meæ, dicendo: abeo ad cœlum, ut inter choros Angelorum benedicam, & laudem Deum. Sic est, hoc nunc ibi munus exequor. Sanctus Pater Ludovicus aderat quasi arridendo, lætus ob meam cum puella conversationem. Marina Hernandez solatio affluens, mihi gratias egit, ob susceptam à me pridie ad domum quandam Virginem, quam ista existens in hac vita, propter singularem illius virtutem, multùm amaverat.

His distinebamur, quando audivimus magnum strepitum tonitruorum cum fulgetris, & velut bombardarum in alto resonantium, prope ipsum cœlum. Sanctus Pater mihi tum dixit: Dominus venit, noli metuere. Interea veniebat Deus magnâ stipatus multitudine Angelorum, qui me arctissimè sibi unitam rursus duxit ad cœlestem Patriam, & elevavit ad illam altitudinem Divini Esse, longè superiorem præcedente, ubi fui submersa, neque perdidi in ipso Deo. Nescio utrùm tota fuerim ducta, quia verè me ipsam non sentiebam. Ibi mansi, & postea me reperi in meo angulo, ubi statim potui respondere quaternis epistolis personarum afflictarū, quæ ad me scripserant. Benedictus sit DEUS.

*Felix ista puella, de qua Virgo loquitur, fuit ipsius neptis, cui Deus per speciale privilegium acceleravit usum rationis, ut ultima multum sibi meritorum accumularet. Obiit pronuntiando dicta verba. Hinc, dum alia vice, ùt infra dicemus, Sancta ascendisset adcœlum, & mirata fuisset, quòd inter animas infantium recenter baptizatorum, & ob questionis usu in prima gratia mortuorum, non videret animam hujus puellæ, illi quidam Angelus dixit, ipsam esse in choro superiore, eo quòd per divinam gratiam obtinuerit lumen anticipatum, & primæ gratiæ promeruerit augmentum. De Marina Hernandez, alumna & socia hujus Virginis, heroicæ virtutis muliere, sæpe in hac historia sermo recurrit. Fuit Vallisoleti bene nota, ejusdémque sanctitas à gravissimis viris approbata. Quod nunc exponam, evenit vigesimâ septimâ Junij, anno sexcentesimo trigesimo primo: & quia plurima continet mysteria, atque sublimis summam doctrinam, jussa fuit à suo Confessario, omnes singulatim hujus eventûs exprimere circumstantias, quas in eo observaverat. Habebunt animæ multa, quæ hinc discant, & non parum quod mirentur, ob variarum perfectionem virtutum, quas hæc admirabilis Virgo tum exercuit. Ipsa illum sic recenset.*

Feriâ sextâ, post Octavam sanctissimi Sacramenti, peractâ sacrâ Communione, dum mea anima eliceret ferventes & ardentes affectus, atque efficacia desideria conformitatis in omnibus, & per omnia, cum divina voluntate, multa dicebam Deo, præsertim verò: non te deseram Domine mi Deus, non te deseram Beatissima Trinitas; non dabo somnum oculis meis, neque capiti meo quietem, donec tibi in cor-

corde meo inveniam habitationem, & locum Deo Jacob, qui vivit & regnat in sæcula seculorum. His, & similibus incredibili ardore dictis, subdebam subitò: Ah mi Deus fatigareris, si id in te cadere posset, audiendis meis clamoribus, & meis continuis molestationibus. Divina Majestas audivit hæc ex affectu cordis mei orta alloquia, respondítque mihi benignè & amanter: non fatigor Anima, nec possum fatigari, dum te ausculto, imò gaudeo, ac delector.

Eo momento vidi descendentem de cœlo summam quandam Majestatem, tanta cum pompa, ut videretur commotum fuisse cœlum cum terra, eodémque tempore vidi, à dæmone, conante effingere simulacrum mysterij descendentis de cœlo, similem oculis meis objici repræsentationem. Statim ipsum illuminata à Deo agnovi, & fui notabiliter afflicta, videndo, quòd tali occasione maledictus auderet aliquid simulare, de veritatibus mei Dei, & conversa ad Divinam Majestatem, conquerendo dicebam: Quomodo mi Deus, & mi Domine, permittis hanc abominationem, & impudentiam diaboli? qui tamen non cessabat, imò perseverabat in effingendis ijsdem gestibus, quamvis aliquatenus timendo Angelos mihi assistentes. Cùm ita conquererer, dixit mihi Deus: noli angi Anima, noli affligi: nam ad majorem gloriam meam, & bonum animarum, utque eluceścant, & magìs animæ appareant meæ veritates, sæpe permitto, & indulgeo diabolo, ut fingat hujusmòdi figuras ac falsitates. Deinde præcepit duobus ex his meis Dominis Angelis, ut dæmonem inde abigerēt, qui advertens ipsos moveri, tam celeriter fugit, ut derepente præceps ruerit in infernum. Tum meus sanctus Angelus Custos accessit, tactóque meo pectore & capite, me penitus quietam reddidit, ac pacatam.

Jam illa Divina Majestas, quæ descendebat, mihi erat proxima, infundens meæ animæ clarum lumen, & cognitionem, quòd esset sacratissima Persona Spiritûs Sancti: quapropter mea anima fuit non nihil turbata, vehementer obstupescens mysteria sui Dei. Appropinquabat magìs ac magìs eâ specie, quam nescio explicare, quia erat spiritualissima, admirabilis ac divina: & cùm ad me pervenisset, impleta fuit mea anima suo Deo, ita ut videretur immersa illi immensitati, & Divinæ Essentiæ sui Dei. Subitò autem eadem pompâ, quâ descenderat, & paulatim, summa illa Majestas rursus ascendebat, ducens secum meam animam, dicendo illi hæc verba: veni dilecta mea, amica mea, sponsa mea, ad æternum tui Dei habitaculum. Mea pauper anima, ob audita hæc verba, quamvis ipsi magnum adferrent solatium, nihilominus summè fuit pudefacta, erubuit, & extimuit, adeò ut viderer velle in profundam descendere meæ miseriæ & vilitatis abyssum: unde me non potui continere, quin ab hoc affectu abrepta dicerem ex animo ad meum Deum: Quid dicis, mi Deus & mi Domine, quid dicis? ego id non intelligo, neque intelligere possum. Indigna sum ancilla tua, & vilissima omnium, quas creavisti, atq; abjectissima creatura, ac talem me esse existimo. Revoca tua verba, mi Deus & mi Domine, si me vis consolari ac recreare, & dic mihi: veni miserabilis creatura, infirma, & ad ossa usque in tuis peccatis inveterata, leprosa, surda, & muta, ut te mundem, démque tibi aures, quibus audias divinas inspirationes & vocationes; veni mecum, propter meram bonitatem meam, quia ex pura mea misericordia te volo curare à tua lepra, & vulnera tua sanare. Hoc mihi dicere debes, mi Deus, quo opus habeo, Dum ista speciali proferrem affectu, intimè cognoscens propriam vilitatem, & admirabilissimo eo modo, sicut dixi, ascenderem, mea anima se invenit in illa cœlesti Jerosolyma, velut perditam & submersam intra meum Deum, in quadam immensa altitudine. Ita fui constituta, nescio quamdiu, ac deinde me deprehendi in meo angulo, sed tamē intra meum Deum, eodem modo, quo eidem Domino inhæseram, quando ipsum illo matutino tempore suscepi in venerabili Sacramento, ùt initio ajebam.

Tunc mihi dixit Christus JESUS Dominus noster: Quomodo vales Anima?

quo

quo successu egisti cum sacra Spiritûs Sancti Persona? Non respondi ullum verbum, quia eram quasi attonita, & Dominus subjecit, dicendo: bene tibi est, sed ecce scias, me tibi velle instruere grande convivium, téque ad divinas epulas invitare, per quas repleberis me ipso, affluesque solatio, & satiaberis secundùm tuam capacitatem. Dum mea anima hæc verba audiret, expergefacta ex eo raptu, atque contenta, & plena solatio, dixit magno affectu: Mi Deus, & mi Domine, cùm mihi ex pura tua bonitate hanc præstes gratiam, potest utique is qui invitatur, unà adducere quempiam alium. Esto ita, dixit Dominus, volo tuæ petitioni satisfacere, tibíque hoc dare solatium. Idcirco mea anima, impellente me eo affectu, cæpit conjicere oculos in omnes meas socias, & amicas Moniales, ut illas secum adduceret. Veni Anima, ajebat Dominus: & anima mea ascendebat cum suo Deo, à quo iterum ducebatur ad cœlestem Jerosolymam, semper tamen circumspiciendo, an venirent etiam meæ amicæ, ac sociæ, & quodammodo ipsis innuebat, dabátq; signum, acsi diceret, ut eam comitarentur. Taliter Dominus pervenit ad cœlum, simúlq; mea pauper anima. Ingressæ quoque sunt illam cœlestem Patriam amicæ, & sociæ, quæ nihilominus substiterunt aliquantò remotiùs. Mea anima fuit præsentata Beatissimæ Trinitati, & coram ea prostrata, atque Divina Majestas mihi bene precata est, ac dixit: surge Anima; quod ipsa fecit provoluta in genua, & vehementer obstupescens.

Interea vidi, ab Angelis fabricari mensam quandam mysticam, & adornari: quo apparatu finito Beatissima Trinitas consedit ad caput mensæ, atque ad ejus dexteram Majestas JESU Christi Domini nostri, veri Dei & Hominis. Mandavit Dominus Deus quibusdam sanctis Archangelis, ut ad eandem sacram mensam adducerent sanctissimam Virginem Mariam Dominam nostram, & glorioſum sanctum Joachimum, sanctam Annam, & sanctum Josephum. Postquam sacratissima Virgo adfuit cum his Sanctis, exhibentibus magnum honorem Divinæ illi Majestati, Dominus illos jussit accumbere. Deinde fuerunt pariter adducti, ex mandato ejusdem Dei, multi sancti Patriarchæ & Prophetæ, alíque Sancti ex supremis, qui omnes sunt à Divina Majestate jussi assidere. Tum conjiciens magnus hic Deus oculos in meam pauperem animam, benignè illam jussit accedere ad eam mysticam mensam, ut, quemadmodum summâ suâ sapientiâ dispositerat, gustaret illum divinum cibum, quo sustentabantur ij cœlestes Palatini, dixítque, suam etiam partem obventuram invitatis, quas adduxerat. Tunc ad me venit meus sanctus Angelus Custos, & hi mei Domini Angeli mihi cohabitantes, atque plures alij, & duxerunt me in illa specie, quam gerebam, ad illam sacram mensam, continuè respicientem socias, & amicas, ut mecum venirent.

Cibus, in ea mensa appositus, erat admirabilissimus ac Divinus, & quantum mea anima assequitur, ipsemet Deus, qui est sustentatio & vita (ut sic dicamus) sui ipsius, propter suum Esse à nemine dependens, & sustentatio ac vita nostra, principium & fons nostri Esse, motuum & actionum, tam naturalium, quàm supernaturalium. Et observavi, quòd tres illæ Divinæ Personæ se meæ animæ interdum spectandas præberent instar trium sublimiorum Angelorum, ut videlicet, quantum intelligo, significarent munus, quo erga creaturas funguntur, subministrando illis esse & motum: verùm advertebam quoque, me pariter, cùm se mihi repræsentarent quasi Angelos, in ijsdem agnoscere id quod erant, hoc est, unam in tribus realiter distinctis Personis Divinitatem. Quocirca etiam illas in ea specie Angelorum adorabam, modò ùt unum Deum, modò ùt tres Personas.

Hæc omnia contemplabatur mea anima, partim summo affluens solatio, partim verò valde attonita, eóque magis, quòd non possem tam multa, támque sublimia mysteria comprehendere, quæ mihi ibi manifestabantur. Unum erat, quòd ex iis tribus supremis Angelis, qui repræsentabant, ùt dico, Sanctissimam Trinitatem,

is, qui medium occupabat locum, distribuerit cibum, inprimísque singulos porrexerit bolos sibi utrinque assidentibus, ac deinde Sacratissimæ Humanitati JESU Christi Domini nostri, quo, ùt ego intelligo, indicabatur, qualiter Pater æternus sit origo & fons, à quo Divina Essentia communicatur Filio & Spiritui Sancto, quódque Christus Dominus noster, quà homo (quia est Divino Verbo unitus) obtineat primum locum, & præ omnibus creaturis in gradu incomparabiliter perfectissimo, participet dona Dei. Postea dabat suo ordine omnibus convivis, quod juxta cujusque capacitatem singulis cõveniebat. Fiebat porrò, ut, cùm admovisset cibum ad labia convivarum, replerentur Deo, & multis donis, quæ ipsis communicabantur, juxta singulorum votum, ac divini beneplaciti dispositionem. Adverti, quòd ille Angelus medius, repræsentans, sicut dixi, Personam Patris æterni, dum dispensaret eum Divinum cibum, duobus ipsum tantummodo digitis sumeret, ex quadam velut patena: & intelligo, per hos duos digitos fuisse significatas reliquas duas Divinas Personas, quæ unà cum Patre impertiuntur hæc mystica dona suis creaturis, & patenam fuisse figuram Divinitatis, ac Divinæ naturæ, communis omnibus tribus Sacrosanctis Personis, quæ in ijs est principium operum, unde, tanquam ex causa, procedunt effectus, quos Deus in suis creaturis operatur.

Modus, quo id peragebatur, atque dispar illa, sed suâ singulis proportione convenientissima, distributio, & communicatio, res erant tam admirandæ ac divinæ, ut non solùm à lingva nequeant ullâ ratione adumbrari, sed neque ab anima potuerint comprehendi. Sensi nihilominus in mea anima effectum portionis, quæ mihi obtigit, competens statui spirituali, in quo me Deus conservat: fui enim quodammodo repleta Deo, & svavissimo affecta solatio. Sociæ quoque, & amicæ, modo ipsis occulto suam acceperunt partem. Mysterium, præ cæteris meæ animæ manifestatum, illud erat, quòd sublimi cognitione perceperim, qualiter Deus se comprehendendo, semet amet, séq; ipso fruatur, sinè dependentia ab ulla creatura, eò quòd sit supremus Deus & Dominus universorum, à quo omnia creata in suo esse dependent, & in conservatione; atque omnia summâ & amabili providentiâ, secundùm ipsius bonitatem ac misericordiam, & uniuscujusque indigentiam, justissimè ac perfectissimè gubernantur. Erat verò mea anima, dum omnia ista mysteria videret, vehementer elevata, sibique erepta in magna ecstasi, licèt ignorem, quamdiu hic raptus duraverit, post quem me reperi in meo cubiculo plenam erubescentiâ, ob meam vilitatem, & admiratione, ob talia mei Dei opera, qui semper sit millies, iterúmq; millies benedictus. Amen.

# CAPUT XXII.

## Visitationes, quibus illam dignati sunt glorioſi Sancti, Joachimus, Anna, & Joseph.

*IAm familiariter fortunata hæc Virgo versabatur in cœlesti Aula, & heroicæ ipsius virtutes adeò similes erant virtutibus Beatorum illius incolarum, ut Deus non tantùm voluerit, quò illi gratificaretur, eam frequenter ascendere ad cœlestem Patriam, interdúmq; invisere illos felices Palatinos, cum quibus postea in æternum esset victura; verùm etiam ipsi, durante ejus exilio, ex empyreo suo Palatio, quod in imperiali illius habent Civitate, descenderent ad pagum nostræ terræ, & paupertinum tugurium, in quo ipsa morabatur, ad eam consolandam. Adeò ut propè nunquam aliquæ præterierint septimanæ, quin illa eò ascenderet ad gratulandam ipsis eorum gloriam, aut illi vicissim eam revisentes huc descenderent, ad ipsam confortandam in illius afflictionibus. Multa hac de re habentur in pri-*

*ma parte, & in ista secunda vidimus, deinceps-que sufficienter videbimus in diversis capitibus de cæteris materijs, quas pertractabimus. Visum mihi tamen fuit in præsenti, quam præ manibus habemus, quasdam colligere speciales Sanctorum visitationes, quæ præ reliquis magnam indicant perfectionem, quam in hac purissima Virgine comperiebant. Incipio ab his tribus Sanctis, conjunctissimis quoad omnia Christo Domino amabilissimo Servatori nostro, & Sanctissimæ ejusdem Matri, siquidem illi ob id ipsum singulari, erga mundissimam istam ejusdem Domini sponsam, ac dilectissimam Virginis filiam, ferebantur amore, ipsa verò pari eos prosequebatur honore. In quadam igitur charta, quæ fuit conscripta anno sexcentesimo vigesimo quinto, vigesimâ Martij, quâ die Ecclesia gloriosam recolit memoriam felicissimi Patriarchæ Joachimi, sic ait.*

Feriâ quintâ, vigesimâ hujus, manè, vidi glorioſum ſanctum Joachimum, qui geſtabat in brachijs Sanctiſſimam Virginem Dominam noſtram, quaſi trimulam. Glorioſiſſima Domina habebat vultum converſum ad Sanctum, cujus humeros ſtringebat brachiolis. Ego vidi ipſius dorſum, & erat induta veſtibus longè pretioſioribus, ac pulchrioribus, quàm dici poſſit. Sanctus reſpiciebat locum, in quo eram, atque tum cæpit deprædicare tantas, ac tam divinas laudes illius ſuperbenedictæ Dominæ filiæ ſuæ, & Genitricis Dei, modo, & ſermone adeò ſublimi, ut à me nequeat explicari. Et poſtquam ipſam appellavit templum Spiritûs Sancti, Sacrarium Verbi æterni, multíſque alijs admirandis titulis, exprimentibus excellentiam, potentiam, & gloriam illius Celſiſſimæ Reginæ, nec non ſingularia beneficia, quæ Deus per illam contulit humano generi, imprimíſque ſpecialiſſimum illud, quod ipſe Sanctus à Deo acceperat, dum illum tam fortunatum effecit Patrem adeò admirabilis filiæ. Poſt hæc, inquam, dicta Sanctus procubuit in genua, & humi collocatâ benedictâ puellâ, quæ velut innitebatur ejus pectori, elevavit oculos & manus ad cœlum, gratias agens Deo, pro omnibus his beneficijs, rogánſque Angelos, qui multi cum ipſo erant, ut ſe adjuvarent in gratijs agendis illi ſummo Domino, à cujus bonitate ac liberalitate ea acceperat: quod ij beati Spiritus fecerunt, cantando muſicâ verè cœleſti divinas laudes.

Surrexit deinde Sanctus Patriarcha, & apprehendens Præcelſam Virginem ſua manu, alterâ ſcipionem, repræſentantem eam ætatem, quam habebat, & qualem cum ea egerit, dum eſſet trimula: atque deſcendens quaſi per gradus ex loco alto, ubi omnia prædicta fuerunt geſta, venit ad locum, in quo eram, & accedens ad me, verbis mihi ſvaviſſimis ac diſcretiſſimis (obſervant enim quoad hoc Beati eum morem, qui ipſis in hoc mundo obtatus fuerat: & dubio procul modus agendi hujus Sancti, in vita ipſius, fuerit perquam diſcretus ac ſvavis) gratias egit pro affectu, quo jàm inde ab infantia optaveram, ut ejuſdem feſtum celebraretur in Eccleſia, quo die feliciter ex iſto mundo migravit, diceretúrque de ipſo Officium, ſicut de alijs Sanctis. Et quia meis inſtrijs tandem effectum eſt, ut hoc propoſitum executioni mandaretur, adjuvante Domino Andrea de las Infantas, quem, dum ageret Conſiliarium in Cancellaria Valliſoletana, plurimùm animaveram ad hanc devotionem, & induxeram, ut conatu poſſibili procuraret à Sanctiſſimo Domino noſtro facultatem celebrandi feſti, & recitandi Officij de Sancto. Ille ferventiſſimè, cùm eſſet Gubernator Hiſpalenſis, præſtitit per Canonicos Romæ eo fine degentes, ut Summus Pontifex definiret, Puriſſimam Virginem Dominam noſtram fuiſſe conceptam ſine peccato originali. Quia verò Sanctus meminerat rei geſtæ per Dominum Andream, quamvis mihi jam conſtiterit, ipſum poſt ſuum obitum exiſtere in via ſalutis, cùm tamen ignorarem, an jam foret in cœlo, interrogavi Sanctum, & reſcivi ex eo, animam illius jam quieſcere inter Beatos: atque ſubjunxit Sanctus, multum ipſi à ſe collatum fuiſſe, propter devotionem, qua illum coluit, ſéque eâdem ratione adjuturum ſibi devotos.

Augu-

Augustissima Puella, Virgo Domina nostra, sedebat in meo lecto, quæ, dum finivi sermonem cum sancto ipsius Patre, me amabilissimè intuita, accedénsque ad me, dixit mihi quàm secretissimè, voce quadam subtilissimâ (iste námq; modus, & ille, quo Deus animam in solitudine alloquitur, atque alius, qui est instar spiritualis somnij, sunt tres modi loquendi arcanissimi ac divinissimi, quantùm ego sum experta) dixit mihi, inquam, in hoc secreto silentio: Optimum tibi, & lætissimum adfero nuntium nomine Dei, quòd videlicet exaudiat, sítque exauditurus tuas preces, quas fundis pro Christianitate, nè illam hostes pessumdent bellis, quæ comminantur. Tum simul mihi valedicentes rediverunt, quâ descenderant, atque ibi mihi disparuerunt. Glorificetur Deus in æternum. Amen.

*Bene perspectus est in Castella affectus, quo hæc Virgo instanter petijt, ac obtinuit debitam solennitatem, quam nunc Ecclesia celebrat, in honorem hujus sanctissimi Patriarchæ: ut Deus, sicut hoc sæculo est usus operâ sanctæ Teresiæ, ad excitandam devotionem, quâ fideles præsenti tempore colunt sanctum Josephum, ità ipsam videatur assumpsisse, ut per illam induceretur in mundum religiosa veneratio sancti Joachimi. Videtur pietas, quâ semper Hispania honoravit Augustissimam Reginam Angelorum, atque etiamnum laborat in defendenda purissima illius conceptione, promeruisse, ut ipsi dilectissimus Servator noster, in præmium obsequiorum præstitorum benedictæ ejusdem Matri, tales duas daret filias, quibus procurantibus novos & præclaros sancto ipsius Patri existimato, & verò Avo, deferret honores. Prosequamur autem argumentum nostri capitis. In alia charta, quam scripsit vigesimâ secundâ ejusdem mensis & anni, biduo post prædicta, sic ait.*

Die Sabbathi, dum hæc bellorum negotia commendarem Deo, rogarémque ipsum, ut respiceret suam Ecclesiam, & populum Christianum, significavit mihi Divina Majestas, quàm pauci reperiantur, qui ei seriò serviant, indicando id repræsentatione agri, in quo post messem solent paucæ, eæque in brevibus culmis, remanere spicæ. Dixit mihi, sic se habere messem mundi, quæ est hominum, eò quòd demetantur à diabolo, auferente ipsos ad æternam damnationem, & paucos superesse pro granarijs Dei. Hæc notitia me magno affecit dolore, & cùm affligerer considerando, quod intellexeram, conspexi gloriosum sanctum Joachimum, qui magnam demonstrans charitatem me cæpit alloqui, ac solari, ut mitigaret meum mærorem, quo angebar. Et postquam hac de re quædam contulimus, vidi, quòd se verteret ad latus dextrum, statímque juxta illum conspexi sanctam Annam, & in Sancti brachijs sanctissimam Virginem instar parvulæ puellæ, quam, amplexans ipsam, ac adstringens ad suum sanctum pectus, cæpit dulcissimè alloqui, extollendo gravissimis, magníque momenti verbis, sublimes ac admirandas virtutes ejusdem Dominæ, gratulando illi millies gratias à Deo acceptas, & specialissimum modum, quo ijs bene fuerat usa; séque demississimis affectibus Deo gratum exhibebat pro beneficio sibi ab eodem præstito, dum talem ipsi dedit filiam. De his omnibus tam prolixum ac dulcem habuit sermonem, tantâ plenum gravitate, amabilitate, atq; teneritudine, ut, opinione meâ, nemo mortalium talia possit proferre.

His dictis posuit Augustissimam Puellam ad brachia gloriosæ sanctæ Annæ, quæ imitata Sanctum, similia loquebatur, deprædicans excellentias illius Dominæ, & millenas Deo gratias agens, cum humili gratitudinis demonstratione, pro data sibi ea filia. Vix suum Sancta finiverat sermonem, quando post ipsam, & sanctum Joachimum vidi sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, indutum more Sacerdotum, non casulâ, sed pluviali, omnésque tres ad me venientes, postquam sanctus Joachimus sanctissimam Virginem recepit ad suas ulnas. Tum sanctus Pater Ludovicus procumbens in genua, accepit, cum profundissima reverentia, illam sanctissimam Puellam Dominam nostram, ex ulnis sancti Joachimi, quam in manibus tenens, non admotam pectori, prout à sanctis ipsis Progenitoribus admovebatur, sic flexis genibus

nibus mihi obtulit, ut oſcularer ejuſdem pedes, quos ſum diſſvaviata cum magna teneritudine, & conſolatione meæ animæ: atque Auguſtiſſima Puella ſe inclinavit, & attrectans manibus meas genas, oſculata eſt meam frontem, ac voce clarâ, quali loquuntur fœminæ ætatis provectæ, mihi dixit: Ave amica. Repoſuit ipſam deinde ſanctus Pater Ludovicus in brachijs ſancti Joachimi, & omnes reverſi ad ſuum locũ, ubi illos initio videram, diſceſſerunt à me, ac diſparuerunt, relinquentes meam animam plenam ſvaviſſimo ſolatio. Benedictus ſit Deus ob ſuas miſericordias. Amen.

*Favor, qui nunc ſequitur, quamvis habeat nonnullæ encomia glorioſi Patriarchæ ſancti Joachimi, eſt tamen admirabilior ob id, quod refertur de ſancto Joſepho. Non eſt annotatus annus, quo viſio evenit, ſed ſecundùm computum chartarum, quas numeratas Pater Michaël de Orenja reliquit, acciderit biennio poſt præcedentes. Continet ſingularem doctrinam, meretúrque ejus deſcriptio omnem devotarum animarum attentionem, & affectum. Eſt verò hujuſmodi.*

Nihil minùs cogitans, quàm eo die celebrari feſtum glorioſiſſimi ſancti Joſephi, agebam cum Deo in mea ordinaria oratione, quando mihi Divina Majeſtas inſinuavit, velle ſe mihi præſtare ſpecialem aliquam gratiam, unam ex ijs, quas mihi liberaliſſima ipſius bonitas conferre ſolet. Ego propter meos timores, & intimum deſiderium progrediendi, & quærendi mei Dei viâ communi, divertebam, quantùm mihi fuit poſſibile hanc imaginationem, & agebam cum magno Deo noſtro, eliciendo conſvetos meos affectus. Deus mihi rurſum ſignificabat ſuam voluntatem, & ego perplexa ac meticuloſa perſeverabam in me abſtrahenda. Duravit interna pugna bono temporis ſpatio. Tunc mihi Dominus Majeſtatis ſvaviſſimè & amantiſſimè dixit: Ceſſa Anima: nunquid enim non vis videre meum Patrem Joſephum? iſta fuerunt ipſius verba, & hoc titulo compellavit Sanctum, atque deinde Divina Majeſtas modicùm conticuit: quo tempore dæmon optans mihi illudere, ſe mihi præbuit ſpectandum, cum inſigni ſimulatione, oſtentando magnam majeſtatem, acſi eſſet Chriſtus Dominus, & dixit mihi: Anima multùm mihi diffidis, & vehementer es timida. Nihilominus vix illum conſpexi, & hæc pauca verba audivi, quando ipſum, illuminata à Deo, in momento agnovi, & more imperantis, atque animoſi ei dixi: Apage maledicte Satana, infelix, qui non vereris ſimulare verba Divinæ Majeſtatis. Et converſa ad meos Dominos Angelos mihi aſſiſtentes, conquesta ſum ipſis. Prodijt tum unus ex illis, qui vocatur *Miſſus minor*, quaſi ſuccenſens diabolo, & magnâ vi ipſum petijt igneâ jaculatâ, quâ illum diſperdidit ac profligavit inſtar modici fumi. Quamvis autem diabolus procul à me fuerit remotus, coperitque fugere, tamen ſimul ac illum ſum allocuta, donec ipſum Angeli fugitantem queretur, vehementer me afflixit quoddam velut venenum, quod exſpirabat. S. Angelus eſt reverſus lætiſſimus, propter victoriam, & ſplendidiſſimus, atque ego fui rapta in ecſtaſim.

Quando ex ea ad me redivi, vidi velut eminus venientem ſanctum Joſephum, cum multis Angelis. Veniebat glorioſiſſimus, ac plenus ſplendoribus: & quanquam tamam repræſentaret gravitatem, erat tamen illa conjuncta magnæ benignitati. Appropinquavit mihi, & ſalutando me peramanter mihi dixit: Deus ſit tecum, Anima. Ego ſum Joſeph, Sponſus Mariæ Virginis, & venio ad te nomine Dei, ad te viſitandam atque conſolandam. Dum viderem hunc admirabilem Sanctum, & audirem dulciſſimum ipſius alloquium, fuit mea anima in ſuo Deo repleta ſingulari ſolatio, & conſiderans virtutes, atque excellentiam tam cœleſtis hoſpitis, cœpi illi cum omni devotione, & affectu cordis dicere: O glorioſiſſime Sancte, tu felicisſimus fuiſti virorum, & ſuper omnes exaltatus, qui in mundo vixerunt, atq; à Deo ſunt creati: ſiquidem tanta fuit tua felicitas, ut ſis electus in Sponſum illius, quæ fuit ſtura erat Mater Incarnati Verbi Divini, & tu eundem Dominum, ſudando ac laborando, educaviſti & ſuſtentaviſti. O beate & ſanctiſſime Vir! Glorioſus Sanctus

ctus audivit me hæc sibi dicentem, & respondit mihi: Bene profectò dixisti Anima, bene dixisti: quia Deus Dominus noster mihi tam magnum contulit beneficium, & insignem gratiam, ut essem Sponsus suæ Sanctissimæ Matris, servirémque Salvatori in ejusdem infantia: verè tamen tibi dico, beatum meum Patrem ac Dominum, glorioſum Sanctum Joachimum, Patrem Sanctissimæ Virginis Mariæ, à Deo in altiore & sublimiore esse constitutum gradu, quàm ullâ viventium in hoc mundo possit exponi lingvâ, aut comprehendi intellectu. Hunc beatum Patriarcham veneratur totum cœlum, & Angeli Dei illum suspiciunt, ùt Patrem Mariæ Virginis, ac Avum Redemptoris. Est stupenda, & propè infinita ipsius dignitas. Mea anima fuit maximo repleta solatio, audiens has laudes, quas mihi Sanctus referebat, de eo magno Patriarcha, quia illum pro viribus meis colo.

Postquam mihi Sanctus ista dixit, movit pallium, acsi illud deponeret ex humeris, coruscando magnis splendoribus: atque dum ipsum tunc aspicerem, vidi, quòd in pectore haberet lucidissimam crucem unius palmi, quæ mihi talis fuit visa, támque admirabilis, ut ab ea non potuerim avertere oculos, cum meo magno solatio. Videns me Sanctus ità constitutam, dixit mihi cum svavissima benignitate: Quid aspicis Anima? quid vides in ista cruce, quod te tantà afficit consolatione, & rapit in admirationem? scias velim, crucem, quam sum passus in mundo, fuisse unicum meum thesaurum, omnem meam gloriam, omnem beatitudinem, pluríque à me æstimatam, & æstimari, velut acceptissimam Divinis oculis, quàm quòd sim Sponsus Mariæ Virginis, & quasi in meo sinu educaverim Redemptorem. Gravissima & incredibilis fuit, quam duabus occasionibus sustinui. Primò, quando vidi prægnantem Mariam Virginem, orta mihi inde incertitudo animi, cùm ipsam plurimùm amarem, fuit crux ex ijs, quas toleravi, longè maxima. Altera quoque erat acerbissima in exilio Ægypti, ubi vidi adorari idola, veri autem Dei ibi præsentis negligi cognitionem: affligebant me præterea opprobria, & vexationes, quas Sanctissima Virgo patiebatur ab illo impio & perverso populo, quæ mihi crux dubio procul accidit molestissima. Crux, quam tibi, Anima, Deus dedit, dátque ferendam, per decursum diuturnæ tuæ vitæ, est certè maxima, cùm fuerit interdum gravior tormentis Martyrum, qui suum pro Christo Jesu sangvinem prōfuderunt. Æstima illam, sicut debes, & age magno Deo nostro ac Domino magnas gratias, pro tanta tibi ab ipso exhibita misericordia. Siquidem crux est infinitorum bonorū thesaurus, & mirum in modum in Divinis oculis relucet; est signum & character, ex quo Divina Majestas cognoscit creaturam, quam signavit insignibus, quæ contulit Christo Domino unigenito Filio suo. Propter hanc, Anima, te Deus in altissimo constituet loco. Solatium itaque habeto in tuo Deo, quia dolores & cruciatus, qui possunt sustineri, sunt breves; æterna verò quies, atque corona gloriæ, & possessio ipsiusmet Dei. Nunc vale, & quiesce in Deo tuo.

Magnam percepi consolationem, audiendo tantas crucis prærogativas, à Sancto expositas: vehementer nihilominus etiam erubescebam, & confundebar, judicando, infinitos à me fuisse commissos defectus, in occasionibus exercendæ patientiæ, quibus Deo possem placere, ipsúmque oblectare. Id ego tum agnoscebam, & sentiebam. Jam Sanctus abiturus erat, anima tamen mea non poterat oculos ab ea admirabilissima cruce avertere, quæ pendebat in ipsius pectore: quod Sanctus videns, accessit ad me propiùs, porrexítque mihi illius partem inferiorem osculandam, non deponendo eam ex collo. Hinc statim sum consecuta sublimissimum lumen, & ingens meæ animæ solatium. Sanctus applicuit manum suo pectori, atque dum eandem amoveret, vidi illam coruscantem, acsi in ipsa haberet lucidissimum Solem: dedit mihi benedictionem, & impositâ eâdem manu meæ fronti atque capiti, me confortavit, totámque reddidit splendidam. Tum fui rapta in profundam ec-

ſtaſim, diſparente mihi Sancto. Reverſa ſum deinde ad me, finitâ viſione, vehementer fui mirata opera magni DEI & Domini noſtri; gratias illi egi, quas potui, pro eo, quod eſt in ſemetipſo, quódque eſt erga ſuas pauperes creaturas. Benedictus ſit in æternum. Amen.

# CAPUT XXIII.

## Viſitatur à Sancto Apoſtolo Petro.

*IAm aliàs fuit facta mentio gratiarum, quas hæc Virgo obtinuit à Principe Apoſtolorum ſancto Petro. Hanc viſitationem reſervavi pro argumento, quod modò proſequor: inſigniſſimum námque eſt beneficium, quod illi Deus, per magnum iſtum ſuum Apoſtolum contulit, qui cùm ſit univerſalis Pater totius Eccleſiæ, ſpecialiſſimam quoque gerit curam quarundam animarum, in quibus majus Eccleſiæ ſanctæ ſitum eſt momentum. De eo ſic ipſa loquitur, poſt deſcriptas alias à Deo acceptas gratias.*

Paulò poſt præſtitas à Deo has meæ pauperi animæ gratias, dum manè in actuali Divinæ Majeſtatis verſarer præſentia, conſpexi beatum Apoſtolum ſanctum Petrum, cujus ego tunc nullatenus memineram. Et quia rariſſimè hunc Sanctum vidi, mirabilis mihi hæc viſio accidit. Recurri meo more ad Deum cum magno affectu, petij ab ipſo lumen, ut ſcirem, quæ eſſet Divina illius voluntas in eo, quod mihi ibi repræſentabatur. Sanctus expectavit, dum orarem Deum, ac deinde advertens, me adhuc aliquantùm eſſe turbatam, mihi dixit: Nè timeas Anima, ego enim ſum, quem vidiſti, & venio ad te nomine Dei, ut exequar, quod mihi Ejuſdem Majeſtas mandavit. Elevavit poſtea manum, acſi vellet, ut viderem, quod in ea ferebat, & vidi, quòd haberet grandem clavim auream, ac ſplendidiſſimam. Demiſit Sanctus manum, deindéque illam aliquantò pòſt ſecundò, & tertiò elevavit, monſtrando mihi eandem clavim. Mirabar, videndo hoc myſterium, atque tum cogitabam, mihi à Sancto oſtendi inſigne proprij officij & Pontificatûs: ſed Sanctus mihi ſubitò dixit: Anima, hæc forma clavis, quam vides in mea manu, eſt donum, quod Deus Majeſtatis tibi per me dignatur mittere. Ego ſum, qui tibi eam applicare debeo nomine Dei, & imprimere. Valde expavi turbata novitate casûs, & dixi glorioſo Apoſtolo. Benedicte Sancte, non percipio bene, quid mihi dicas, videturq; mihi hæc res magnum continere myſterium: dic mihi amore Dei, cujuſmodi ſit hoc donum, & qualis virtus hujus clavis. Expecta Anima, reſpondit Sanctus, & amore Dei noli turbari. Dicam enim tibi fusè, quod ex me quæſiviſti, & ità, ut poſſis intelligere, atque capias ſolatium ex eo, quòd Deus in te dignabitur operari.

Adverte Anima, Dominus Deus Majeſtatis optans infinitè ſalutem animarum, útque tibi gratificetur, propter tuum amorem, quo ipſum proſequeris, & ea, quæ pateris, te ex ſua bonitate dignatus eſt aſſumere, ut eſſes inſtrumentum, ad multos ſalvandos. Ac proinde iſta clavis, quam tibi debeo applicare, eſt figura & ſymbolum magnæ gratiæ & miſericordiæ, quam DEUS tibi vult præſtare, unáque multis, aſſumendo te, ùt dixi, in inſtrumentum. Eſt autem iſta, ut poſſis animabus quodammodo aperire cœlum, eâ ratione, quòd, quotieſcunque magno affectu, & ex ſpeciali DEI inſpiratione, poſtulaveris, ut aliquæ animæ ſalventur, id DEUS Majeſtatis tibi ſit conceſſurus. Ingenti me iſtud nuntium affecit ſtupore, & revolvens animo eventum, dixi Sancto Apoſtolo: Quomodo verò hoc fiet glorioſe Sancte? ſi ità eſt, poſſem petere, ut ſalvetur totus mundus, quod magnopere deſidero, & omnes animæ ſalvabuntur. Audi, reſpondit Sanctus, Dominus Deus Majeſtatis tibi inſpirabit, pro quibus te oporteat orare, dabítque tibi ob id magnum affectum, qui non

non dirigetur ad omnes, neque ad universum mundum. Illis verò animabus, pro quibus hoc modo orabis, dabit Deus talem dispositionem, ac talia auxilia, ut his, & divinis vijs, quibus Deus animas ducit ad consequendam salutem, sint responsura ista privilegia, & misericordiæ DEI. Ampliùs tibi dico, multùm hinc participaturos, qui tibi fuerint bene addicti, & aliquid boni præstiterint. Fui certè velut attonita, cùm audirem tam admiranda mysteria, & intelligerem tam singulares magni nostri DEI & Domini miserationes.

His à sancto Apostolo dictis, accessit ad me sanctus meus Angelus Custos, & strinxit me spiritualissimè, acsi me teneret atque sustentaret. Tum gloriosus sanctus Petrus, quasi diffibularet thoracem, aut interulam, aperuit meum pectus, ut propterea naturalem sentirem dolorem, imposuítque intra illud & impressit eam mysticam clavim, deinde verò rursum pectus occlusit, relicto ipso, quale priùs fuerat. Passa fui deliquium naturæ, & mea anima vehementer obstupuit. Nihilominus volens bene uti præsenti tam bonâ occasione, me animavi, & interrogavi gloriosum Apostolum, posséme tunc intercedere pro amicis & notis, ut ipsis Divina Majestas præstaret eam gratiam, de qua mihi fuerat locutus. Omnino Anima, respondit Sanctus perbenevolè & amanter, omnino: opportunitas enim à te quæsita est optima, & Deus exaudiet tuam orationem. Responsum Sancti mihi grande attulit solatium, & statim petij à Deo illam misericordiam pro ijs, quæ meæ erant, seu sociæ domesticæ, seu amicæ, præsertim pro Monialibus, etiámque meis Confessarijs.

Quo facto, & cùm Sanctus jam vellet abire, rogavi illum, ut mihi amore Dei impertiretur aliquam eleemosynam: atque ipse imponendo manum in suum sinum, & eximendo tres splendidos aureos nummos, accessit, & imposuit illos in meam manum. Nolebam eos habere, quòd me tanto dono judicarem indignam: sed Sanctus mandavit, ut ipsos acciperem, replens me solatio, dicendo mihi, quòd sint symbolum charitatis. Tum sanctus meus Angelus Custos ad me accedens eosdem nummos accepit, & arcano modo, quem nescio explicare, posuit intra meam animam, eo loco, quo manere debebant.

Antequam mihi glorioſus sanctus Petrus valedixit, intuitus meos Dominos Angelos, qui mecum morantur, ipsis diligenter ad verba Sancti attendentibus, ita loqui est exorsus: Sancti Angeli Dei Domini nostri, Divina Majestas vobis præcipit ac injungit, ut istam creaturam deinceps diligentiùs atque accuratiùs custodiatis ac protegatis: nam diabolus in rabiem actus, & invidiâ correptus, conabitur adversum illam moliri, quæcunq; poterit, ut eam privet vitâ. Ego his verbis auditis fui naturaliter modicùm turbata: verùm sanctus Apostolus, id in me notans, aspexit me amantissimè, dixítque mihi: Noli timere Anima, quia Dominus est defensor vitæ tuæ, & nemo te poterit attingere, aut auferre ullum filum tuæ vestis, vel capillum capitis: omnium enim numerum ille habet perspectum. Scias quoque, Dominum Deum nostrum mandavisse Angelis suis, ut ipsius servos, verè illum amantes, portent in palmis manuum suarum, nè fortè pedes eorum cespitent. Vult tamen Divina Majestas, ut dum vivitur in carne mortali, insistatur regulis sanctæ prudentiæ, observatis periculis, iisque sanctè & virtuosè vitatis, cum resignatione in Divinam voluntatem: atque sic te oportet intelligere mysterium, quod vidisti ac audivisti. Mei Domini Angeli responderunt, se speciali curâ obsecuturos mandato Dei. Et beatus Sanctus à me discedens, mihi dixit: vale, & quiesce in tuo Deo; atque abivit cum multis Angelis.

Ego sum mirata opera Dei, qui sit benedictus in æternum.
Amen.

CAPUT

# CAPUT XXIV.

## Visitatur à glorioſis Patriarchis, ſancto Auguſtino, ac ſancto Patre noſtro Ignatio: & ſanctus is Doctor ad ipſam ſpiritualem habet ſermonem: ſupervenit glorioſus ſanctus Dominicus, quaſi pertranſeundo.

*Specialiſſima fuit gratia, quâ nonnulli Patriarchæ ſacrarum Religionum exhibuerunt huic puriſſimæ Virgini: qua de re multa in prima parte dicta fuerunt nec ſunt pauca, quæ in hac adjungemus. Antequam verò veniamus ad viſitationes, & gratias particulares, quas à ſingulis, & quibuſdam eorum filijs, eſt conſecuta, præmittam aliquas viſitationes, quibus illam conjunctim ſunt dignati, & ſpiritualia alloquia ac ſermones, quibus ipſam juſſu Dei animaverunt, & confortaverunt. In quadam charta, quam ſcripſit anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, ſic ait.*

Poſt illud tam admirandum myſterium, & gratiam, quam Majeſtas Dei & Domini noſtri, meæ pauperi animæ dignata fuit præſtare, illorum aſcenſuum & raptuum, ad tam ſublimes ac divinas viſiones, quos per tridui ſpatium ſingulis diebus habui, quartâ die poſt prædictum triduum, agens cum Deo, vidi venientes beatos Patriarchas, S. Auguſtinum, & ſanctum Ignatium de Loyola, qui ad me accedentes, me ſalutaverunt nomine Dei. Et cùm mea anima hoc tempore eſſet profundè immerſa in cognitionem ſui ipſius, ideóq; me tam perverſam eſſe judicarem, ut verbis in animo conceptis me millenis impeterem convicijs & vituperijs, præ vehementiſſimo affectu, à quo tota abripiebar, nullo modo mihi videbar poſſe, aut eſſe apta, quidquam aliud agere. Unde auditâ ſalutatione horum cœleſtium Patriarcharum, nihil illis ſcivi aliud reſpondere, quàm de me queri, & recenſere mea vitia, quæ in me agnoſcebam, rogando ipſos, ut orarent Deum pro tam improba creatura, quàm ego eſſem. Auſcultaverunt me Sancti, & ut perturbatum meæ animæ affectum componerent, útque illis poſſem attendere, dixit mihi peramanter ſanctus Ignatius: quieſce Anima, atq; adverte, nos ad te veniſſe nomine Dei, ut te ſolaremur, diceremúſque tibi, ſanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Auguſtinum, S. Dominicum, S. Franciſcum, & me, ſæpe deinceps hìc, ubi moraris, comparituros, quemadmodū jam incepimus, quamvis tu id non videris, neque intellexeris: nonnullis diebus venient hi, alijs venient alij, & ego adero frequentiùs. Dico tibi, amica, te in rebus concernentibus divinū obſequium, quas bene peragere deſideras, illuminandam à Deo, & nos tibi auxilium præbituros. In iſto negotio, quod te nunc reddit ſolicitam, hoc facies. Dixit mihi, quid me oporteret agere, quod non ſcribo, jam enim id meus novit Confeſſarius, neque opus eſt, ut hìc referatur.

Audivi verba Sancti cum magno meo ſolatio, & dixi illi: Benedicte Sancte, valde me tuis dictis es conſolatus, plurimúmque ſum ſancto tuo & mirabili alloquio exhilarata. Verùm dic mihi modò, amore Dei te rogo, aliquid de ea cœleſti Patria, ut anima mea inde proficiat. Tum tacto, magna cum reverentia, brachio glorioſi ſancti Auguſtini, dixit: Anima, iſte glorioſus ſanctus Patriarcha ſibi habet à Deo commiſſum, ut faciat, quod petis. Interea advenit S. Dominicus, acſi aliquantùm feſtinaret, nollétque faceſſere negotium, & exceptus humaniſſimè ab alijs duobus Sanctis, dixit mihi: Anima, venio te rogaturus, ut à Deo obtineas, quò animā viri gravis ex meo Ordine, conſtitutam in Purgatorio, inde cras liberet. Defunctus iſte erat inſignis Dei ſervus, vixérátque religioſiſſimè, & optimè injunctis ſibi faciendo muneribus. Evenerunt hac in re multa, quæ prætermitto, nè protrahām narra-

narrationem. Concluſio hæc eſt, quòd Deus dignatus fuerit exaudire meas miſerabiles preces, & ex ejuſdem bonitate poſtridie, etiam ante terminum, quem glorioſus Sanctus Dominicus petierat, ſit egreſſus ex Purgatorio. Ut autem revertar, unde ſum digreſſa, Sanctus valedixit alijs Patriarchis, & meæ pauperi animæ. Deinde glorioſus ſanctus Auguſtinus, exequens, quod à Divina Majeſtate fuerat juſſus, ſignando ſe cruce, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, elevatis ad cœlum oculis, manibúſque ſuis graviſſimè & admirabiliter compoſitis, ſic orſus eſt.

Summa certè, Anima, eſt miſericordia, quam tibi Divina Majeſtas hoc præterlapſo triduo præſtitit, neque ulla eam poteſt lingva hominis explicare. Exaltavit te quotidie, & elevavit ſepties, ad tam altum & ſublimem gradum, prout ſcis, atque in poſtremo ex his, qui numero fuerunt viginti & unus, aſcenſu, te ad tam eminentem ſtatum, & unionem cum Deo tuo, evexit, quando inprimis pertranſiviſti, & penetraviſti illum Divinum Solem, ubi tibi copioſus & ineffabilis theſaurus meritorum JESU Chriſti Domini noſtri, & pretioſus ab eo fuſus ſangvis fuit applicatus, ut Divina tantùm Majeſtas ſcire poſſit, qualis ſit ea ſublimitas, ad quam à Deo fuiſti elevata. Unde adeò te in illo Divino Eſſe deprehendiſti ſubmerſam & perditam, ut te ipſam non capias aut agnoſcas, neque te clarè intelligas, & in altiſſima ac Divina verſeris caligine, ſolo prædita lumine neceſſario, ad videndam & cognoſcendam hanc veritatem, eandémque amandam & complectendam, dum maximis, quàm ſecretiſſimè & ſpiritualiſſimè, frueris theſauris. Benedictus ſit magnus Deus & Dominus noſter, propter omnia opera ſua. Actum tecum eſt, Anima, hac vice, ſicut ſi Rex aliquis volens gratificari ſuo filio Principi, illúmque oblectare, eundem ad id intelligendum, duceret ad altum quodpiam caſtellum, indéque ipſi oſtendens amplas ditiones, ad quas pueri viſus poſſet pertingere, atque ex paterno amore mox diceret: Ecce fili, tu es meus hæres, & quæcunque vidiſti, longéq; plura, tua ſunt: puer verò lætus, & eo modico, quod viderat, contentus, ſed intelligens, multò ampliora ſupereſſe videnda, quæ ſuus brevis viſus non aſſequeretur, obſtupeſceret, ac redderetur attonitus, ità obſcurè cognoſcendo opulentiam, & dominium ſui Patris. In hunc, quantùm tibi hìc verbis exprimi poteſt, ſe habet modũ, quod tibi, Anima, evenit cum tuo Deo: age illi magnas gratias, & adhære illi, ac adverte, quòd te denuò, quamvis id quotidie facias, debeas tradere tuo Deo, offerendo ipſi, agendóque pro illo omnia, quæ feceris, quàm poteris perfectiſſimè; vivendo in eodem Deo, propterque ipſum patiendo. Hanc oblationem renovabis: & eſto certiſſima, quòd Divina Majeſtas te ſit adjutura, munúſque tuum acceptatura, ſicut tibi eſt pollicita. Expende præterea magnam atque extraordinariam miſericordiam, quam tibi denuò, quia eſt qui eſt, & ex pura ſua bonitate exhibet, quòd velit, ſítque ipſius beneplacitum, exaudire tuas preces & orationes, ac tibi concedere, quæcunque petiveris, concernentia ſalutem animarum, ſi conformja fuerint Divinis illius decretis; ità nihilominus, ut magnam, & extraordinariam ſuam miſericordiæ ac potentiæ munificentiam ſit oſtenſurus; quódque præter hanc tantam gratiam tales animas ſit redditurus participes eorum, quæ tibi conferet, prout fit, dum aliqui pretioſi odoris rore conſperguntur.

Dum mea anima poſtremum iſtud dictum Sancti miraretur, interrogavi illum, quomodo id fieri poſſit. Etſi enim ſit verum, quòd Dominus Deus, & infinita ipſius bonitas, omnia poſſit; me tamen id non intelligere. Adverte Anima, reſpondit Sanctus. Ferventiſſimos, ex eo profundiſſimo cognitionis tui ipſius, quam in omnibus his materijs, & gratijs à Deo tuo perceptis habuiſti, principio, elicuiſti affectus contemptûs tui: & iſti fuerunt tantopere grati Divinis oculis, & tam libenti animo acceptati, ut Deus dixerit: Volo, ut animæ, pro quibus illa oraverit, fiant ejus affectûs, & cognitionis ſui ipſius, quam ipſa habuit, tanquam ab ea promanantis,

participes. Hoc autem bene nôsti, Anima, fuisse tibi à tuo Deo dictum in ultimo ascensu, & ante unionem, quando per septem illos gradus procedebas, & elevabaris. Deus sit benedictus. Vale, Anima, quia tua debilis natura, plura non patitur. Sancti surrexerunt ex suis admirandis sedibus, datáque mihi suâ sanctâ benedictione abiverunt, cum comitatu Angelorum Dei. Laudetur Divina Majestas propter opera sua, propter suas miserationes, & altissima judicia. Amen, Amen.

*Quanquam iste sermo hujus magni Doctoris sit plenus mysteriis, versabatur tamen magis in eo, ut hanc Animam specialiter illuminaret quoad illa, quæ cum ipsa agebantur, quàm in universali instructione. Nunc alios adferemus communes omnibus, ac admirabiles, tam ejusdem, quàm aliorum Patriarcharum. Quibus, cùm spectet ad argumentum, quod tractamus, addam illum, quem paucis mensibus post reliquos, & biennio à suo obitu, aliâ occasione ad eam habuit sanctus Pater Ludovicus de Ponte, quædam prorsus singularia continentem.*

## CAPUT XXV.

### Sermones ad illam habiti à sanctis Patriarchis, S. Dominico, S. Patre nostro Ignatio, S. Benedicto, S. Augustino: ac deinde à Christo Domino, & alia vice à venerabili Patre Ludovico de Ponte.

*Occasionem horum cœlestium sermonum, eorum argumentum, ordinem, ac dies, quibus habiti fuerunt, in Junio anni sexcentesimi vigesimi sexti, nobis sancta Virgo distinctissimè exposuit in quodam scripto, ubi sic ait:*

Feriâ tertiâ, decimâ sextâ Junij, dum vacarem orationi, & anima vehementer amore magni Dei & Domini nostri arderet, ingens in me fuit excitatum desiderium, quo jam ab aliquot diebus tenebar, audiendi sermonem spiritualem cujuspiam devoti Religiosi, & servi Dei, eò quòd viginti quatuor sint anni, ex quo, propter meam infirmitatem, nullam audiveram concionem, cùm tamen per omnem vitam meam fuerim propensissima, ad audiendum, cum magno meo solatio, verbum Dei. Interea mea anima vidit venientes, cum comitatu Angelorum, quatuor sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Dominicum, & S. Ignatium de Loyola. Appropinquaverunt mihi isti gloriosissimi Sancti, salutaverunt me peramanter, & S. Dominicus mihi nomine omnium dixit: venimus, Anima, nomine Dei, & ex divino ejusdem mandato, ut te consolemur, tuóque sancto desiderio satisfaciamus, habito ad te spirituali sermone. Atque dum se converteret ad alios tres sanctos comites, vidi omnes colloquentes, & inter se conferentes, unáque singularem sibi invicem & amabilem exhibentes honorem, quis eorum dicere deberet. Obtigit autem, ex Divinæ Majestatis præscripto, illud munus S. Dominico, qui, comitantibus ipsum Angelis, & alijs Sanctis, descendens per gradus, & perveniens ad mysticum quendam suggestum, qui ibi instat sellæ erat collocatus, sedit, elevánsque oculos ad cœlum dixit:

Beati, qui in Domino moriuntur: tales enim vivent in æternum, quia conculcaverunt omnia, suísque subjecerunt pedibus, & suo affectu sunt mortui universis rebus creatis, ut semper vivant cum Deo. Id tu, Anima, es consecuta ab hoc magno Domino, qui tibi per suam bonitatem & misericordiam istud donum concessit. Præcepit Deus, Anima, quibusdam è filijs Israël, ut, quò remotiores essent à periculo alicujus gravis culpæ, non solùm non biberent vinum, sed neque ederent uvas, vel earum folliculos, aut acinos. Irà tibi dico, quòd magni referat evitare, prout facis, qualemcunque agnitæ culpæ pulverem,

rem, pro conservanda puritate, quam Deus animæ infundit. Cùm verò obtinueris à Deo tot ac tanta beneficia, & dona, quemadmodum scis, te obtinuisse, & quotidie obtinere, quando te constituit quasi sequestram inter Deum & homines, tibíque confidit pacem & bellum, jacturam & emolumentum in rebus magni momenti, quas tibi Deus manifestavit, optiméque perspectas habes: nihilominus æstimabilior est, & supra modum in oculis Dei, Angelorum ejus, & Sanctorum, relucet affectus, quem tibi quoad hoc idē Deus dedit, ut unicè id respicias, quo te intelligis posse placere, magísque servire Deo, subjiciendo omnia, etiam leviſſima impedimenta tuis pedibus, proterendo, & conculcando magna ac parva, vel unius atomi, impedimenta majoris gloriæ & obsequij divini. Age illi magnas gratias, pro hac magna misericordia & dono, digno solâ ejus bonitate. Sit ipse benedictus in æternum, atque nunc vale, & quiesce in tuo Deo.

Dedit mihi hæc dicens suam sanctam benedictionem, & abivit unà cum reliquis sanctis Patriarchis, qui cum illo venerant, relinquens meam animam exstimulatam ad serviendum Deo, & affluentem solatio. Confundor plurimùm, & erubesco, quòd tepido meo & rudi modo retulerim admiranda ac divina verba, quæ Sanctus tam sublimi protulit & alto spiritu. Idem mihi contingit in repetendis sequentibus: verùm cōpellit me ad id obedientia debita Arbitro meæ conscientiæ, cui obtemperare oportet. Deus & Sancti sint benedicti, mihíque ignoscant.

Feriâ deinde quartâ, decimâ septimâ ejusdem mensis, sancti illi Patriarchæ eodem, quo pridie, redíverunt ordine. Dicendi munere functus est gloriosus sanctus Ignatius. Sedit igitur in ea mystica sella, positísque manibus super illius latera, attollens oculos gravissimè & devotissimè dixit:

Beatus vir, qui timet Dominum, & ambulat in lege ipsius, ac divina præsentia: talis enim cœlestes congregat thesauros, vivétque perpetuò in suo Deo, & possidebit illum in æternum. Iste, Anima, est tuus status; hæc est secura & certa via, quâ te tuus Deus ac Dominus duxit, atq; direxit, à primis tuæ vitæ annis, quia id ab æterno in divino suo decreverat Consistorio. Habe, Anima, solatium, & confortare in tuo Deo ac Domino: siquidem te nunquam derelinquet, nec à te faciem suam avertet. Ille tuus erit magister, tuus director ac adjutor usque in finem, quemadmodum tibi est pollicitus. Ipse sit benedictus in æternum. Redde ei infinitas gratias, & lauda illum ob id, quod est in semetipso, quod fuit, & erit erga te; ama ipsum ex omnibus viribus tuis, & ex toto corde, atque securè & indubitanter illi confide. Tum Sanctus jungens manus, ac devotè elevans oculos, concluſit dicendo: Modò vale, & Deus sit semper tecū; datáque mihi suâ sanctâ benedictione abivit unà cum alijs Sanctis.

Reversi sunt feriâ quintâ, decimâ octavâ dicti mensis, ijdem Sancti, eodémque ordine, & ex Dei voluntate sermonem habuit sanctus Benedictus, qui comitantibus ipsum Angelis, & sanctis ejus socijs, venit ad eandem mysticam sellam, elevavit devotè suos sanctos oculos, & cum gravi manuum gestu dixit:

Beati pauperes spiritu, & qui in Domino, propter illum, ac nomen ipsius patiuntur: hi enim ditabuntur, & beabuntur à Deo sublimissimis & summis donis, atque eminentissimis gloriæ gradibus. Dereliquisti Anima, ex Dei dispositione & misericordia, pulverem terræ eo affectu, quem tibi scis à Deo esse communicatum, quo desereres omnia mundi Imperia ac thesauros. Obstrictam te sibi habet tuus magnus Deus & Dominus, plurimúmque devinctam: quia huic thesauro, quem tibi dedit & contulit, ex mera sua gratia, & absque tuis proprijs meritis, superaddidit & adjecit tot ac tantos, prout scis; prætereáq; alios, quos nec scis, neque intelligis, & nunc assequi nequis. Vehementer multa tibi Deus concredidit. Considera Anima, quomodo te oporteat respondere tot, tantísque beneficijs, & quale referre debeas lucrum, ex talentis tibi ab eo datis.

Age illi infinitas gratias, & roga ipsum humiliter atque confidenter, ut propter has gratias & beneficia, quæ tibi ex sua bonitate contulit, aliud specialissimum & insignissimum præstet: ut nempe ob id, quod ex se est, tibi largiatur, atque conferat donum, quò respondeas, sicut teneris, tam magno Domino, tantisque ipsius beneficijs. Esto autem certa, quòd illud sis cum ingenti profectu obtentura à tuo Deo & Domino: quandoquidem in omnium, & singularum virtutum exercitio semper plures ac plures reperiuntur gradus. Ad quem te, Anima, gradum provexerit Deus, ipse solus novit: quantum tamen nobis Deus de eo revelat, est tam altus, ut à me silentio sit prætereundus, donec nobis omnibus suo tempore manifestetur. Tantùm tibi dico, te in tuo Deo semper victuram. Ipse sit benedictus. Vale Anima. Et datâ mihi suâ sanctâ benedictione, abivit cum eodem comitatu, cum quo venerat.

Intercessit una dies, ac tum die Sabbathi manè, vigesimâ dicti mensis, venerunt sancti Patriarchæ cum eodem comitatu & ordine, ac priùs. Exhortatorem egit sanctissimus Doctor Augustinus, qui sedens in ea sella, elevatis suis sanctis oculis ad cœlum, dixit devotissimè:

Beatus vir, qui cum magno affectu fixos habet oculos, & visum suæ animæ in eo Divino Sole Divinæ Essentiæ, eundémque, per Dei gratiam, irretortis intuetur oculis, non deflectendo affectum ad res terrenas, instar regiæ aquilæ Solem contemplantis, quæ sola tali naturali virtute est prædita. Hæc spiritûs magnitudo, atque istud tantum ac tam sublime donum, sola Divina Majestas, ex sua bonitate & beneplacito, dare potest, & impertiri. Quapropter, ut illud anima conservet, & Deus in ea hunc thesaurum custodiat ac tueatur, magnopere convenit, ut talis anima, inclinato ad terram suo collo, sumat rostro considerationis granum, quod illa progerminat, ad sustentandam vitam; útque contemplando sordidos suos ac terrenos pedes, deponat fastum, ad quem efferri posset ob pulchritudinem suarum pennarum, quod facit pavo. Ingens profectò, Anima, est misericordia, tibi quoad hoc à Deo præstita, & donum tibi ab eo collatum. Redde ei infinitas gratias, & observa illum diligentissimè, fixis in ipsum oculis: is enim te adjuvabit, & conservabit, placidissimèque, in longè perfectiore statu, manifestabit hoc opus, quod in te inchoavit, nec te unquam deseret, sicut tibi promisit. Vale, & Deus sit tecum. Tunc assurgens dixit devotissimam orationem, datáque mihi suâ sanctâ benedictione, discessit cum suis socijs.

Eodem die, postquam sancti Patriarchæ abiverunt, vidit mea indigna & miserabilis anima Majestatem Christi JESU Domini nostri, qui mihi benignissimè & amantissimè dixit: misi ad te, Anima, meos Sanctos, ut te alloquerentur, animarent, & solarentur in me. Nunc ego adsum, ut te alloquar, te consoler, tibique gratificer; & perrexit postea dicendo: Beata est, iterúmque ac iterum felix anima, in quam Deus ex pura sua bonitate, & Divina voluntate, ab æterno defixit oculos, prædestinando illam, & pro se eligendo; conferendo ipsi, ex mera sua gratia, omnia sufficientia & necessaria auxilia, ad consequendum hunc felicem finem; ducendo eandem toto vitæ ipsius decursu per omnes vias ac tramites; retrahendo, & liberando ab omnibus offendiculis, quæ per viam poterant occurrere, donec illam promoveret, ac perduceret, ad securum portum, qui est ipsemet Deus, à quo processit. Hanc tibi, Anima, tuus Deus præstitit misericordiam. Nihil tibi deest, nec deesse potest: siquidem tuus dux, tuum solatium ac tutamen est Deus. Vale Anima, & quiesce in me.

*Admiranda ista Sanctorum, & Sancti Sanctorum Christi Servatoris nostri, elogium non indigent Scriptoris ponderatione, sed devotâ attentione Lectoris, ut suam animam incitet ad studium perfectionis, admiretur excellentiam donorum, quæ hæc Virgo est consecuta, laudétque magnum Deum & Dominum nostrum, a quo ipsi fuerunt collata. Ad eosdem effectus proderit sequens sermo, quem postea habuit sanctus Pater Ludovicus de*

Ponte

*Ponte, duobus circiter annis à suo obitu. Refert ipsa totum eventum his verbis:*

Manè, in festo Nativitatis Christi, hoc anno sexcentesimo vigesimo sexto, postquam mihi alia cum Deo evenissent, fuissentque manifestata sublimissima mysteria, vidi quasi eminus advenientes sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Ignatium de Loyola, & S. Bernardum, cum comitatu Angelorum Dei. In medio ipsorum veniebat sanctus Pater Ludovicus de Ponte. Quando hi Sancti adfuerunt, salutantes me nomine Dei, apprecati sunt mihi Felicia festa, & intuentes amanter ac reverenter sanctum Patrem Ludovicum, venerunt cum illo, quasi ipsũ comitando, ad collocatam ibi mysticam sellam, quam Sanctus occupavit, submissè honorem exhibendo ijs sanctis Patriarchis: quibus alibi confidentibus, gloriosus Pater Ludovicus junctis manibus sustulit oculos ad cœlum, posuitque deinde manus super mysticam quandam mensulam, quam ante se habebat, ac dixit:

Quando advenit tempus, quod Divina Majestas Domini Dei nostri, in suo sacro decreverat Consistorio, ut Divinus ipsius Filius humanam carnem, in purissimis assumeret visceribus Mariæ Virginis, & Dominæ nostræ, postquam illum novem mensibus in suo sacro tulit ventre, apparuit Divinus iste Sol Justitiæ Christus JESUS, Salvator noster & Dominus, in mundo. Adoratus fuit, & agnitus à Pastoribus ac Regibus, atque asellus cognovit præsepe Domini sui. Hac tantâ, adeóque eximiâ misericordiâ, quam DEUS mundo exhibuit, exhilarati fuerunt cœli, & universus terrarum orbis; notitia, lumen, & scientia hujus tam obstupescendi miraculi & misericordiæ, quam Majestas Dei Domini nostri mundo præstitit, & bonum Evangelij nuntium pervenit ad omnem puram creaturam rationalem, ejusdémque divinis radijs omnes fuerunt collustrati. Tum, & eâ occasione exhorruerunt, & contremuerunt dæmones, atque multi abominabiles peccatores, qui suis turpitudinibus contaminaverunt naturam, quam Deus ad tantum dignatus est evehere honorem, fuerunt pudefacti, destructi, & perempti. Summus hic Dominus, Rex Regum, triginta tribus annis est conversatus inter homines, & patravit prodigiosa ac admiranda opera, digna suâ potentiâ & majestate: atque implendo legem, ut præberet exemplum, fuit circumcisus, ac præsentatus à sua sanctissima Matre in templo. Suscepit à suo Præcursore baptismum, operatus est salutem nostram in cruce; resurrexit, & ascendit ad cœlos, aperuit viam & aditum omnibus, qui vellent bene uti pretioso ipsius sangvine, quẽ effudit. Quod ad nos attinet, qui per hujus magni Domini merita, semper ipso æternâ possessione fruimur, postquam per tempestuosum vitæ mortalis mare transivimus ad malaciam, & securum cœlestis Patriæ portum, illud est, ut cum nova gaudiorum accessione, & gloriæ accidentalis, cantemus ipsius laudes, eásque multiplicemus, & rogemus Divinam Majestatem, ut in hac festivitate submittat suis Fidelibus abundantia & multa auxilia, per quæ consequi possint finem, ad quem sunt conditi, & nobiscum, quia sunt nostri fratres, æternùm frui bonis & gloriâ, quam nos possidemus, & quâ fruimur, ex Dei bonitate, adjecto teruntiolo nostri liberi arbitrij.

Absolutâ hac tam spirituali & mysticâ dictione, conjeci oculos ad alteram partem illius velut theatri, & vidi ibi multas animas beatas Sanctorum è Societate JESU, in specie humana, auscultantium illum sermonem. Mox sanctus Pater me intuitus, dixit peramanter. Et tu Anima quiesce in Deo, atque occupatio tua & exercitium sit, ut invoces Deum, pro communi bono, sicut facis; doceas simplices & errantes, in spiritu & veritate; soleris mœstos & afflictos; animésque & confortes debiles, ac deficientes in virtute, quia hæc est intentio magni Dei & Domini nostri; atq; ut ipse glorificetur in Sanctis suis, dum te in exilio tui anguli detinet, quod durabit, quamdiu Divinæ Majestati placuerit. Quiesce, neque plura hac de re velis scire. Precare nomine nostro felicia festa nostris fratribus, & vale. His di-

ctis surrexit ex ea sede, & discessit, unà cum illis sanctis Patriarchis, & Angelis, cum quibus eò venerat. Deus sit propter omnia opera sua & misericordias benedictus. Amen.

# CAPUT XXVI.

## Referuntur quædam alloquia sancti Benedicti, & encomium, quo sanctus Pater noster Ignatius hunc sanctissimum Patriarcham deprædicavit.

*IN hoc, & sequenti capite sum conatus combinare scripta, quæ licèt de alijs quoque loquuntur sanctis Patriarchis, specialiter tamen extollunt favores, quos hæc admirabilis Virgo est assecuta à magno Patre sancto Benedicto, & continent singulares hujus glorioſissimi Patriarchæ prærogativas. Anno igitur sexcentesimo octavo, post enarratas alias gratias, quas die Nativitatis Christi, amabilissimi Servatoris nostri, obtinuit à Divina Majestate, subdit sequentia.*

Eodem festo Nativitatis vidi ingredientes in meum cubiculum sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Franciscum Assisiensem, & S. Ignatium de Loyola. Omnes advenerunt glorioſissimi, sibíque invicem honorem exhibentes, collocaverunt in medio sanctum Benedictum, & rogaverunt ipsum, ut nomine omnium loqueretur. Ego vehementer extimui, & conata sum non attendere, méque distrahere, nè illos aspicerem. Expectaverunt me satìs diu, tandem autem compulsa à Deo, qui me animavit, ac pacavit erubescentem, quòd à tantis Sanctis tam sæpe visitarer, debui attendere. Et cùm omnes consedissent, locutus est sanctus Abbas dicendo: Soror, hodie venimus, ut tibi apprecaremur felicia festa nomine Dei, & nostro: sint ea tibi quàm sanctissima. Nimia es in tuis timoribus, & absque causa. Redarguit me idcirco modicùm, & elevatis ad cœlum oculis, atque compositis manibus, dixit: hi Sancti, & ego, optimè novimus, te bene ac securè procedere; Deus nobis revelavit, & manifestavit magnas gratias, quas tibi confert, non habes quod metuas. Addidit præterea alia ad idem propositũ, & discessurus assurgendo dedit mihi nomine omnium suam sanctam benedictionem. Itáne verò, glorioſi Sancti, dixi tum ego, cogitatis abire, ut mihi nihil largiamini? Fiat id, respondérunt, dabimus tibi libentiſſimè quod petis. Consederunt rursus, & ego flexi genua, atque extendi linteum, quo me velut succinctorio vidi circumdatam. Sanctus Abbas in illud conjecit multas margaritas, & gemmas diversorum colorum, idémque fecerunt cæteri Sancti, dicentes: hos thesauros distribue inter tuas amicas, & notos, quod ego feci cum magno solatio, dedíque inde omnibus, quas amicas habebam in Monasterio, quod vocatur â Matre Dei, & in altero dicto de las Huelgas, atque reliquis sæcularibus, à quibus fueram rogata, ut eas his festis Deo commendarem. Sic Sancti discesserunt. Postea intellexi, quòd isti pretioſi lapides significaverint virtutes, & gratias spirituales, quibus me Deus ex sua misericordia ditat, & meas amicas. Ipse sit benedictus. Amen.

*Longè admirabilior est eventus, quem nunc referam, & sermo ab eodem Sancto ad illam habitus, anno sexcentesimo trigesimo, quæ tùm est colligere ex numero chartarum, qui se ab ea describitur.*

Versabar cum Deo, vacans meis consvetis exercitijs, erámque tum tota sepulta in profunda cognitione meæ vilitatis, & ardenter optabam magìs magísque placere Deo. Occupavit me affectus, sicut aliàs, audiendæ cujuspiam concionis, quo solatio multis annis careo, cùm propter meos continuos morbos nequeam adire templa. Verùm conformavi me cum Divina voluntate, & excussi hanc imaginario-

tionem, insistendo meo exercitio. Interim vidi tanquam eminus advenientes Beatos Patriarchas, S. Benedictum, S. Dominicum, & S. Ignatium de Loyola, atque alios Sanctos ex tribus Religiosis Ordinibus sanctissimorum Patriarcharum. Omnes procedebant associati Angelis Dei. Hoc modo appropinquaverunt loco, in quo eram. Atque Beatus Benedictus subitò, comitantibus ipsum, & honorantibus duobus sanctis Patriarchis, se collocavit in quadam mystica sella, & alij duo Sancti utrinque in alijs aliquantò demissioribus. Cæteri Sancti, ex eo sacro comitatu, consederunt in longa & pereleganti sede, quæ erat instar scamni, quamvis aliam habuerit formam. Angeli Dei veluti stabant, circumdantes illud theatrum, & beatas animas eorundem Sanctorum.

Mea anima plurimùm mirabatur, dum hæc omnia spectaret: prosecuta sum tamen inter meos timores, quoad potui, meam orationem & exercitium, adeò ut paulatim, & quodammodo naturaliter mentem aliò converterim, fuerímq; aliquamdiu immemor mysterij, quod Deus meis oculis objecerat. Adverti deinde meam incuriam, & obstupui, quòd me ità potuerim abstrahere. Tum mihi gloriosus Sanctus Benedictus valde amanter dixit: Anima, fuisti naturaliter distracta, & ego cum omnibus his Sanctis, ac Angelis, qui sunt mecum, te libenter præstolati sumus. Fui enim exhilaratus, & gavisus sum in Domino, te, dum à Divina Majestate elevaris ad tam sublimem statum spiritûs, simul peragere opera naturalia, ut proinde Deus sit glorificandus & honorandus, quòd cõdiderit creaturam, eúmq; in modum formaverit, ut intenta functionibus suæ naturæ, nihilominus etiam adeò sublimi atque elevato spiritu operetur, ideóque magis videatur esse Angelus, quàm homo, conjungente Deo in una creatura, per suam bonitatem, & infinitam potentiam, duo prorsus opposita, ità ut alterum non vincatur ab altero: quanquam natura & vita tua sit jam propemodum miraculosa, quod tibi, Anima, si meministi, à Deo aliquoties dictum est. Audivi, quæ mihi à Sancto dicebantur, & quia sum semper, atque tunc ampliùs fui immersa meæ miseriæ sordibus, quamvis ea audiverim, non multùm tamen observavi, quasique cæterorum oblita, solùm dixi: Benedicte Sancte, ignosce mihi, quòd fuerim tam incircumspecta, ut essem immemor tuæ præsentiæ, quia sum usqueadeo vilis & imperfecta creatura. Bene, respondit Sanctus, bene dicis, Anima, bene; & ego gaudeo in Domino, omnésque mei sancti Socij, & Angeli, quòd humilem tuum audiamus affectum. sed nunc attende, quia venio, ut te nomine Dei breviter alloquar, ad te consolandam & recreandam. Tum formatâ cruce in sua fronte, ore, & pectore ità quàm gravissimè, & magno spiritu dixit:

Anima, sancta Ecclesia à Spiritu Sancto illuminata, nobis instituit glorioßissimam festivitatem Divini Verbi, in visceribus virgineis sanctissimæ suæ Matris Incarnati, pro salute & redemptione totius generis humani. Natus est Dei Filius ex hac sacratissima Domina nostra, involutus vilibus fascijs, & reclinatus in præsepio, conversatus est cum hominibus triginta tribus annis, patrando mirabilia, & Divina opera; cúmq; magno & infinito amore dilexisset suos, usque in finem dilexit eos, exhibito immensæ suæ charitatis extremo excessu, dum eorundem causâ est mortuus; quod ipsum fecisset, si vel unus fuisset redimendus: eousque enim est progressa magnitudo amoris ipsi9, & ardentis charitatis. Neq; infinitæ ejusdem bonitati fuit satisfactum, nisi etiam cum illis maneret usq; ad consummationem sæculi, tectus velo Sacramentalium specierum. Dixit siquidem idem Dominus, hominem à se fuisse sic dilectum, quòd aliqui, imò multi de longè veniant, ac indigeant subsidio, virtute, atque confortatione Divini Sacramenti Eucharistiæ, nè deficiant & pereant in via. Fuit quoque Redemptor noster comprehensus, flagellatus, & fortiter ad columnam alligatus: cùm autem hæc verba diceret gloriosus Patriarcha Sanctus Benedictus, & elevaret oculos ad cœlum,

passus

passus est in altissima contemplatione velut ecstasim, cæteri verò Sancti, ibi præsentes, inclinaverunt sua capita. Paulò pòst Sanctus continuavit suũ sermonem, dicendo: Fuit iste Dominus crudelissimè spinis coronatus, & postquam bajulavit crucem, cui erat affigendus, est crucifixus inter summos suæ sacratissimæ Humanitatis dolores & angustias: in cruce obijt, & cum clamore valido tradidit suo sacratissimo Patri Divinum suum spiritum, patefaciendo omnibus aditum ad cœlum, quicunque hoc magno & pretioso remedio vellent bene uti. Tum sanctus Abbas, conjectis in me oculis, dixit ardenti affectu: Anima, roga instantissimè & ferventissimè Deum & Dominum Majestatis, ut hæc tam cœlestia & Divina Mysteria passionis & mortis, Redemptoris & Servatoris nostri JESU Christi abundantissimâ suâ gratiâ imprimat & obsignet in animabus, & cordibus Fidelium, quò se propterea ipsi exhibeant gratos, eique serviant, & eundem ament, hìc per gratiam, ac deinde perpetuò in gloria. Amen.

Simul atque gloriosissimus Sanctus finivit hunc Divinum & admirandum sermonem, surrexit, unáque cæteri Sancti, qui aderant, & impertiendo mihi, omnibúsque rebus, quæ reperiebantur in meo paupere cubiculo, suam sanctam benedictionem, discessit cum ea pompa, quâ venerat, relinquens me affluentem solatio, & confortatam in Domino, qui sit in æternum propter omnia opera sua & misericordias benedictus. Amen.

*Licèt sequens visio multa, & miranda alia concernat mysteria, quia tamen etiam breve continet alloquium glorioſi sancti Benedicti, unà cum illustri elogio, quo sanctus Pater noster Ignatius de Loyola magnum hunc honoravit Patriarcham, visum mihi est eam hoc loco referre. Accidit autem, quantùm ex ordine, quo chartæ sunt numeratæ, colligitur, paucis ante præcedentem visionem diebus. Loquitur porrò venerabilis Virgo hunc in modum.*

Sensi ardentes in mea anima affectus, & extraordinaria desideria, conformandi me in omnibus, & per omnia, cum Divina voluntate. Dum ijs ferverem, audivi cœlestem & svavissimum sonum multarum campanarum, quarum metallum erat purissimum aurum. Huic dulci sono accedebat admirabilis & divina musica Angelorum, consonantissimis suis instrumentis laudantium magnum Deum nostrum, in ea cœlesti Jerosolyma. Licèt verò obstupescerem audiendo amabilissimam illam harmoniam, nihilominus propter solitos meos timores me conabar abstrahere, & pro viribus continuare meum ordinarium exercitium. Disponente tamen ità rem Deo, fui coacta attendere mysterio, quod mihi Divina Majestas volebat exhibere, ità ut id nullo modo, quantumcunque tergiversarer, potuerim evitare.

Vidi igitur descendentes ex ea cœlesti Civitate associatos Angelos, miro ordine, & elegantissimè ornatos, ferentes in manibus splendidissima vexilla. In medio hujus pompæ progrediebatur venustissimus sanctus Archangelus Gabriel, admirabiliter refulgens, qui habebat in manu longè pulchrius & excellentius vexillum, quàm cæteri, atque dum illud agitaret, vidi ex eo prosilientes lucidissimos radios, propter quos multi dæmones, in aëre discursantes, conterriti, ac tremebundi sese subduxerunt, & absconderunt. Quando hæc sacra pompa pervenit ad terram, vidi quasi in ipsius fine venientem singulari conspicuam majestate, cum comitatu Angelorum, sacratissimam Virginem Matrem Dominam nostram, quæ portabat in ulnis suum sanctissimum Filium, in specie pueruli, qui erat Sole pulchrior & splendidior. Comitabatur hanc Dominam, dextrum ipsius latus stipando, glorioſus Sanctus Joachimus ejus Pater, & à sinistris ibat beatus illius Sponsus Sanctus Josephus. Veniebant quoque comites hujus magni mysterij, eique inservientes multæ Animæ beatæ, & Sancti, ex quibus paucos alimæ beatæ, & Sancti, ex quibus paucos agnovi, præsertim glorioſum Sanctum Benedictum, & S. Ignatium de Loyola, Patriarcham Societatis JESU. Hoc ordine advenit sacer iste comitatus ad meũ parverecundabar, atque turbabar. Procubui & pro-

& prostravi me toto affectu mei cordis, ac audivi Celsissimam Reginam cœli, quæ ad me accedens, & præ se ferens teneritudinem ac amorem, mihi dixit: Anima, & creatura Dei, ipse sit tecum, séque tibi donet cum magna plenitudine gratiæ. Surge Anima, & adora tuum Deum, quem in meis ulnis gero. Verùm ego, quia eram prostrata, & à me præ admiratione quasi abalienata, difficulter poteram surgere. Tum sancti Angeli Dei, ex Divina voluntate, me admirabiliter, & in momento pretiosis exornatam vestibus elevaverunt, atque ego provoluta in genua, & junctis manibus adoravi meum Deum, cum magna reverentia ac devotione. Hoc facto accessit illa sacratissima Domina, cum duobus ijs Sanctis, stipantibus ipsius latera, dedítque mihi osculandos pedes, manus, & vestes summi illius Domini, quem in suis ulnis ferebat. Dum id facerem, adverti, quòd gloriosus sanctus Joachimus, fortunatus ipsius Pater, manu attigerit humeros illius magnæ Dominæ, suæ filiæ, quasi eandem vellet ad me propiùs admovere, ut ijs delicijs fruerer meliùs. Miri fuerunt, & specialissimi effectus, quos tum mea anima sensit, tanquam repleta Deo, & arctissimè suo Domino unita. Rapta sum subitò in ecstasim, objiciente se oculis meis quodam velut velo, seu nubeculâ, quæ maximo suo splendore mihi obtexit mysterium, quod videram.

Alij tamen Sancti mihi non disparuerunt, qui advenerant in eo sacro comitatu, præsertim duo Sancti Patriarchæ, S. Benedictus, & S. Ignatius de Loyola. Tunc mihi S. Benedictus nomine omnium admirando, plurimúmque æstimabili modo dixit hæc verba; imprimendo illa meæ animæ, in eáque producendo stupendos effectus: Anima & creatura Dei, exhibe te gratissimam tuo Deo & Domino, atque age illi infinitas gratias, quòd tibi tam magna & singularia, adeóque extraordinaria beneficia præstiterit ac præster, ex mera sua bonitate, téq; ex pura sua gratia disposuerit, & reddiderit capacem, ad ea suscipienda. Nunc autem vale, & quiesce in tuo Deo. Deinde glorioſus Sanctus Ignatius de Loyola quædam protulit, in magnam cedentia laudem Sancti Benedicti, quia tangendo ipsum manu, ad me conversus dixit: Ecce, Anima, Deus hunc sanctissimum virum sumimi facit, habet illum sibi valde vicinum. Ità locutus est S. Ignatius, & post hoc mihi omnes valedixerunt, atque abiverunt.

Finitâ hac totâ visione sum passa profundam ecstasim, & quando ex raptu ad me redivi, magnas Deo gratias egi pro talibus operibus infinitæ ipsius misericordiæ & bonitatis. In ista admiratione & affectibus perseveravi multis diebus, specialiter verò verba glorioſi Sancti Benedicti adeò firmiter inhæserunt meæ animæ, tanta & tam singularia in me operando, ut illorum nunquam possim obliviſci.

Deus sit in æternum benedictus.

# CAPUT XXVII.

## Revelat illi Deus, per Venerabilem Patrem Ludovicum de Ponte, quandam S. Benedicti, inter cæteros Religionum Patriarchas, eminentiam. Dicit ipsi glorioſissimus Sanctus, ut curet fieri illius effigiem. Insinuatur nonnihil de admirabili gloria Sancti Bernardi.

*QUisquis præcedentia capita attente legerit, observabit, nunquam hanc Venerabilem Virginem fuisse locutam de Sanctis Religionum Patriarchis, quin primo semper loco nominaret glorioſum S. Benedictum, eò quòd in illo aliquid observaret, quod ipsum hoc in genere cæteris omnibus vederet superiorem. Intelligamus nunc qua in re hæc veritas fundetur, ex visione, quam habuit An. 1629, 10. Junij, & his verbis describit.*

In festo Sanctissimæ Trinitatis, decimâ hujus, me Deus duxit ad cœlum, & ostendit mihi ineffabile mysterium unitatis Essentiæ in trinitate Personarum, repræsentando illud in lucidissimo, infinito, & immenso Sole, qui cùm esset unus, & talis appareret, talis quoq; conspiciebatur. Ostensum mihi id fuit tam genuinè & clarè, ut nullus videretur relinqui locus obscuritati fidei: quandoquidem anima eam veritatem percipiebat, non quasi illam crederet, sed intueretur. Unde obstupui, plus quàm dici possit, quòd viderem illum Deum carentem principio, & habentem intra se ipsum venam suæ gloriæ ac beatitudinis, absque indigentia ullius creaturæ.

Postquam mihi Deus manifestavit hoc mysterium, conspexi in meo cubiculo Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte sedentem, etiámque Marinam Hernandez, verùm velut humi, juxta Sancti pedes, ad latus. Sanctus Pater me salutavit vultu jucundissimo, & videbatur modo loquendi atque intuendi significare, se mihi velle loqui, méque ad aliquid aliud disponere. Dum ego id notarem, vidi advenientem gloriosum Sanctum Benedictum, cum Beatis S. Augustino, S. Dominico, S. Francisco Assisiensi, & S. Ignatio de Loyola, non sinè comitatu multorum Sanctorum Angelorum, qui ante me collocaverunt elegantissimum, & admirabile scamnum: recedente verò Sancto Patre Ludovico de Ponte, quinque Sancti Patriarchæ consederunt, & medius inter omnes sedit Sanctus Benedictus. Hic, priusquam me alloqueretur, exhibuit reliquis Sanctis quoddam genus honoris (qualem sibi in isto mundo invicem exhibent homines) quasi rogando singulos, ut ipsi loquerentur: atque omnibus sese excusantibus, cum eadem honoris significatione, locutus fuit Sanctus loco omnium, cum singulari gratia, salutando me nomine Dei, mihíque dicendo, quòd in eo, & ejusdem Majestate jubente, veniant ad me invisendam, mihíque præstandum, quod ipsis erat demandatum.

Necdum intelligebam, quid Sanctus vellet: sed cùm ità auscultarem, quæ mihi ab eo dicebantur, vidi, à quibusdam ibi præsentibus Angelis imponi glorioso Sancto Benedicto quandam velut Albam Sacerdotalem, stolam, & pluviale; caput ipsius ornari infulâ, & porrigi illi pedum ad manum. Surgentes deinde cum ipso cæteri Sancti, comitantibus Angelis, processerunt ad quoddam tabernaculũ, quod ego hactenus non videram. Erat valdè pretiosum, & eleganter adornatum, insistens gradibus, quos Sanctus conscendit, & profundè genua flectens, prosternentibus se cum eo reliquis omnibus Sanctis & Angelis, accepit vas, seu ciborium sacrum, quod suprà erat, atque ad me conversus (quæ insigniter turbata eram & confusa, videns me coram illa cœlesti multitudine Angelorum & Sanctorum) postquam ad me accessit, imposuit meæ lingvæ sacram hostiam, cujus contactum more humano in lingva sensi, acsi illud mysterium, non in spiritu & visione imaginaria, sed re ipsâ perageretur. Fui mihi penitus erepta, ignoro quamdiu, sed quando ad me redij, experta sum eosdem effectus ac motus, quos experiri soleo, dum communico sacramentaliter: & vidi Sanctos rursum considentes, adstante ipsis eâdem multitudine Angelorum. Tum idem Sanctus Benedictus eâ gratiâ, quâ initio, mihi dixit, ut bene valerem, & quiescerem in Domino; Sancti quoque cæteri mihi cum ipso valedicentes, reversi sunt cum suo comitatu ad cœlum.

Remansit apud me Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, & quia aliquantùm mirabar, quòd S. Benedictum vidissem sedentem medium inter cæteros, non verò magnum illum Patrem, Episcopum, & Doctorem S. Augustinum, quæsivi ex eo causam, respondítque mihi: Anima, illi Sancti te visitaverunt tanquam Patriarchæ Ordinum Religiosorum, & Benedictus fuit primus, qui vixit ùt Religiosus, ac præscripsit Monachis normam vivendi sub Prælato, in obedientia, & observatione regularum. Postquam Sanctus Pater Ludovicus id dixit, mihíq; quiddam commisit dicendum cuidam Religioso sui Ordinis, ostendendo gratam sibi esse ipsius ope-

operam, quam præstiterat ac præstat in utilitatem Ecclesiæ Dei, & me est solatus, atq; confortavit in mea cruce, in qua sum à Deo constituta, valedixit mihi. Divina Majestas sit in æternum benedicta. Amen.

*Quàm sit conforme id, quod hic dicitur, ijs, quæ gravissimi Authores, & Sanctissimi Pontifices Romani, testantur de gloria hujus Patriarchæ, videat, qui dubitaverit, annales Sacræ ipsius Religionis. Progredimur ad aliud scriptum, in quo hæc Sancta Virgo refert, quod illi paulo post prædicta cum Sancto Abbate evenit, his verbis.*

Indiderat Deus meæ animæ desiderium, de quo mox dicam: & quamvis me multis diebus ab eo abstraxerim, prout in hujusmodi materijs consuevi, adhibendo conatum, ut omnia sincerè dirigam ad majorem Dei gloriam; nihilominus me dictum desiderium non cessabat interdum vehementer stimulare. Erat autem, ut curarem pingi effigiem glorioſi Sancti Benedicti, eo modo admirabili, quo ipsum vidi, quando jussu Dei ad me habuit illum cœlestem ac divinum sermonem, cujus thema erant ea verba: Beati pauperes spiritu &c. Sicut alibi recensui. Nihilominus, licèt desideria essent potentia, naturalis mea propensio, & verecundia id refugiebat: magnopere namque timebam, nè conspectâ picturâ, ipsi videretur aliquid inesse mysterij, posséetque nonnemo colligere, me similem quampiam habuisse visionem, quod ego quantùm est possibile, evito. Aliunde verò vehementer ad id impellebar, ut devotio Fidelium erga glorioſissimum hunc Sanctum, novum sumeret incrementum, & Dominus Deus noster in eo glorificaretur.

Dum itaque aliquando manè, in Vigilia Pentecostes, cum Deo in mea consueta oratione agerem, prorsus tunc immemor hujus cogitationis, vidi S. Benedictum, qui me vultu hilari ac peramanter, svaviſſimis & cœlestibus verbis nomine Dei salutavit. Ferebat Sanctus in manu symbolicum & splendentem Solem, qui meos oculos ad se rapiebat. Verùm ego exhibendo honorem Sancto, quàm optimè potui, petij ab eo veniam (quod, dum permittor, facere consvevi) recurrendi ad Deum, & abstinendi ab ipsius conspectu, donec me Divina Majestas illuminaret, quid mihi esset agendum. Sanctus benigniſſimè & amabiliſſimè annuit. Dum autem conversa ad Deum, magno cordis mei affectu postularem divinum ipsius lumen, pro implenda ejus voluntate, & cognoscendis illius veritatibus, nè paterer illusiones, Deus me certam reddidit, jusitque attendere Sancto, & ijs, quæ mihi nomine ipsius esset dicturus, nec non ex ejusdem mandato in me operaturus. Interea me rursus, cum ingenti meo solatio, adverti versari in conspectu Sancti, qui mihi amantiſſimè dixit: Anima, & creatura Dei, petivisti à Divina Majestate divinum ipsius lumen, ad cognoscendas illius veritates, & adimplendam sanctam ejusdem voluntatem. Jam tibi Deus istam gratiam præstitit: nunc tamen eandem vult denuò augere, mittendo tibi hunc lucidiſſimum Solem, repræsentantem lumen, quod tibi rursus communicatur: mandat verò, ut illum ex mea manu susçipias. Hoc dicto ad me accessit is glorioſus Sanctus, & applicuit modestiſſimè atque spiritualiſſimè eundem divinum Solem meo ori, & oculis, ac deinde meo pectori, ubi ipsum reliquit quasi impressum, intiméque illapsum in animam, cum pari ejusdem animæ admiratione ac solatio.

Peracto hoc mysterio Sanctus dixit sequentia verba: Audi Anima, dic mihi amore Dei, quem amas, & cui servire desideras, quid sentias difficultatis, quídque te impediat, quò minùs cures pingi effigiem mysterij, quod tibi mecum evenit, quando jussu Dei ad te habui illum spiritualem sermonem, qui jam per Dei providentiam est divulgatus, multísque manifestatus, cum singulari solatio, & spirituali eorundem fructu? Quamobrem, quid tibi restat difficultatis? non dico jam creatura Dei, neque te volo reddere desolatam, adigendo te, ut opereris contra tuam naturalem propensionem (quam ego quoque in te laudo) curando appingi tuam effigiem. Quod volo, & à te instanter peto, est, ut non impedias, aut remo-

reris picturam illius visionis, referásque istum casum tuo Confessario, ut ipse videat ac judicet, quâ viâ sit hæc Dei voluntas mandãda executioni, cõferendo, quod fuerit constitutum, cum Abbate filio nostro; quâ ratione tu conquiescès. Anima, ego nihil hac in re invenio minùs conveniens, quod tu nunc propter tuos timores, & bonam naturalem propensionem invenis: quia omnia expendo ad radios divini luminis, & non possum errare.

Mea anima diligenter attendebat toti alloquio glorioſi Sancti, & quamvis magnum esset solatium, quod capiebam ex ejus verbis, quæ mihi tantopere satisfaciebant, & me quasi convincebant; longè tamen magis me solabatur admirabilis ille ac divinus modus, quo ab ipso proferebantur. Nihilominus eram, nescio qualiter, adeò perplexa in determinando hoc negotio, ut dixerim Sancto: Benedicte & gloriosè Sancte, si tibi placet, ut fiat, quod exposuisti, vellem, si foret voluntas nostri magni Dei, ut hæc omnia ipsemet diceres & indicares, nullatenus mihi, sed Abbati, qui est prudens, & servus Dei, atque meo Confessario: ego enim propter meam exiguam humilitatem & mortificationem, patiar difficultatem in proponenda hac materia. Tum glorioſus Sanctus mihi, jucundo quodam, sed gravissimo modo, velut subridendo, svavissimè respondit: Anima & creatura Dei, non sum id à Divina Majestate jussus alijs, quos innuis, dicere, sed tibi, tanquam pauperi & humili creaturæ, quam Deus ex sua bonitate, & mera sua misericordia, ac altissimis judicijs adamavit, disponendo suâ manu, & inveniendo capacem, ut evaderet in vas, qui infunderet liquorem suarum miserationum. Ipse sit benedictus in æternum. Vale, Anima, & Deus sit tecum, atque fac, quod tibi dixi. Ità Sanctus à me discessit, relinquens me affluentem solatio, & admirabundam, dum considerarem opera Dei, qui laudetur millies, iterumque millies. Amen.

*Hinc est colligere, Sanctam Virginem abhorruisse à turanda imagine Sancti Benedicti in ea specie, quâ ipsum tunc vidit. Cùm enim depingenda esset tota visio, necesse erat etiam illam pingi, cui se præbuit spectandum, id quod ob animi sui demissionem ægerrimè ferebat. Prætereà silentio alias gratias, quas ab hoc magno Patriarcha est consecuta, quia aliò pertinent.*

*Visum mihi est, laudibus S. Benedicti aliquid addere de gloria ipsius filij Sancti Bernardi. Licèt enim prædicta effigies evaserit prorsus genuina: hæc tamen altera imago est viva, quæ illum longè excellentiùs repræsentat. Vidit Virgo aliquoties glorioſum Bernardum, prout suprà innui; specialis verò fuit visio, de qua in parva scheda sic scribit inter alia, quæ de die in diem annotat, mense Augusto anni sexcentesimi vigesimi septimi.*

Die Sancti Bernardi, vidi eundem Sanctum, qui me, quanquam breviter, est dignatus visitare. Solatus me fuit, plurimúmque animavit, & DEUS mihi manifestavit excellentiam ipsius eximij spiritus, qui erat ejusmodi, ut me in summam rapuerit admirationem. Est certè maximus Sanctus. Benedictus sit DEUS, qui illum talem effecit.

## CAPUT XXVIII.

### Gratiæ obtentæ à glorioſo Patriarcha S. Dominico, & excellentia hujus admirabilis Sancti, ipsi à Deo manifestata.

*QUanta beneficia hæc Virgo obtinuerit à glorioſissimo Patriarcha S. Dominico, & Sanctis ejusdem filijs, tam illis, qui Beati jam cum suo Patre in cœlis regnabant, quàm alijs, qui adhuc viventes militabant in terra, imitando heroicas majorum suorum virtutes, fusè narratum fuit in prima, & varijs locis hujus secundæ partis, cujus veritatis claræ probationes perficientur, tum in hactenus scriptis, tum in scribendis, DEO favente, deinceps. Nunc solùm*

*solùm referemus quosdam specialiores eventus, concernentes materiam, quam tractamus, quæ est familiaritas, quam habuit cum cœli incolis, acsi vivens in terra, foret una ex illis, observando, quoad poterimus, ordinem temporis, quo acciderunt. In Augusto anni sexcentesimi vigesimi quarti, ità ait.*

Die glorioſi Sancti Dominici manè, mihi DEUS agenti ſecum in oratione exhibuit, per modum ſpiritualiſſimæ viſionis, quamvis etiam in ea non deeſſent figuræ imaginariæ, ſpectandum Sanctum Patriarcham; fuitque mihi hìc repræſentatum, quod ibi eo die fiebat in cœlo, hunc in modum. Vidi Sanctum ſedentem in magno & ſplendido throno, pleno gloriâ & majeſtate, atque juxta illum plurimos Sanctos ex ſacra ipſius Religione Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Martyres, & alios, ſuis ſingulos inſignibus ornatos, ex quibus potui dignoſcere dignitates, quibus fuerant prædíti in Eccleſia. E regione hujus throni vidi Majeſtatem magni noſtri Triunius Dei, qui inſtar Solis emittebat pulcherrimos radios luminis, & divinos ſplendores, iiſque illuſtrabat Sanctum Patriarcham, & ipſius filios, quibus illos reddebat beatos, ac replebat gloriâ: verùm præ cæteris maximè irradiabat Sanctum Patriarcham; ſiquidem mihi tanta in ejus anima apparebat profunditas, adeóque ampla capacitas ad recipiendam gloriam, ut reliquos omnes plurimùm ſuperaret. Replebat illum DEUS ſe ipſo, & communicabat ei ſpecialiſſima bona, atque ſplendores, quaſi milleni in eodem relucerent Soles. Eram tota attonita præ admiratione, dum tantam Sancti contemplarer excellentiam, unáque pro meo captu viderem illud immenſum Eſſe Trini & Unius Dei, quo ſatis diu ſum fruita.

Interea vidi advenientem magnum numerum Angelorum, qui erant comptiſſimi, & quaſi ad celebrandum feſtum ſplendidè ornati. Singuli gerebant in humeris diverſum quoddam inſigne, ſignificans varias iſtius Sancti virtutes, charitatem, humilitatem, patientiam, fortitudinem, & reliquas. Omnes decantabant laudes Dei, & Sancti Patriarchæ, quorum aliqui varia & ſuaviſſima tractabant inſtrumenta. Hunc in modum tranſeuntes ante Deum, & Sanctum, circumiverunt illam ſanctam Civitatem, quam univerſam exhilaraverunt. Quo facto ſunt reverſi, mutato habitu, longè elegantiores, quam initio, & nova geſtantes in humeris inſignia, rurſúmque obiverunt cœleſtem Patriam, eodem ordine, quo priùs. Hoc circuitu abſoluto, rediverunt tertiò, diverſo, & multò ſplendidiore conſpicui ornatu, quàm fuerint præcedentes omnes in humero ferebant inſigne lucidiſſimi Solis, evibrantis admirandum ſplendorem. Licèt verò ſinguli Soles mihi repræſentaverint magnitudinem omnium Sancti virtutum, diſtinctiſſimè tamen agnovi eminentiam charitatis, quæ omnes alias excedebat. Ità pervenerunt ad conſpectum magni Dei noſtri, & proſtrati in pavimento illius cœli, ipſum adoraverunt, gratiáſque ei egerunt, pro magnis beneficijs, quibus cumulavit Sanctum Dominicum; ac deinde ſurgentes, & converſi ad Sanctum, millies ipſi ſunt gratulati gloriam, quam poſſidebat, & ſingulares virtutes illi à Deo conceſſas. Sanctus eſt ipſos intuitus, ſpecialem ijs exhibendo honorem, & vultu, in quo gravitas modeſtiſſimè erat juncta hilaritati, ſeſe gratum demonſtrando, pro demonſtrato ſibi ab ipſis amore. Poſtea ſe converterunt ad Deum, qui illis dedit ſuam ſanctam benedictionem, quando ego ex profundo raptu, in quo fueram, ad me redivi. Deus ſit in æternum benedictus ob honorem, quem exhibet ſuis Sanctis. Amen.

*Sequenti anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto, eodem die idem Sanctus ſe illi faventem præbuit, non, ſicut priore vice, ex cœlo, ſed deſcendendo ad terram, ut illam admirabili modo ſolaretur, quem ipſa his verbis deſcribit.*

Erat hora circiter quarta matutina, die glorioſi S. Dominici, & ego coram Deo vacabam meæ ſolitæ orationi, præſente S. Patre Ludovico de Ponte. Repetebam eos affectus, quos conſvevi frequentare,

ortos ex mei cognitione, videnſque tam multas miſerias, dicebam Domino: Aſpice me, mi Deus, aſpice, qualis ſim. Divina Majeſtas contemplabatur benigniſſimè, non ſolùm exteriora meæ animæ, ſed etiam ejuſdem intima, & receſſus cordis, acſi omnia attentè perluſtraret, atque poſtea mihi dixit: Verè mihi omnia placent, & nihil video, quod mihi diſpliceat. Ego millena mihi imputabam mala, &, meâ opinione, ſalvâ veritate. Dominus autem aſſeverabat ſuum dictum, útque id confirmaret, porrexit mihi ſuis manibus, quæ erant puriſſimæ, candidiſſimæ, & ſpiritualiſſimæ, ſacram hoſtiam, cujus perceptio mihi tota videtur fuiſſe ſpiritualis, & ſubjunxit dicendo: Anima, quieſce tantillùm: veniet enim meus amicus Sanctus Dominicus, ut te ducat ad locum, quem videbis. Quievi aliquamdiu, ac deinde vidi venientem Sanctum Patriarcham ornatum aureo, pretioſiſſimo, & ſplendidiſſimo pluviali, quem comitabantur plurimi Beati ex ejuſdem Ordine. Procedebant induti amictu lineo, & bini, ùt fit in ſolenni ſupplicatione, erántque tam multi, ut viderentur repleturi amplum campum. Omnes mihi apparebant humillimi, & velut nudipedes, quamvis revera non eſſent, neque fuerint. Sanctus Patriarcha ad me acceſſit, & imperiosè, non permittendo ut ullatenus reluctarer, dixit: Soror, veni mecum: Deus namque mandat, ut te ducam ad meum Conventum S. Pauli, in hac civitate, & viſites in meo feſto meam domum. Apprehendit meam manum, præ ſe ferens cœleſtem gravitatem ac modeſtiam, & elevavit me, duxítque ad Conventum S. Pauli hujus civitatis, comitantibus ipſum omnibus illis Sanctis, qui cum eo venerant. Ego ibam cum Sancto, ſummè erubeſcens, & verecundiſſima, adeò ut Sanctus Pater Ludovicus, videns me ità conſtitutam, ſubriſerit, prout ſolebat degens in hac vita, qui modò abundè perſpectam habet meam verecundiam, atque tunc ſe adjunxit meo lateri, ità ut medium inter hos duos Sanctos locum occupaverim. Poſtquam pervenimus ad Conventum, apertæ fuerunt portæ Eccleſiæ. Vidi illud templum repletum cœleſtibus ſplendoribus, & quendam Divinum Solem, à quo illuminabatur, acſi cœlum foret in terra.

In ſumma ara conſpexi meo modo, Dominum Deum noſtrum Triunum. In templo fuerunt multi Religioſi Dominicani, ex etiamnum viventibus, acclinati ad parietes templi, tanquam cedentes loco Sanctis ingredientibus, qui, ùt dixi, erant copioſi. Quando intraverunt templum, ſanctus Patriarcha proceſſit ad ſummam aram, & Sanctus Pater Ludovicus de Ponte tum dedit ſignum uni ex Religioſis, ut accederet, séque ad latus meum collocaret, quod is fecit. Dominus Deus Triunus autem dedit ſuam Divinam benedictionem omnibus Religioſis, tam Beatis, quàm viventibus, etiámque meæ pauperi animæ. Deinde glorioſus Sanctus Dominicus conſiſtens in medio Chori, bene precatus eſt omnibus ſuis filijs, ibi præſentibus, & mihi unà cum illis. Poſtquam verò ſanctus Patriarcha viſitavit Eccleſiam, reduxit me ad meum angulum eodem modo, quo abduxerat. Deus ſit benedictus. Amen.

*In feſtis poſtea Nativitatis Chriſti, ſequenti anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, refert, quod ipſi cum eodem Sancto bis evenit, & expoſitis, quæ illi acciderunt cum Deo, ac aliis Sanctis, de quibus ſuo loco loquemur, ità ait:*

Altero die feſtorum Natalitiorum, poſt prædicta, vidi Beatum Patriarcham Sanctum Dominicum, qui me inviſit, comitantibus illum nonnullis Sanctis ipſius filijs: fuerunt, qui mihi in vita benefecerant, quamvis non agnoverim plures, quàm duos ſolummodo, utpote Patrem Fratrem Joſephum de Sena, qui aliquoties meam exceperat ſacram confeſſionem, & P. Fr. Alphonſum Lobete, qui mihi quibuſdam occaſionibus domi meæ dixerat Miſſam, & ſacram Euchariſtiam miniſtraverat. Ingreſſus Sanctus Patriarcha me ſalutavit, peramanter dicendo, ut mihi felicia Deus largiretur feſta, ad quæ apprecanda veniſſet. Collocuti ſumus de quibuſdam rebus Sanctis, & conducentibus ad ſpiritualem profectum, unde me magno

magno affecit solatio. Postea volui osculari ipsius pedes, propterea que me prostravi; sed Sanctus me elevavit, & porrexit mihi osculandum scapulare, ac manum, atque datâ mihi suâ sanctâ benedictione valedixit, & addidit: precaberis meo nomine felicia festa meis filijs. Sanctus Pater Fr. Josephus de Sena, me non est allocutus, sed intuens me arrisit mihi, prout faciebat, dum viveret, quia erat affabilissimus, & inclinando se discesserunt.

Deinde, proximo die post festa Natalitia, venit rursum prorsus derepente idem Sanctus Patriarcha, ad meum pauperem angulum, quasi me præmoniturus, & agens comitem aliorum, quos ego tum non videbam. Ingressus est, dixítque: Soror, Sanctissima Virgo venit, & ego tanquam servus ipsius, quæ mihi specialem exhibuit gratiam, & mandavit, ut se comitaret; præcessi, ut te inviserem. Præpara te, Soror, pro tanta visitatione. Et cùm Sanctus respiceret ad latus, movit se, acsi obviam vellet procedere illi magnæ Dominæ, quæ jam appropinquabat. Ideo ego celerrimè dixi: Expecta, expecta modicùm Sancte Pater, volo enim tibi aliquid dicere. Sanctus expectavit, ac dixit: quid à me vis, Anima? dic age. Petivi, ut dignaretur orare Deum, & rogare, ut concordes redderet duos Religiosos Ordines, suum, & Societatem Jesu, quam ego impensiùs amo; eò quòd (tametsi ex bonis, ac sanctis intentionibus) plerumque non magnopere invicem consentiant: licèt enim non omnes, multi tamen ex ijs sunt minùs unanimes. Sanctus, post alia dicta, magnis est prosecutus laudibus Societatem, dicendo, illam esse à Deo in Ecclesia sua constitutam instar validi muri, duraturi ad finem usque mundi, quantascunque pateretur contradictiones: & Sanctum Patrem Ignatium fuisse assumptum ex militia profana, ut esset Fundator hujus Sanctæ Religionis in bonum Ecclesiæ. Post hoc Sanctus est progressus obviam Sanctissimæ Virgini.

Celsissima hæc Regina adveniebat formosissima, splendidè ornata cimelijs, & miris vestibus, quibus satis repræsentabatur gloria & excellentia sanctissimæ ipsius animæ, ac divini thesauri, quos in ea continebat. Gestabat suum Sanctissimum Filium infantulum in ulnis. Saluravit me ejusdem Majestas peramanter & affabiliter, dicendo: Soror, Deus tibi jam concesserit sanctissima festa, concedátque talia etiam subsecutura. Hic tibi adfero meum Sanctissimum Filium, & Dominum meum, ut ipsum adores. Eodem tempore milleni Angeli, qui eam comitabantur, celebrabant mysteria Sanctæ Nativitatis cœlesti musicâ. Ego me prostravi humi, & osculata sum pedes illius Sanctissimi Puelli, Dei & Domini nostri, atque adoravi ipsum, cujus Majestas mihi impertita est benedictionem. Habebat Sacratissimus Puellus in pedibus signa suorum pretiosorum vulnerum, quæ optimè apparebant: intellexi tamen à Deo, hæc in ea ætate repræsentante Infantem Deum, esse figuram illorum, quæ postea habuit, ut mihi significaret, se ab instanti suæ sanctæ Incarnationis semper eadem habuisse præsentissima. Vidi hunc Dominum amarè plorantem, more cæterorum infantium, atque ex oculis Sanctissimæ Virginis etiam cadebant lachrymæ compassionis. Porrigebat tenero Infanti sua sanctissima ubera, & ipse sugebat lac, sicut alij recenter nati infantes. Fuit mihi datum clarum lumen, per quod agnovi, illum esse verum Deum, & verum Hominem: dum autem funderet lachrymulas, séque eo Virgineo lacte sustentaret, esse nihilominus Divinâ præditum Majestate. Sit ipse in æternum benedictus. Amen, Amen.

# CAPUT XXIX.

## Continuatur materia gratiarum, quas est assecuta à glorioso Sancto Dominico.

*Favorem*

*FAvorem illi similem, quem adepta fuerat anno sexcentesimo vigesimo quinto, paritérque die ejusdem festo, obtinuit anno sexcentesimo vigesimo septimo, qui ab ea breviter his verbis recensetur.*

Summo manè, die glorioſi Patriarchæ S. Dominici, intellexi, quòd me Sanctus vellet ducere ad Conventum S. Pauli, ſui Ordinis, qui eſt in hac civitate, ut lucrarer Indulgentias. Mei Domini Angeli mihi dixerunt, ut abirem ipſis comitantibus; cúmque ego ob meos timores cunctarer, urgebant me, dicendo: Adverte, Anima, Deus te præſtolatur. Denique fui ab illis abducta. Erant portæ clauſæ, quas tamen Angeli facilè aperuerunt. Intravi, & vidi Sacratiſſimam Perſonam Spiritûs Sancti, totúmq; templum plenum gloriâ, & Angelis Dei. Eram inſigniter ornata cimelijs, & ſplendidis veſtibus, quæ mihi ab eo ſummo Domino fuerunt datæ, quemadmodum aliàs dixi. Poſtquam ad ipſum perveni, proſtravi me, ac adoravi ejuſdem Majeſtatem, atque depoſita cimelia, quæ gerebam, illi donavi, & obtuli ex intimo corde, dicens: hæc ornamenta ſunt tua, mi Domine, à te mihi ſunt data, ideóque illa tibi offero. Dominus ſibi in ea oblatione complacuit, & ego remanſi pauperrima, ac ſpoliatiſſima, plurimùm tamen contenta, quòd illa ipſi donaverim. Deus continuò mandavit Angelis, ut me rurſum ijs exornarent, ipſéque Deus extendendo Divinam ſuam manum illis deſignabat locum, quo ea deberent ponere, dicens: Iſtud hìc ponite &c. Poſtea mihi denuò alia tribuit cimelia, adeò ut ditior fuerim, meliúſque ornata, quàm antea. Nihil vidi in templo, oravi, & obtentis Indulgentijs, fui à meis Dominis Angelis reducta domum. Dum poſtea ibidem audirem Miſſam, apparuit mihi Sanctus Dominicus, ex cujus conſpectu magnum cepi ſolatium, allocuta ſum ipſum, petivíque ab eo pro me, & ijs, qui ſe mihi commendaverant, ſanctas ejuſdem orationes, quas mihi magnâ charitate & gratiâ eſt pollicitus. Deus ſit benedictus. Amen.

*Eodem hoc anno in feſtis Nativitatis illi idem Sanctus Patriarcha præſtitit aliam gratiam, in eáque iterum ſingularem demonſtravit favorem, quo proſequitur Societatem JESU, atque amorem, quo fertur erga ejuſdem Fundatorem. Deſcribitur ab hac Virgine factum, quod evenit, quando Societas patiebatur quandam perſecutionem, hunc in modum.*

Mea anima agebat cum Deo manè, in feſto Nativitatis Chriſti, amabiliſſimi Servatoris noſtri, & poſtquam mihi alia cum ejus Majeſtate evenerunt, quæ alibi dedeſcripſi, vidi venientes, cum comitatu Angelorum Dei, glorioſos Patriarchas, S. Benedictum, S. Auguſtinum, S. Bernardum, & S. Dominicum. Pervenerunt hi benedicti Sancti ad locum, in quo eram, & S. Dominicus me nomine omnium verbis graviſſimis & charitate plenis, ſalutavit: precatus eſt mihi felicia feſta nomine noſtri magni Dei, & illorum Sanctorum ſuorum comitum. Ego proſtemens me cum magna veneratione, & humilitate, quâ potui, coram cœleſtibus hoſpitibus, qui tantum mihi exhibebant favorem, ſuſcepi ab ipſis, cum gratiarum actione, & laudibus Dei, apprecationem felicium feſtorum, quam mihi gratam eſſe oſtendi, & erigendo caput, flexis genibus, abrepta affectu, cui tum immorabar, dixi glorioſo Sancto Dominico: Benedicte Sancte, cum ſis tam vicinus Divinæ Majeſtati, quæ te ſummopere amat, habeáſque, & habueris tantam charitatem erga proximos, roga Deum, ut adjuvet, conſervet, ac augeat Religionem Societatis JESU, quæ plurima Deo præſtat obſequia, & ejuſdem Eccleſiæ, atque nihilominus maximas à ſui exordio patitur perſecutiones, dum ipſam diabolus, per doctos & graves, etiamque Religioſos Viros, conatur infamare, ſubvertere, ac opprimere, qui eum in finem moliuntur, quæcunque poſſunt adinvenire. Rogo te, beate Pater, quàm demiſſiſſimè & inſtantiſſimè poſſum, ut illam Deo etiam atque etiam commendes. Dic mihi autem amore ejuſdem Dei, cur id fiat? Tum mihi Sanctus Patriarcha ingenti charitate & affectu dixit: Faciam, quod mihi dicis Anima. Verùm dicito mihi etiam

eriam tu modò, an ignores causam persecutionis, quam sustinet? Ecce Anima, Dominus Deus noster suscitavit his temporibus ex militia mundana Ignatium de Loyola, ut esset Fundator & Patronus sacræ Religionis Societatis Jesu, quæ magna & eximia præstitit obsequia Deo, ipsiúsque Ecclesiæ Catholicæ, convertendo ac perducendo ad Fidem infinitas animas; procurando insigni zelo, & arduis laboribus, atque peregrinationibus earum salutem, & majorem profectum; assumendo in id innumera alia & sancta media, magnúmque hac in re præbendo exemplum omnibus, præsertim ijs, qui similem profitentur vocationem. Quocirca videns diabolus bellum, quod hæc sancta Religio adversus ipsum gerit, aggressus est nonnullos, qui sub prætextu zeli eam conantur persequi, ac infamare, & exturbare ex mundo, nè consequatur propositum sibi finem. Verumtamen hæc Religio Societatis Jesu est murus fortis, Deus ipsam protegit, confortat, suámque eidem confert virtutem: custodiet illam, & conservabit usque ad finem, ita ut nemo sit futurus tam potens, qui ipsi resistat, eámve evertat. Deus enim est illius adjutor ac defensor: Sic agitur, Anima, & tu modò ora pro omnibus Dominum Deum tuum, ac vale. Ita mihi Sancti valedixerunt. Divina Majestas sit semper benedicta. Amen.

*Anno sexcentesimo trigesimo secundo, rursum vidit magnam in cœlo solennitatem, quâ ejusdem die celebrabatur festum hujus Sancti Patriarchæ. Cedit ad magnam Sancti gloriam, & honorem sacræ ipsius Religionis, quod ab illa refertur, ut sequitur.*

Agebam modo ordinario, mihi consveto, in exercitijs meis cum Deo, die glorioſi Sancti Dominici, ante diluculum matutinum, & vidi hinc Sanctum in cœlesti Jerosolyma, in quodam throno gloriæ, raræ majestatis & magnificentiæ, circumdatum ab omnibus Sanctis ex ejusdem Ordine, & Beatis, qui gesserunt ipsius habitum, atque magnâ multitudine Angelorum Dei. Ducta fuit solennis pompa horum Angelorum, & benedictarum Animarum istius Ordinis, nec non aliarum, omniúmque præcipuorum Sanctorum ex eo canonizatorum, quos sequebatur magnus ipsorum Patriarcha S. Dominicus. Hoc modo fuit deductus ad conspectum Beatissimæ Trinitatis. Sanctus se prostravit adorando Deum, & accepit sanctissimam ipsius benedictionem, non absque singulari Divinæ Majestatis benevolentia, & indicijs gaudij atque complacentiæ. Assurrexerunt universi, & eâdem ratione, quâ venerant, reduxerunt Sanctum Patriarcham ad priorem thronum. Gloriosus Patriarcha sedit, & omnes cum illo sancti filij ipsius, qui illum comitabantur, in sedibus, quasi distincti in choros, statímque inceperunt quaterni, prodeuntibus ex quovis choro binis, progredi ad adorandam Sanctissimam Trinitatem, & susciendam ejusdem benedictionem, ac deinde revertebantur ad illam accipiendam à Sancto Patriarcha.

Postquam id omnes ipsius Beati filij peregerunt, glorioſus Sanctus Dominicus surrexit, ac venit cum comitatu præcipuorum Sanctorum sui Ordinis, & multorum Angelorum Dei, ad meum cubiculum, ut me inviseret, mihíque gratificaretur. Ego fui turbata, more solito, dum me stringunt mei timores, animóque meo obversatur mea indignitas. Magnam sum passa difficultatem in eo videndo, quæ tamen denique fuit superata, & Sanctus Patriarcha me est allocutus, dicendo mihi, se in suo festo venire nomine Dei ad me visitandam, ferendúmque mihi quoddam ipsius munus, & abducendam me secum ad cœlestem Patriam. Dedit mihi gladium non adeò magnum, sed splendidissimum, & grandem fasciculum florum svavissimè olentium: dicendo: Accipe Anima hæc pretiosa dona, quæ tibi Deus mittit, & nunc veni mecum. Non intellexi tum illius gladij, & fasciculi florum mysterium, atque fui velut attonita, ignorando quid significarent. Ducta sum pergens inter Angelos & Sanctos, qui advenerant, subsequente Sancto. Quando pervenimus ad cœlum, fui præsentata Sanctissimæ Trinitati: prostravi me coram ea immensa Majestate. Fui benignissimè excepta à

Deo, qui mihi valde amanter & blandè est impertitus suam sanctissimam benedictionem. Allocuta sum tunc Deum, & dixi illi: Mi Deus, & mi Domine, suscipe ex manu famulæ tuæ dona, quæ tu ipse mihi misisti per hunc Sanctum Patriarcham: quidquid enim sum ac habeo, tuum est, & omnia tua esse volo. Suscepit Deus ex mea manu munus amabilissimè, dixitque mihi, se illud quàm libentissimè acceptare: & videbatur olfacere eos flores, séque illis oblectare. Deinde mihi restituit dona dicendo, ut ea servarem intra memet ipsam.

Abducta inde fui, subitóque ij Sancti & Angeli permixti processerunt bini, ducentes me in medio, quæ portabam gladium ac fasciculum florum in meis manibus, & postremus omnium ibat Sanctus Patriarcha. Hoc ordine progrediebantur, quasi descendentes ex cœlo ad aërem, & duxerunt me ad eas regiones, in quibus nunc geruntur bella, in Germania & Belgio. Pertransivimus illas Provincias, ubi obvios habuimus multos diabolos illic degentes. Dum isti conspexerunt gloriosum S. Dominicum, ejusdémque socios, & me, quæ ferebam gladium, cum fasciculo florum, cœperunt timere, & abdiderunt se velut sub terram, fugientes tanquam terrefacti, & vociferantes, dicendo: Quid videmus? Ita disparuerunt. Postquam Sanctus Patriarcha, & totus ipsius sacer comitatus finiverunt hanc quasi deambulationem, per omnes Germaniæ & Belgij ditiones, indéque expulerunt dæmones, reversi sunt eodem ordine ad cœlum, quo descenderant, ducentes me rursus ad conspectum Divinæ Majestatis, ubi illam omnes, prosternendo nos, adoravimus, & fuimus benevolentissimè ab hoc magno Deo suscepti, qui nobis dedit suam sanctissimam benedictionem. Hic mihi Deus manifestavit symbola gladij, & fasciculi florum, dicendo mihi: Iste gladius, Anima, quem tibi misi, est figura martyrij, quod tot annis es perpessa, tolerando gravissimos dolores, molestias, & afflictiones in tuo corpore. Hic fasciculus florum significat, tibi ex ijs texi coronam tui martyrij. Dæmones autem exhorrescunt, vehementérque timent afflictiones, pro Ecclesia, & pro hæreticorum destructione, toleratas, quemadmodum tu mihi illas obtulisti. Conserva spiritualiter in te hæc dona; age gratias illi, qui tibi ea contulit, pro omnibus ejusdem misericordijs. Ego ei denuò obtuli, quod erat penitus ipsius, videlicet universa tam longo tempore à me tolerata. Postquam sanctissimam ejusdem accepi benedictionem, gloriosus S. Dominicus, cum comitatu Sanctorum, me duxit ad meum angulum, unde me voluit ducere ad suum Conventum S. Pauli, ut hoc die, ipsius festo, lucrarer Indulgentias. Verùm Deus illi dixit, non expedire, eò quòd natura mea esset valde viribus exhausta; sufficere, quod actum fuerat. Sic mihi Sanctus valedixit: ego rursus aliquamdiu mansi mihi erepta, donec ad me reditem. Deus sit propter opera sua benedictus. Amen.

*Multa alia mira supersunt, enarranda de gloriosissimo hoc Patriarcha, quæ suis locis referentur. Ad præsens propositum, judicavi hæc pauca sufficere. Transeamus nunc ad alium Patriarcham æquè admirabilem, ac præcedentem.*

# CAPUT XXX.

## Eximiæ prærogativæ Seraphici Patriarchæ Sancti Francisci Assisinatis, quas cognovit, & gratiæ, quas hæc Virgo ab eodem obtinuit.

*IN charta, quæ conscripta fuit secundâ Augusti, anno sexcentesimo vigesimo quarto, refert, quod illi tum evenit, hisce verbis.*

Præterlapsis annis Deus me dignatus est per meos Dominos Angelos ducere ad Conventum glorioli S. Francisci, qui est in Italia, die Indulgentiarum Portiunculæ. Hoc

Hoc anno mihi eodem die dixerunt, se jussos esse idem facere; ducendam me tamen in spiritu, ne corpus tantopere infirmum & confractum aliquid pateretur incommodi. Quamvis autem Deus possit ab hoc incommodo præservare, non vult Ejusdem Majestas semper cursum suspendere causarum naturalium, atque Angeli se accommodant communi loquendi modo. Ego ex propensione, quâ feror erga consvetam exercitij virtutum viam, non verò ad res insolitas, vehementer sum reluctata, & rogavi illos, ut me relinquerent in meo angulo, intermissâ prædictâ gratiâ. Tum ibi comparuerũt tres quatuórve dæmones, qui dixerunt: Etiam nos te illuc sequemur, cùm & nobis sit administranda justitia. Verùm movente se uno ex quinque Angelis, dæmones aufugerunt. Angeli denuò aliquoties institerunt, ut pergerem, & ego totidem vicibus eodem modo ipsis restiti, quoad mihi tandem dixerunt: Cùm Deus sic fieri velit, cur tu difficilem te exhibes? Quod vult Deus, tum respondi, necesse est facere: nihil enim aliud volo, quàm ut in omnibus fiat sanctissima ipsius voluntas. Eodem momento vidi spiritualissimè Beatissimam Trinitatem, extraordinariâ, & summâ conspicuam majestate, atq; deprehendi me in loco, ubi manebat defunctum corpus Sancti Francisci, quod me in summam rapuit admirationem, maximóque affecit solatio. Sic autem fuit constitutum.

Locus erat quædam Capella, seu crypta exigua, ubi fuerunt aliquot gradus, & super hos suppedaneum, in quo sacrum exanime corpus stabat erectum, ita ut insisteret toti plantæ unius pedis, alterius verò quasi extremitatibus digitorum: manus habebat ab invicem sejunctas, palmis antrorsum obversis, in quibus, & pedibus gerebat sacra vulnera, etiámque in latere, ubi vestis erat aperta, quæ erat aliquantùm brevis, non pertingens ultra talos. Totum sacrum corpus erat decenter compositum, admirandam præ se ferens venerabilitatem, & modestiam. Advenerunt tunc temporis complures Religiosi ex ejusdem Ordine etiamnum viventes, quos comitabantur Angeli: omnes portabant in manibus cereos, & erant ex ijs, qui hîc minùs æstimantur, obeúntque officia humilia, quales sunt coci, hortulani, & alij ejusmodi, quod videbantur indicare habitus angusti, & forma sacri amictus linei, quo erant ornati. Capucia fuerunt differentia, quædam acuminata, alia rotunda. Hi omnes, postquam pervenerunt ad illam sacram cryptam, se reverentissimè prostraverunt, suóque ordine accesserunt ad osculum suppedanei, cui sanctum corpus insistebat: quo facto sunt egressi, comitantibus ipsos ijsdem Angelis.

Deinde sacrum illud exanime corpus, quasi à Divino Spiritu occupatum, cœpit tam grande & copiosum lumen emittere, ut replendo eam cryptam, seu Capellam splendoribus, sese aspectui meo subduxerit, neque amplius à me potuerit videri. Atque tunc mihi dixit Dominus: Quid aspicis, Anima? Nónne ingens cepisti, ex ijs quæ vidisti, solatium? Ingens prorsus, respondi. Et Dominus: Concedo, inquit, tibi Indulgentiam plenariam tuarum exiguarũ culparum: esto bono animo, eæ enim, quæ oriuntur ex natura, inter martyriorum tuorum dolores, abolentur. Confero tibi præterea novas gratias ac dona, tendentia ad majus bonum, & emolumentum tuæ animæ. Et hoc dicendo me signavit cruce in capite. Tum fui arctissimè unita Divinæ Majestati, ubi meam animam vidi, acsi esset trina: & cùm id mirarer, eò quòd ipsam primâ vice taliter viderem, dixit Dominus: Omnes animas condidi ad imaginem & similitudinem meam: tuæ tamen istam nũc præsto gratiam, quòd cuilibet trium ipsius potentiarum specialia contulerim dona & gratias. Ita illud mysterium fuit finitum. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Quodam die Sabbathi, in Januario anni sequentis millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, illam Sancti ipsius Angeli, cum alijs, qui eam comitabantur, iterum ad eundem locum duxerunt: ubi addit quasdam circumstantias prædictis, & alia, quæ evenerunt, hoc modo.*

Post dolores & afflictiones, atq; gratias, quas mihi Deus in ijs contulit, sicut nuper scripsi, die Sabbathi, undecimâ hujus,

jus, ad me venerunt mei Domini Angeli, dicentes: Soror, es afflicta, volumus te aliquò ducere, ubi respires. Ego me hac vice excusabam, quòd me sentirem vehementer morbo aggravatam, quia mihi videbar non posse ire. Verùm illi sunt executi, quod ipsis injunctum fuerat à Deo, qui universa disponit. Erat nox, & comitati me sunt omnes mei Domini, atq; alij Angeli, qui nobis prælucebant grandioribus cereis. Lux ista fuit pulchertima, & quisque cereus videbatur esse Sol. Ducta sum per quosdam campos & fluvios, donec perveniremus in Italiam, ad Conventum, in quo est corpus S. Francisci. Crypta illa, seu Capella, ut aliàs dixi, non est magna. Quod illic videtur, est ex maximè mitis, quæ in mundo reperiuntur, & ad summam excitat devotionem, Sanctum corpus insistit pedibus, super quoddam suppedaneum, oculis ad cœlum elevatis. Reliqua dixi alibi. Fui velut attonita, videns tam prodigiosum miraculum, atque dum considerarem ea vulnera, dixi uni ex Sanctis Angelis: Utinam aliquis haberet corollam precatoriam, quæ mansit domi, ut illam applicarem vulneribus hujus sancti corporis! Bene est, dixit Sanctus Angelus, noli esse solicita. Intuita sum ipsum, & tenebat in manu meam corollam, quâ aliàs vulnera attigeram Redemptoris nostri JESU Christi, dixíque illi: Ah, Domine Angele, non est, quam ego volo: attigit enim vulnera mei Domini, & non videtur esse decens, ut eâdem nunc attingantur vulnera Sancti. Bene dicis, respondit Angelus. Aspexi illum denuò, & vidi, quòd haberet album sacculũ, in quo ego servabam quasdam corollas, atque tum mihi dixit: Accipe istas, & applica. Ita feci, & non satiabar aspectu illius sacri corporis. Dum his essem intenta, Sancti Angeli mihi dixerũt: Eja Soror, jam est tempus, ut revertamur. Eamus igitur, mei Domini Angeli, respondi; permittite me tamen priùs orare, quod hactenus non feci. Domi, ajebant ipsi, orabis. Subitò lucidissima nubecula obtexit corpus Sancti, quæ illud aspectui meo eripuit. Post hoc fui ducta ad meum angulum. Habeo quandam corollam, quâ diebus Sabbathinis recitatâ, obtinentur indulgentiæ Portiunculæ, quod mihi videtur dicere voluisse Sanctus Angelus, ideòq; illam orando percurri, quando sum reversa domum. Glorificetur DEUS in Sanctis suis. Amen.

*Hæc duabus istis vicibus Virgo vidit, quæ concernunt privilegia corporis, hujus Seraphici Patriarchæ. Absque comparatione autem majora cognovit, de excellentia beatæ ipsius animæ. Id illa sic refert in charta, scripta in 9. Octobri ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti.*

Feriâ quintâ, secundâ Octobris, vidi gloriosum Sanctum Franciscum: licèt enim id ob consvetos meos timores refugerem, conando me abstrahere, compulsa fui à Deo, sicut aliàs, ut attenderem iis, quæ mihi manifestabat. Sanctus mihi amantissimè dixit: Quare mihi non vis loqui? ego sum Franciscus, vide has manus & pedes: statímque mihi monstravit etiam latus, habebat enim in ea parte vestem apertam. Dixit mihi, cur in ipsius domo, non peterem eleemosynam, multúmque instiit, ut, tanquam mendica, peterem frustum panis, & scutellam ejus jusculi, quod daret pauperibus. Dum ego reluctarer, dicendo, me nihil unquam ab ullo petere, Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui aderat cum Sancto Patriarcha, me jussit obtemperare Sancto, & facere, quod dicebat. Deinde gloriosus Sanctus Franciscus dixit, ut in ipsius festo adessem convivio, quod Deus esset instructurus omnibus Patriarchis Religionum, & Sanctis, qui ejus sunt canonizati, ubi essent ministratum, ipse, & Sanctus Bonaventura, atque Sanctus Ludovicus Rex Galliæ, & Sanctus Frater Juniperus. Acceptavi invitationem, & rogavi illum, ut mihi dignaretur indigere, quò mecum adducerem alios, designando meos Confessarios, & Maricam, quæ erat una inter meas socias, ac unam Monialem, magnam Dei servam, amicam meam. Sanctus libentissimè huic petitioni præbuit assensum, dixitque mihi, ut secum pergerem: ostensurum enim se mihi loca montis, quo ipse vivens se frequenter recipiebat ad orandum. Nihil igitur

ire, & rogavi illum, nè mihi id vellet præcipere, quod fecit.

Advenit postea ejusdem festum, quod incidit in diem Sabbathi, & cùm me Sanctus invitaret ad convivium, sicut dixerat, isti mei Domini me duxerunt ad cœlestẽ Jerosolymam. Hîc vidi gloriosum Sanctũ Franciscum procedentem à throno ipsius-met Dei, tam formosum & resplendentem, ut videretur esse incarnatus Seraphinus. Vehebatur pulcherrimo curru, & plenus gloriâ, brachijs extensis, comitante ipsum infinitâ multitudine Angelorum, & beatarum Animarum, adeò sonorè ac divinè concinentium, ut genuinè repræsentarent gaudia cœlestia. Circumiverunt cœlum, quasi procedentes ab Oriente, & progressuri usque ad Occidentem. Ego eram velut absorpta ac attonita, quòd viderem tam magnam gloriam, & postquam ita fui consopita somno quodam quasi naturali, vidi denuò in eodem cœlo, gloriosum Sanctum Franciscum in suo habitu, flexis genibus rogantem omnes Patriarchas Ordinum Religiosorum, & ipsorum Sanctos canonizatos, ut venirent ad convivium. Vidi quoque progredientes omnes Patriarchas Religionum binos, inter quos notavi, quòd irent associati S. Benedictus, & S. Bernardus; S. Dominicus, & S. Ignatius de Loyola, ut videantur speciali sibi esse amore juncti in cœlo. Veniebat ibi etiam S. Teresia de JESU cum alio, quem non novi. Atque in hunc modum procedebant reliqui Patriarchæ, & cum ipsis alij in album Sanctorum à militante Ecclesia relati, ex illorum Religionibus.

Angeli celerrimè instruxerunt mensas, elegantissimis stratas mappis, omnísque earundem apparatus erat supra modum pulcher & pretiosus. Sancti assederunt illi mensæ, in cujus capite accumbebat Deus Triunus. Non vidi tunc Majestatẽ Christi Domini nostri. Cœperunt adferri fercula cibi cujusdam candidissimi, & quamvis viderim, nihil minùs esse quàm butyrum, apparebat tamen in patinis butyrum albissimum & recentissimum, atque consperſum pulveribus, qui videbantur esse aurea granula. Ministrabant ij quatuór, de quibus mihi Sanctus Patriarcha dixerat, & ach convivium perageretur in terra, vestésque essent impedimento, in obeundo velociter ministerio mensæ, gloriosus Sanctus Franciscus habebat reflexas habitûs manicas. In uno latere mensæ erant complures Angeli, qui distruebant cibos, ac disponebant, & ordinabant patinas. Convivæ assidentes mensæ manducabant, monstrando indicia ingentis gaudij, & gratitudinis, attollendo oculos ad Deum, gratiásque ipsi agendo, velut in significationem grati animi, ob quodpiam beneficium. Ego accumbebam quidem mensæ, sed valde solicita ac attenta, ut viderem, an aliquid daretur meis Confessarijs, & meæ sociæ, atq; Moniali amicæ (videbam enim hinc meos Confessarios, quanquam aliquantùm remotos, & provolutos in genua; inde verò amicam & sociam) ac adverti illis nihil dari: mihi quoque dabatur valde parum ex eo, quod sumebam. Interea Angeli exhilarabant convivas musicâ, & postquam appositi fuerunt cibi, vidi, quòd JESUS Christus Dominus noster, qui sedebat in altera parte, è regione capitis mensæ, assurgeret, irétque eò, ubi erant mei Confessarij, quódque ipsis S. Franciscus imposuerit stolas, & Dominus porrexerit quædam velut poma pulcherrima, quod fuit illius ferculum: ac deinde conversus ad fœminas, suá singulas signavit cruce in capite. Eram contenta, quòd viderem fieri participes convivij: atque interim audiendo illam musicam, & spectando hilaritatem eorum cœlestium convivarum, sum passa profundam ecstasim, ex qua mihi reddita me reperi in meo angulo, cum his meis Dominis Angelis.

Postea iterum vidi Dominum, qui mihi exposuit significationem illius mystici convivij, dicendo, eos cibos esse symbolũ specialis cognitionis, quam illi Sancti haberent de gratijs, donis, & prærogativis à se collatis glorioso Sancto Francisco, ex qua ipsis gloria accresceret accidentalis, Deo autem gratiarum actiones ac laudes. Dixit mihi præterea, Angelos, qui distribuebant cibos, esse præsides & custodes Religionum, quarum Patriarchæ adfue-

runt coovivio. Interrogavi Ejus Majestatem, quomodo mihi tam modicum obtigerit cibi, qui dispensabatur, & quid mei Confessarij ac sociæ, ex munere, quod ipsis largitus erat, perceperint, quandoquidem id non adverterent. Ad primum respondit, tantum mihi pro statu præsenti, & quamdiu dego in vita mortali, sufficere. Ad alterum, quòd, sicut infantes, dum aluntur suatum matrum uberibus, quamvis multum boni percipiant, & inde vivant, id tamen non agnoscunt; ita, licet mei Confessarij & sociæ non cognoviss munus, animabus tamen ipsorum sint impressa dona, per eum cibum significata, quæ illis plurimùm prodessent. Deus sit benedictus. Amen.

*Fortassis idcircò fuit adhibita mensa cum Patriarchis Religionum, quòd reformaverit Ordinem S. Birgittæ, quem, cum optimo fundamento, sperare possumus, Divinâ favente gratiâ dilatandum per totam Hispaniam, ac perventurum ad longiùs dissitas Provincias.*

# CAPUT XXXI.

## Admiranda, quæ illi evenerunt cum Seraphico Patre.

*Quod sequitur, accidit decimâ septimâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo septimo, & describitur ab ea his verbis.*

Feriâ sextâ, die decimâ septimâ hujus, agens cum Deo, vidi gloriosum Patrem Sanctum Franciscum. Erat dies, quo celebratur festum ipsius stigmatum. Habebat Sanctus vestem pauperrimam & angustam, quali utebatur in mundo; erat tamen gloriosus Patriarcha plenus gloriâ, & exhibebat sua vulnera in manibus, & pedibus, ac latere. Salutavit me, & cum sanctissima quadam simplicitate mihi dixit, extendendo brachium: Soror, veni mecum. Ego repugnavi vehementer, dicendo: Sancte Pater, non possum ire, nisi mihi Deus det facultatem, & cunctabar. Dominus visâ meâ renitentiâ dixit: Anima, bene potes pergere cum Francisco, quò te ducet. Quapropter concepi nonnihil animi, & Sanctus mihi dixit: Volo te ducere ad altitudinem, quâ non reperitur major in terra, ad quam fui à Deo ductus, dum viverem in carne mortali, & ibi ostendam tibi, quod mihi tum DEUS manifestavit. Nihilominus eram quasi perplexa, eundúmne mihi esset cum Sancto. Interea ad me accesserunt mei Domini Angeli, & dixerunt mihi: Veni Anima, nos enim te comitabimur. Sanctus apprehendit meum brachium, & duxit me ad grandem montem, ubi erant altissimæ arbores, inque collocavit super ipsas omnes in aere, acri dixit: huc me Deus elevavit, & ostendit mihi viventi cœlestem gloriam, ac beatitudinem. Aspice Anima. Aspexi, & vidi gloriam Dei, atque Sanctorum ejusdem Majestati assistentium: vidi verò id eo modo, quo aliàs frequenter videram. Et quâvis fuerint multa ac admirabilia, videbantur mihi tamen, neque aliter se res habet, fuisse à Deo, alijs occasionibus, longè ista admirabiliora ostensa.

His visis fui ducta ad meum angulum, venítque Sanctus mecum, ac dixit: Scias Soror, & creatura Dei, verum esse quod existimas, multò majores tibi esse à Deo præstitas gratias, per vitæ tuæ decursum, quàm mihi præstiterit, eo spectato, quod obtinui illâ tantùm vice, & in eo eventu, quem tibi nunc manifestavi. Noveris nihilominus, cùm homines non percipiant spiritualia, nec ea æstiment, sed hæc solummodo exteriora, quòd idcirco Divina Majestas, dum servos suos ad magna Ecclesiæ bona conferenda destinat, ipsis conciliet æstimationem, concedátque gratias extraordinarias & exteriores, ut ab hominibus, propter id, quod vident, æstimentur, & magni fiant, atque ita ea suscipiatur, & magni fiant, atque ita ea suscipiatur, quæ illos docuerint, & ipsis prædicaverint. Unde, quia eram fundaturus tam sanctum

sanctum Ordinem, voluit me Divina Majestas reddere æstimabilem, dando mihi extraordinariam & singularem paupertatem, elevando me in aërem, & imprimendo mihi stigmata. Alijs Sanctis alias contulit gratias externas, in hunc finem: omnes tamen gratiæ, quas nobis omnibus est elargitus, adeò ab invicem differentes, edunt in cœlo quandam velut musicam svavissimam Divinis auribus, & miram harmoniam, perquàm jucundam Beatis in ea cœlesti Aula Dei nostri existentibus.

Quando mihi Sanctus Patriarcha jam volebat valedicere, dixi illi: Ergóne benedicte Sancte nihil habes, quod mihi dones, priusquam abeas. Non habeo, respondit gratiosè Sanctus, sum enim pauper, nónne id vides? Tum se composuit ad orationem abstractissimus, sicut dum hic altissimâ abtripimur contemplatione, elevatis oculis ad cœlum. Cœpit subitò elevari in aërem, detegendo stigmata pedum; volui accedere ad Sanctum, ut ea osculer, sed retraxit pedes, ascendendo altiùs, ita ut illos non potuerim attingere. Eodem momento prosilierunt ex vulneribus sacrorũ eorum pedum magna duo effluvia sangvinis, quæ decidentia super meum caput, bene illud madefecerunt, unáque oculos & pectus. Mox Sanctus se tam altè sustulit, ut ipsum ultrà non conspexerim. Notabile est, quòd, dum mihi primùm Sanctus loqui voluit, post illum viderim quosdam dæmones, qui eundem, Deo permittente, volebant impedire, nè mecum ageret, adeò ut, quando illos Sanctus advertit adesse, ediderit gestum, acsi percelleretur. Sed parvus quidam Religiosus ex ipsius Ordine, qui adstabat Sancto Patri, illos est insecutus, & abegit.

Postea sequenti feriâ quartâ, vigesimâ secundâ ejusdem mensis, dum orarem, rursus conspexi hunc Sanctum Patriarcham, qui me, Deo disponente, duxit ad quædam loca, in quibus ipse solitus erat orationi vacare, dum viveret. Exhibuit se mihi ibi spectandum abreptum in ecstasim supra arcuatam crucem, quatuor habentem brachia æqualia, quæ videbantur universum complecti mundum. Sanctus erat in ea crucis parte, ubi velut in centro illius brachia jungebantur. Ibi vidi, quæ Sanctus videre consveverat, quando elevabatur in eas ecstases. Vidi præterea ascendentes ac descendentes per illa quatuor brachia crucis Angelos cœlestes, & multas animas, quæ hic in terra nunc existimantur plurimùm esse addictæ rebus spiritualibus, quarum aliquas agnovi. Quædam ascendebant per brachia crucis, & quia non procedebant viâ rectâ, ruebant, & non perveniebant ad cœlum. Nonnulli ideo, quia non erant bono præditi spiritu, erat namq; spiritus ipsorum proprius, eò quòd sequerentur propriam opinionem & judicium; alij, quia spiritus illorum erat spiritus diaboli, à quo illudebantur, aliquantùm ascendebant, & subitò decidebant. Deinde mihi Sanctus ostendit infernum, dicendo: Vide Anima, quid illic agatur, quidq; ibi toleretur, & quale ij infelices retulerint lucrum ex suis peccatis. Post hoc me Sanctus duxit ad cœlestem Jerosolymam, ibique stitit Beatissimæ Trinitati, dicendo: Deus & Domine mi, hîc tibi fisto hanc tuam creaturam, & rogo te, ut, cùm ego illam sangvine meo signaverim, tanquam meam oviculam, mihi ipsam dones pro mea Religione: indigeo enim ipsius operâ, ut in ea plantet suum spiritum, & fervorem orationis. Intentio Sancti erat, ut assumerem ipsius habitum, & fierem Monialis in sancto ejusdem Ordine. Hoc ipso tempore conspexi duos Patriarchas, S. Ignatium de Loyola, & S. Dominicum, qui comparuerant coram Majestate Domini Dei nostri. Non audivi ab ipsis ullum proferri verbum, tantùm vidi, quòd adessent silentes. Postulato S. Francisci tum respondit Dominus, dicendo: Ista creatura est lacte Ignatij educata, qui in eam jus habet; etiámque magnum est jus Dominici, atq; si hi duo eo carerent, non deesset Benedicto: omnibus verò tribus plus competit juris, ad ipsam petendam, quàm Francisco. Seraphicus Pater allegabat quasdam pro se rationes, verùm Dominus tulit sententiam in favorem aliorum, qui tacebant. Ego videbam & audiebam, quod agebatur, ideóque metuebam ac verecundabar, agnoscens

gnoscens meam vilitatem, adeò ut affligerer, viderérque mihi disrumpenda. Vehementer timui, & petivi à Deo lumen, nè paterer illusionem. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Anima, quid times? cur affligeris? quis te condemnat? Ego non, neque tui Confessarij. Quare igitur tantopere metuis? Quid ego scio, mi Domine, respondi, an à meis Confessarijs intelligar, vel an ipsos ego decipiam? Non est cur dubites, dixit Dominus: tu illis candidè, & optando, ut bene procedas, aperis veritatem; atque ipsi te intelligunt, & agunt prudenter, noli timere. Istâ communicatione finitâ, me reperi in meo angulo. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Cùm Beati in quovis negotio, quod aggrediuntur, nihil quærant aliud, quàm quod censent, cedere posse ad majorem Dei gloriam, quando illis constat, de expressa ipsius voluntate, suavissimè se ejusdem subjiciunt beneplacito, aquè gaudentes, si, quod petebant, non fiat, ac si desiderata obtinuissent. Hinc est, quod Seraphicus Patriarcha S. Franciscus faventem sese exhibuerit negotijs hujus Virginis, eorúmque curam gesserit, etiam postquam illam Deus Ordini ipsius negavit. Id apparebit ex eventu nunc referendo, qui est mirabilis, meretúrque, ob multas circumstantias omnem attentionem. Accidit anno sexcentesimo vigesimo nono, quartâ Octobris, & fusiùs alijs ab ipsa describitur hunc in modum.*

Die glorioſi S. Franciſci, dum, in mea oratione cum Deo agens, penitus nihil cogitarem de miſericordia, quam mihi Divina Majeſtas erat exhibitura, conſpexi coram me Sanctum Patriarcham ſua oſtendentem vulnera in manibus, pedibus, & latere, qui me vultu hilari, & perquâ amanter Dei nomine ſalutans, poſtea addidit: Anima, venio ad te nomine Dei, oportet enim te ad cœleſtem mecum proficiſci Jeroſolymam, ita namque jubet Deus. Ego exhibui Sancto honorem, verùm refugiens hunc abitum reſpondi: Benedicte Sancte, non poſſum ullatenus facere, quod mihi dicis; idq; ideo, quòd ipſum attentè conſideraverim, viderímque in tali ſpecie, ut revera appareret eſſe Religioſus vivens, & homo, quaſi degeret in hac vita mortali. Quamvìs autem mentem converterem ad cognitionem ſublimiſſimarum ipſius virtutum, & Angelici ſpiritûs, atque eximiæ gloriæ, quam ſancta ejuſdem anima poſſidebat; mea nihilominus naturalis verecundia, etiam in hujuſmodi occaſionibus ſuas agere ſolet partes, ut tota reddar velut perplexa & pudibunda. Sanctus agnoſcens meam difficultatem, quam demonſtrabam, me rurſum eſt aggreſſus, dicendo: Creatura Dei, conſidera me attentè, & deprehendes me eſſe purum ſpiritum: hæc enim exteriora, quæ vides, non ſunt aliud, quàm ſpecies apparens mei corporis, & reſtitûs. Videbar mihi his verbis aliquantò magìs acquieſcere, in mea perplexitate; nihilominus aſpiciebam quaquaverſum, quaſi quærerem aliquem mihi familiarem notum. Interea conſpexi duos, qui fuerant mei Confeſſarij, in propria ipſorum veſte, quod mihi magno fuit ſolatio. Iſtuiti me ſunt amantiſſimè, & velut ſubridendo mihi dixerunt: Anima, quid tibi eſt? obtempera divino mandato, & perge cum hoc Sancto Patriarcha, atque multis his Angelis, qui cum illo advenerunt: nos enim, & illi Sancti Angeli, qui tibi communè aſſiſtunt, etiam te comitabimur.

Ita me ſubmiſi, & præbito aſſenſu, ſub ducta ab illo glorioſo Patriarcha, cum comitatu prædictorum duorum meorum Confeſſariorum, qui mihi proximi ibant, & illius multitudinis Angelorum, ad cœleſtem Jeroſolymam, ubi cœlis apertis, & comparentibus multis Sanctis ex Ordine Seraphici Patris, fuit ab iſdem ſumma cum reverentia & amore exceptus. Hoc modo ſumus ingreſſi illam ſupernam civitatem, ubi Sanctus meam animam præſentavit Sanctiſſimæ Trinitati, quem vidi collocari in quadam immenſa altitudine, & mille ſolibus ſplendidiore, adeò ut, licet cæteri ex ipſius Ordine Sancti ſinguli lucerent inſtar Solis, lux tamen & ſplendor Patriarchæ tantus fuerit, ut tanquam præcedens à Superiore, videretur aliquomodo obtegere ſplendores ſanctorum ejus filiorum. Dum contemplarer hujus Sancti Patris gloriam, ſummopere ſtupebam, dicebámque illi, quod ſæpe iterabam. Bea-

Benedicte Sancte, profectò jure meritissimo appellaris Seraphicus, cùm tam insignem possideas gloriam. Tum Sanctus me prostravit coram Divino conspectu, & Dominus me suscepit valde amanter atq; benignè, dicendo: Bene veneris Anima, bene huc veneris. Nónne tibi multùm placuit gloria, quam possidet meus servus Franciscus? nónne te magno affecit solatio? Rapuit me certè in admirationem, ajebam ego: sis in æternum benedictus; atque hoc dicendo fui arctè unita eidem magno Deo, ex qua unione me Divina Majestas duxit, ac sustulit ad immensam amplitudinem sui Divini Esse, totam ab ipsomet Deo, & divina quadam caligine circumdatam. Nam, dum considerarem & cognoscerem infinitas perfectiones mei Dei, videbar mihi quodammodo nihil eorum videre, quæ in ea immensitate sunt visibilia & cognoscibilia, quam comprehere, seu complecti non poterat mea exigua & limitata capacitas.

Dum ità essem constituta, & nescirem, quomodo foret possibile per ullam figuram, seu similitudinem declarare, aut exponere, cujusmodi esset, qualitérque se haberet ea magnificentia, & illa altissima mysteria, dixi Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, per temetipsum te obsecro, ostende te manifestiùs & clariùs, ut de tua magnitudine aliquid dicere possim. Quando id dicebam, Dominus Majestatis patefecit quoddam velut fulgur suæ gloriæ; & eo momento vidi tales Divinæ Essentiæ perfectiones, ut, quia mea anima, tanquam unita naturæ, non valebat tantam sustinere lucem, tota contremuerim, & vehementer fuerim lamentata. Nihilominus ex impetuoso affectu videndi mei Dei, ut quidpiam possem explicare, atque ipse amaretur, & honoraretur ab omnibus, iterum illi dixi: Mi Deus, & mi Domine, ostende te mihi denuò, ac diutiùs, & apertiùs. Anima, dixit tum Dominus, nemo me videre potest, & vivere. Rursus tamen ob illud vehementissimum desiderium institi, dicendo: Mi Domine, quantumvis cor disrumpatur, noli id curare. Dominus Majestatis videns meum affectum, immersit me intra immensum mare sui Divini Esse, ubi ità fui absorpta & perdita, ut non reperirem, ubi figerem pedem, tantúmque dicerem: Ampliùs est quàm hoc, ampliùs est, & multò ampliùs. Dum sic velut submergerer, debilis natura cœpit magis ac magis timere, nè deficeret: partem autem superiorem, quæ erat submersa, & neque regredi poterat, eò quòd hæreret in profundo, neque progredi, quia profunditas augebatur, Deus ibi sustentabat. Tum vidi clarissimam lucem immensi & divini splendoris, quam mea, ignorans quomodo rem tam admirabilem appellaret, vocavit lucem inaccessibilem. Eadem Divina lux abripuit meam animam, uniendo ipsam sibi, tantáq; vi in se transformando, ut me in ea, & in meo Deo perdiderim, nihil de me sciens, ac magnâ fuerim fruita quiete.

His distinebar, quando, Deo disponente, vidi venientem glorioſum S. Franciscum, & specialiter à Deo illuminata intellexi, ipsum adesse, ut me reduceret ad meum angellum, unde me abduxerat: quia verò ego felicissimè adhærebam meo Deo, ut mihi viderer non posse ab ipso separari, incepi celeriter dicere: Cur venis benedicte Sancte, quid vis, quare huc venis? revertere ad tuum locum glorioſe Sancte, quem optimum obtines, & relinque me in meo Deo; revetere benedicte Sancte. Verùm magnus Patriarcha, tametsi hos meæ animæ affectus agnosceret, magis nihilominus expendebat meam necessitatem, & nè deficeret natura, quàm meum fervorem. Idcirco dissimulando à se audiri, quæ dicebam, & nihil mihi respondendo, contulit se ad Majestatem Domini Dei nostri, & prostratus in Divino ejusdem conspectu, dixit: Domine Majestatis, liceat mihi per Te, ut ipsam reducam, unde à me fuit abducta, nè natura ob adeò sublimem ascensum deficiat, & propter intimam unionem atque transformationem in Te. Dominus audivit, quod dicebatur à Sancto, & respondit illi: Bene, Franciscе, bene dicis: sed illa creatura taliter non facilè revertetur ad suum locum. Et conversus ad me, dixit mihi benignissimè atque amantissimè: Anima, vísne re-

verti ad tuum angellum, quò abducenda es ab hoc Sancto, qui te isthuc adduxit? Ego præ illa aviditate, & ingenti affectu, quo tenebar, ut permanerem apud meum Dominum, & nunquam ab eo recederem, quanquam prompta obsequi Divinæ ipsius voluntati, dixi: Nequaquam, Domine, nequaquam; non oportet me unquam à te separari, neque hac de re loquendum est. Dum magnus iste Deus videret affectum, quem ipsemet in me excitabat, eodem amore, & affabilitate, quâ priùs, rursum instituit: Si autem ego ipse tecum ivero, téque duxero, & ad finem usque tecum mansero, nónne voles reverti? Videbar quidem mihi paratissima ad exequendam voluntatem tam benigni Domini, atque tamen me non potui continere, quin illi responderem, dicendo: Mi Deus, & mi Domine, tu per bonitatem tuam, & misericordiam, semper tuis ades creaturis, & mihi, exhibendo mihi tantas gratias, prout scis; idémque etiam nunc spero à tua misericordia: verùm optimè mihi est in Te, & in hoc loco, quia in exilio vehementer metuo, nè à me offendaris: potiùs namq; vellem perdere cœlestem gloriam, quàm Te vel in minimo offendere. Bene est, Anima, dixit Dominus: attamen securam te reddo, quòd tibi nunc specialiter sim adfuturus, ac adstiturus. Fiat itaque, mi Deus, respondi tum ego, & sis benedictus.

Postquam hoc dixi, Dominus Majestatis, cooperiendo se quodam veluti tentorio gloriæ & splendorum, comitantibus ipsum innumeris Angelis, & Sancto Francisco, duobúsque meis Confessarijs, me tulit in semetipso, & posuit in meo angello, ità ut propè non adverterem descensum, donec ad me reversa ex ea ecstasi, me ibi reperi. Reddita mihi vidi, abeunte Domino, illic remansisse gloriosum Sanctũ Franciscum, cum illis duobus Sanctis meis Confessarijs. Cùm autem aspicerem Sanctum Patriarcham, vidi prodeuntes ex ipsius manibus, pedibus, & latere quosdam radios splendoris, velut aurei ignis, qui dum quasi indicarent, quòd tenderent ad meos pedes, manus, & latus, cœpi timere ac recedere, optando, nè cuspides illorum radiorum ad me pertingerent. Sic aliquamdiu reluctabar, & postea vidi, quòd mirabilis quædam manus (quæ mihi videbatur esse manus JESU Christi Domini nostri, quanquam id à me adverti non ostenderim) apprehensis eorum radiorum cuspidibus, iisdem attigerit quinque prædictas partes mei corporis, & dicebatur mihi: Hac ratione accipe mysticè virtutem meæ Passionis, sicut illam communicavi Francisco. Simul ac Dominus hanc misericordiam præstitit meæ animæ, subduxit se meo aspectui, & non vidi ampliùs radios Sancti, licèt viderim sacra ipsius vulnera.

S. Patriarcha mihi significavit, se velle abire, cœpíque mihi valedicere, & ego tum illi dixi: Benedicte Sancte, fac mihi gratiã, postquam tot mihi modis es gratificatus, ut nõ discedas, quin me consoleris, dando mihi aliquid sanctâ tuâ manu. Sit ita, dixit Sanctus: & cùm aspiceret Angelos, ibi præsentes, qui illũ intelligebant, in momento, & miro modo collegerunt totum devotionis apparatum, quem habebam, ut corollas precatorias, cruces, numismata, Agnos Dei, imagines, reliquiaria, & picturas; illatímque accessit Sanctus, & omnia, ac singula seorsim mysticè attigit suis manibus, atq; vulneribus, & impertiendo illis suam sanctam benedictionem dixit, se Dei nomine, & lex Divino ipsius mandato cuilibet, qui aliquid ex prædictis habuerit, ac devotè gestaverit, omnia concedere privilegia, quæ Deus alijs occasionibus concesserat hujusmodi rebus ad me allatis, meísque propriis, & quidem cum magno auctario, ac specialibus favoribus. Hoc peracto Sanctus mihi admodum benignè & affabiliter valedixit, ac abivit. Remanserunt ibi duo illi Sancti, quos dixi fuisse meos Confessarios, colloquentes, & conferentes de statu meæ animæ; de vijs, quibus me Deus diversis temporibus duxerat, de ijs quæ fueram passa; déq; misericordijs & gratijs mihi à Divina Majestate præbitis, & quomodo ego illis bene fuerim usa atq; ista omnia admirantes, præbitis iisdem cijs sancti gaudij, conversi ad me, dixerunt mihi: Vale Anima, & Deus tuus sit tecum, cui magnas redde gratias, pro misericor-

dijs

dijs tibi exhibitis. Postquam ipsi hæc verba dixerunt, ego sum passa ecstasim, & perdidi eos ex oculis: atque deinde ad me reversa, non cessabam agere Deo gratias, pro operibus ipsius & misericordijs. Sit in æternum benedictus. Amen.

*In revelatione hic relata, de modo, quo famula Dei Domina Marina de Escobar vidit corpus Seraphici Patris Sancti Francisci, est animad-vertendū, eam esse conformem alijs duabus, quæ habentur in primo tomo. Atque judicio Reverendissimi Patris Generalis Fratris Francisci Mariæ Rini de Policio, ac aliorum gravissimorum virorum ejusdem Ordinis, est conformissima veritati: & id ipsum attestantur scripto, quod in nostris est manibus.*

# CAPUT XXXII.

## Gratiæ, quas est consecuta à magno Ecclesiæ Doctore, Sancto Bonaventura.

*FEcerunt quoq; singulares gratiæ, quas imitando suum gloriosum Patriarcham S. Franciscum, beatus ejusdem filius, magnus Doctor Sanctus Bonaventura, fortunatæ huic Virgini præstitit. Ex quibus hoc loco quasdam colligemus, juxta ordinem annorum, quibus evenerunt. Inter alia igitur, quæ refert mense Julio, anno sexcentesimo vigesimo quinto, ita ait.*

Die S. Bonaventuræ, dum in meis consvetis exercitijs cum Deo versarer, visitavit me Sanctus Doctor, quem comitabantur Sancti ex sacro ipsius Ordine. Hi erant nudipedes, qui in sua Religione despicabilia obiverunt officia, atque humillimi: omnes gerebant suum sacrum amictum lineum, & Sanctus Doctor ipsos sequebatur indutus habitu Sacerdotali, ferens in manu calicem coopertum. Dum ingrederetur meum cubiculum, prodijt illi obviam Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui apud me erat, cum alijs duobus Sanctis sui Ordinis. Sanctus Pater Ludovicus accessit ad latus Sancti Bonaventuræ, & uterque veniebat ad meum pauperem lectum, in quo tot annis ægrota decumbo. In spatio intermedio se ingerebat quoddam obstaculum inter pedes Sancti, & non sinebat ipsum mihi appropinquare. Tunc Sanctus Pater Ludovicus, quasi dissimulanter, & cum magna gravitate, removit pede illud impedimentum: erat autem diabolus, qui ibi repebat in specie bufonis, unde subitò descendit in infernum, ac disparuit. Sanctus Doctor accessit, & collocavit calicem in mystico altari, quod mei Domini Angeli præparaverant, exemptámque inde hostiam mihi porrexit. Ista communio fuit, meo judicio, tantùm spiritualis. Dedit mihi suam benedictionem, & valedicens abivit, sicut venerat. Deus sit benedictus. Amen.

*In alia charta, quæ ex numero appositi, spectare videtur ad annum sexcentesimum vigesimum sextum, describit gratiam, quam ab hoc Doctore Seraphico obtinuit, his verbis.*

Agebam cum Deo, in summo meorum consvetorum affectuum fervore, & occupavit me devotio, ut recitarem vocaliter quandam orationem, pro communibus populi Christiani necessitatibus, atq; Canticum *Magnificat* ad Beatissimam Virginem, ut pro me intercederet. Dum ergo inciperem orare, vidi quasi eminus ad me venientem gloriosum Sanctum Bonaventuram. Ego (quod communiter in hujusmodi occasionibus facio, dum permittor) me sum conata abstrahere ab ea visione, & continuavi meas preces, quàm devotissimè poteram, petendo simul à Divina Majestate lumen, pro assequendis in rebus omnibus ipsius veritatibus, ac divinâ voluntate, si illi placeret, ut eâ vice animum applicarem illi mysterio, quod mihi ostendebatur. Interea ad me venit Sanctus, ubi eram, & salutavit me benevolentissimè,

dicendo: Dominus sit tecum, Anima, noli timere. Ego sum Bonaventura (*Felicitas*) & revera sum magnâ præditus felicitate, eò quòd semper fruar Deo, & assumpserim hunc sacrum habitum S. Francisci. Veni ad te nomine Dei, rogaturus, ut speciali affectu feraris erga meam sanctam Religionem, sicque illam Deo commendes. Ago tibi magnas gratias, quòd bene fueris addicta nostris humilibus Fratribus, animando ipsos ad virtutem, ac devotionem. Durante isto colloquio cum Sancto, intravit meus Confessarius, excepturus meam confessionem, & dicturus mihi Missam. Tunc Sanctus mihi: Anima, inquit, confer cum tuo Confessario tua, quamdiu aliàs consveristi, libenter enim te expectabo. Accessit meus Confessarius, sum confessa, atque diu cum eo sum locuta de occurrentibus materijs spiritualibus, nihil ipsi tum dicendo de Sancto, qui aderat. Post hoc meus Confessarius abivit ad Oratorium, ut celebraret Missam.

Deinde me Sanctus Bonaventura rursum est allocutus, dicendo: Anima, & creatura Dei, dic mihi, quænam sit causa tuorum timorum? quis te condemnat? quare es tibi ipsi contraria? Habes cor sanũ & purum, ac desideras, ut omnia peragas secundùm Divinas veritates, absque ullius alterius rei mixtura: quapropter quid times, quandoquidem tibi Deus tam magnas contulit gratias? Hoc dicebat Sanctus, & ego illum audiebam cum magna attentione, quando derepente prodivit aliunde quidam diabolus more suo gesticulando, technásque struendo, volens mihi ita celeriter persvadere (licèt ego illum subitò agnoverim) quòd ipse esset, & non alius, quem esse existimarem Sanctum Bonaventuram. Sed continuò adfuit Angelus Dei, quo illum terrefaciente, & velut simulante, quòd ipsum esset insecuturus, velocissimè aufugit diabolus vociferando, ac disparuit. Ego tum conversa ad Angelum, amanter quodammodo conquerens, ei dixi: Domine Angele, citiùs te oportuisset fecisse, quod nunc facis. Bene est, respondit Angelus, satis tempestivè feci, quod erat faciendum. Post hoc mihi dixit S. Doctor: Certè non miror, quòd diabolus te velit turbare, & reddere inquietam, sicut vidisti: quia tui timores sunt adeò exorbitantes, ut illi præbeatur aliqua occasio. Ista glorioſi Sancti verba audivi aliquantùm erubescendo, & respondi: Benedicte Sancte, Deus bene novit, non esse intentionem meam, aut desiderium, ut excedam in timore, sed me ideo metuere, quòd dum dego in vita mortali, sim in eo statu, ut possim decipi, ac decipere me ipsam, prout propter peccata nostra videmus accidere quibusdam alijs. Non decipietur, dixit Sanctus, qui verè noluerit decipi, & ex toto corde optat securè procedere. Ego sum Doctor Ecclesiæ, & modò non possum errare, crede mihi, quod tibi dico. Bene dicis, glorioſe Sancte, reposui: verùm quid ego scio, an noverim bene, & sicut oportet, exponere mea spiritualia, & quæ intra me peraguntur, meis Confessarijs; an verò quidpiam admisceatur occulti desiderij, rerum extraordinariarum, & gratiarum Divinarum, vel aliorum, quæ hujus sunt generis? Observa Anima, respondit Sanctus: Scias velim, te in statu, ad quem à Deo provecta es, & propter ingentium tuorum affectuum, ac desiderium profunditatem, etiamsi aliquid tale faceres, utì dicis, atque talia desiderares, nullatenus tamen culpabilem futuram: siquidè tua voluntas in hujusmodi rebus est conformis Divinæ. Sicut, si aliquis Rex haberet servum sibi valde familiarem, cum quo ageret, tanquam cum intimo amico, non foret vitium, aut factum reprehensibile, si hujusmodi servus christianè ac virtuosè optaret, ut sibi Rex suus Dominus præstaret aliquam gratiam, ad majus domûs sue, & facultatum incrementum: ita etiam, quemadmodum tibi jam dixi, illi animæ, quam Deus per suam misericordiam provehit ad eum statum, ad quem te provexit, nihil simile præjudicat, aut obest. Atque defectus, sese in tali anima naturaliter interdum admiscentes, cùm aliunde intentiones sua habet à Deo corroborata, nihil illa officiunt, seu nocent, imò sæpenumero quæ Dei est misericordia, dum sese ge-

gnoscet ac humiliabit, ad insigniores incitabunt virtutes.

Auscultabam, plurimùm animata, & magno affluens solatio, instructionē Sancti Doctoris, cúmque jam videretur velle abire, dixi illi humiliter: Glorioſe Sancte, noli discedere, quin mihi tuâ benedictâ manu aliquid largiaris. Et Sanctus jucundissimo, quanquam gravissimo, vultu mihi dixit: Ego, Anima, non habeo quod tibi dem: sum enim pauper, & dereliqui omnia, quando assumpsi hunc sanctum habitum. Benedicte Sancte, instabam ego, non peto à te aurum, vel argentum, aut lapides pretiosos, sed aliquid conducens ad profectum meæ animæ. Tum Sanctus Doctor svaviter, & cum cœlesti gratia: videbo, inquit, an quid piam habeam, quod tibi donem. Et imponens manum velut intra habitum, exemit pulcherrimam ac fulgentem stellam, quæ apparebat instar auri obrizi, & instar svavis ac lucentis ignis, adeò ut, licèt illam clausam teneret in manu, per digitos tamen pulcherrimos diffunderet radios; atque accedens ad me: Accipe, dixit, istud cimelium è mea manu; & applicando eandem stellam meo pectori, totam intromisit in meam animam, ut tota mihi videretur luce perfusa, & splendore. Dixit mihi præterea, me ab hoc thesauro denuò corroborandam, & illuminandam. Sic bene mihi precando, & præbendo osculandam suam sanctam manum, discessit, relinquens me magnopere animatam, plenámque solatio in meo Deo, qui ob suas misericordias sit millies benedictus. Amen.

*Excellentissimam doctrinam, se dignam, summique momenti, materias spirituales concernentem, nobis in præcedenti scripto exposuit suis sanctis verbis Seraphicus Doctor. Verùm longè efficacior est illa, quam suo exemplo exprimit in subsequente. Humilitas namque hujus Venerabilis Sancti, quam in se derivavit ex magno suo Patre S. Francisco, & quâ dubio procul in vita sua mortali rapuit in admirationem Angelos, non potuit deperdi, sed multò evadere pretiosior, & splendidiùs relucere in beatitudine. Id apparebit ex eventu, quem Virgo describit decimâ quartâ Julij anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, ubi sic ait.*

Die Sancti Bonaventuræ, cùm, habitâ facultate Domini Episcopi, diceretur Missa intra meum cubiculum, vidi ab illius initio glorioſum Sanctum, & cum ipso S. Benedictum, Sanctúmq; Ignatium de Loyola, qui ei aderant, considentes in quodam velut scamno habente reclinatorium, quanquam alterius esset materiæ, quàm hîc scamna esse consveverint. Erat enim varijs pictum coloribus, & cœlestibus coruscans splendoribus. Ego me abstrahebam, nè viderem Sanctos, & conabar diligentissimè attendere Sacrificio Missæ, quod peragebatur. Tum mihi Sanctus Pater Ludovicus de Ponte (qui me persæpe, utl multoties dixi, dignatur invisere ac instruere) innuebat, ut facerem, quod vellet Deus, & aspicerem, atque audirem illos Sanctos. Intuita sum illos, & observavi, à glorioso Sancto Bonaventura, inter eos tres, infimum occupari locum: quia verò maximi facio prærogativas hujus Sancti Doctoris, obstupui, & interrogavi Sanctū Patrem Ludovicum, cur ille Sanctus sederet ultimo loco; cùm fuerit tantus Magister, sítque Doctor Ecclesiæ. Pater Ludovicus mihi gravissimè respondit: Hæ sunt dispositiones Divinæ Sapientiæ.

Adfuit tempus consecrationis, & Sancti procubuerunt in genua, inclinantes sua capita quasi ad solum illius pavimenti, in quo erant, & in hoc situ permanserunt usque ad sumptionem Sacerdotis, ac meam communionem, deinde verò rursum sederunt usque ad finem Missæ. Eâ absolutâ glorioſus Sanctus Bonaventura se ad me convertit, & respondens dubio, quod habueram, mihi dixit: Quamvis fuerim, quē me dicis, quia me talem Deus effecit absq; meo merito, ex sua magna charitate, quid tamen ex me ipso habui, nisi quòd vilis fuerim vermiculus? Protulit & alia hujusmodi, demonstrando profundam humilitatem suæ sanctæ animæ, atque postea subjecit: Hi duo Sancti fuerunt duæ vites, ex quibus prodiverunt, & prodeunt tam copiosi fructus, ac filij, qui plurimùm Deo serviunt, & ejusdem Ecclesiæ. Unde pro-

pter gratiam, quâ illos Deus tantopere exaltavit, merentur tam honoratum locum. Ego fui palmes in vite mei Sancti Patris Francisci, ideóque noli mirari, ab his Sanctis prima occupari loca, & à me postremum. Mea anima cepit ex his verbis ingens exemplum & solatium, considerando amorem, quo Sancti se invicem prosequuntur, & exempla virtutum, quæ nobis præbent, etiam in statu beatitudinis. Benedictus sit DEUS, qui illos tales effecit. Amen.

*Anno sexcentesimo vigesimo nono, pariter decimâ quartâ Julij, ipsi Divina Majestas specialissimam contulit gratiam, per hunc Seraphicum Doctorem, quam his verbis recenset.*

Decimâ quartâ hujus, in ipsius festo, vidi gloriosum Doctorem S. Bonaventuram, qui mihi dixit: Anima, lætissimum tibi fero nuntium à Deo. Perculit me his verbis, & relicto Sancto, recurri ad Divinam Majestatem viâ ordinariâ, petendo lumen pro agnoscendis ejusdem veritatibus, quæ essent conformes ipsius spiritui. Dúmque me commendarem Deo, cogitavi unà, quale mihi nuntium Sanctus adferret, & venit mihi in mentem, an non fortasse, ut mihi diceret, advenisse terminum, quo migratura essem ex hoc exilio, id quod magnopere desiderabam, quamvis prompta exequi Divinam voluntatem. Interea ille mihi, Deo disponente, ut attentè auscultarem nuntium, quod mihi à Sancto adferebatur, dixit, fieri mihi à Deo gratiam, ut eligerem quatuordecim personas viventes, quas vellem, & duodecim animas purgatorij: quódque istis concessurus esset requiem, perducendo ipsas statim ad sui fruitionem; illis verò auxilia efficacia, ut infallibiliter salventur. Audivi nuntium, quo tantò ampliùs fui perturbata, quantò magis erat insolitum, & alienum à mea cogitatione. Nihilominus sic consternata, licèt mihi essem præsens, scirémque quid agerem, elegi quatuordecim personas viventes, atque inter animas purgatorij eas, quæ in majori essent constitutæ necessitate, & seriùs essent evasuræ ex illis pœnis, ob defectum suffragiorum.

Postea prosequens meam cum Deo communicationem, dicebam ipsi: Certè mi Deus, & mi Domine, quamvis per misericordiam & gratiam tuam agnoscam, ac æstimem beneficia, quæ mihi præstas, si tamen tibi placeret, gratiùs mihi accideret, si omnia, quæ mihi hujusce modi exhibes, reservares pro quopiam alio, qui eâ magis mereretur; mihi verò hoc tantummodò concederes, ut te semper amarem, tibíque servirem, & sanctissimam tuam exequerer voluntatem, in rebus magnis & parvis. Seponantur, mi Domine, omnes hæ gratiæ, atque ista mihi maneat, ut totâ animâ mei, & meis potentijs te amem, ut tibi serviam, placeámque perpetuò. Quandoquidem, præter alias rationes, mi Deus, videtur decere magnitudinem tuæ Majestatis, ut eam demittas, ad tales gratias præstandas vilitati tam abjectæ creaturæ. Tum Deus respondit: Noli mirari, tanta à me fieri animabus, quæ mihi constiterunt sanguine & vitâ, quásque magis amo, quàm possis percipere, & pro quibus, si opus foret, denuò sæpiùs mortem subirem. Quodsi capax essem tristitiæ & afflictionis, vehementissimè tristarer & affligerer, videndo ingratitudinem tam multarum animarum, quæ pro adeò manifestis beneficijs, tam enormes reddunt offensas. Id autem Dominus dixit, talem demonstrando dolorem, ut, quasi indigeret solatio, quemadmodum ego, ipsum cœperim consolari, eíque dicere: Cur verò, mi Domine, & dilecte animæ meæ, contristeris, qui es gaudium & solatium omnium creaturarum, propter tam vilem creaturam, quàm est homo? Quid refert, si omnes perdamur, ingruántque potiùs super nos pœnæ peccatorum nostrorum, quàm ut te ex afficiant, quæ ab hominibus sustinentur? Tu unicum es in cœlo gaudium innumerabilis multitudinis Principum, tibi ardentissimo amore, atq; promptissimâ obedientiâ servientium, & viles in terra degentes vermi te afficiant molestiâ? Non, Domine, non oportet ità fieri: verùm tu gloriosa fruere eâ, quam in temetipso habes, & relinque nos, quales sumus: sentiat flagella & mortem servus rebellis, tu autem summe me Rex vive, lætare, & fruere in æternum the-

thesauris tuæ infinitæ beatitudinis. Has ego proferebam simplicitates, ignorans quid dicerem, abrepta affectu ac dolore, quo me is cruciabat, quem Deus præ se tulit, ob hominum offensas. Siquidem enim tunc meæ animæ tam vivaciter repræsentabatur, quantùm magnus ille Rex, qui aderat, mereretur; ut illi omnes inservirent, nihil aliud consideravit. Cùm verò ipse, à quo mihi inditur, sciat, quàm ardens alioquin sit meum desiderium, nè ulla anima pereat, ideo mihi blando vultu respondit: Bene est, Anima, modò vale. Permansi in raptu, & quando ex eo redivi, totum illud mysterium cessaverat. Deus sit benedictus. Amen.

# CAPUT XXXIII.

## Quid illi Deus manifestaverit de gloria Sancti Patris nostri Ignatij, & quales ab hoc Patriarcha acceperit gratias.

*HOties ista Virgo fusissimè disserit in prima parte hujus historiæ (idémque non rarò ab ipsa fieri vidimus, & deinceps videbimus in hac secunda) de prærogativis S. Patris nostri Ignatij, à se cognitis, déque beneficijs, quæ per hunc Patriarcham obtinuit à Deo, ut de solo hoc argumento non exiguus seorsim posset scribi liber. Neque est mirum, cùm magnus Deus noster voluerit, ut, quantumvis alij Sanctissimi Patriarchæ multis hanc ipsius Sponsam cumularent gratijs, solus tamen Sanctus Ignatius specialis ejusdem esset Pater. Iste eam sui spiritûs lacte educavit (quod illa ipsiusmet DEI verbis refert capite trigesimo primo) ideóque nunquam videbimus, ab alijs Patriarchis aliter appellatam fuisse, quàm sororem, quando interim solus Sanctus Pater noster ipsi etiam gratiosissimum Filiæ titulum attribuit. Hinc is processit affectus, quo illa Deo, & alijs Sanctis res Societatis commendabat, tanquam suas, quódque propter illius persecutiones afflicta fuerit, acsi ipsam penitissimè concernerent. De quibus omnibus adferam in isto capite breves aliquas ipsius annotationes, cæteris reservatis, ubi convenientior pro ijs fuerit locus. In scripto quodam anni sexcentesimi vigesimi quarti sic ait.*

Die Sancti Ignatij mihi ordinario modo cum Deo agenti, sicut plerumque soleo, ostendit Divina Majestas magnitudinem gloriæ, quâ erat præditus glorioſissimus iste Pater, fuitque visio hujusmodi. Vidi hinc in cœlo columnam fortissimam & lucidissimam, quæ, dum videretur esse efformata ex pura crystallo, & auro obryzo, tota coruscabat quibusdam divini ignis, & superni luminis radijs. In ista columna erat anima Sancti Patriarchæ magnâ perfruens gloria, quam ipsi Deus, in cujus versabatur conspectu, communicabat. Tam pulchrum spectaculum me rapuit in admirationem, adeóque reddidit attonitam, ut non potuerim attendere Sacrificio Missæ, quod peragebatur in nostro Oratorio, tametsi vehementer conarer.

Postquam mea anima aliquamdiu taliter fuisset constituta, spectando hoc mysterium, quod illi Deus ipsius exhibebat, atque modicùm ex eo raptu ad se redivisset, denuò mihi Deus ostendit eundem Sanctum in alia specie, quæ talis fuit. Vidit illum mea anima sedentem in glorioso throno, indutum veste clericali, quâ utitur ejusdem Religio. Totus erat glorioſissimus & splendidissimus; habebat in suo pectore effortmatum nomen JESU, circumdatum luce, & pulcherrimis radijs; assistebat illi Sanctus Franciscus Xaverius, & utrinque stabant serie geminatâ Religiosi ex ipsius Societate, quàm convenientissimè & venustissimè dispositi, tanquam in optimè coordinata supplicatione. Omnes hi Sancti sic stantes suum gerebant clericalem habitum, & super hunc instar nivis candidum amiculum lineum; Sacerdotes verò, pro suæ dignitatis insigni, stolas in collo splendidissimas. Vidi deinde eadem decentiâ & modestiâ prodeuntes binos ex ijs Sanctis, singulos è quavis serie, unáque accedentes ad suum Sanctum Patrem

trem Ignatium, & seſe magna cum reverentia prosternentes, atque ab eo petentes sanctam ejusdem benedictionem. Sanctus illam ipsis hilari vultu, & singularem demonstrando charitatem impertiebatur, posteáque eosdem, brachijs collo injectis, tenerrimo amore amplexabatur. Hoc ordine omnes accesserunt, revertentibus singulis ad suum locum: & fuit mihi significatum, locis vicinioribus Sancto denotari majora merita, majorémque personarum authoritatem. Dum ista admirarer, notavi, quòd totum illud sacrum Collegium, acceptâ Sancti benedictione, redditum fuerit illustrius & glorioſius, indicando ac demonstrando magna spiritualium bonorum incrementa, quæ ipsorum animæ, degentes in hac mortali vita, obtinuerunt, eo quòd sint ingressi in sacram Religionem, & secuti institutum Sancti Ignatij. Obvenerunt illis profectò, per hanc misericordiam, ipsis à Deo præstitam, admittente eos ad Societatem, magna gloriæ incrementa, quapropter tunc omnes laudabant Deum.

Hoc tempore vidi advenientes glorioſos Patriarchas S. Dominicum & S. Franciſcum, quemque cum multis Sanctis sui Ordinis: & cùm appropinquaviſſent Sancto Ignatio, séque jucundiſſimo ac devotiſſimo vultu fuiſſent intuiti, & mutuum sibi exhibuiſſent honorem, S. Dominicus aſſumpsit, ex divino beneplacito, partes honorandi ac laudandi S. Ignatij, atque ferventi spiritu, sibi infuso à Deo ità id diſponente, dixit: O beate & glorioſe Sancte Ignati, benedictus sit in æternum Dominus Deus noſter, propter gratias, beneficia, & misericordias, quibus ab ipso donatus fuiſti, & perpetuò frueris in hac Dei æternitate, quemadmodum fruiturus es præmio & gloriâ, quam ex Divina bonitate, magnis tuis & eximijs virtutibus, atque præclariſſimis operibus, directis ad obsequium Dei, & bonum animarũ, fuiſti promeritus. Tu beate Ignati es insigne luminare Eccleſiæ; tu es ille, qui admirando tuo spiritu reſuſcitaviſti in Fidelibus devotionem, & spiritûs fervorem: tam multum effeciſti tuis sanctis monitis, & cœleſti doctrinâ, admirabili tuæ humilitatis, constantiæ, & charitatis exemplis. Glorioſus Sanctus Ignatius audivit alloquium Sancti Dominici, & magno ardore, omnia attribuendo Divinæ Majeſtati, infinitas eidem gratias egit, paritérque ij duo Sancti, cum duabus cohortibus filiorum, quos unà adduxerant, se ad Deum converterunt, agendo ipsi gratias.

Ibi mea anima agnovit Sanctum Petrem Ludovicum de Ponte, qui erat unus ex dignioribus illius cœleſtis Collegij. Intuitus me eſt vultu hilari, ac deſignans me manu, dixit quibuſdam Sanctis sui Ordinis, & beati Collegij, quâ eſſem viâ abipſis adducenda, ut ego quoque accederem, & acciperem benedictionem à glorioſo Sancto Ignatio. Adduxerunt me, & Sanctus mihi bene precatus eſt, cum singulari complacentia, ac demonstratione magni amoris, dixítque: Vade in pace filia & soror noſtra, vade jam in pace. Fui inde abducta à meis Sanctis Angelis. Tum ordine prorsus cœleſti (quamvis eſſent supernum modum innumerabiles) advenie-bant omnes Sancti, veteris & novi Teſtamenti, atque exhibendo ingens gaudium, & gloriam accidentalem, gratulabantur ipsi millies gloriam, quâ in æternitate Dei fruebatur, per Divinam bonitatem, & propter heroica opera, quæ in illius honorem præstitit, nec non multa merita, quæ sibi ijs comparavit. Animadverti, gratulatos ipsi fuiſſe specialiter, quòd Deo placuiſſet, ut illum Eccleſia Catholica militans, ad ejusdem Dei gloriam, & utilitatem animarum, cœleſtium ei decernendo incolarum honores, tam magnum eſſe Sanctum declararet; unáque ab universis laudatum fuiſſe Dominum Majeſtatis, tanquam omnium horum bonorum authorem. Ultimò advenit Sacratiſſima Virgo Maria, Mater Dei ac Domina noſtra, & nomine suo, atque omnium Virginum & Sanctarum illius cœleſtis Aulæ, idem fecit, quod cæteri Sancti, millies ipſi admirandis & divinis verbis gratulando, quæ omnes illi Sancti gaudentes approbabant; addidit præterea Virgo: Tu glorioſe Sancte fuiſti fœcundiſſima & feraciſſima arbor,

arbor, cujus rami abundantem protulerunt fructum in militante, & triumphante Ecclesia.

Simul ac Sanctissima Virgo finivit admirabilem suum sermonem, cœpit in ea cœlesti Civitate resonare divina musica Beatorum Spirituum, laudantium Sanctum in Domino Majestatis, fuitque excitatus aureus, suavissimus, & pulcherrimè relucens ventus, qui afflando vultus omnium illorum Beatorum, septuplò ipsos splendidiores Sole reddebat, quia excitabatur à Majestate Dei Domini nostri, atque ità illum aërem permeabat, ut omnes ij Beati, & tota illa cœlestis Patria repleretur ijs divinis splendoribus, & inaccessibili lumine Dei. Dum attenderem huic Sacratissimo mysterio, & mea anima esset abrepta in magnam ecstasim, redivi ad me ex hoc raptu, quando Sacerdos venit ad porrigendam mihi sacram Eucharistiam. Benedictus sit Deus propter sua opera, suásque misericordias. Amen.

*Anno sexcentesimo vigesimo quinto, primâ die Augusti, quæ proximè sequitur festum nostri Sancti Patris, recenset gratiam, sibi ab eodem præstitam his verbis.*

Feriâ sextâ, primâ hujus, horâ circiter secundâ matutinâ, dum in solito meorum affectuum exercitio cum Deo agerem, habui quædam præsagia, sicut aliàs, quòd mihi Divina Majestas vellet extraordinariam aliquam exhibere gratiam, & propter repugnantiam, quam adhuc in his rebus sentio (quando Divina Majestas non decernit determinatè contrarium) me abstrahebam quasi per horæ spatium, & rogabam Deum, ut me duceret viâ ordinariâ, quâ animæ, cum ejusdem Majestate in hac peregrinatione agentes, procedunt. Interea audivi suavissimam musicam Angelorum, unáque dulcissimum sonum multarum, ac diversarum aurearum campanarum, non adferentium molestiam, quod faciunt campanæ hîc pulsari solitæ, sed cœlestem edentium sonum, quo anima plurimùm oblectabatur. Hoc sono & musicâ cœlesti fui velut abrepta, minúsque potens reddita ad resistendum, nè mihi Deus repræsentaret, quod volebat. Vidi itaque venientem ad meum cubiculum processionem Religiosorum Societatis Jesu, in duos ordines distributorum, qui meo judicio fuerint circiter trecenti. Omnes erant linteati, & gestabant candelas accensas in manibus, gravissimè incedentes, atque summam præferentes humilitatem ac modestiam, & omnes fuerunt ex ijs, qui sunt jam defuncti, ac Beati. Omnes se collocaverunt in circuitu mei cubiculi, quod undique circumdabant. Pompam claudebat gloriosus ipsorum Patriarcha S. Ignatius, indutus albâ pertingente usque ad pedes, pluviale ferens refertum elegantissimis, & pulcherrimis gemmis. Portabat in sua manu pretiosissimum vas coopertum velo, latera ipsius stipabant gloriosus Sanctus Franciscus Xaverius, & Sanctus Pater Ludovicus de Ponte. Post omnes veniebant simul, non amplius bini, duodecim circiter Religiosi, qui comitabantur suum Sanctum Patrem.

Pervenerunt ad unam partem cubiculi, ubi celerrimè fuit collocatum parvum, sed splendidè adornatum altare, supra quod Sanctus Patriarcha posuit vas allatum, procumbentibus omnibus ijs Beatis Religiosis, séque profundè & humiliter inclinantibus. Tum Sanctus, eâ cæremoniâ, quâ solent Episcopi, dum ab altari bene precantur populo, pronuntiavit quædam verba, quibus omnes ij Sancti responderunt. Post illa duas dedit suis Sanctis filijs benedictiones, unam fruentibus jam Deo, alteram viventibus in terra, unáq; mihi cum ipsis: & accepto rursum vase ad manum, attulit illud ad me, ubi eram in medio Sanctorum Francisci Xaverij, & Patris Ludovici, atque deposuit velum, quo vas tegebatur: deinde Sanctus Franciscus Xaverius removit quandam velut patenam, quæ sub illo fuerat, tenente glorioso Sancto Ignatio vas, seu calicem in manu, ex quo exemit hostiam, quam mihi spiritualissimè porrexit, & eâ porrectâ stetit immotus, quasi expectando, ut eandem hostiam deglutirem. Postea, sicut hîc interdum accidit, ut aliqua hostia illi, qui ad sacram mensam accessit, jámque aliam sumpsit, superaddatur, ità mihi Sanctus secundò

aliam dedit hostiam, quam tum in ore tenendo, tum deglutiendo, eo prorsus modo sensi, quo in reali & Sacramentali communione hostia sentiri consvevit. Hoc facto S. Patriarcha est reversus ad altare, & postquam fuit exutus ijs Sacerdotalibus vestibus, quas priùs habuerat, datum ipsi est pallium, atq; comparuit in habitu clericali suæ Sanctæ Religionis.

Collocata deinde fuit, quasi ad inferiorem mei pauperis lecti partem, sella, in qua se Sanctus posuit, mèque salutans dixit: Deus sit tecum, creatura Dei, filia, & soror nostra. Ego sum Ignatius, Pater hujus minimæ Societatis (& ostendebat manu omnes eos Sanctos, qui ipsam repræsentabant) ego sum radix hujus arboris, quæ per Divinam bonitatem, tam copiosum & salutarem profert fructum. Locutus est præterea quædam ad solatium meæ animæ, quod ab ea magnum percipiebatur, dum contemplaretur Sanctissimum illum Patriarcham, cujus vultus est venerabilissimus, & oculi pleni arcanâ sanctitate, atq; proprij animæ multùm deditæ contemplationi, quod quidem tum optimè cognoscitur, modò autem explicare nescirem. Sanctus conclusit suum sermonem, dicendo mihi, ut semper Deo impensè sanctum ipsius Ordinem commendarem. Dum autem mihi valediceret, juberétque me ad accipiendam benedictionem accedere, utì feci, dedit mihi illam Sanctus, & ego ejus osculata sanctissimam ejusdem manum. Sic Sanctus Pater surrexit, & beata illa processio cœpit abire eo ordine, quo advenerat. Agnovi in ea multos Patres, quos præterlapsis temporibus noveram, eràntque jam mortui, præsertim Frattem Joannem Garcia, qui accessit ad me alloquendam, vultu toto ad risum composito & hilaritatem, quam in hac vita solitus fuerat præ se ferre. Interrogavi ipsum de Fratre Baëza, an esset in cœlo, & respondit mihi eo gestu ac tono, quo hîc respondemus, cùm de re curissima quapiam, & certissima requiritur, dicendo mihi: Omninò, ibi est. Sanctus Pater Ludovicus de Ponte me gratiosissimè aspexit, unáque cæteri Sancti, licèt mihi nihil dixerint: Illis abeuntibus, Deus meæ animæ cum singulari gaudio eosdem intuenti, quanquam pariter ob ipsorum abitum, inprimisque glorioši Sancti Ignatij, dolenti (nam idcirco fui tantopere afflicta, ut hic dolor aliquamdiu duraverit) istâ occasione aliam præstitit gratiam, significando illi, quod in alia revelatione (*quæ habetur in primo Tomo*) Divina Majestas dixerat, de beneficio, quod confert morientibus in Societate JESU: atque in præsenti etiam asseruit, magno exponere suam salutem periculo illos, qui ex ea egrediuntur.

# CAPUT XXXIV.

## Alia, quæ cognovit de Sancto Patre nostro, atque nonnullis ejusdem filijs, & quæ ipsi evenerunt concernentia persecutiones Societatis JESU.

*DE his omnibus antehac dictum est, dicentúrq; multa alibi; isto capite complectemur breves quasdam visiones, quibus ipsi, utpote penitus genuinæ filiæ hujus sacræ Religionis, Deus hæc manifestavit. In quadam scheda, ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti, sic loquitur.*

In festo glorioši Archangeli S. Michaëlis, vidi hunc Beatum Principem, qui ingrediebatur meum cubiculum, ferens in manu vexillũ. Sequebatur ipsum geminatus ordo cælestium spirituum, qui mihi natio omnes videbantur esse Angeli; verum postea vidi, esse partim animas gloriosas, quarum aliquas agnovi, cum plurimæ ex ijs fuerint animæ filiorũ S. Ignatij, Religiosorum Societ: JESU, qui mihi in hac vita bene rant noti: præsertim verò agnovi Patres Laera, & Hervas, atq; Fratres Joañem Garcia, ac Baëza, & alios. Inter illos veniebat S. P. Ludovicus de Ponte, qui penes me cõstitit. Omni-

Omnibus his Sanctis Angelis, & benedictis Animabus imminebat pulcherrimus Sol: quamvis autē illum hoc explicem vocabulo, non erat tamen Sol, sed Majestas Domini Dei nostri, qui illuminabat totam eam cœlestem Societatem, mihique manifestabat, excellentiam, potentiam, & majestatem illius Sancti Archangeli. Dicebatur tum Missa in nostro Oratorio, atque dum mihi esset adferenda sacra hostia, S. Archangelus ventilavit vexillum, velut ostentando suam magnā potentiam: quando verò mihi Pater, qui celebrabat Missam, attulit Sanctissimum Sacramentum, Sanctus Archangelus suum vexillum convolvit, & omnes se prostraverunt, adorantes Deum in Sacramento, quod susceperi ex manu Sacerdotis. Postquam autem fui rapta in magnam ecstasim, dum ad me redivi, finita erat visio. Deus sit benedictus. Amen.

*Anno sequenti, sexcentesimo vigesimo sexto, die Sancti Patris nostri Ignatij, annotat, quod vidit, his verbis.*

Trigesimâ primâ Julij, cùm mihi quidam Pater Societatis Jesu diceret Missam, vidi glorioſum ipsius Patriarcham S. Ignatium, cum multis Beatis filijs sui Ordinis. Omnes descendebant ex cœlo bini, linteati, & ferebant candelas in manibus, atque omnium postremus veniebat Sanctus Patriarcha, indutus, ùt anno præterito, albâ & pluviali, qui eò accessit, ubi Sacerdos ejusdem filius Missam celebrabat. Postquam juxta ipsum constitit, videbatur mihi modo quodam arcano, quem nescio declarare, interdum quasi penetrare Sacerdotem, ut non essent duo, sed unus idémque; aliàs verò erant distincti, & videbam singulos seorsim. Sacerdos consecravit oblata, & omnes ij Sancti se prostraverunt: cùmque adesset tempus, ut sumerem sacram hostiam, Sanctus Pater est comitatus Sacerdotem, quo mihi porrigente Sanctissimum Sacramentum, glorioſus Sanctus Ignatius mihi visus est, se prædictâ ratione unire cum Sacerdote.

Hoc eodem anno, vigesimâ nonâ Decembris, sexcentesimo vigesimo sexto, postquam me Sanctus Patriarcha cujusdam Ordinis dignatus est invisere, & ego illi sum questa, de nonnullis ipsius filijs, suscitantibus quandam persecutionem, contra Societatem Jesu, vidi, quòd Sanctus severum exhibuerit vultum, & facies ejus exarserit, acsi, quanquam cū modestissima gravitate, indignaretur. Dixit autem mihi: Noli mihi hac de re loqui, quia si nunc essem capax afflictionis, graviter affligerer. Refer illis, refer, me dicere, nè me vocent Patrem, cùm non sint mei filij: & quemadmodum Moyses confregit tabulas legis, quia eas ille rebellis populus non merebatur; ità eos mereri, ut suâ regulâ à Deo priventur. Multa insuper mihi Sanctus est locutus, quæ erant ejusmodi, ut judicaverim, non esse scribenda. Quando verò consului meos confessarios, ipsique mihi indubitanter præceperunt, ut hæc premerentur silentio, rursum mihi comparuit postridie Sanctus Patriarcha, dixitque: Placuit mihi vestra sententia, nè omnia evulgentur, quæ dixi: tu tamen non intermitte ea singillatim ipsis referre. Designavit autem tres duntaxat, vel quatuor, mandando mihi, ut illos infallibiliter admonerem; atque ità Sanctus disparuit.

Post aliquot dies (erat jam annus sexcentesimus vigesimus septimus) cùm omnis conatus in quadam civitate fuisset adhibitus, concernens persecutionem, vidi Christum Dominum sedentem in throno, vultu vehementer irato, qui præsentibus quibusdam Patribus ex Religione Societatis, citavit ad judicium aliquos Religiosos & seculares, ad quos conversus, dixit ipsis: Genimina viperarum (atque appellavit illos alijs pessimis nominibus, quæ reticeo) propter quod peccatum vultis lapidare hos homines? designavit autem Religiosos Societatis. Qui sinè peccato est vestrum, tollat lapides, & mittat in illos. Et cùm eos illuminaret, ut agnoscerent suas proprias conscientias, ità fuerunt pudefacti, ut erubescentes abiverint, alius hàc, alius illac. Post paucos abhinc dies mihi iterum Dominus dixit, dum de eadem persecutione esset sermo: Ego destruam hos operarios iniquitatis. Aliàs vidi his diebus Dominum, tanquam offensum ob id,

quod agitur contra Patres Societatis, & adversus illos dicitur: atque aliquando mihi dixit: Persequuntur ipsos, qui sunt ex mea Societate: verùm ego sustinui persecutiones, ex quo fui natus, donec morerer in cruce, & postea sum consecutus honorem, & intravi in gloriam meam, ità illis eveniet. Feriâ verò secundâ, quæ erat Sanctæ Crucis, hoc mense Majo, vidi Sanctum Patrem Ludovicum jucundissimum, eò quòd Religiosi sui Ordinis his diebus tantopere affligerentur, & dixit mihi: Nunc video Religiosos Societatis ascendentes, per sublimes gradus, ad Deum. Deus sit in æternum benedictus.

*De dono spiritualis magisterij, ad regendas animas, atque ducendas ad perfectionem, quod Deus ex pura sua bonitate contulit filys Sancti Ignatij, fuit ista Virgo, eodem hoc anno, speciali-ter edocta in quadam visione, quam sic re-censet.*

Ante paucos dies vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, in ea specie, quam habuit, dum fuit exutus suis sacris vestibus, ut alligaretur columnæ, & flagellaretur, qui mihi amanter dixit: Hîc adsum, Anima, comparens tibi, ut te instruam. Mea anima recreabatur, & affluebat solatio, ipsum videndo. Fuit verò tum, nescio à quo, obtensum velum instar cortinæ, quod nihilominus erat transparens, ità ut, licèt inter Dominum, & me esset interjecta, possem eundem Dominum videre, etsi non adeò clarè. Erat in eo velo expressa elegantissima & splendidissima crux: sed subitò fuit obtensum aliud velum, sicut antea, in quo apparebat pulcherrimus Sol. Postea obductum est tertium, plurimùm coruscans, & mirum in modum resplendens. Dominus mihi indicavit (quod me jam aliàs, quanquam per diversa symbola, docuerat) crucem significari afflictiones, tolerandas ad imitationem Divinæ ipsius Majestatis; Solem fortitudinem & robur, quod dat Deus pro ijs sustinendis; tertio autem velo lumen, quod communicat, ad conformandum se cum sanctissima ejusdem voluntate. Atq; profectò tale erat lumen, quod prodibat ex eo tertio velo, ut mihi visa fuerim tota ab illo esse illuminata, non solùm in anima, sed etiam in corpore. Quando mihi hæc ostendebantur, vidi velut eminus Sanctũ Patrem Ludovicum de Ponte, in quadam admirabili sella sedentem, & postquam visio Domini disparuit, triúmque illorum velorum, venit ad me Sanctus Pater, ac dixit: Triplò, & quintuplò sortem tuam, Anima, reddidisti meliorem, quemadmodum hîc loquimini: siquidem ipsemet Dominus dignatus est agere tuum Magistrum. Quomodo, Pater, respondi ego, quomodo est id intelligendum? Nónne mihi Divina Majestas te magistrum dederat, ac ducem meæ animæ? & nunquid mihi etiam in terra non dat Confessarios, ut idem præstent? quamvis Deus, reposuit Sanctus, faciat, quod fieri vides, non excluduntur tamen alijmodi: nos enim Sacerdotes sumus coadjutores Dei in cultura animarum, & qui sumus ex Societate JESU, accepimus pro hoc munere speciale à Deo donum: age illi gratias, & vale. Ego sum passa magnam cestasim, quoad mihi postea fui reddita. Laudetur Deus in æternum. Amen.

*Concludamus præsens caput brevi visione, quam hæc Virgo habuit, de fructu, quem, Deus per suam misericordiam largiente, minima ista Societas profert in ipsius Ecclesia. Unde etiam intelligetur causa, ob quam capite præcedenti vidimus, Sanctum Patriarcham nostrum fuisse à Beatissima Virgine vocatum secundissimum & feracissimam arborem, cujus rami uberem protulerint fructum, in militante, & triumphante Ecclesia. Scriptum istud est anni sexcentesimi vigesimi quarti, ubi post alia sic loquitur.*

Sequenti nocte affixa lecto, ob gravissimos stomachi dolores ac pectoris, & assi, quo mihi videbar comburi, post horam tertiam matutinam, conspexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, sedentem in sella, eo modo, quo consveverat vivens, qui mihi dixit: Istam crucem dolorũ Deus immittit, quia sic exercentur virtutes, & comparantur merita: sed modò quiesce, manebo apud te, donec veniat frater noster. Erat venturus meus Confessarius ad excipiendam meam confessionem, & celebrandam Missam. His verbis à S. Patre prolatis, cessaverunt dolores, & intelleci

id attribuendum esse ipsius potentiæ, ac meritis. Tunc meus Sanctus Angelus Custos, quasi complacendo sibi in mei sublevatione, idque significando vultu, & modo loquendi, mihi dixit: Quiesce Soror, quiesce. Adfuerat mihi Sanctus Pater Ludovicus propè tribus horis, quibus elapsis ipsum vidi surgentem, & cogitavi, quòd vellet reverti ad cœlum: verùm aliter se res habuit; assurrexit, ut exciperet Sanctos Patriarchas Ordinum Religiosorum, & alios Sanctos, qui dignabantur venire ad me invisendam. Gloriosus Sanctus Dominicus accessit ad Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, dixitq; illi talia verba, cum tanta tum honoris exhibitione, tum amore, ut ex ijs intellexerim, Sanctum Patrem Ludovicum fuisse gazophylacium, atque ditissimam fodinam virtutum. S. Dominico adstabat gloriosus S. Ignatius, atque ab hoc Sancto Patriarcha, tanquam ex radice, assurgebat miro modo arbor, cujus rami attollebantur usque ad cœlum, & extendebantur per universam terram. Significavit verò mihi Deus, sic indicari ingentem fructum, quem S. Ignatius, & ejusdem filij faciunt in mundo. Et quamvis aliæ quoque sacræ Religiones magnum fecerint, faciántque fructum; ob quandam nihilominus rationem me nunc id edocere Deus specialiter voluit de Societate JESU, déque ipsius Patriarcha. Penes illum stabat ejus filius S. Franciscus Xaverius, qui ad me accedens mihi dixit: Soror, ego sum tantummodo ramusculus hujus arboris. Manserunt aliquamdiu apud me omnes ij Sancti, & postquam me suâ præsentiâ multùm sunt consolati, omnes rediverunt simul ad cœlum. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

# CAPUT XXXV.

## De gloria Venerabilis Patris Ludovici de Ponte, quam vidit, & gratijs ab ipso obtentis.

*MAgnus hic Pater, seculiq; nostri Doctor mysticus, suam amœnissimo animæ admirabilis hujus Virginis horto excolendo operam, ex Dei dispositione, integris triginta impendit annis. Debetur quidem favorabili Divinæ gratiæ irrigationi, suavi superni spiritûs Zephyro, inæstimabile florum pretium, qui in eo, ad stuporem mundi, ad confusionem inferni, ad cœli admirationē, maximámq; magni Dei nostri gloriam, resplenduerunt: verumtamen, quia idem Dominus (qua ipsa in re se exhibet liberaliorem) suorum petit cooperationem ministrorum, non est dubium, quin sedulæ hujus insignis operarij industriæ aliqua etiam debeatur pars progressuum, quibus delicioſus iste hortus Dei, heroicus Venerabilis Marinæ spiritus, ad tam sublimem pervenit gradum perfectionis. Insumpsit Sanctus Pater postremos vitæ suæ annos, ad ultimum usque hujus diem, scribendæ primæ parti historiæ istius Virginis, historicum agendo gestorum, quibus præclariora, & virtutum, quibus solidiores, à compluribus annis in publicum non prodierunt. Deus autem hac illum adventitij præmij parte est remuneratus, ut eadem Virgo, novem annis, quibus ipsi supervixit, historiam pertexeret de sanctitate, & gloria sui Scriptoris, atque Patris spiritualis. Non extat propemodum, extabitve ullum caput in hac secunda parte, ubi non aliquid insinuetur de Patre Ludovico. Nihilominus chartas huc directùs spectantes, redigam breviter ad aliquot capita, extracta ex adversarijs hujus Sponsæ Christi. Dico, ex adversarijs: nonnulla namque acta, quæ hîc attinguntur, fusiùs ab ipsa, juramento interposito, recensentur in processu facto, pro Sancti Patris Ludovici canonizatione, quod videri poterit in vita hujus insignis servi Dei. Sanctus Lucas in suis Actis egit historicum magni gentium Apostoli, & Paulus encomiastes virtutum Sancti Lucæ in suis epistolis. Sanctus Præcursor meruit celebrari ab Incarnato DEI*

*Verbo, cujus ipse fuerat præco, priusquam nasceretur. Sciunt ac solent Sancti sese, exemplo sui Domini, gratos hac in re exhibere, ut idem Dominus solus in omnibus glorificetur. Quæ præsenti capite complector, omnia evenerunt anno sexcentesimo vigesimo quarto, à decima septima Februarij, qua die Sanctus Pater feliciter, sanctissimè moriendo, ad vitam migravit meliorem. Incipit igitur Virgo referendo, quod ipsi de hoc obitu fuit manifestatum, his verbis.*

Eâ nocte, quæ Patri Ludovico de Ponte, in hac mortali vitâ, fuit extrema, postquam mihi ex Collegio S. Ambrosij Societatis JESU est significatum, sacro ipsum esse oleo unctum, rogavi meos Dominos Angelos hîc præsentes, ut abirent ad ferendum ei auxilium, quod omnes perlibenter fecerunt, & adfuerunt felici illius morti. Reversi sunt, & horâ circiter primâ, à media nocte, me duxerunt ad ejusdem cubiculum, in quo sanctum corpus exanime jacebat. Totum cubiculum apparebat simile cœlo, propter multos Angelos Dei, circumdantes corpus. Appropinquavi illi, & non potui videre faciem, quæ erat tecta velo, seu panno bombycino, neque mihi fuit discooperta, nescio quam ob causam. Osculata sum ipsius pedes, & manus, statimque sum reducta domum. Optabam rescire statum animæ Sancti mei Patris, & commendabam illam enixè Deo, atque Divina Majestas, quasi dissimulanter mecum agendo, mihi ostendit Purgatorium, acsi diceret: Aspice, an ipsũ hîc invenias, Lustravi attentè totum eum locum, & non vidi illum. Postea, horâ circiter decimâ matutinâ, me Sanctus Pater Ludovicus visitavit, alloquendo me, quemadmodum faciebat, dum viveret. Vidi illum valde glorioſum, vultu prorsus vivido, ac tali, ut palàm faceret, se frui Deo. Multùm me est solatus, dolentem ob ipsius obitum, dixitque mihi: Quamvis jam non degam in vita mortali, nihilominus te non negligam, imò juvabo, instruámque melius, cùm obtineam statum, in quo non possum errare. Fui vehementer exhilarata, confortata, & repleta solatio. Subitò comparuit in ejusdem pectore sacrum nomen JESU, lucens ac resplendens instar Solis, cujus radij obtexerunt faciem, & ob hanc magnam lucem desijt à me videri. Comparet mihi quotidie, méque invisit, & mei Sancti Angeli ipsum singulariter honorant ac venerantur. Dum autem ego id mirarer, dixerunt mihi: Nónne scis, illum esse Sanctum Sacerdotem, & Ministrum Dei? Quidam Sanctus Angelus Dei mihi dixit, felicem eam animam, dum egrederetur è corpore, transivisse penes Purgatorium, absque ulla pœna, imò cum ingenti gaudio, eò quòd agnosceret gratiam sibi præstitam à Deo, quâ ab ipso fuerit præservata à tam gravibus cruciatibus.

Eo die, quo peragebantur ipsius exequiæ, agendo in me mea oratione cũ Deo, dum celebrarentur divina officia, vidi Sanctum Patrem in cœlo, indutum nigrâ veste Societatis, cujus tamen stamen erat aureum: gerebat pileum clericalem in capite, & stolam in collo. Sedebat valde glorioſus & splendidus in sella, super tres quatuórve gradus elevata, coram Beatissima Trinitate, magna cum authoritate, & aspectu gravi, verùm glorioſissimo. Visi mox venientes multos Beatos ex ejus Ordine (fuerint verò Sacerdotes) omnes ornatos stolis, & binos: singuli ipsum adibant venerabundi, quasi honoris ergo illi intervientes, & gratulantes gratiam à Deo collatam, quos Sanctus magnâ charitate excipiebat, & brachijs collum circumdans amplectebatur. Peractâ hâc sacrâ cæremoniâ, S. Pater Ludovicus, & omnes reliqui se coram Sanctissima Trinitate prostraverunt, & Dominus ipsis est impertitus suam Divinam benedictionem. Omnes assurrexerunt, & Pater Ludovicus est reversus ad suam sedem, cæteris stantibus. Venerunt interea sex Angeli, & consensis gradibus, utrinque terni, incepérunt dulcissimis personare instrumentis, concinendo svavissimâ melodiâ laudes Dei, ob exhibitas illi sanctæ Animæ gratias. His musicâ finitâ, rursum se coram Deo prostraverunt, qui ipsis denuò suam sanctam dedit benedictionem. Eo momento cœpit Pater Ludovicus usqueadeo resplendere, ut eum ampliùs non videtim. Deinde mihi

mihi comparuit in meo cubiculo, mansítque apud me ultra unam horam, loquens de rebus spiritualibus. Dum illum interrogarem, an ipsi aliquid accesserit gloriæ ex peractis hoc die exequijs, respondit mihi: Omnino. Sed ità de se est locutus, sicut vivens consveverat, dicendo: Mei Patres poterant pro concione referre magnas gratias, quas à meo Deo accepi, & dicere, me parum ex ijs profeciſſe; omittere autem meas laudes: omnia tamen ajebat, cedere ad gloriam accidentalem exequiarũ, sibi celebratarum in cœlo.

Quodam tempore matutino, in Septembri, vacabam meis exercitijs, & eram aliquantùm perplexa, ob meos solitos timores, quando conspexi Sanctum Patrem Ludovicum, qui sedens in quadam velut sella me salutavit, dicendo mihi peramanter: Quid times Anima, quid times? quis te affligit? quis te condemnat? Cùm Deus, & tui Confessarij tua approbent, cur es tam meticulosa? Ergóne Pater, respondi ego, non habeo, quod timeam? Expecta Anima, dixit Sanctus Pater, & conjectis oculis ad unam partem, assurrexit, statímque ibi adfuit quidam Angelus Dei, unus è præcipuis, adeò ut me magno affecerit stupore. Is me salutatâ dixit: Noli metuere Anima, sum enim Angelus Domini Majestatis, ad te missus, ut tibi ex ipsius voluntate, ejusdémque nomine dicerem, à Divina Majestate gubernari & dirigi omnes vias tuas, atq; disponi, ut nunquam in tuo corde perseveret dubium, aut difficultas, quam in quibusdam credendis, quæ tibi eveniunt, habere consveviſti. Hoc dices tuis Confessarijs, quibus te oportet credere, atque obtemperare. Cùm verò interrogarem S. Angelum, an mei timores essent aliqualiter immoderati, adversùs beneplacitum Divinæ voluntatis, respondit mihi, judicia Dei esse altissima & occultissima, ac talia, ut ijs infinita comprehendantur; remedium autem, si quis in meis timoribus reperiatur excessus, in eo cónsistere, quod mihi nomine Dei dixerat. Quia ipsum tantâ videbam conspicuum majestate, ut judicaverim illum esse è sublimioribus Angelis, rogavi eum, quanquam satis timidè, ut mihi diceret, quis esset: & respondit mihi, se esse unum è præcipuis Divinæ Majestatis servis, habereq; etiam curæ suæ cõmissum quendam locum, quem mihi Deus monstraverat, & quò præteritis diebus videram ingredientem maximã diabolorum turmam. Post hæc mihi valedixit, relinquendo me affluentem solatio. Sanctus Pater Ludovicus remansit apud me, & resumpto sermone de meis timoribus, dixit: Quid times? Nunquid fortasse sunt majora ac difficiliora, quæ tibi eveniunt, quàm quæ evenerunt me vivente? Non profectò, dixi ego: timebam autem, nè meæ animæ inesset occulta quæpiam & latens, me non sciente, neque intelligente, propensio ad res singulares. Sanctus Pater mihi respondit, profundissimam, & occultissimam propensionem meæ animæ non esse aliam, quàm efficacissimum desiderium explendæ ad amussim in omnibus Divinæ voluntatis. Institi ulteriùs dicendo, meos timores omnes in hoc ipso fundari, quod ipse asserebat, siquidem metuerem, quòd me eidem Divinæ voluntati, ad majorem illius gloriam minimè conformarem. Tum dixit, me vel propterea securam esse. Rogavi ipsum, quanquam timidissimè, ut me interdum inviseret, atque respondit mihi, se id Deo volente facturum, modò adhiberem fidem veritatibus, quas mihi ejusdem nomine esset expositurus. Post hoc mihi valedixit, ac abivit, cum quibusdam Angelis, & duobus Sanctis sui Ordinis, qui illum comitabantur. Deus sit benedictus. Amen.

*Vigesimâ quintâ Decembris, ejusdem anni milleſimi sexcenteſimi vigesimi quarti, in festo Nativitatis CHRISTI, Divina Majestas singularem huic Virgini exhibuit favorem, quem hoc loco refero: quandoquidem in fine eventûs, quem recenset, manifestè colligitur, quantopere ipsi profuerit instructio Sancti Patris Ludovici, ut se ad illum promerendum disponeret. Omnia Virgo his verbis describit.*

Quanquam, quæ est Dei bonitas, sim prompta ad exequendam sanctissimam ejusdem voluntatem, ut in omnibus de me disponat secundùm suum beneplacitum, sem-

semper nihilominus propendeo ad migrandum ex hoc exilio, ut clarâ mei Dei & Domini fruar visione. Præsertim verò sum vivaciores hos primos motus experta, dum audirem referri, inter quosdam Principes Christianos exoriri bella, ob quam rem mea anima fuit vehementer afflicta. Commendabam hoc negotium Deo, indicando unà naturalem meæ animæ affectum, migrandi ex hac vita ad æternam. Tunc mihi Divina Majestas, ex magna sua bonitate & misericordia, dixit: Si quispiam Rex haberet in civitate hostili filium, aut alium sibi singulariter charum, dum illam à se evertendam obsideret, suspenderet oppugnationem, nè contristaret, anxiúmque redderet filium intus cum obsessis manentem: atque ut me consolaretur, & remoraretur mea desideria, dixit mihi præterea, se velle, ut hæc festa secum transigam in cœlo. Ego tergiversabar, utì aliàs, in acceptandis his extraordinarijs beneficijs. Dominus autem, ut me disponeret ac flecteret, dixit, ità expedire: id enim fieri eum in modum, quo se hîc Parentes gerunt erga filios, quos speciali prosequuntur amore, solénteq; illos versantes in scholis, pro eorundem recreatione, & suo solatio, durantibus festis, deducere domum.

Post dicta à Domino hæc verba, isti mei Domini Angeli ad me venerunt, & dixerunt mihi: Soror, nunc vale, brevì reverteмur, & interea apud te manebunt hi Sancti Angeli socij nostri. Aspexi, & vidi ibi totidem remanentes. Observavi deinde, quòd illi mei Domini ascendentes ad conspectum Dei, exposuerint Divinæ Majestati difficultatem, quam habebant in exequendo ipsius mandato, de me ducenda ad cœlum, unáque periculum, nè natura deficeret, nisi ad id peragendum novum præstaret favorem. Deus singularem demonstrando amorem, obtulit petitum à se auxilium, & subitò unus ex ijs Sanctis Angelis, qui apud me remanserant, me incepit spiritualissimè induere cœlesti vestitu, ut me in cœlo Deo præsentaret. Induit me tunicâ, quæ erat nive candidior, ac deinde aliâ cæruleâ verè mirum in modum resplendente. Tandem me texit magno rubro, adeóque eleganti velo, ut videretur e purissimis contextum carbunculis. Ad singula verò, quibus ab ipso exornabar, pronuntiabat nonnulla verba, quæ ego non intellexi. Conspexi postea grandem & pulchram pelvim argenteam, & in ea omnia instrumenta meorum martyriorum, ac dolorum: clavos pedum & manuum, flagella Christi Domini, quæ mihi in arctissima quadam unione fuerant impressa crucem, & alia instrumenta, de quibus alibi dictum est. Hanc pelvim, cum omnibus, quæ in illa erant, portabat in manibus quidam Angelus, qui antecedebat, cæteris omnibus ipsum comitantibus.

Ità ascendimus ad cœlestem Jerosolymam, in cujus ingressu prodijt Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, qui mihi dixit: Bene veneris amica mea, sponsa mea, veni, & intrabis in gaudium Domini tui. Introivimus, & Sancti Angeli, qui mecum ibant, me prostraverunt coram Beatissima Trinitate, ubi Pater æternus me vocavit filiam, & Filius sororem, atque Spiritus Sanctus sponsam, omnibus tribus admirabilem mihi exhibèntibus amorem. Specialiter notavi, me à Filio Dei, Verbo Divino, appellatam fuisse sororem, Ejusdémque Majestatem mihi dixisse: Omnè os soror, propter naturam humanam, quam hominis causâ assumpsi. Vidi illic Sancti Patrem Ludovicum de Ponte glorioſissimè lætum & speciosum, qui me est allocutus dicendo: Nunquam speravi aliud, quàm ut his bonis fruereris, & quantumvis te tam varijs modis exercuerim ac probaverim, ut potueris suspicari id provenire ex defectu amoris, & excessu morositatis & fastidij, omnia tamen advertenter dirigebantur, ad res tuas meliùs explorandas: atque tu tam bene ex omnibus profecisti, quàm ego desiderabam, & nunc videns. Versabar in præsentia illius magni Dei & Domini nostri, experiendo finem, propter quem Divina Majestas mihi aliàs dixit se præstare, & præstiturum has gratias, quas erat, ut quiescerem, cognoscerem, & gauderem. Magna ibi fuit mea quies, cognitio, & gaudium. Atque dum id attente expenderem, sensim sinè sensu mihi illa magni-

magnificentia disparebat, ac tandem me rursum reperi in meo angulo, dolens & afflicta, videndo me privatam eo bono ex Divina bonitate possesso. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

# CAPUT XXXVI.

## Continuatur eadem materia.

*Quæcumque hoc, & sequenti capite scribuntur, acciderunt per decursum anni sexcentesimi vigesimi quinti. Exorditur Sancta Virgo, sic dicendo.*

Die Sabbathi, undecimâ Januarij, vehementer integrâ nocte cruciabar à meis morbis, videbárque mihi exspiratura, & suffocanda. Totâ eâ nocte mihi adfuit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, sedens super unum graduum, quibus ascenditur ad illam auream aulam, de qua aliàs dixi. Videns me Sanctus Pater tantopere cruciari & affligi, animabat me, juvabátque ferre meam crucem. Ego illi dixi: Pater, rogo te, si est voluntas Domini Dei mei, mitiga hunc meum morbum, ecce enim suffocor. Pater dixit peramanter, se id factutum. Porrexit illi Sanctus Religiosus, Coadjutor ex ipsius Ordine, qui eundem comitabatur, quandam rem, quam, eò quòd esset valde parva, non bene vidi (postea ex ipso rescivi, fuisse quoddam cœleste medicamentum) & ille ei dixit. Dato S. Angelo Custodi istius creaturæ, ut ipsi applicet, quod S. Angelus quàm reverentissimè suscepit, dixit tamen: Sancte Pater, necdum est tempus, ut illi hæc medicina applicetur, nè eam privemus meritò patientiæ. Est omnino, respondit S. Pater Ludovicus, aliâ namque ratione id compensabitur: applicetur ipsi istud medicamentum, ut nunc mitigentur dolores, diutiùs tamen durent, sic nihil perdet. Ità fuit factum. Accessit ad me S. Angelus, & apposuit mihi eam medicinam in concavitate, quæ est sub occipite, statímq; meliùs habui, & multùm sublevata toleravi meam afflictionem. Benedictus sit Deus. Amen.

*Non ignorabat Sanctus Angelus hanc veritatem, quæ est clara, Deóque consuetissima, quòd meritum hominis justi, qui patitur (& par est ratio de satisfactione in pœnis Purgatorij) possit exæquari, si intensus brevis temporis dolor commutetur, ut idem jam remissus duret diutiùs, ejusdémque intensio suppleatur extensione temporis. Verùm non videtur ipsi fuisse revelatum, placere Deo, ut taliter in præsenti occasione fieret. Voluit autem Divina Majestas suam quoad id voluntatem manifestare Sancto Patri Ludovico, & illam ex ipso Angelum intelligere, sive ut Virgo magis ac magis redderetur addicta suo Beato Instructori, sive ob alias gloriam suam concernentes rationes. Alia disputatio de eo, si quis excellentiam hujus sanctæ Animæ inde arguat, quòd illuminaverit Angelum, nec est hujus loci, neque infallibilem judico esse consequentiam, ut ex particulari uno actu concludatur in reliquis, illuminantem esse superiorem illuminato. In alio scripto, die vigesimâ tertiâ Februarij, sic ait.*

Vigesimâ tertiâ hujus mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui mihi semper ea proponit, quæ magnum adferunt solatium, ac prosunt ad meæ animæ profectum. Sed vigesimâ quartâ manè exarserunt in meo corde illi vehementes affectus, quos aliàs habeo, & his impellentibus dicebam: Ubi es mi Deus? ubi te inveniam? Indica mihi, ubi pascas in meridie. Hoc agens vidi descendentem ex cœlo S. Patrem Ludovicum, & cum alijs colloquentem, quamvis illos tum non agnoverim, neq; sciverim, qua de re conferrent, postea tamen vidi esse Angelos Dei. Sanctus Pater se collocavit in quadam admirabili sella, & inde me interrogavit: Quid dicis, Anima? quales sunt isti affectus? Sancte Pater, respondi, quæro ex meo Deo, ubi sit, ubi ipsum sim repertura, ubi pascat in meridie? Sanctus Pater elevans o-

culos & manus ad cœlum admodum graviter ac reverenter, dixit: Dicam tibi id. Divinum illud Esse Omnipotentis DEI existit in cœlo, ubi se communicat suis electis, eosdémque sui visione reddit beatos: est quoque in toto mundo, dando & communicando, atque conservando, id quod sunt, suis creaturis; præsertim verò habitando in animabus & cordibus Justorum viventium in terra. Quamvis autem ipsũ quæras, jam tamen illum habes, atque ipse te invenit in sublimiore gradu & possidet, quem nunc obtinet tua anima. Scisne hoc, ajebam ego, Sancte Pater, & éstne tibi perspecta hæc posterior misericordia, quòd Deus mihi illam præstiterit? Omnino, respondit Sanctus Pater, constat mihi id, quia mihi à Deo est revelatum, unde magno sum affectus gaudio, & gloriâ auctus accidentali. Cùm enim tuas exceperim confessiones, animámque tuam rexerim ultra triginta annos, revelat mihi Deus tuos majores progressus, & gratias, quas tibi confert, atque ex omnibus in me gloria derivatur accidentalis, ob dictam causam. Nomine quoque ejusdem Domini eo erga te fungar munere, quod petis, ut te adjuvem, instruam, ac illuminem: & Divinæ Majestatis jussu, ipsiúsque nomine tibi opitulabor, visitando te quàm sæpissimè, ac edocebo Divinas illius veritates, non quòd à te ignorentur, verùm ut te in ijs magìs confirmem, indicando tibi ipsas digito, eum in modum, quo Magister puerum suum discipulum docet literas Alphabeti. Illuminabo te etiam, ut superiore lumine prædita corroboratas habeas tuas potentias, & cognoscas Divina mysteria. Scire namque te oportet, nos in illis intelligendis, & in exponendis rebus cœlestibus, fuisse, spectatis ijs, quæ cognoscuntur & sciuntur in Beatitudine, velut idiotas, dum viveremus, & locutos, quemadmodum loqui solent Mauri imperiti linguæ. Nunc bene occuparis, eliciendis actibus resignationis, & tolerandâ cruce, quam tibi Deus offert. Vale, quanquam non sim statim abiturus, manebo enim hìc modicùm. Atque ità fecit, quia ipsum ibi vidi diutjùs sedentem, ac tacentem, donec me Deus rapuit in ecstasim, ex qua ad me reversa, illum non conspexi. Laudetur Divina Majestas. Amen.

*Alibi, post enarratos alios varios eventus, refert aliquid aliud, spectans ad materiam, quam tractamus, ac describit sequentibus verbis.*

Feriâ quartâ, secundâ Aprilis, sui inter dormiendum correpta ingenti angustiâ & afflictione, quasi essem circumdata ab hostibus, & nullâ viâ possem evadere. Hunc in modum constituta, dicebam tam vivaciter, quàm si usum haberem sensuum: Hìc non suppetit aliud remedium, quàm ut invocem Sanctissimam Virginem MARIAM, quod feci, prout tum potui, & subitò sum expergefacta, libera ab ea afflictione, vidíque Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, cum comitatu aliquorum Angelorum, indutum consuetâ veste sui Ordinis. Allaxi me sicut aliàs soleo, quando permittor, donec DEUS (quod etiam multoties dixi) animam suâ svavissimâ vi affugat, ad videndum & intelligendum ea, quæ ipsi Divina Majestas manifestat. Jam verò, quando illum rursus conspexi, Sanctus Pater Ludovicus de Ponte comparuit in amiculo lineo, cui superpositum habebat pluviale, & in manu tulit pretiosissimam pelvim, in qua erat pulcherrima corona, suis prædita aculeis, similis illi, quæ pingi solet in capite CHRISTI Domini: quia verò fuerat imposita meo capiti (prout alibi scripsi) agnovi ipsam, dum eam sum intuita, & ubicunque viderem, dicerem: Hæc est illa corona, quæ mihi fuit imposita. Deinde vidi Sanctum meum Angelum Custodem, accedentem ad Sanctum Patrem Ludovicum, petiisse ab ipso eandem coronam, allegando, ad se spectare, ut illam asservet, eò quòd sibi à DEO sit demandata mei custodia. At Sanctus Pater, monstrando profundissimam animi demissionem, & adducendo sapientissimas rationes, excusavit, dicens, istud officium ad se pertinere, propterea quòd tot annis egerit meum Confessarium, Patrem spiritualem, & in-

& Instructorem, sibíque fuerit à Divina Majestate commissa non solùm animæ cura, sed etiam ipsius naturæ, nè deficeret, atque succumberet. Deus sit benedictus. Amen.

His dictis, vidi utrumq; recurrentem ad Deum, acsi suas quisq; proponeret causas, & expectaret decretum sanctissimæ ipsius voluntatis. Passa fui ecstasim, dum mirarer, quæ videbam, & quando ex hoc raptu redivi, jam ambos adverti esse (ùt nos loqui solemus) tranſactione factâ concordes, atq; à S. P. Ludovico de Ponte eximi ex ea corona tres aculeos, & porrigi meo S. Angelo Custodi. Obstupescebam spectando hæc mysteria, quia ignorabam, quid significarent, & intra me ipsam cogitabā, quomodo eæ res materiales reperirentur in cœlo, quas videbam, utpote corona, spinæ, ac pelvis, & reliqua. S. autem P. Ludovicus agnoscens meam cogitationem, & respondens, dixit: Etiam S. Joannes in Apocalypsi dicit, fundamenta cœlestiū murorum esse duodecim lapides pretiosos, & singulas portas illius cælestis civitatis esse ædificatas ex singulis margaritis. Nos scimus, quomodo se hæc habeant, quæ à te nō sunt examinanda: nunc enim non adest ratio, ob quam id facias. Eo tempore ingressus est Sacerdos, qui in Oratorio dicebat Missam, adferens Sanctissimum Sacramentū, ut mihi illud præberet, Sanctus verò Pater Ludovicus descendit ex eo alto loco, in quo erat, per quosdam quasi gradus, usque ad pavimentum mei cubiculi, ubi se prostravit, ac adoravit Majestatem Christi Domini existentis in Sacramento, & postquam sacro fui refecta epulo, surrexit ac redivit ad priorem locum. Inde mihi dixit, illam coronam spineam, quæ præterlapsis diebus fuerat superposita meo capiti, non fuisse mihi ablatam, usque ad tempus, quo habui somnium, de quo sum locuta initio. Hoc dicto Sanctus disparuit, & ego veritatem ipsius verborum comperi ex effectibus. Cùm enim eousque afflictissimum, omnibus ijs diebus, post appositam mihi eam coronam, habuissem caput, expergefacta ex illo somno, statim dolorem ipsius cœpi sentire mitigatum.

Decimâ die pòst, quæ erat duodecima Aprilis, & dies Sabbathi, manè iterum conspexi Sanctum Patrem Ludovicum, cum speciali meæ animæ, & verò majore quàm aliàs, gaudio, quo affluens procidi ad ejus pedes, dicendo: Optimè advenēris, mi Domine Pater. Sanctus extendendo brachium dixit: Desiste Anima, & revertere ad tuum locum. Deinde mihi incepit quædam dicere, méque docere, quorum unum erat, quòd cibus à me sumptus mihi jam non profit ad sustentationem naturæ, Deus tamen velit à me cibū sumi, ut ab Ejusdem Majestate, in vita communi, & experte extraordinariarum singulariratum, constituatur norma Fidelibus proficua, ad agendam vitam spiritualem. Inter alia, quæ disseruit, etiam declaravit, quid significaverit, dum tres aculeos exemit ex dicta corona, deditq; meo Sancto Angelo Custodi. Dixit autem, quòd tres potentiæ meæ animæ, memoria, intellectus, ac voluntas, quando mihi ea corona fuit imposita, & inclinavi caput, specialissimos tres actus elicuerint, ad quos multò magìs concurrerit spiritus supernaturalis, quàm natura, quæ hac vice minùs egerit, quàm aliàs: & quia Angelus est purè spiritualis, atque Deus ipsi specialiùs commisit curam meæ animæ, & in his actibus magìs spiritualibus plus operatur ministerium Angelorum, quàm hominū, ad hæc omnia indicanda, illi jussu Dei porrexerit tres eos aculeos; ipse tamen retinuerit coronam, ut mihi significaret, perpessionem dolorum, quos tum senseram, eliciendo actus spirituales patientiæ, & aliarum virtutum, qua in re multum præstat natura adjuta à gratiā, magìs ad se pertinere, eò quòd naturā sit præditus humanā, & Deus sibi commiserit non solùm directionem animæ, in exercitio virtutum, sed etiam curam naturæ, nè deficeret. Hoc ipsum, quod exposuit Sanctus Pater Ludovicus, mihi fuerat priùs dictum à Deo, in quo ista omnia, postquam mihi id manifestavit, vidi, attollendo oculos, modo ineffabili: & cum mirarer, ea à me tam clarè perspici, dixit mihi Divina Majestas: Es oblita, & non meministi, tibi à me aliàs

fuisse datam auream clavim, ut in me posses videre, quidquid velles, sicut qui habet clavim, ingreditur, dum vult, in gazophylacium. Hoc mihi commemoravit Dominus: & verò ità contigerat, me aliâ occasione accepisse eam clavim, quamvis tunc singularis illius beneficij fuerim immemor.

*Istam visionem, quæ accidit duodecimâ Aprilis, adjunxi alteri visioni de corona, eò quòd in utraque de ea agatur. Ante hanc autem posteriorem, feriâ quartâ, nonâ die dicti mensis, aliâ Sancti Patris Ludovici est exhilarata visitatione, quæ fuit hujusmodi.*

Habebam, inquit, quasdam corollas precatorias, quæ mihi involutæ in charta datæ fuerant, & Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit, ut eas evolverem, ibíq; juxta me collocarem. Feci id, & subitò vidi globum lucis, instar Solis, qui suis radijs feriebat illas corollas, ac perfundebat splendore. Bene agnoscebam, non esse Deum, nesciebam tamen, quis taliter adveniret: quando tamen illum attentè aspexi, agnovi esse speciosissimum Seraphinũ. Post hoc vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui erat altè elevatus, & appropinquabat ad me. Ego subtimũi, & conversa ad meum Sanctum Angelũ Custodem, dixi illi: Sancte Angele, quid mihi est hîc agendum, aut quid dicendum? Ipse autem, quasi me pacando, respondit: Expecta, nihil opus est agere. Tum Sanctus Pater Ludovicus, velut subridendo, dixit: Nunquámne perdes hos timores? &, attollens manus atque oculos ad cœlum, subjunxit: sed omnia placent Deo. Deinde descendens per aliquot gradus ad pavimentum mei cubiculi, dedit benedictionem ijsdem illis meis corollis, & acceptas ad manum est osculatus, reposuítque suo loco. Interrogavi meum Sanctũ Angelum Custodem, quem in finem Sanctus Pater Ludovicus benedixisset eas corollas, quandoquidem ipsis jam virtutem communicaverit Sanctus Seraphinus, dum illas suis attigit radijs. Respondit mihi meus Sanctus Angelus: Advertè, magnus Deus noster comunicat nonnulla privilegia Sacerdotibus, quæ non communicavit Angelis, quale est, conferre virtutem rebus materialibus, ut per eas fugentur dæmones, sedentur tempestates, curentúrque morbi. Et quia is, cui datura es unã ex his corollis, omnia hæc incommoda experietur in longo itinere, quod illi imminet, voluit Deus, ut hic Pater, qui fuit Sacerdos, & Sanctus, ijs impertiretur suam benedictionem, propter quam illis Divina Majestas, virtutem indidit contra omnia prædicta pericula. Converti me tum ad Sanctũ Patrem Ludovicum, sed non vidi illum ampliùs, quia abiverat. Indolui, & Sanctus Angelus mihi dixit: Abivit, quia exhis spiritualibus derivatur debilitas in naturã, & nè tua nimium atteratur, cùm sis nunc valdè infirma, non vult, visitationes esse multùm diuturnas.

Postea die Dominicâ, decimâ tertiâ Aprilis, redijt ad me invisendam Sanctus Pater Ludovicus, & ego confugiens ad Deum dixi: Quid est hoc Domine? quomodo me iste Sanctus tam frequenter visitat? Patiórne fortasse, mi Deus, hac in re aliquam illusionem? Dominus respondit: Expecta; statímque cum majestate & gravissima authoritate subjunxit ista verba: Hoc tibi sit signum, non esse alium quam me, quòd nunquam sancto meo sis cauta timore: quibus verbis mea anima fuit reddita adeò serena & pacata, ac tam certa, esse veritates Divinas ea, quæ mihi eveniunt, ut existimem, me de ijs nullatenus posse dubitare. Ipse sit millies benedictus. Amen.

*Is, quem hæc Virgo in præsenti scripto insinuat, & cui una ex illis benedictis corollis data, fuit Joannes de Haro qui tum secum in Indias, futurus Gubernator Portûs Divæ. Quid idem Dominus contra hostes Hispanæ Fidei, sub finem hujus ipsius anni sexcentesimi vigesimi quinti, egerit, abunde est divulgatum per totam Hispaniam, fuitque satis celebre in Aula. Et quantum illi profuerit spirituale acceptum à Venerabili Matre, constat ex ipsiusmet epistola ad eandem Virginem, cujus authenticum autographum est in manu, quod hîc ad gloriam Dei, & salutem Fidelium referam, ejúsque ad verum tale.*

JESUS

JESUS.

Omnes meæ molestiæ, Domina, mitigantur, dum solummodo considero, me à Tua Dominatione protegi. Jam mihi id hac occasione patuit: siquidem sanctæ tuæ preces effecerunt, ut evaderem victor, vitámque conservarem, quod fuit evidens miraculum. Quamvis enim mihi fuerint inflicta quatuordecim vulnera, & quædã prorsus periculosa, non corripuit me tamen febris: quanquam cibum sumam tantùm unciatim, & quidem salitam bubulam, ac panem ex herbarũ radicibus confectũ, & aquam bibam valde insalubrem. Scribo fusè meæ sorori, ipsa referat omnia, quæ ego propter occupationes meas non possum. Tua Dominatio sit mei, per amorem Dei rogo, singulariter memor, & ego per omnem vitam recordabor, me esse tuum obedientem filium. Dominæ meæ Elisabethæ exosculor manus, eámque obsecro, ut mei meminerit in suis precibus, id quòd etiam ab omnibus in hac sancta domo commorantibus efflagito. Deus mihi Tuam Dominationem servet, sicut desidero, & indigeo. Ex Portu Divite, decimâ quartâ Februarij, Anno 1626.

Tuæ Dominationis

Joannes de Haro.

*Videatur Cap. IX. Libri II.*

# CAPUT XXXVII.

## Concluditur specialibus visionibus, quas habuit de Sancto Patre Ludovico de Ponte.

*Visio, quam nunc describo, accidit sequenti Majo ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti, dum à suo Confessario jussa fuit jurare, in processu pro canonizatione Venerabilis Patris Ludovici de Ponte. Testimonium, quod Virgo dedit, ibi fusè refertur: hìc solùm breviter annoto, quæ illi antecedenter evenerunt, & ab ipsa his verbis recensentur.*

Cùm meus spiritus in magna versaretur obscuritate, & vehementer timeret, exequi, quod illi fuerat mandatum, ut præstaret juramentum, quadam occasione urgentissimæ necessitatis, & gloriæ Divinæ, meiq; timores me multùm redderent perplexam, siquidem juramentum concernebat res extraordinarias, vidi Sanctum Franciscum Xaverium, & Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, cum quatuor Angelis, qui ipsos comitabantur. S. Franciscus Xaverius me peramanter est intuitus, & auferens omnem obscuritatem, quam in mea anima patiebar, replénsque illam clarâ & serenissimâ luce, dixit mihi: In tuo juramento hæc, & hæc dices, quæ ego omnia conjeci in chartam, & cogitans, non futura plura, cessavi à scriptione. Sed paulò pòst rursum mihi Sanctus dixit alia, quæ etiam in eadem charta scripsi. Ad hæc omnia Sanctus Pater Ludovicus nihil loquebatur, nullúmque proferebat verbum. Id ego animadvertens, dixi illi. Sancte Pater, quomodo mihi nihil dicis de ijs, quæ hic audis? Sanctus Pater agnovit meum spiritum, & cur sibi hoc dicerem, respondítque mihi: Non possum obsistere Divinis veritatibus, quas iste Sanctus loquitur. Tum S. Franciscus Xaverius statim dixit: Deus est summa veritas, ideóque nec potest fallere, neque falli.

Interea se Sanctus Pater Ludovicus ad me vertit, & dixit mihi, quàm amantissimè: Quomodo vales Soror, quomodo tuus spiritus est constitutus? Pessimè sum, Sancte Pater, constituta, inquiebam, pessimè: versor in summis timoribus. Sanctus Pater mihi, prout faciebat, cùm viveret, respondit, repetendo verba, quæ mihi Deus aliquando dixit, atq; ipse multùm ponderavit, & sunt illa: *Do tibi in signum, me esse, qui tibi loquor, quòd nunquam sis caritura meo sancto timore.* Quiesce, ajebat, Anima in tuo Deo, concedit enim tibi suam pacem, & quietem. Licèt verò te interdum visitem, non facio id tamen sæpiùs, quia mihi non adhibes omnem fidem, quã posses, propter tuos consvetos timores.

Magno me hæc verba affecerunt pudore, & proposui emendationem, quanquam langvidè. Hi autem Beati Sancti mihi valedixerunt, & rogaverunt duos Sanctos Angelos, ex ijs, quos secum adduxerant, ut manerent apud reliquos meos Dominos Angelos, & apud me, quod fecerunt, atque etiamnum apud me manent. Videtur mihi esse impossibile, non credere, quòd hæ veritates sint Divinæ, quia ex omnibus prædictis magnum sum assecuta lumen. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Pergit Virgo referre aliam visionem ejusdem mensis May, & sic ait.*

Post hoc vidi quadam nocte intrantem in meum cubiculum magnam multitudinem Angelorum, ferentium virides ramos in manibus. Rami habuerunt candidissimos flores, & adeò resplendebant, ut totum cubiculum replerent lumine, spargentes unà svavissimum odorem. Existimavi illos Angelos advenire tanquam comitantes Dominum: non ità verò se res habuit, sed sequebatur ipsos Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, sacro indutus amictu. Portabat in suis manibus cum magna reverentia quoddam vas coopertum velo. Accessit ad me, & cum admirabili gravitate, silentio, atque cœlesti modestia, unxit liquore coloris sangvinei, quem ferebat in vase, meos oculos, nares, manus, ac pedes, formando in dictis his partibus eodem liquore crucem, atque hoc facto discessit cum suo comitatu. Ego obstupui, & optavi intelligere istud mysterium, si Deo placeret. Idem Dominus in me excitavit desiderium, ut id ex ipso humiliter quærerem, quod feci, & Divina Majestas mihi respondit: Angelus tuus Custos tibi hoc dicet. Tum Sanctus Angelus mihi dixit: scias Soror, hunc tuum Sanctum Patrem in vita optavisse, ut adesset tuæ morti, tibíque conferret Sacramenta, quod ipsi Deus ex inscrutabilibus & arcanis judicijs non concessit: voluit tamen, ut te nunc ungeret, ex qua unctione consequeris vires spirituales & corporales, atque in omnibus confortaberis. Hoc mihi fuit dictum à Sancto Angelo, sed nihil intellexi, quando, vel an citò essem moritura. Fiat hujus magni Domini voluntas, qui sit benedictus. Amen.

*Mense Octobri ejusdem anni (licèt inter medio tempore multa alia viderit concernentia Sanctum Patrem Ludovicum, quæ sunt dicta, & dicentur aptioribus locis) refert quod sequitur.*

Die Sabbathi, quæ fuit Sancti Lucæ, ingressus est dæmon meum cubiculum, præferens terribilissimam speciem: videbatur mihi habere quosdam paxillos tractos per guttur & caput. Collocavit se coram me, & subitò edidit gestum, acsi timeret quempiam advenientem. Circumspexi, & vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, cujus præsentia fugavit dæmonem, qui ibi ampliùs non substitit. Fui viso illo hoste valde afflicta: quotiescunque enim ipsum conspicio, videtur me afflare veneno, quo vehementer labefactat meas vires corporales. Interea me est allocutus Deus, dicendo: Fatigata es, Anima, veni mecum, & quiesces: cumq; re ipsâ præciperet Sanctis Angelis, ut me abducerent, dum nos incepimus movere, Sanctus Pater Ludovicus eâ vivacitate, quâ consveverat agere in vita, mihi dixit: Noli hàc ire. Sancte Pater, respondi, non eo, sed ducor. Tum se convertens ad meos Sanctos Angelos, dixit illis, quà me deberent ducere. Bene intelligo, ipsos id sciviſſe, vult tamen Deus, ut inde agnoscam, hunc Sanctum post suum obitum, eam gerere mei curam, quam gerebat, dum viveret.

Ducta sum ad cœlestem Jerosolymam, ubi quasi in medio illarum pulcherrimarum platearum, erat sumptuosum quoddam & speciosissimum palatium, quod habebat frontispicium elegantius, quàm sibi quis possit imaginari. Ingressi sumus per eosdem portas, & cum pertransivissemus admirandam aream, incidimus in alias portas, quarum anterior structura erat longè pulchrior & venustior, quàm priorum. Ingravimus illas, & ascendimus ad spatiosissimam aulam, ubi erat Deus Dominus noster, qui me benignissimè excepit, amplexúsq; singularem exhibuit amorem, dicendo hæc verba: *Sede à dextris meis.* Obtendo enim

mihi Divina Majestas, quomodo ab ipsa omnes creaturæ dependeant, qualiter illis communicet, atque conservet esse, quod habent. Hoc spectaculum me summo affecit stupore & solatio: existimo enim, visas à me ibi fuisse omnes creaturas productas, & conservatas à Divina potentia, tam rationales, quàm irrationales; omnes homines, malos & bonos. Et cùm Deo agerem gratias pro tam eximio beneficio, dixit mihi: Omnes creaturæ sunt subjectæ meæ voluntati, sinúntque se gubernari ac duci ad finem, ad quem illas condidi, tantùm homo libero arbitrio, quod illi dedi, mihi resistit: & si cadere in me posset dolor, affligerer ipsius ingratitudine. Nihilominùs, ut eo modo loquar, quo tu id nunc potes intelligere, complacentia & oblectatio, quam habeo in subjectione voluntatis meorum servorum, omnem excederet dolorem, quo me afficere possent rebelles, si illius forem capax.

Postquam mihi Deus hæc & alia hujusmodi dixit verba, mandavit Sanctis Angelis, ut me circumducerent per totum illud cœleste palatium, & mihi ostenderent, quæ in eo erant. Duxerunt me igitur per portam, quæ erat velut ad latus throni, in quo se ille Dominus manifestabat, & ostenderunt mihi omnia conclavia ejusdem palatij, in quibus mihi videbar invenire ipsum Deum in omnibus existentē. Summa erat elegantia, gloria, & pulchritudo illorum conclavium, nihilque in ijs aliud reperiebatur, quàm Majestas Dei, & immensi splendores cæterorum Divinorum attributorum. Perlustratis his conclavibus, fui reducta ad illud primum, ubi se Deus clariùs manifestabat, à quo eâdem rursus excepta svavitate & benevolentiâ, fui jussa sedere, sicut antea. Valde sum pudefacta, & erubui, atque taliter repsi per eos gradus, super quos stabat thronus illius magni Domini, & sedendo locum cepi in postremo gradu, intuens ipsum, tanquam attonita, quòd viderem illam ineffabilem majestatem & pulchritudinem. Fuit mihi verò præcipuè manifestata incomprehensibilis illa infinitas, quæ singulis ipsius ineſt perfectionibus. Eo momento prodiverunt ex divino ejusdem vultu splendores centies millies clariores splendoribus Solis, à quibus ad me pertingentibus, svavissimâ vi sum ducta ad Ejus Majestatem, cui mea anima fuit arctissimè unita. Licèt autem essem velut submersa in eo Divino Esse, atque in ea Divina caligine, quam explicare est impossibile, & nunquam ullus bene percipit, nisi is, qui illam experitur; videtur tamen anima, ex speciali Dei gratia, sui fuisse compos, & animadvertisse, quid ibi ageret: cognovit verò se eo occupari maximè, quòd multa cognosceret de Deo, & ex ea cognitione oriretur gaudium majus, quàm dici possit; quódque, licèt voluntas ibi excitaret amorem, ille tamen minùs distinctè perciperetur, ac esset quasi aliquid gaudio conjunctum, atque cognitioni. Hanc unionem, & ea quæ in illa sentiebam, sum ter experta, post ultimam autem abrepta in profundam ecstasim, fui ab his meis Dominis Angelis reducta ad meum angulum.

Hic me Sanctus Pater Ludovicus denuò est allocutus: quamvis enim illum viderim in cœlo, nihil mihi ibi dixit. Hîc, ùt ajebam, me est allocutus dicendo, quòd me direxerit, ut aliâ irem viâ, quia me in quodam transitu expectabat diabolus, atque disposuerit, ut illac non pergerem, nè paterer incommodum, quod mihi ipsius conspectus solet adferre.

Aliâ vice mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus, dicens, an vellem secum ire. Ego illi respondi, me velle: postea valde sum mirata hanc meam promptitudinem, cùm talia plerumque refugiam. Duxit me Sanctus Pater per quasdam scalas, quæ apparebant angustæ & obscuræ. Distingvebantur tripartito ductu, & in cujusvis fine erat sedile, cui imminebat iris similis illi, quæ efformari solet in cœlo. Ad terminum postremæ partis graduum patebat ingressus ad cœlestem Jerosolymam, unde prodiverunt ad me excipiendā quidam Sancti ex veteri Testamento, quos ego ibi clarè agnovi. Voluerit Deus id fieri, propter devotionem, quâ ex dono Ejusdem Majestatis feror erga Scripturam sacram, præsertim verò Psalmos Davidis.

Hi

Hi Sancti me duxerunt ad conspectũ Dei, ubi prostrata cæpi osculari Divinos eos pedes, atque tum notavi prorsus singulare mysterium: nam ità trium, simúlq; unius osculabar pedes, ut in uno deprehenderem tres, atque unum in tribus, id quod mihi Deus tam vivaciter repræsentabat, ut mihi præ admiratione fuerim penitus erepta. Quando ad me redivi, iterum me reperi in meo cubiculo cum Sancto Patre Ludovico, qui, postquam me interrogavit, an intellexissem mysterium illarum scalarum, atque ego respondi, non fuisse à me intellectum, mihi illud explicuit, dicendo, scalas angustas & obscuras esse viam arctam, quâ me Deus eo duxerat tempore, quo mecum in hac vita versabatur, & tribus ijs scalarum ductibus, tribúsque iridibus significari, quantum fecerim, fuerímq; passa, & quantum amaverim, pro rata mei profectûs; nunc verò meam animam longè altiùs esse progressam.

Post aliquot dies rursus vidi manè Sanctum Patrem Ludovicum, sedentem in quadam velut sella, cum ea modestia & gravitate, cum qua sedere solebat, dum viveret. Salutavit me, dicendo: Creatura Dei, Divina Majestas sit tecum, & cœpit considerare quendam libellum exemptũ ex suo sinu, atque attentissimè perlustrare, lucentibus ipsi duobus Religiosis Fratribus ex ejusdem Ordine, qui tenebant duas candelas cereas. Hoc non diu egit, deinde advenit alius minor Frater linteatus, qui Sancto Patri adferebat apparatũ scriptorium, & humillimè ad ipsum accedens, procubuit coram eo in genua. Tum Sanctus Pater apprehendit calamum, & annotavit quædam in illo mystico libello. Ego me converti ad Deum, petendo ab ipso, quod semper soleo, & abstraxi me, quantùm potui ab hoc spectaculo. Verùm, Deo meam animam disponente, sicut consvevit, attendi denuò diligentissimè visioni. Sanctus Pater me svavissimè corripuit, ob hanc abstractionem, dicendo: Cessa tandem, Anima, noli, per Dei amorem, taliter agere; & surgens ex sua sede, ac per tres, quatuórve gradus descendens, veniebat modestissimè atque gravissimè ad me. Ego, quia illum plurimùm veneror, cœpi vehementer expaveſcere, humiliando me. Accessit, dixítq; mihi amantissimè: Accipe, Anima, hunc librum mysticum, & serva illum in tuo corde, est enim tuus. Mea anima fuit modicùm turbata, longéq; magis est consternata, quòd ipsi accideret difficilè accipere librum ex manu Sancti Patris: verùm cùm modestè perseveraret in eo mihi offerendo, effecit ut illum susciperem, quem susceptum reposui in meo corde, sicut erat jussa. Hoc peracto Sanctus Pater redivit ad suam sedem, & ego multùm mirabar, quod factũ fuerat. Cùm ità aliquamdiu fuissem constituta, & Sanctus me videret attonitam, dixit mihi: Anima, miratis mysterium, quod vidisti. Volo ergo tibi pro tuo solatio, & quia sic vult Deus, dicere, quid significet.

Scias velim, Majestatem Dei Domini nostri, jam inde à sua æternitate complexam fuisse, & complecti Divinâ suâ mente, omnes vias, atque momenta vitæ tuæ, & status tuæ animæ, ab initio primæ tuæ ætatis. Et quia idem Dominus Majestatis mihi commendavit vineam tuæ animæ, tanquam suo operario ac ministro, ut illam custodirem, curarem, atque excolerem, ego id perlibenter feci, & quàm optimo potui sciviíque affectu, conando semper ità ipsius gerere curam, eámque colere, ut abundantem proferret fructum, qualis Divinæ debetur Majestati, quæ illam pro se plantavit. Respondit autem admirabili fructu magnis misericordijs, quibus fuit prævenita, & auxilijs sibi collatis, etiámq; respondebit, Divino ipsius aspirante favore, & auxilio. Unde ego speciali fruor gloriâ accidentali, pro ea muneris parte, quæ mihi obtigit in ejus cura. Hoc mysterium Deus ipsi voluit indicare istâ specie libri, dum illum commisit meis manibus, & ego in eo annotavi, quæ vidisti, ut id significarem, quod ad me spectat. Voluit quoque Divina Majestas, ut tibi à me traderetur, quia te tantopere concernebat, siquidem ejus operata acceptis beneficijs, & obedientia vocationibus, atq; inspirationibus tuis Dei & Domini. Istud est, quod vidisti, mysterium

rium libri, qui tanto te affecit ſtupore & admiratione. Age Domino Deo tuo magnas gratias, pro tam multis, & magnis beneficijs, quæ tibi contulit.

Poſtea ſe Sanctus Pater compoſuit ad quoddam ſpirituale ſilentium, & mea anima ſe immerſit ſecretiſſimæ & profundiſſimæ conſiderationi, expendendo tot ac tanta beneficia, quæ illi Deus ipſius contulit & confert, atque fines, propter quos id Divina Ejuſdem Majeſtas facit. Paulò pòſt Sanctus Pater, expergefactus ex ea quieta oratione, mihi dixit. Adverte, Anima, Deus Dominus noſter, in omnibus rebus, & beneficijs, quæ operatur in animabus ſuarum creaturarum, habet admirabiles & ſublimiſſimos fines: eorum verò, quæ in te agit, præcipui ſunt iſti. Primò, quia eâ fuiſti à Deo prædita diſpoſitione & naturâ, ut tales tibi præſtaret miſericordias, exhibet tibi illas ad majus animæ tuæ emolumentum. Secundò, ut inde proficiant, qui nũc vivunt, & poſt te ſunt victuri; útq; ejuſdem Majeſtas glorificetur, & exaltetur in omnibus operibus ſuis & miſerationibus. Tertiò, ad conſolandam & recreandam tuã in hoc exilio animam, atq; ad corroborandam & exhilarandam debilem, viribúſq; deſtitutam naturam, eo prorſus modo, quo mater volens ob neceſſarium aliquem finẽ abire à ſuo parvo filiolo, omnia ipſi dat ornamenta aurea, & gemmas, ut illum abſtrahat à dolore & triſtitia, quam ſentire poteſt ob ejus abitum, dicendo: Accipe, mi fili, iſta omnia cimelia, recrea te illis & exorna: tua enim ſunt, & tua eſſe volo. Atq; ſic illũ relinquit ſeſe ijs oblectantem, donec revertatur. Ità magna Dei noſtri bonitas, ſuo modo tecũ agit, & cũ animabus, quibus ſua communicare dignatur magnalia, propter fines concernentes ſuum honorem.

Dum Sanctus Pater hæc diceret, videbatur mihi in meo ſpiritu reſonare quædam vox hujus alloquij, qualis eſt, quam reddit echo in amplo & novo ædificio, alibi reperens, quæ in alio loco dicuntur, quod mihi intentiùs perpendenti dixit Sanctus Pater: Bene eſt, Anima; myſterium tamen ità ſe habet. Sicut Magiſter docet puerum diſcentem, ipſique ità lectionem aſſignat, ut eũdem jubeat omnia verba repetere, quæ ille pronuntiat, quò à puero meliùs addiſcantur: ità interdum, ſuo modo, Deus & Sancti ipſius alloquuntur animam. Deus loquitur, & ſpiritus percipit, ac audit, quæ dicuntur à Deo, ità ut exiſtimet, Deum in ipſo, & ſe in Deo loqui. Habet Dominus Deus noſter infinitos modos ſeſe communicandi, & tu es multos experta, prout ſcis. Obſerva omnia, eſto bono animo, & confortа cor tuum in Domino, quia Divina Majeſtas eſt tuus Pater, & mihi tanquam famulo ſuo atque cooperatori, mandavit, ut te inviſerem ac adjuvarem, tibíque ejuſdem nomine ea manifeſtarem, quæ tibi adferant ſolatium, & proſint. Quodſi hæc pro tua conſolatione & ſatisfactione cum ijs contuleris, qui in hac vita degunt, poteris ſecuriſſimè acquieſcere, quandoquidem tuus ſpiritus in id propendet, ut omnia, quàm optimè potes, conferas cum tuis Confeſſarijs, quod quidem jam non eſſet adeò neceſſarium. Ego tamen id approbo: ſic namque agere eſt virtutis, & boni ſpiritûs. Nunc, Anima, vale. Sanctus Pater abivit, & ego ob hanc inſtructionem magno affluebam ſolatio, mirabárque miſericordiam, & ſapientiam magni Dei & Domini noſtri.

Denique ſextâ Decembris noctu, poſtquam neſcio quid comedi, cùm mihi quicunq; cibus obſit, fui ultra tres horas afflictiſſima ob dolores ſtomachi, quibus durantibus conſpexi S. Patrem Ludovicum, qui mihi dixit: Quid tibi eſt, Anima? affligeris. Ego hæc temporaria, & conſveta incomõda nihili faciens, illi reſpondi: Pater vehementiſſimè opto ac deſidero, ità ut hac de cauſa ardeam, aſſequi veram rationẽ explendæ Divinæ voluntatis. Hæc ego deſideria, dixit S. Pater, à multis diebus in te notavi. Repoſui dicendo: Verùm deſideria iſta ſunt inania. Hoc noli, ſubjunxit Sanctus, noli dicere, Anima: quieſce nunc, volo enim apud te hac nocte manere. Incepit deinde ſingulari ſvavitate, quæ tamen plena erat gravitate & authoritate, mihi eximia quæque recenſere de cœlo, & gloria Beatorum; de pace, unanimitate, ſatieta-

te, gaudio & lætitia illorum cœlestium incolarum, quibus perfruuntur, ac alia admiranda. Atq; ità me recreavit usq; ad horam sextam matutinam, ut quodammodo obliviscerer meorum dolorum. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

# CAPUT XXXVIII.

## Favores ipsi exhibiti à Deipara Virgine, & mysteria atq; glorioſa ejusdem Celsissimæ Reginæ decora, quæ cognovit.

*PRioribus capitibus sum complexus favores, huic Sponsæ Christi exhibitos à cœli incolis, & singularem familiaritatē, quâ cum ea egerunt. Spiritus enim hujus Virginis tantæ fuit perfectionis, ut Beati viventem adhuc in carne susp icerent, tanquam æternorum jam bonorum compotem. Hæc omnia tantò eluceſcunt clariùs ex modo, quo cum ipsa egit Beatissima Virgo, & ex gratijs, quas illi contulit, quantò majus inter cœli Reginam, & ejusdem famulos, intercedit discrimen. Patebit id ex spirituali eleemosyna, quam ab omnibus cœlestis illius Palatij Sanctis accepit, inter quorum dona, quemadmodum Sol inter stellas, illud eminuit, quo ipsi Magna misericordiæ Mater subvenit. Evenit An: 1624. quod famula Dei his verbis refert.*

In festo omnium Sanctorum, horis matutinis, Deus mihi, manenti in meo loco, dignatus est monstrare in spiritu solennitatē, quæ eo die in cœlesti Patria celebrabatur, in honorem illorum felicissimorum Civiū. Vidi in medio illius S. Civitatis elegantissimum & obstupescendum castellum, cujus portæ patebant, magnâ plenum gloriâ & decore, instar regij palatij, in quo morabatur Majestas Triunius Domini Dei nostri. Universa cælestis aula videbatur quodammodo ardere divino igne, & festivis luminibus, adeò lucentibus, ut millenos possent illuminare mundos. Audivi exquisitam & amœnissimam musicam svaviū instrumentorum, & vocum Angelicarum: omnia erant plena gaudio, gloriâ, & laudibus Dei. Ex isto castello prodijt soleñissima pompa, in qua geminato ordine procedebant Angeli & Animæ beatæ. In medio gradiebatur Majestas JESU Christi Domini nostri, procedentium autē agmen claudebat Sanctissima Virgo ejusdem Mater, cum comitatu omnium Sanctarum Virginum, Martyrum, Viduarum, & Conjugatarū. Cantu, qui interea audiebatur, laudabatur Deus, & Sancti ipsius. Hunc in modum procedentes obiverunt cœlestem Jerosolymā tanto spatio, ut à me nequeat explicari, liquidem mihi Civitas repræsentabatur amplissima, & velut immensæ magnitudinis: demum pervenerunt ad idem castellum, ubi se omnes prostraverunt, & adoraverunt Deum, agendo illi gratias pro beneficio, quod ipsis ex pura sua bonitate præbuerat, reddendo eos participes gloriæ, qui possidebant. Dedit illis Deus suam sanctissimam benedictionem, & Sancti, atque Angeli abiverunt ad suum singuli locum, ac sedem. Observavi, etiam Christum JESUM Dominum nostrum, quā bonitatem sese prostravisse, & adoratum ab eodem fuisse Dominum, egisseq; gratias pro beneficio sibi collato, dum univit sanctissimam ipsius Humanitatem Divinæ Personæ Verbi æterni.

Advenit postea quidam Angelus ex supremis, ferens in suis manibus pretiosissimam pelvim crystallinam, ornatam auro, & pulcherrimo coopertam linteo. Stetit se cum pelvi coram Deo, qui ipsam benedixit, & pretiosum in illam imposuit nummum aureum, qui ineffabili modo, tamen esset unicus, erat simul trinus, repræsentans Beatissimam Trinitatem. Nummus iste mansit in medio pelvis. Angelus prodivit ex augusto eo palatio, & more eorum, qui colligunt oblata in templo, tulit pelvim ad Sanctissimam Virginem Dei Genitricem, cujus Majestas in eam imposuit elegantem aureum nummum splendentem instar Solis. Deinde omnes cæteri Sancti singillatim obtulerunt nummum aureum, alij majorem, alij minorē, juxta suam quisque conditionem. Peractâ oblatione, Angelus tulit oblata ad Deum, quæ Ejusdem Maj-

Majestas considerauit, multúmque sibi in ijs complacuit, & mandauit eidem Sancto Angelo, ut illa mihi exhiberet videnda, & meis Dominis Angelis, apud me manentibus. Ijs visis mei Domini vehementer sunt mirati illorum pretium, & fuerunt supra modum exhilarati: ego pariter sum gavisa, licèt tum ignoratem mysterium. Sanctus Angelus retulit pelvim ad cœlum, & præsentavit ipsam Sacratissimæ Personæ Spiritûs Sancti, qui se dignatur vocare sponsum hujus vilissimæ suæ famulæ. Hoc facto, & post unum propè diem elapsum, mihi Dominus declaravit mysterium eorum nummorum aureorum, dicendo: Anima, nolui te ex hac solennitate abire vacuam, & absque magno lucro. Noveris igitur, illos numinos à Sanctissima Virgine Maria, & Sanctis oblatos, esse symbolum orationum, quas in Divino meo conspectu pro te eodem die obtulerunt. Nónne verò, ajebam ego, mi Deus, semper pro me orant? Ità est, respondit Dominus: sed hac die erant prorsus speciales, & affectuosæ preces, quas pro te mei Sancti fuderunt. Benedictus sit Deus in omnibus operibus suis. Amen.

*Sequens gratia ipsi fuit præstita decimâ Octobris, anno sexcentesimo vigesimo quinto, quam ità recenset.*

Decimâ hujus manè vidi descendentem, ad meum paupertinum cubicellum, Augustissimam Cœli Reginam. Confugi celeriter ad Deum, more solito, & rogavi ipsum, nè me sineret decipi, sed doceret suas sanctas veritates, & exequi suam voluntatem. Deus autem me compulit eâ svavitate, quâ aliàs, ad videndam ac audiendam, & alloquendam eam magnâ Dominam. Veniebat cum summa majestate, & copioso comitatu Angelorum, atque multarum cœlestium Virginum, quarum dispar erat statura & habitus. Latera ipsius stipabant duo glorioli Patriarchæ, S. Dominicus, & S. Ignatius de Loyola, qui sustentabant manibus fimbrias veli, quo erat tecta illa Regina cœli. Dixit mihi, se venire ad benedicendas mihi corollas precatorias, quas ante me habebam, & de quibus me Sanctus meus Angelus præmonuerat, quo jubente ibi fuerant positæ. Itaque illas ex eo alto loco, unde me alloquebatur, benedixit in nomine Patris, Filij, & Spiritûs Sancti, relictíque illic duobus Sanctis, S. Dominico, & S. Ignatio, descendit per duos circiter, tréve gradus ad locum, in quo ego manebam, vehementer confusa, eò quòd me majestas illius admirandæ Principis ad summam permoveret venerationem. Verùm ipsa benignissimè & amantissimè elevavit unâ manu meum caput, quasi me amplexando, dixítque mihi: Deus te protegat, amica mea; alteram autem posuit super corollas, contrectando omnes, atque subjunxit, se non solùm istis velle impertiri benedictionem, sed etiam alijs clausis in cista, reposita in parte interiore domûs: atque conversa ad meos Dominos Angelos, dixit uni ex ipsis, qui appellatur *Fortitudo*, ut eas adferret. Ivit, statímque allatas imposuit suo dextro brachio, ubi Sanctissima Virgo ijs dedit suam benedictionem, sicut prioribus. Deinde Sanctus Angelus easdem singillatim porrexit eidem Dominæ, quas ipsa suis contrectavit manibus, attingendo omnes globulos. Post hoc dixit, inesse corollis, & singulis earum globulis virtutem contra dæmones, & morbos, quos illi procurant, perturbando & alterando humores. Discessit magna hæc Domina mihi valedicendo, & cum eo sacro comitatu redijt ad cœlum.

Rursum vigesimâ septimâ Decembris, ejusdem anni, vidi eminus hanc Præcelsam Dominam ad me venientem cum suo sacratissimo filio, quem parvulum gestabat in ulnis, comitante ipsam purissimo sponso Sancto Josepho, & innumerabili multitudine Angelorum, qui admirabiliter canendo laudabant Deum, gratias illi agendo pro singulari ssimo beneficio, præstito generi humano, dum nostri causâ factus est homo. Eâ conspectâ non solùm expavi, sed etiam vehementer fui turbata & afflicta, atque mei timores vires suas cæperunt exerere. Ideirco, dum jam appropinquaret, ipsi dixi: Noli, mea Domina, noli id facere, noli, mea Domina: sum enim peccatrix indigna tantâ gratiâ; quæ verba

solicitè iterabam, ob meam magnam afflictionem, donec à Deo pacata conticui. Benignissima cœli Regina ad me accessit, & dixit mihi: Accipe, amica, accipe hunc Dominum, quem unicè diligis; adora ipsũ, & solare te eodem, atque oblecta. Cùm id diceret, collocavit illum in meis ulnis, & Sanctissimus Puer me singulari amore & charitate est amplexatus. Adoravi ipsũ, tanquam Deum & Dominum meum, osculata sum ejus manus, & gratias illi egi pro collato nobis beneficio. Subitò fui mihi aliquantùm erepta, & existimo Divinum Puellum permansisse unitum meo cordi. Postquam ad me redivi, licèt ipsum haberem in corde, reperi tamen illum etiam in brachijs. Tum ad me accessit gloriosissimus Patriarcha Sanctus Josephus, qui acceptum reverentissimè ex meis ulnis Sanctissimum Puerum, reposuit ad ulnas Sanctissimæ Matris. Interea nubecula aurea, quæ inter utramque Majestatem & me intercesserat, subduxit meis oculis illud gratiosum mysterium.

In festo deinde Sanctorum Regum, postquam mihi Deus spectanda exhibuit mysteria illius diei, quæ alibi descripsi, adivi cum singulari veneratione & reverentia Sanctissimam Virginem, dixíque illi: Domina mea, hodierna dies est ex præcipuis festis Ecclesiæ Catholicæ, obsecro Tuam Majestatem, ut tam solemni die mihi largiri digneris strenam, atq; aliquam præstare gratiam meis Confessarijs, & mihi. Celsissima Regina mihi peramanter respondit, dicendo: Libentissimè satisfaciam tuæ petitioni, & imponendo manum ad suum sinum, exemit tres splendidissimos nummos aureos, singulos magnitudine exæquantes dimidium nummum Imperialem, ac dixit: Soror, accipe hos tres nummos aureos, qui sunt symbolum charitatis erga Deum & proximos, ac distribue, ut singulis unus obveniat. Fui turbata, cùm viderem, ab hac Domina exponi eos nummos, sed coacta sum illos acceptare, quos sinistrâ manu fortiter compressi, quâ plerumque expeditiùs utor. Egi gratias, quantas potui, Ejus Majestati, pro beneficio mihi præstito. Sanctus meus Angelus Custos, ad me accessit, ut ipsos ante acciperet. Nequaquam, ajebam ego, Domine Angele, non sunt omnes mei, solo nus tantummodo. Da mihi omnes, respondit ipse, quia duos tradam Angelis Custodibus tuorum Confessariorum. Dedi ei illos, & Sanctus Angelus fecit, quod dixerat. Quando sum ad me reversa, reperi me in meo angulo. Hoc evenit sextâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto.

Eodem anno, decimâ tertiâ Augusti, me Dominus vocavit, & dixit mihi: Vera Anima, videbis festum, quod in cœlo celebratur Beatissimæ Trinitati, in honorem meæ Sanctissimæ Matris. Fui statim, ità ut non possem resistere, ducta ad cœlum, & conspexi in throno, super omnia, quæ possunt cogitari, splendidissimo ac pulcherrimo, summam Majestatem Trinitatis nostri magni Dei. Non vidi ipsum in specie corporea, sed cognoscebam intellectualiter ejusdem Essentiam, Personas, & perfectiones. Vidi deinde prodeuntes ex suis sedibus novem choros Angelorum, singulos seorsim, & Deus mihi manifestavit naturam, potentiam, & perfectiones cujuslibet chori, unáque discrimen, quadiu ter illos intercedit. Aderant supra modum compti & specioſi, omnes armati, & non gerebant arma super vestes, sed erant ipsi dem armis miro modo induti, tanquam vestibus. Fuit verè cœleste spectaculum festivus ille, tam splendidus, & magnificè ornatus. Singuli Chori procedebant ordine geminato, circumeuntes illam coelestem Civitatem, donec integrum conficerent circulum. Post hoc se prostravere coram eo augusto throno, adorantes in illa Majestatem Omnipotentis Dei. Attribuebatur ea solennitas specialiter Personæ Patris æterni, cui universi accinebant divinas laudes dicendo: Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercituum. Postquam id fecerunt Angeli primi Chori, & eodem ordine prosecuti fuerunt Angeli Chori secundi, regens me invasit desiderium, ut cum ipsis cantarem, eadémque verba dicerem, verùm non audebam. Tum meus Sanctus Angelus Custos agnoscens meum affectum, mihi dixit: Bene potes canere, sic

age cum omnibus, quod omnes dicunt. Feci id, repetendo eadem verba. Similiter sunt progressi reliqui Chori.

Singuli, post exhibitum eum honorem Domino Majestatis, se conferebant ad honorandam gloriosissimam Virginem. Hæc magna Domina sedebat in alio pulcherrimo throno, qui mihi æquè elegans & cœlestis apparebat, ac prior, præterquam quòd non spiraret occultam quandam Divinitatem, & nescio quid ineffabile, quo alter erat exornatus. Præbebat se hæc Præcelsa Regina spectandam adeò formosam, adeóque indicibili gloriâ præditam, ut in animo meo dicerem: Quamvis in hac cœlesti Patria nihil aliud possideretur boni, quàm visio hujus gloriosissimæ Dominæ, millenis nobis esset laborandum annis, ut tam incomparabili bono frueremur.

Peractâ repræsentatione cultûs, qui illi ab omnibus ijs cœlestibus Choris exhibebatur, conspexi in quodam loco earum platearum, aliquantùm eminus, ferocissimum quoddam animal simile tauro, ibi discurrens, & edens gestus, acsi quempiam impeteret cornibus, & verberet per aërem, quamvis neminem viderem feriri, tantúmque omnia desinerent in fictione, quia nullus aderat qui feriretur. Stupebam viso hoc spectaculo, & dicebam intra me: quid est hoc? si est diabolus, quomodo est in cœlo? si verò non est, quem potest hæc bestia significare? Dominus agnitis meis dubijs mihi dixit: Non est diabolus, sed quædam figura superbiæ, obstinationis, & illusionis, de qua referetur victoria, cessura in honorem meæ Sanctissimæ Matris.

Ipse sit benedictus. Amen.

# CAPUT XXXIX.

## Manifestat illi Dominus mysteria Conceptionis suæ Matris, ejusdémque præsentationem in templo, & alia.

*Multa de ijs, quæ Dominus huic suæ famulæ manifestavit, pertinentia ad mysteria Sanctissimæ suæ Genitricis, præsertim purissimam ipsius Conceptionem, fuerunt scripta in prima parte hujus historiæ: hic referam, quæ deinceps de ijsdem intellexit, ac dictavit Patri M. Fr. Andreæ de Ponte, Ordinis Prædicatorum, cujus charactere & manu propriâ, ex ore Virginis, conscriptas habeo chartas. Fuit Venerabilis hic Vir germanus Sancti Patris Ludovici de Ponte frater, & unus ex Confessarijs, de quo ipsa multoties loquitur. Cum eo P. Michaël de Orenja partiebatur laborem, & absens omnem illi committebat curam, de spirituali istius Virginis profectu. Ità verò, loquens de anno sexcentesimo vigesimo quarto, ait.*

His diebus, nihil penitus hac de re cogitans, quamvis meo more vacarem orationi, conspexi Virginem Dominam nostram, & juxta ipsam, eidémque valde vicinum Divinũ fulgentissimũ Solem, cujus radijs illustrabatur. Conata sum me, propter consvetos meos timores, abstrahere ab hac visione, sed non potui. Vidi, quomodo ille Sol occupaverit hanc Dominam, & in se transformaverit, eum in modum, quo ignis occupat ferrum, ut totum videatur in se ipsum transmutare. Fuit Virgo tantâ claritate & splendoribus repleta, ut à me videri desierit. Expendebam meditabunda hoc mysterium, & optabam scire, quid significaret. Tum Dominus mihi dixit: Scias velim, Anima, corpus meæ Sanctissimæ Matris in visceribus Sanctæ Annæ, consveto & naturali modo fuisse formatũ, quo cætera corpora humana, verùm celeriùs, & longè breviore tempore: cùm autem esset ultimatè dispositum, ut informaretur ab anima, eo ipso momento, eodémque instanti, quo anima creata illud informavit, plenam quoque fuisse gratiâ, ac donis Dei; atque à Divino Sole admirandis illustratam splendoribus, dum eam reddi-

dit Dei-formem, ipsíque contulit usum rationis, ut jam tum subitò inceperit mereri. Istud est mysterium, quod vidisti.

Postea die Dominicâ vigesimâ quartâ Novembris, rursum conspexi hanc Augustissimam Dominam, quæ mihi dixit: Veni mecum, Soror, & videbis mirabilia. Etsi verò me initio, ob meam verecundiam ac timores, excusaverim, nihil mihi tamen id profuit. Duxit me ergo ad cœlestem Jerosolymam, ubi eo die celebrabatur solenissimum festum, cui me Sanctissima Virgo voluit adesse. Audivi svavissimam musicam Angelorum, quæ tota referebatur ad laudem magnæ istius Dominæ. Erat ingens lætitia, & gaudium illius cœlestis Aulæ. Videbantur mihi ex altitudine ad solum ejus cœli decidere quædam velut stellæ fulgentes, etiámque ad terram nostram cadebant cœlestes rores & influentiæ. Regina Cœli fuit glorioſissima, & lætissima; cecinit duos versus ex Cantico *Magnificat*, quorum unus erat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Gratias tum egit Patri æterno pro collatis sibi beneficijs, dum est concepta sinè originali peccato, ipsámque elegit in matrem sui filij. Angeli deinde cecinerunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Peractâ solennitate me reduxit ad meum angulum. Dominus mihi dixit, diem illum esse in cœlo solenniſſimum, eò quòd eodem Archangelus Michaël vicerit Draconem, qui vehementer impediebat cultum conceptæ absque labe originali Sanctissimæ Virginis: fuerit verò sublatum grande quodpiã piæ opinionis obstaculum.

Anno sexcentesimo vigesimo quinto, septimâ Decembris, in vigilia festi purissimæ Conceptionis, & die glorioſissimi Doctoris Sancti Ambrosij, mihi apparuit Regina Angelorum, cum hoc Sancto Doctore, & dixit: Vide, Anima, adduco hîc Ambrosium, qui est meus amicus. Et cùm hoc diceret, elevavit ipsius Majestas brachium, atque cum magna charitate imposuit humero Sancti. Vidi clariùs, quod à me superiùs dictum est, ipsam non solùm in eo primo instanti incepisse, accelerato usu rationis, mereri, sed etiam confirmatam fuisse in gratia. Ostendit mihi Dominus statum illius Celsissimæ Reginæ, & vidi eam tam plenam divinis donis, ut me reddiderit attonitam. Postquam cessavi contemplari hoc mysterium, benignissima ista Domina accessit ad me, & dixit mihi: Soror, nolo te ità abire, ut non accipias ex meis manibus aliquod munus. Detraxit Ejusdem Majestas contortum aureum annulum, nigro, & alio præterea colore encausticò distinctum; cúmque peteret meam manum, extendi sinistram, & Sanctissima Virgo tum dixit: Da mihi dextram. Extendi illam, & ipsamet Ejus Majestas inseruit annulum in meum digitum proximum minimo, quem is penetravit. Subjunxit hæc Domina: Istud est signum, quòd brevi sis migratura, simúlque nos visura in cœlo. Jam autem scis, breves Dei moras esse diuturnas: noli turbari, ideo enim tibi Deus non manifestat horam ac diem tuæ mortis, nè te conturbet. Hoc mihi Sanctissima Virgo dixit, quia me jam desiderabam diligenter præparare, ac disponere ad bene moriendum. Discessit à me Ipsius Majestas, datâ mihi suâ benedictione: petij ab illa gratiam pro ijs, qui se mihi commendaverant, & dixit mihi, se ipsis gratificaturam.

Postridie, octavâ ejusdem mensis, qui celebratur festum hujus Dominæ conceptæ absq; peccato originali, vacabam meæ consvetæ orationi, atque permota cogitatione & apprehensione, quam de meis habeo defectibus, meáque miseria: rogabam Deum magno affectu, ut me juvaret, illuminaret, ac suo meam animam accenderet amore. Præter hos affectus, se immiscebant alij, ut Divina Majestas respiceret suam Sanctam Ecclesiam, ipsíque largiretur victoriam contra hostes Fidei. Crevit fervor usqueadeo, ut ipsum etiam corpus angeretur, & acsi mei essem impos, magno nisu exporrigebam brachia, quasi conarer apprehendere, quod desiderabam. Tum conspexi ante me JESUM Christum Deum nostrum affixum cruci, &, quamvis appareret tanquam mortuus, haberetque caput profundè inclinatum, quam ob cau-

sam

sam, & quia parte aliquâ tegebatur à sacro suo capillitio, non poteram integrè videre Divinum illius vultum; nihilominus me Ejus Majestas solabatur, interrogando, quæ me cura angeret, atque invitando, ut accederem, & in ipso quiescerem. Ego illi commemoravi graves meæ animæ, & Sanctæ ipsius Ecclesiæ necessitates. Ut me consolaretur, refixit unum brachium à cruce, quo mihi videbatur multa complecti, unde arguebam, fore, ut nobis præstet, reconciliatus hominibus, aliquam misericordiam. Dixi igitur: Bene id intelligo, mi Domine, licèt mihi à Tua Majestate adeò tacitè & ænigmaticè dictum fuerit. Jussit me deinde appropinquare ad suos sacros pedes, ad quos prostrata, ut eos exosculari, fui ab Ejusdem Majestate ducta ad cœlestem Jerosolymam, ubi totam illam sanctam Civitatem vidi festivè singulari apparatu, & insolito splendore exornatam.

Celebrabatur mysterium Sanctissimi Sacramenti, quod vehementer mirabar, cùm dies aliam mihi videretur exigere solennitatem. Erat in cœlo ara quadrata, magnificentissimè instructa, & super illam elegantissima hierotheca, continens Sanctissimum Sacramentum, in quo, juxta captum meæ animæ, vidi distinctissimè JESUM Christum Dominum nostrum, Deum & Hominem verum, atque in eo totam Beatissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Contemplabar hoc sacrum mysterium, ac videbã, & agnoscebam omnia prædictã, absque ullo dubio: aliunde verò mihi videbar non penetrare plenè illud Divinum arcanum, neque mihi suppeterent verba, vel modus ad explicandum id, quod intelligebam. Occupata hac notitiâ vidi omnes eos infinitos spiritus Angelicos, & Animas beatas reverentissimè venientes, ad sublimissimum illud mysterium adorandum, & flexis genibus osculabantur primum gradum ex tribus, quibus ascendebatur ad illam magnificam aram, in qua erat collocata hierotheca. Vidi præterea, peractâ illâ, ab innumerabili eo numero Angelorum, & sanctarum Animarum, adoratione, accedentem Sanctissimam Virginem Dominam nostram, tot abundantem gratijs, tantáque conspicuam gloriâ, ut excedat omnia, quæ humana potest assequi cogitatio. Procedebat cum comitatu plurimorum Angelorum, & Sanctarum Virginum, atque postquam pervenit ad aram, adoravit demississimè & reverentissimè idem Divinum mysterium, & osculata est omnes tres gradus, quibus consceusis procubuit in genua, & collocavit super quoddam velut suppedaneum, cui immediatè insistebat ara, cubitos brachiorum, superponendo suis manibus suum sacrum vultum. Dum id Sanctissima Virgo ageret, repræsentavit se mihi Sanctissima Trinitas aliter, quàm eam priùs viderim in Sacramento. (tum enim videbam tres Divinas Personas, non in figura & specie imaginaria, sicut antea, verùm intellectuali, & spiritualissimâ cognitione) atque cæpit manifestare magnas virtutes, & singulares gratias, à se illi admirabilissimæ Dominæ collatas.

Audiebam eas prærogativas, & laudes Sanctissimæ Virginis, sed non satis intelligebam, quod mihi idcircò fieri videbatur, quia longè excedebant meum captum: intellexi tamen bene, quomodo sibi Deus complaceret in Præcelsa illa Domina, quanto ipsam prosequeretur amore, quantumque eidem gratularetur gratias ipsius & gloriam, & quòd esset concepta immunis à peccato originali, quódque Divinus ille panis formatus, & sacrosanctum illud mysterium peractum fuisset in purissimis ejusdem viscеribus. Concluſit Dominus omnes ipsius laudes ijs verbis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* quibus dictis vidi, quòd totum illud sacrum mysterium sese intimè illi Sacrosanctæ Virgini iniverit, eámque penetraverit, & hinc tantopere deificata, tantóque pulchrior evaserit & glorioſior, quàm fuerit antea, ut ego quodammodo attonita obstupuerim. Apparuit mihi quædam quasi nubecula referens glaciem inauratam, quæ mihi eripiebat conspectum illius summæ Reginæ, patentibus tantùm quibusdam velut rimis, per quas nonnihil, quanquam parum,

tam

tam jucundi objecti poteram discernere. Quia verò anima erat inescata eâ svaviſſimâ voluptate, quam ex illius aſpectu capiebat, ibam huc & illuc, vehementer anhelans ad contemplandam denuò gloriam & pulchritudinem magni ejus theſauri, qui à nubecula obtegebatur. Reſonabat tùm dulciſſima muſica, per univerſam illam ſanctam Civitatem, neque aliud erat videre, quàm ſolennitatem & gaudia. Solatium, quo affluebam, me tandem mihi penitus eripuit. Quando ad me redivi, licèt præcipuum ſpectaculum præterierit, nihilominus mihi illa cœleſtis Aula adhuc apparebat, quaſi plena jucunditate, & gloriâ. Inde ſum reducta ad meum angulum, ibique fui viſitata à ſvaviſſima iſta & Celſiſſima Regina, quam toto cordis mei affectu ſupplex rogavi, ut gereret curam meæ animæ, & aliorum, quos ipſi commendavi, ſpecialiter autem præſentium Eccleſiæ neceſſitatum: atque poſtquam ſingulari benignitate ſe exhibuit promptam, ad præſtandum, quidquid petieram, abivit.

Poſt prædicta, rurſum decimâ tertiâ ejuſdem menſis, vidi JESUM Chriſtum Dominum noſtrum affixum cruci, atque dum afflictiſſima ipſi dicerem: Quid eſt hoc, mi Domine, cùm non videatur eſſe tempus, ut te mihi in hac ſpecie præbeas ſpectandum? reſpondit mihi Ejuſdem Majeſtas, ingentem præ ſe ferens dolorem: Quid me vis agere, cùm talia ſint peccata horum Regnorum, ut me coram Patre meo crucifigant? Nónne verò, mi Domine, ajebam ego, nuperum illud indicium, & brachium tuum refixum à cruce, quod mihi videbatur plurima ad ſe attrahere, ſignificabat amicitiam, téque reconciliatum eſſe hominibus? Quamvis non fueris decepta, reſpondit Dominus, non penetraviſti tamen omnia, quæ eo geſtu indicavi. Volui tibi ſignificare amicitiam initam cum juſtis, & finalem reconciliationem cum prædeſtinatis, ex quibus meam capio oblectationem & voluptatem, quóſque foveo, & ſummo proſequor amore. Alijs autem, dicebam, quid fiet? Peribúntne tam multæ animæ? Reſpondit mihi Ejuſdem Majeſtas graviſſimè: Ego nolo perire ullam animam, quin imò omnibus præbeo neceſſaria auxilia, ut conſequantur ſalutem, atque hoc dicto diſparuit.

*Sequenti anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, octavâ Decembris, quâ feſtum agitur pariſſimæ Conceptionis, habuit hæc Dei famula aliam viſionem de dulciſſimo iſto myſterio, quam nobis ſic deſcriptam reliquit.*

Die Conceptionis Dominæ noſtræ, ſub diluculum matutinũ, expendebam quoddam negotium, atque licèt concerneret obſequium Dei, ac eſſem ſolicita & affligerer, videns non fieri, quod ad majorem ipſius gloriam exoptabam, importunitas tamen hujus cogitationis me reddebat dubiam, ac timebam, nè, quamvis in negotio Divinæ quærerem executionem voluntatis, aliquis quoad me ſubeſſet exceſſus. Ideo me conabar ab illa abſtrahere, agendo cum Deo, quæ mihi nihilominus ſemel & iterum occurrebat. Erat mihi moleſta, unde mei Sancti Angeli, conſolantes me, dixerunt: Nè te affligas, Soror, quod enim admiſcetur, eſt naturale. Paulò pòſt conſpexi Sanctiſſimam Virginem ſplendidiſſimè ornatam, elegantiſſimâ indutam veſte, cui admirabiles gemmæ erant intextæ. Fuit prædita uſqueadeo divinâ pulchritudine, ut abriperet oculos meæ animæ, & omnem voluntatem. Veniebat, acſi feſtinaret, dicebátque mihi: Anima, veni mecum, confer te huc. Advertebam, me coram Ejus Majeſtate comparere velut laceram, maléque compta, ideóque illi reſpondi: Mea Domina, quomodo tecum ſic ibo? Veni Soror, dixit Domina, & apprehenſo meo brachio, duxit me ſecum, non ſinè magna mea erubeſcentia, & verecundia, dum conſiderarem, qualiter eſſem veſtita, ut mihi, propter nuſtatem & ornatum Celſiſſimæ illius Reginæ, quam comitabar, etiam turpior viderer, quàm eſſem. Duxit me per gloſos gradus, quos ex alto uſque deorſum deſos videbat ſubtile ſuſtentaculum. Per unam partem aſcendebat Ipſius Majeſtas, & ego per alteram, donec pertingeremus ad cœleſtem Jeroſolymam. Poſtquam eò pervenimus, patefactum fuit cœlum. Mag Domina eſt ingreſſa, & introduxit me

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cum, atque relinquens me valde erubescentem & confusam, quòd me viderem tam viliter indutam, abivit ad suum locum, & sedem.

Angeli inceperunt cœlesti melodiâ celebrare festum purissimæ Conceptionis hujus Dominæ. Accinebant laudes Domino Deo, gratias ipsi agendo, propter beneficium mundo præstitum, inchoatâ hodie nostrâ redemptione. Addebant quoque laudes & cantica in honorem Virginis, quæ musica satis diu duravit. Venerunt deinde ad me Domini mei Angeli, & cum illis S. Pater Ludovicus de Ponte, ac dixerunt mihi: Divinus Sponsus mandat, ut te ducamus ad regia ipsius conclavia & penetralia. In istóne, respondi, vestitu sum ducenda? Omnino, ajebant, ità enim jubet Dominus. Introduxerunt me in augustum palatium, & in aulam plenam gloria atque majestate, ubi aderat Sacratissima Persona Spiritûs Sancti. Dum illuc venimus, dixit Divina Majestas Angelis: Mundate, & exornate hanc animam, ut ad me accedat. Domine noster, responderunt, munus hoc mundandi spectat ad Sanctum hîc præsentem. Bene est, dixit Dominus, bene dixistis, fiat id ab ipso. Accessi ad Sanctum Patrem Ludovicum, procubui, compositis manibus, in genua Sanctus Pater stans, elevatis in altum oculis, & manibus junctis, dixit orationem, quam non intellexi, imposuit deinde manus meo capiti, ac tum mihi dedit benedictionem. Angeli me more solito, statim exornaverunt pretioso vestitu, cimelijs, torque, & coronâ. Divinus Spiritus me peramanter est intuitus, dixítque mihi latinè: *Tota pulchra es, amica mea, sede à dextris meis.* Consedi ad latus illius summi Domini, ubi meam animam occupavit quidam velut somnus, & reclinavi me, ut sic dicam, super genua Domini. Loquor taliter, quia hac vice non vidi Spiritum Sanctum in figura humana, sed aliter, & in specie spiritualissima. Ibi anima consopita fruebatur Divinis mysterijs, & amirandis rebus, quæ nequeunt verbis exponi, sed sentiri. Hunc in modum fui diu constituta. Inde quodammodo evolavi, uniendo me intimè Deo, ubi remansit superior pars animæ, etiam postquam fui reducta ad meum angulum.

Eodem die, priusquam me Sanctissima Virgo, sicut dixi, abduceret, Deus mihi denuò manifestavit mysterium purissimæ ipsius Conceptionis, immunis à macula peccati originalis, cum cæteris, quæ alibi scripsi, atque addidit, primam gratiam eidem collatam in illo primo instanti, quo anima fuit unita corpori, fuisse majorem, quàm habuerint Angeli vel Sancti, & hanc deinceps semper crevisse.

*Non vult dicere, primam gratiam collatam Sanctissimæ Virgini in instanti Conceptionis, fuisse majorem qualicunque aliâ gratiâ, quæ data est Angelis vel hominibus, id enim satis erat indubitatum, neque à Deo diceretur tanquam aliquid speciale: sed primam hujus Virginis gratiam in Conceptione fuisse majorem omni eâ, quam Angeli, & Sancti per decursum meritorum sunt consecuti. Hactenus verba sunt intellectu facilia, expendantur tamen bene à Lectore: meo namque tenui judicio adhuc amplius significant, quòd nempe hæc magna Domina Dei Mater, non solùm plus habuerit gratiæ in suo initio, quàm quicunque Angelus aut Sanctus divisivè in suo fine, verum etiam plus, quàm habuerint omnes* collectivè: *hoc est, quòd in sua Conceptione non tantùm amplius habuerit gratiæ, quàm Sanctus Michaël, vel Sanctus Joannes Baptista, quando cessaverunt mereri, idémque est de singulis reliquis intelligendum, sed amplius quàm omnes simul sumpti; adeò ut, si quis uni lancium imponeret gratiam omnium Angelorum ac Sanctorum, & alteri primam eam gratiam Augustissimæ Reginæ nostræ, hæc præponderaret. O quousque postea fuerit progressa, dum in momenta gloriosissimæ ipsius vitæ crevit in immensum!*

*Mysterium præsentatæ hujus Dominæ in templo, & alia Deus illi etiam revelavit anno sexcentesimo vigesimo quarto, quod Venerabilis Marina his describit verbis.*

Biduo ante festum Præsentationis, dum vacarem orationi, vidi hanc Dominam, quæ mihi dixit: Veni mecum, Sorot, ostendam tibi, & videbis admiranda. Domina mea, respondi, posset me Tua Majestas

stas ducere ad videndum infernum, quod mihi proderit, ut videns quid ibi fiat, me impendam emendationi meæ perversæ vitæ. Nequaquam, nequaquam, dixit Sanctissima Virgo, hoc non est necessarium. Duxit me Ejusdem Majestas ad templum, ubi à suis Sanctissimis Parentibus fuit Deo præsentata. Ibi vidi quindecim gradus, quos mea Domina conscenderat, & spectavi ipsam gradatim ascendentem. In primo gradu tales elicuit actus resignationis in Divinam voluntatem, & amoris Dei, atque oblationis sui ipsius, ut plurimùm ijs promeruerit: in secundo, paritérque cæteris gradibus actus, & merita mirum in modum creverunt, & quando pervenit ad supremum, videbatur mihi eminentissimus esse excessus gratiarum.

Deinde mihi hæc magna Domina ostendit mysterium suæ Virgineæ Desponsationis cum Sancto Josepho. Ibi illam vidi splenam gratijs ac donis cœlestibus, & majoribus auctam meritis, respondentibus singulari obedientiæ, quâ se Divinæ subjecit dispositioni ineundo conjugium. Actus hic obedientiæ fuit in purissima Virgine specialis meriti, Deóque acceptissimus. Monstravit mihi etiam, quomodo se in Divini Verbi Incarnatione submiserit nuntio Angeli. Vidi, quâ ratione præbendo consensum, & pronuntiando illud *fiat*, talibus cumulata fuerit gratijs & prærogativis, ut omnem superent facundiam, atq; exaggerationem. Exhibuit mihi postea spectandum modum, quo suum Divinum Filium in templo præsentavit, & collocavit in ulnis Sancti senis Simeonis, qualiterque eum dedicaverit Patri æterno, offerendo ipsum pro genere humano, & quomodo, cognoscens Sacrosanctum Filium, pro redemptione nostra morituram in cruce, illum promptissimâ obtulerit voluntate: quo actu longè amplius promeruit, quàm omnibus prioribus actibus. Ostensum mihi consequenter fuit mysterium, quando amisit & invenit Divinum Puerum in templo, ubi elicuit excellentissimos & ferventissimos actus resignationis in Divinam voluntatem, tolerando interea acerbissimos dolores & afflictiones, æquales gaudio, quod eo invento habuit. Tum illi multò prædictis majora accreverunt merita. Tandem fui ab hac magna Domina ducta ad pedem Crucis, ubi cum singulari dolore, & pari magnanimitate atque promptitudine Patri æterno suum filium pro remedio mundi obtulit in sacrificium. Hic tantum fuit, támque ineffabile ipsius meritum, ut gratia, quâ eo die fuit repleta, excesserit illam, quàm omnibus junctim actibus recensitis obtinuerat. Post hoc me Celsissima Regina secum duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi eam vidi tantâ repletam gloriâ & splendoribus, ut, sicut Sol stellas, ità ipsa omnium reliquorum Beatorum gloriam videretur superare. Deus sit millies, iterúmque millies benedictus. Amen.

## CAPUT XL.

### Prosequitur, quæ vidit de mysterijs, & gloria hujus Præcelsæ Dominæ.

*INsistens eidem argumento, concernenti multas Deiparæ Virginis prærogativas, & favores, quos ab ea obtinuit hæc ejusdem Dominæ famula, & dilecta filia, ità vigesimâ quintâ Martij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, scribit.*

In festo Annunciationis meæ Dominæ, dum ante Solis ortum essem collecta, mihi meus Sanctus Angelus Custos dixit: Soror, dispone te, quia Deus tibi hodie vult præstare aliquam gratiam, sicut consuevit. Post aliquot horas conspexi Sanctissimam Virginem in ea ætate, & ità cumtutam, sicut fuerat, dum est salutata ab Angelo, tam venustam, speciosam, & gratijs plenam ac donis cœlestibus, ut nullis possit verbis explicari. Audivi Sanctum Archangelum Gabrielem, qui ipsi

singulari reverentiâ, nomine totius Beatissimæ Trinitatis, nuntium exponebat. Videbatur mihi tota cœlestis Aula, tam Deus, quam ipsius Angeli, animo quodammodo, ùt loqui solemus, suspenso præstolari illud *fiat* ex ore hujus Sanctissimæ Virginis, paritérque universa terra & homines expectare suum remedium, ut assentiretur. Simul ac ejus Majestas pronuntiavit: Ecce ancilla Domini, fiat &c. vidi in cœlo ingentes plausus & jubilos; audivi cœlestem musicam, & laudes Dei. Atque eodem momento Omnipotens Deus illam purissimam Virginem replevit multis gratijs, & inæstimabilibus bonis, transformando ipsam in se, adeò ut videretur esse per participationem quodammodo Deus, & vera ejusdem Dei Mater, tametsi solum Verbum æternum in virgineis illis visceribus assumeret carnem. Subitò vidi Angelos sese prosternentes, ipsámque tanquam Dominam adorantes. Idem fecit Sanctus Archangelus Gabriel, & provolutus in genua gratias illi egit pro beneficio, quod mundo præstiterat, acceptando nuntium, eique suum præbendo consensum.

Dum spectarem tam grande mysterium, Sacratissima hæc Domina fuit ducta ad cœlestem Jerosolymam, comitantibus ipsam omnibus Angelis (qui me quoque cum ea duxerunt) & præsentata Beatissimæ Trinitati, ubi summo cum gaudio & honore exceptam Pater æternus compellavit dicendo: Filia mea; Filius, Mater & Domina mea; atq; Spiritus Sanctus, sponsa mea. Prostraverunt se denuò omnes illi Angelici spiritus in eo cœlo, & specie quadam adorationis ipsam sunt professi suam esse Dominam. Sanctissima Virgo me amantissimè intuebatur, atque advertens, quòd & ego ipsi vellem adeptum honorem gratulari, me vocavit dicens: Veni, amica, accede. Accessi, prostravi me, & adoravi illam velut Dei Matrem, & meam Dominam. Sic prostrata circumspiciebam cupiens rescire, an ibi aliquæ meæ adessent amicæ, & conspexi quasdam, quod magno mihi fuit solatio. Postea fui elevata, & osculata sum pedes meæ Augustissimæ Dominæ, cujus Majestas est suis brachijs admodùm benevolè amplexata meos humeros. Tum appropinquaverunt meæ amicæ adorantes Reginam cœli, eique congratulantes, quæ eundem ipsis exhibuit favorem, quem mihi. Rogavi illam pro ijs, qui se mihi commendaverant, & Ejus Majestas mihi respondit, se meæ petitioni satisfacturam. Hoc facto rapta fui in ecstasim, & quando ad me redij, reperi me in meo angulo.

Aliâ vice vidi hanc Excellentissimam Virginem coram Patre æterno, petentem & supplicantem, ut sibi daret facultatem eundi ad me invisendam, mihique præstandam magnam gratiam, ad benedicendum nempe meum Oratorium, eò quòd in illo peragendum esset quoddam opus mihi à Deo imperatum. Pater æternus ipsi dixit: Filia, & Domina, fiat quod petis, fiat, per me licet. Observavi specialiter, quod appellaretur Domina, cùm non loqueretur Filius, sed Pater æternus. Hærebam in meo dubio, & Divina Majestas mihi dixit: Scias velim, Anima, postquam Filius meus humanam assumpsit carnem, inter me & hominem, præsertim verò Virginem, intercedere quandam parentelam, ac proinde benevolentiæ causâ, atque ut doceam, qualis ipsi debeatur veneratio, illam voco Dominam. Descendit cœlestis Regina ad meum Oratorium, cum numeroso Angelorum comitatu, & magna copia Sanctorum, tam veteris, quàm novi Testamenti, summa cum majestate & pompa, cooperta grandi velo cæruleo, pretiosissimis gemmis referto. Duas veli ipsius extremitates sustentabant duo Patriarchæ, Ordinis Prædicatorum, & Societatis Jesu, S. Dominicus & S. Ignatius. Licèt autem agnoverim alios quoque Sanctos in eo sacro comitatu, specialiter tamen dignovi hos duos, & Sanctum Regem Davidem. Quando sunt ingressi Oratorium, tota illa beata Societas, & ipsamet Domina se prostravit; atque in signum majestatis & honoris multi Angeli suis manibus sustentabant syrma veli. Sacratissima Virgo surrexit, junxit manus, ac tum benedixit Oratorium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Deinde rursum manus com-

compoſuit, séque cum magna reverentia proſtravit, & aſſurgendo converſa ad me, dixit mihi: Vale, Anima, jam enim non eſt tempus agendi plura, & eadem majeſtate, quâ advenerat, reverſa eſt ad cœlum. Deus ſit benedictus. Amen.

*Conſueverunt antiquitus Imperatores, atque etiamnum ſolent Reges, ſuas ſponſas vocare Dominas, non quaſi profiterentur, his competere dominium in illos, ſed ut eo titulo oſtenderent, quòd ipſis communicaverint dominium in cæteros. Et quia magnus Deus noſter ac Dominus nobiſcum loquens noſtris utitur terminis, nullúmque ſibi præfixit limitem in honoranda Maria, vocata fuit ab eo Domina, ut nos doceret, ſubjectas eſſe huic magnæ Reginæ omnes creaturas. Pergit Venerabilis Marina eodem anno ſexcenteſimo quarto, dicens:*

In vigilia Aſſumptionis Dominæ noſtræ mihi Dominus dixit, quòd me eſſet dignaturus his diebus ducere ſecum ad cæleſtem Patriam, ad feſtum ſuæ Sanctiſſimæ Matris, ut ibi viderem ipſius gloriam. Ità eſt factum, quia fui in ſpiritu ducta ad illam ſupernam Civitatem, ubi ijs diebus habitavi, manendo unà hîc, & converſando cum creaturis, quanquam non abſque ſumma difficultate & violentia. Oſtendit mihi Divina Majeſtas inter eundum gloriam animæ Sanctiſſimæ ſuæ Matris. Erat tam eximijs, támque heroicis plena virtutibus, atque tantis cumulata meritis, ut prodeuntibus ex ſe radijs luminis quodammodo obſcuraret ſublimiſſimos Sanctos, & Seraphinos, eum in modum, quo præſente Sole diſparent ſtellæ. Deinde jam ingreſſa cœlum vidi eandem Præcelſam Reginam, tam eminenti præditam gloriâ, ut mihi propè impoſſibile fuerit eam intueri aliter, quàm prætenſo quaſi velo, & in quadam velut caligine divina. Sicut enim magnitudinem & gloriam Domini Dei noſtri, ipſiúſque immenſi Eſſe, anima, quantumcunq; Sancta, nequit in hac mortali vita videre, niſi obſcurè, ac tanquam interjecto velo, ità, ſuo modo, mihi, quadam proportione, videbatur contingere in cognoſcendis prærogativis hujus Dominæ. Emicabant ex ea quædam quaſi divina fulgetra gloriæ, illuminantia meam animam, quibus colluſtrata aliquid cognoſcebam, ſed ſubitò deſtituebar eo lumine. exiſtimo nihilominus, ſolum id modicum, quod ex gloria hujus magnæ Reginæ vidi, longiſſimè exceſſiſſe gloriam omnium ſimul ſumptorum Sanctorum. Gratulata ſum ipſi millies bona, quæ poſſidebat, petivi ab illa gratias pro me, & proijs, qui ſe mihi commendaverant, atque ipſius benignitas mihi eſt pollicita, ſe mihi ſatisfacturam.

Poſtridie, ipſo ejus feſto, conſpexi hanc Dominam, jam quaſi reſuſcitatam, cum Sanctiſſimo ipſius Filio. Non vidi ullum Sanctorum, tantummodo apud me erant mei Domini Angeli. Videbam quoque procul diſtantes multos Angelos ex ſublimioribus, qui hanc Dominam admirabundi contemplabantur. Oſtendit mihi illam Dominus tribus vicibus, in triplici quaſi ſtatu, ſeu gradu. In primo ipſam vidi tam glorioſam, & plenam majeſtate, ut ei videretur ineſſe pulchritudo omnis gloriæ, in altero, cum exiſtimarem nihil ultrà ſupereſſe videndum, cognovi eam gloriam auctiorem, & admirabiliorem. Verùm in tertio gradu vidi illam adeò plenam magnificentiâ & gloriâ Dei, ut obſtupuerim, atque non percipiendo omnia, quæ mihi ibi repræſentabantur, velut abſorbebar ijs, quæ cognovi, & more meo, dum mihi aliquid manifeſtatur de Divina Eſſentia, eram tunc dicebam: Amplius adhuc ſupereſt videndum, amplius eſt quàm hoc, amplius quàm hoc. Manſi ſatis diu in illa obſcura cognitione, fruendo viſione hujus ſummæ Reginæ, & affluendo quàm maximo ſolatio. Inde fui deducta ad primum gradum, ubi ipſam initio videram. Deſcendit eò quoq; Divina Majeſtas, & Sanctiſſima Virgo, quæ me magnâ tenerè dine benigniſſimè eſt amplexata. Incredibilis eſt fragrantia & odor, quem hæc Domina ſpirabat, & arbitror, quòd mihi multum hîc de ſuis admirandis virtutibus communicaverit, dummodo id meis defectibus non perdam. Dixit mihi, ſe futuram ſibi per meam protectricem & adjutricem, & hîq; præſtituram gratias, & omnibus, qui mihi eſſent opem aliquam allaturi.

Anno sequenti, sexcentesimo vigesimo quinto, eodem die Assumptionis, Dominus mihi dignatus est ostendere, qualis ea fuerit, & gratificari, ut adessem, tanquam tum contingeret, gloriosæ migrationi Sanctissimæ Matris. Decumbebat Inclyta Virgo modestissimo situ in lectulo, quem circumdabant Sancti Apostoli, & ego unà cum ipsis: quando autem illa purissima anima erat resolvenda ab eo sacro corpore, aperti fuerunt cœli, atque tota Beatissima Trinitas descendit ad illud cubiculum, cum multis Beatorum spirituum exercitibus. Suscepit illam purissimam animam, & sicut ignis occupat ferrum, videturque in se transmutare, ità fortunata ea anima fuit quodammodo occupata à Divinitate, quam est complexa, sibique univit. Non vidi animam hujus Dominæ in ulla specie imaginaria, quia mihi ipsam Deus repræsentabat in cognitione purè intellectuali, ostendendo mihi quoddam esse spirituale, admirabilius & pulchrius omnibus, quæ noster intellectus de hujus mundi rebus potest concipere. Reversus est Dominus ad cœlum, cum omni ea Angelorum multitudine, inter svavissimam musicam & gaudia. Ego instantissimè, & cum lachrymis invocabam Sanctissimam Virginem, rogando illam, ut me secum acciperet. Confugiebam ad Deum, idémque ab eo petebam, utque me, & meos Confessarios jam educeret ex hoc exilio. Divina Majestas mihi benignissimè respondit, quòd tam illos, quàm me, suo tempore esset evocatura: atque ad me consolandam voluit, ut eâ occasione ascenderem ad videnda, quæ agerentur in cœlo.

Fui ducta à meis Dominis Angelis, cum illo felici comitatu, & postquam eò perveni, vidi eam sanctissimam animam constitui à Divina Majestate in tam alto & excelso throno, ut esset gloriosior omnibus ibi existentibus beatis spiritibus. Rapta sum in ecstasim, & inveni me deinde in meo angulo. Hìc post elapsum spatium paulò ampliùs quàm horæ, rursum vidi, quòd descendens Sacratissima Persona Jesu Christi Domini nostri, quem innumerabilis cœlestium Aulicorum sequebatur multitudo, secum adduceret animam Sanctissimæ suæ Matris ad locum sepulchri, ubi erat depositum sacrum corpus: eo aperto se denuò univerunt anima & corpus, & magna illa Domina ineffabili fuit cumulata gloriâ. Tum is triumphalis comitatus cœpit progredi, resonante cœlesti musicâ, cum solennissima pompa. Augustissima Domina procedebat quasi innixa Lateri Jesu Christi amabilissimi Domini nostri, & sic penetraverunt ad cœlos, atque grandis ea Regina fuit collocata in throno gloriæ, juxta suum Sacratissimum Filium, ubi ipsam omnes Hierarchiæ Angelicæ, omnesque animæ beatæ, profundissimè sese demittentes, & supra modum gaudentes, venerabantur, & suspiciebant tanquam suam Dominam, ac Reginam. Deus sit benedictus. Amen.

*Scriptum, quod nunc referam, est anni millesimi sexcentesimi vigesimi octavi, ubi ijs, quæ vidit die gloriosissimi obitûs Celsissimæ hujus Virginis, aliam addidit circumstantiam, tum sibi ostensam: ex quâ apparet, non solum Sanctissimam Trinitatem, ad glorificandam Virginem; sed etiam Inclytum ipsius Filium, Hominem & Deum, ad illam excipiendam descendisse. Progreditur postea ad enarrandum alium favorem, quem ab hac Domina obtinuit, & sic illum describit.*

Feriâ tertiâ, decimâ quintâ Augusti, mihi Deus ostendit, qualiter gloriosissima Virgo migraverit ex hac vita mortali. Vidi, quomodo composita in suo lectulo expiraverit, & Filius ipsius Christus Dominus noster illam animam susceperit, exhibendo ei honorem, ac tenerrimum & indicibilem amorem. Deinde feriâ quartâ, decimâ sextâ ejusdem, conspexi magnam multitudinem Angelorum, descendentium ex cœlo, & ingredientium in meum cubiculum. Non intelligebam mysterium, & expectabam, quis illius futurus esset exitus. Vidi alios, qui, sicut hìc regiæ custodiæ consveverunt facere, parabant aditum, & removebant occurrantes, quanquam tum non viderim, neque sciverim, quos repellerent. Postea vidi intrantem Virginem Dominam nostram, singulari conspicuam majestate, pulchritudine, &

affabilitate, cum comitatu multarum sanctarum animarum, inter quas agnovi Patrem Petrum de Leon ex Societate JESU, qui ante Patrem Ludovicum de Ponte multis annis meum egit Confessarium, & Marinam Hernandez meam bonam sociam. Aliqui ex ijs Sanctis Angelis inceperunt, ingrediente hac Domina, canere hymnum de Sanctissimo Sacramento. Audivi illum, & mirata sum, quia non intelligebam, quonam tenderet: atque cùm hac de re cogitarem, aspexi Sanctissimam Virginem, & vidi, quòd, sicut hìc pectori statuarum inserimus sacras reliquias, suo clausas operculo, ità hæc cœlestis Domina ferret in suo pectore Puerum JESUM velatũ speciebus sacramentalibus. Pervenit ad locum, in quo eram, & Sancti quidam Angeli in momento (summâ siquidem celeritate talia exequuntur, ùt aliàs dixi) formaverunt elegantissimum & magnificum thronum, ad caput mei paupertini lecti.

Ante hunc thronum, procubuit Sacratissima Virgo in genua, & ego circumspiciens vidi, sub conopeo illius admirandi throni, totam Sanctissimam Trinitatem, quâ adoratâ surrexit, & accedens me est amplexata, postquam me nomine Dei salutavit, atque sacrosancto suo pectore attigit meum, in quo contactu visus est mihi ille summus Dominus, qui erat in ipsius pectore, totus illabi in meam animam, penetrando ipsam & corroborando, ac replendo speciali consolatione. Erexit se rursum Sacratissima Regina (nam se Ejus Majestas incurvaverat ad amplexandam miserabilem hanc suam ancillam, quæ jam tot annis jacet prostrata in hoc lecto) dixítque mihi amantissimè: Ostende mihi, Soror mea, tuas manus. Exposui illas, quas ipsa suis benedictis apprehendens dixit: signata es signaculo Filij mei; cúmque à me vellet discedere, valedicendo mihi, rogavi illam, nè abiret, absque data mihi sua sancta benedictione, quod Ipsius Majestas fecit. Observavi autem specialiter, quòd etiam ex modo, quo mihi illam dabat, voluerit apparere fœmina: non exporrexit enim totum brachium, more Prælatorum, sed modestissimam præ se ferendo verecundiam extendit solam manum. Tum à me cæpit recedere, non tamen derepente, quia hæ visitationes rarò sic finiuntur, sed pedetentim; atque sic se meis oculis subducebat, donec illam rursus non viderem. Venerunt ad me illico quidam Sancti Angeli, & apprehensis cum mirabili modestia meis manibus, efformaverunt crucem super signa, quæ in ijs habeo, idémque fecerunt in pedibus, & in latere.

Considerabam deinde, quinam illi fuissent, qui, initio hujus visionis, adventes abigebantur à Sanctis Angelis, quia præparantibus viam, intrante Inclyta Virgine: & intellexi, quòd mihi, id agendo, significaverint, nonnullos infideles, qua ex traditione Majorum de hujus Dominæ gloria quædam audiverunt, esse eidem bene addictos, sed repelli, eò quòd accedant absque fide & pœnitentia, neque consequi fructum ipsius visitationum, & intercessionis. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Hanc visionum Venerabilis Marinæ materiam, de obitu & assumptione Despara, concludemus speciali revelatione, tenerrimas continente circumstantias. Evenit hoc eodem festo, quamvis non inveniam expressum annum, computatis tamen chartis, fuerit proximè sequens, millesimus sexcentesimus vigesimus nonus, aut summùm millesimus sexcentesimus trigesimus. Refert ipsa eventum his verbis:*

Die Assumptionis Dei Genitricis, dum in meis consvetis exercitijs, eliciendo ardentes affectus, agerem cum Deo, fuit a Sanctis Angelis ducta ad locum, in quo hæc Sacratissima Regina desijt vivere, & unde ipsius anima est translata ad æterna tabernacula. Appropinquavi cupidissima illi sacro lecto, in quo ista Augustissima Regina jacebat defuncta. Erat indutalibus vestibus, & gerebat velum in capite, ac si viveret, resplendens instar pulchræ lunæ. Sanctissima brachia & manus habebat modestissimè supra sacrum suum corpus extensas, sacros suos pedes nudos, sed mitectos. Circumstabant Apostoli tenerimè deplorantes jacturam, quam in hoc exilio & solitudine erant passuri, propter

hujus Dominæ absentiam. Mea anima induit eundem affectum, & cùm viderem meam Dominam exanimem, cœpi amarè flere, intimèque dolens ajebam: Delicium meum, & Domina mea, omne meum solatium, & cordis mei gaudium, quomodo abiisti ad æterna tabernacula, antequam te viderim, aut tibi valedixerim? quomodo me relinquis adeò desolatam? Tolle me tecum, Domina meæ animæ, & vitæ meæ, tolle me tecum: nolo enim hîc remanere. Isto desiderio ardens ingerebam me inter Sanctos Apostolos, & Angelos, qui ibi aderant innumeri, atque dicebam: Sinite me accedere ad Dominam meæ animæ, sinite me ad illam accedere, quia hinc dependet mea vita, & vehementer instabam. Illi Sancti Angeli me, quodam gestu, velut abigebant, dicendo: Tace, Anima, tace: quid clamas, quid vociferaris? sed frustra id fiebat, nam denique perveni ad contingendum sacrũ corpus meæ Dominæ. Osculata sum sanctos ipsius pedes & manus, rogavi illam summo affectu, ut me secum abduceret. Tum conquievi, & intimo perfusa solatio sum passa ecstasim. Taliter fui sat longo tempore constituta, ignoro, quamdiu: scio tamen, quòd, etiamsi tempus fuisset longissimum, mihi visum esset momentum, propter dulcedinem, quam sensi, & maxima bona, quibus sum fruita. Deus sit benedictus. Amen.

Post hoc me reperi in meo angello, sed oculis animæ semper defixis in meam Dominam, & in illud mysterium, quod ist-hinc spectabam, acsi illic forem. Hoc modo ipsi aliquamdiu aderam, existens in meo cubiculo, & mei Domini Angeli, me derepente rursus reduxerunt ad locum mysterij. Constituerunt me penes lectum, ubi erat mea Domina. Sancti Apostoli jam differebant de sepultura. Vidi, quomodo reverentissimè abstulerint sacrum corpus, quod comitabatur innumerabilis multitudo Angelorum. Deposuerunt illud in sepulchro, & occluserunt, ac deinde exosculantes lapidem sepulchralem, teneréque lachrymantes Sancti Apostoli, valedixerunt illi sacro loco, & abiverunt. Remanserunt ibi infiniti Angeli, qui circumdantes sepulchrum, eidem exhibebant honorem, eò quòd in eo depositus esset inæstimabilis thesaurus illius virginei corporis. Ego mirabar, & eram velut absorpta, neque inde unquam voluissem recedere, sed fui à meis Dominis Angelis, quasi inadvertenter, reducta ad meum cubiculum. Postea plenè mihi restituta, & advertens, me quasi procul ab eo sacro loco distare, ità visus meæ animæ illi inhæsit, & affectus cordis, ut me intra triduum non possem ab ipso abstrahere.

Tandem feriâ sextâ sub ortum Solis, versando in mea oratione cum Deo, vidi in ea cœlesti Jerosolyma celebrari solennissimum festum, totámque illam cœlestem civitatem commoveri. Aperti fuerunt cœli, descenderunt innumeri Angeli longo ordine, & cantando admirabili melodiâ laudes Dei. Hac ratione pervenerunt ad locum sepulchri Sanctissimæ Virginis, circumdando illud ac honorando. Deinde advenit cum summa & divina pompa Beatissima Trinitas, & Majestas Jesu Christi, amabilissimi Servatoris nostri. Iste Dominus ferebat in manibus animam suæ Sanctissimæ Matris, comparentis mihi instar solis admirabilissimè refulgentis, qui tegebat puellulam, cujus pedes solummodo conspiciebantur. Fuit subitò apertum sepulchrum, & Christus Dominus noster accessit ad illud benedictum corpus, filialem ipsi, & svavissimam exhibendo reverentiam; atque dum ejus pectori & vultui imponeret illum solem, statim se anima ei infudit, denuóque univit, & tangente eodem Domino brachium meæ Dominæ, surrexit resuscitata, milliésque splendidior sole, quem hîc videmus. Tum Beatissima Trinitas demonstrando ineffabile gaudium, & ante se ducendo illam Celsissimam Virginem, ascendit cum omni ea exultabunda pompa, & triumphali apparatu ad cœlestem Civitatem, ubi ab ipsomet Triuno Domino hæc magna Regina fuit collocata in immensa & summa altitudine, proximè Divinam Majestatem.

Non recensui, nè filum mysterij interrumperem, vehementes & ardentes affectus

ctus meæ animæ. Simul ac vidi meam Dominam resuscitatam, summopere desiderabam, & internè exclamabam, ut pervenirem ad exosculandam ipsius manum, eámque honorandam & rogandam, ut me secum abduceret, atque non relinqueret in hoc exilio. Volebam per tantam Angelorum multitudinem, & multos è Sanctis Apostolis perrumpere, ut pertingerem ad meum thesaurum, sic namque vocabam meam Dominam, sed videbar id mihi non posse assequi. Transpiciebam per omnes, quàm optimè poteram, ad eam magnam Matrem clementiæ & misericordiæ, quæ se talem exhibendo, dum tanto me æstuare desiderio, eóque ardere affectu videret, mandavit benignissimè, ut me permitterent accedere. Accessi, prostravi me cum singulari reverentia, & specialissima consolatione ad pedes meæ Dominæ, quæ me, amore & benignitate sibi propriâ, erexit, suóque sanctissimo brachio meum collum stringendo, & me amplexando, retinens suam benedictam manum meo humero impositam, mihi hæc dulcia & gratiosa verba dixit: Tace, mea Anima, noli affligi vel angi, ducam enim te mecum, veniámque ad te abducendam suo tempore, quando Deo placebit, ut adsim: tace jam, Anima, tace. Ità conquievi, & fui in meo Deo perfusa solatio, atque spectavi ulteriùs eam pompam ascendentem ad cœlum, sicut paulò antè dixi, nec non & reliqua.

Post sat longum temporis spatium, elapsum à prædicta visione, Domini mei Angeli, me, jussu Divinæ Majestatis, abduxerunt ad cœlestem civitatem, & collocaverunt in conspectu illius cœlestis Dominæ, quam magno affectu rogavi, ut impetraret à Deo remedium communium necessitatum, & particularium, atque gratificaretur omnibus, qui se mihi commendaverant. Sanctissima Regina mihi promisit, se id facturam, & porrigens ramum olivæ cuidam Sancto Angelo, præcepit, ut illum mihi ferret, ponerétque ad meam manum, quod Sanctus Angelus fecit, ostendendo id sibi plurimùm placere. Suscepi donum cum magno solatio, & cùm millenas agerem gratias Domino, Sanctissimæque ipsius Matri, occupavit me profunda ecstasis, post quam mihi restituta, me reperi in meo angulo. Hîc mea anima denuò fixè intuebatur & contemplabatur illud sacrum sepulchrum, ità ut ab eo non possem avertere oculos interiores: quod cùm aliquamdiu agerem, vidi quendam Sanctum Angelum è præcipuis, quem multi alij comitabantur. Is exponebat ex sepulchro quoddam quasi linteamen candidissimum, & asservabat intra se: ac deinde duos albos pulvillos, qui erant super duos gradus, & caput ejusdem sepulchri, prætereáque album linteolum, quo Apostoli texerant sacratissimum vultum meæ Dominæ. Asservavit omnia, & occlusit sepulchrum, movendo se, acsi abiturus esset. Ego videns quæcunque fiebant, cœpi fervido affectu, & ingenti desiderio obtinendi aliquid ex ijs sanctis reliquijs, quasi enixus exclamare, dicendo: Domine Angele, ah Domine Angele, da mihi ob honorem Domini Dei, & Sanctissimæ ipsius Matris, aliquid ex reliquijs, quas asservas. Et præ vehementia affectus mihi videbar magìs ac magìs ad eum locum appropinquare. Dum essem vicinior, rursus instans ardenter, rogando Sanctum Angelum, qui simulabat abitū, ut me consolaretur: ipse id non æstimabat, ùt apparebat, mihique respondebat: Non possum, Anima, omnia enim hæc fero ad Sacrarium. Perseverabam in petitione mea, & nihil proficiebam. Tum meus Sanctus Angelus Custos, & reliqui, vehementer rogaverunt illum Angelum superiorem, ut mihi aliquid daret, quibus ille dedit linteolum, quo facies Præcelsæ Dominæ fuerat cooperta. Hunc in modum mea anima in suo Deo fuit repleta solatio, obstupescens talia ab ipso fieri, & infinitas illi gratias agens, me inveni in meo cubiculo.

Hîc mihi Sanctus meus Angelus Custos dixit, reperturam me certo loco illud admirabile linteolum, quod ego accepi, reverita sum, & imposui meis oculis, atque ori, & velut attonita ob hæc mysteria xi ad Deum: Hæc operaris, ac talia, ut deantur esse quodammodo incredibi-

Deus

Deus & Domine mi, præstas propter tuam infinitam bonitatem, & arcanissima judicia, ancillæ tuæ, & miserabili creaturæ. Divina Majestas audivit mea verba, & modo gravissimo, summéque æstimabili, mihi dixit: Anima, ego sum tuus Deus, qui tibi loquor, méque tibi communico, tanquam infallibilis veritas, prout sum: noli timere, & quiesce in me. Ob hoc Dei dictum summo fui repleta solatio, & in altissimam abrepta ecstasim. Quando ex raptu redivi, non cessabam agere Deo gratias, pro talibus misericordijs. Hoc egi multis diebus. Ipse sit millies, iterúmque millies benedictus. Amen.

*Multa vidit Venerabilis Marina, alia Potentissimæ Dominæ nostræ, & Reginæ Angelorum mysteria, connexa cum mysterijs Sacratissimi ipsius Filij, delicij nostri, de quibus aliquid distinctius (generatim enim totus liber huc poterat reduci) dicemus sequentibus capitibus. Prætermisi, quæ anno sexcentesimo vigesimo septimo vidit de mysterijs Assumptionis, quia simillima jam enarratis.*

# CAPUT XLI.

## Manifestat illi Christus Dominus nonnulla, ex suis mysterijs.

*QUi via regia, eáque communiter sola secura, perveniendi ad altissimos contemplandæ Divinitatis gradus (post perfectissimè obtentas virtutes) sit meditatio Humanitatis Christi Domini nostri, & sublimium vitæ ipsius ac mortis mysteriorum; atque Venerabilis Marina, ùt in tota ejusdem historia apparet, huc non solùm in suis initijs collimaverit, adlaborando, ut quam exactissimè imitaretur Servatorem nostrum, verùm etiam in medio, ac fine creberrimè sese ijs meditandis exercuerit: voluit idem Dominus, ut inter notitias intellectuales, & reconditos sensus, quos quàm plurimos habebat de ipsius Divinitate, frequenter quoque videret modum, & præcipuas circumstantias, quas Sanctissima ejusdem Humanitas observaverat in negotio nostræ redemptionis; quàm fuerit ineffabile beneficium, quo Deus mundum sibi obstrinxit, dum illi hunc dedit Redemptorem. Eum in modum Deus, tum erga dilectam suam sponsam se exhibuit benevolum, tum nos docere voluisse videtur, quantopere à recta aberret semita, quæ ducit ad verticem Sionis, allacentibus radijs purioris contemplationis, is qui ex proposito recedit à meditatione mysteriorum nostræ salutis. Referam inprimis nonnulla, quæ hac Virgo de ijs cognovit generatim, & quasdam gratias, quas ab amantissimo Deo nostro Incarnato, & dulcissimo Salvatore obtinuit: deinde disseremus singillatim de ejusdem mysterijs. Sextâ Augusti anno sexcentesimo vigesimo quinto, post narratam aliam brevem visionem, quam habuit tendentem ad utilitatem proximorum, referendam suo loco, ità pergit.*

Eodem die Transfigurationis Christi Domini delicij nostri, sum ducta à meis Dominis Angelis ad cœlestem Jerosolymam, in cujus altissimo loco vidi spatiosissimam quandam, obstupescendam, & plenissimam divinis splendoribus aulam, atque in eadem omni ex parte innumerabiles Angelos. In superiore illius extremitate erat erectus thronus ad stuporem gloriosus, in quo residebat Beatissima Trinitas. Observavi autem, quòd secunda Persona, Verbum Divinum, se mihi non exhiberet spectandam, sicut aliàs, quoad Esse tantummodo Divinum, sed tanquam verè unitum Sacrosanctæ suæ Humanitati, eadémque, ùt nos loquimur, vestitum. E regione hujus sublimis throni, & in eadem aula, erat subsellium instar admirabilis Scamni, eleganter ornatum, & magnificum, ubi considebant novem Angeli, ex eminentissimis, & excellentissimis supernæ illius curiæ. Nequit ulla explicare lingva lumen mihi repræsentatum, & venustatem, quæ inerat ipsorum vultibus, atque splendorem & pretium vestium. Vidi subitò, postquam modicùm resonuit

cœlestis musica, Dominum DEUM Trinum, gravissimo infinitæ authoritatis & majestatis gestu, velut indicantem ijs novem supremis Angelis, quæ esset sua voluntas, quidque ipsis esset agendum. Tum assurrexit, qui medium occupabat locum, & majorem præ se ferebat dignitatem, séque coram DEO prosternens, & acceptâ ab eo benedictione se erigens, atque manum sinistram tenens admotam cingulo, ac summâ gravitate movens dexteram, dixit ad omnes cœlestes spiritus ibi præsentes (modo tali, ut exponi non possit) hæc verba: Postquam advenit tempus, quod Divina Triunius DEI Domini nostri Majestas, in suo Divino Consistorio constituerat, ut unigenitus ipsius Filius humanam carnem in visceribus MARIÆ Virginis, Reginæ ac Dominæ nostræ, assumeret, pro redemptione & remedio totius generis humani, descendit ex sinu Patris, fuitque Divino operante Spiritu, in purissimis illius visceribus Incarnatus.

His dictis se denuò prostravit (unáque cæteri Angeli) ob reverentiam eorum verborum; iterúmque assurgens, assecutus est admirabile, & supra modum sublime lumen, quo agnovit magnitudinem, & æstimabilitatem ejus maximi mysterij. Tum admirabilissimâ & ineffabili ratione aliud prodivit ex ipso lumen, simile illi, quod acceperat, atque istud irradians omnes alios Angelos, qui aderant, eandem ipsis infudit notitiam, adeò ut iste magnus Angelus videretur esse divinus canalis Domini Majestatis, à quo immediatè conceptæ tam sublimes cognitiones, postea per ipsum reliquis communicabantur. Meæ pauperi animæ obtigit aliqua particula illius luminis. Nequit autem intra millenos annos explicari, quod in ijs verbis denuò intelligitur, quæ hîc tam facilè pronuntiamus, & quod concipitur de scientia, potentia, ac infinito DEI amore, déque immensâ ejusdem erga homines clementia. Denique, ùt ex hoc Sancto Angelo, qui me illuminabat, intellexi, bona in nos per Incarnationem Filij DEI derivata, nunquam fuerunt cognita, aut audita, qualia in se sunt, neque plenè intellecta & percepta, præterquam ab ipsomet DEO, qui ea est operatus. Idcirco, quando ingens illa Beatorum Spirituum multitudo, lumine sibi communicato ab Angelo superiore, penetravit ea verba, vidi ipsos in arcana illa communicatione, tanquam attonitos, & ecstaticos, propter bonitatem hujus magni DEI, sibi denuò revelatam, gratias eidem agentes infinitas, ipsúmque ob tam excelsum opus laudantes. Tum Dominus Majestatis ostendens sibi multùm placere, quòd magnus iste Angelus bene suo fuerit functus munere, dedit illi suam benedictionem, quam ipse susscepit prostratus, ac deinde rediit ad suam sedem.

Hoc ordine, & servatis omnibus circumstantijs, quas de primo hoc Angelo retuli, consequenter assurgebant cæteri octo Angeli, suam agentes personam, ideóque hîc nihil quoad substantiam refetam diversum de ijs, quæ singuli, toti cœlesti Angelorum multitudini, & meæ pauperi animæ revelabant de mysterio, singulis seorsim revelato à DEO. Prodijt igitur secundus, eadémque majestate, quâ primus, dixit: Atque natus est, ex hac Virgine & Domina nostra, fuitque reclinatus in præsepio, & cum hominibus conversatus spatio triginta trium annorum, patrando admiranda opera. Tertius recensuit admirationem, admirabiliter ipsam expendendo Sanctorum Regum, & beneficium, quod mundus in eo mysterio est consecutus. Quartus dixit, quomodo hîc Dominus fuerit à sua Sanctissima Matre præsentatus in templo. Declaravit mitos actus resignationis, quibus ista Domina æterno Patri suum obtulit Filium, pro hominis redemptione. Hactenus aliqua adhuc possent exquiri verba, quæ aliquatenus dicta ab his Sanctis Angelis explicarent, quamvis ea omnia solùm summatim attingam; multo autem modo suppetunt, quibus aliquid detegatur de sublimissima ponderatione, quâ quintus Angelus declaravit gesta in passione & morte Domini, atq; immensum profusi illius pretiosissimi sanguinis pretium. Sextus egit, de gloriosissima Resurrectione, et-

explicando mysterium tam divinis encomijs, ut excedant cujusvis captum intellectûs. Eundem in modum septimus exposuit miracula magnificentissimi ipsius triumphi in Ascensione. Octavus dixit mirissima de adventu Spiritûs Sancti, & de divinis incendijs infiniti ipsius amoris. Concluſit, ac absolvit solennitatem hujus cœlestis repræsentationis Angelus nonus, explanando sublimissimè delicioſum mysterium Sanctissimi Sacramenti altaris, infinitum ipsius pretium, ejusdem convenientiam in salutem nostram & remedium, solatium animarum nostrarum in eo nobis relictum. Significavit mihi Dominus, ea quæ videram, & illud lumen, quod immediatè istis singulis Angelis supremis largiebatur, esse symbolum revelationis, quã hi Angeli habuerunt, ut ab ijsdem communicaretur alijs. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

*Sequens narratio fuit scripta in Novembri, anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſexti, in qua ſic ait.*

Recidi his diebus in quasdam moleſtiolas corporales, quæ me afflixerunt: fui præterea vexata humore quodam melancholico, qui me, opinione meâ, reddebat tetricam & anxiam. Dominus me est intuitus velut subiratus, dixitq; mihi: Quid habes Anima? quid tibi est? Ego erubui, vehementer extimeſcens. Veni mecum, subjunxit Dominus, & mandavit meis Dominis Angelis, ut me abducerent, quò Dominus deſtinabat. Id ipsi sunt executi, & ego me deprehendi in ripa vasti cujusdam fluvij, qui totus sangvine manabat. Ibam nudipes, & postquam eò perveni, jussit me Dominus illum ingredi. Metuebam, & cunctabar intrare. Tum mihi Ejus Majestas influxit ictum in dorso, quasi me impellendo, & acsi me vellet præcipitare ad fluvium. Quapropter in eum intravi propè usque ad talos, & ibi existens mihi videbar tota illo sangvine perfusa. Mei Angeli me eo tempore induerunt candidissimâ tunicâ, & super hanc aliâ elegantiore, atque hoc modo me duxerunt per aërem, ignorantem quò irem, donec perveniſſemus ad cœlum, quod fuit apertum, & ingreſſi in illud, me constituerunt in conſpectu Triunius Dei. Divina Majestas me valde amanter suscepit, & acsi quidpiam cuperet rescire, cum ineffabili teneritudine me interrogavit: Anima, quid vis? quomodo huc venis? quis te maculavit? Ego respondi: Magnus ille Dominus Omnipotens mihi influxit ictum, compulitque me intrare in fluvium sangvineum, & maculavit me. Tum Divina Majestas instat Patris sese oblectantis, dum se rudi modo loquendi parvuli filij accommodat, qui ipsi conqueritur, se malè fuisse habitum, quando re ipsâ est assecutus gratiam, mihi dixit: Estne possibile, quòd te maculaverit? agite Angeli mei, ducite ipsam ad alium illum fluvium, quem nôstis, ibíq; eam abluite. Duxerunt me itaque ad fluvium non magnum, sed pulcherrimum, & instar cryſtalli pellucidum, procedentem ex throno Divini Agni. In hoc me totam abluerunt, & evasi tam splendida, tantáque coruscans luce, acsi Sol alter esset in pectore, alter in dorso. Deinde me rursum stiterunt Divinæ Majestati, quæ me cum magna affabilitate intuens dixit: Nunc, Anima, es pulchra; statímque præcepit meis Dominis Angelis, ut me reducerent ad meum angulum, quod fecerunt. Postea mihi Dominus manifestavit, quòd ille fluvius sangvineus significaverit pretiosum sangvinem JESU Christi Redemptoris nostri, qui nobis applicatur in Sacramentis, cum incrementis gratiæ, quam in illis consequimur; quódq; fluvius pellucidus, procedens ex throno Agni, fuerit symbolum gloriæ, quæ obtinetur, & nos reddit beatos per gratiam, quam nobis Christus promeruit. Deus sit benedictus. Amen.

*Non eſt mirum, quòd anima in hoc raptu, videns ſe ſanguine tinctam, quem tunc non agnoſcebat, judicaverit ſe eſſe maculatam. Istâ phraſi Iſaias, ut multi volunt Patres & Interpretes, indumenta Chriſti appellavit inquinata proprio ipſius ſanguine, quando glorioſus aſcendebat ad cœlum, cap. 63. quamvis fortaſſe alius ſit Prophetæ ſenſus, magis textui accommodatus. Hic tamen ſufficit, à tot Patribus & Doctoribus Eccleſiæ dici, eſſe modum loquendi decentiſſimum, dum Angeli ſymbolicis utentes*

*figuris, & ipse Christus, de hoc sanguine loquuntur, tanquam de liquore, qui inquinet, licèt sit encaustum, quod exornat. Pergit Virgo alios recensere gratias, obtentas à Christo Domino, si non pretiosiores, attamen teneriores, quas it à enarrat.*

Alio die, cùm sumerem cibum, conspexi Majestatem JESU Christi Domini nostri, & expavi tanquam attonita. Habebam ante me scutellam jusculi, atq; cochlear, quod non poteram sustentare manu, vel ori admovere. Tunc mihi benignissimus iste Dominus dixit: Anima mea cape necessarium vitæ subsidium. Mox, ut quodammodo liberater à verecundia, comparuit quædam nubecula inter Dominum ac me: nihilominus non poteram cochlear labijs applicare. Extendit tum Ipsius Majestas manum, & attingens digitis manubrium cochlearis, juvit me illud in os imponere.

Aliâ vice, effervescentibus vehementer meis affectibus, petivi ab Ejus Majestate, more meo, multa concernentia ejusdem obsequium. Hæc aviditas obtinendi istius beneficij tantùm non me mihi ipsi eripiebat, ideóque illi dixi: Verè Domine, quandoquidem in Evangelio tuo dixisti, mihi, cùm non mereat ex themetipsa exaudiri, esse obtinendum per importunitatem, quod à te peto, verè te jure adigere debeo, ad præstandum, quod promisisti. Respondit mihi Ipsius Majestas cum magna svavitate, dicendo: Anima mea, ergò ne me jure adiges? Esto. coram quo autem id fiet, cùm ego sim supremus Dominus? Coram Divina tua, ajebam, Misericordia & Justitia, te, mi Domine in jus vocabo. Tu Domine id dixisti, ac proinde te oportet implere, quod es pollicitus. Fiat, Anima, compelle me, dixit Dominus, & ego stabo promissis. Tam svavis & benignus est hic magnus Dominus, etiámq; infinities ampliùs, ut apparebit ex eo, quod modò referam, & accidit die Sabbathi, vigesimâ primâ hujus mensis Novembris.

Revolvebam in animo meo, quòd à multis jam annis non possim interesse Missæ solenni, & cantatæ; recordabar illius sacræ cæremoniæ, quâ, dum tempore symboli, Choro cum pausa & reverentia canente ea verba: *Et homo factus est*, omnes præsentes se inclinant: atque hoc solum reminiscendo, sensi magnam teneritudinem & devotionem. Id mihi expendenti dixit Dominus: Vísne audire Missam cantatam, & capiesne inde solatium? Mi Domine, respondi, nihil aliud volo, quam quod tu volueris; & conata sum me, quantum potui, abstrahere ab ista cogitatione, metuens, nè Dominus mirabile aliquod suum opus vellet exequi. Post aliquot horas vidi descendentes, quasi ex cœlo, multos Angelos splendidè indutos, & comptissimos, multumq; coruscantes, qui gerebant ornamentis suis supernductos velut amictus lineos, adeò delicatos & subtiles, ut pretiosam vestium materiam minimè obtegerent. Ferebant albas candelas in suis manibus, & procedebant bini. Post omnes adveniebat JESUS Christus Dominus noster, ornatus vestibus Sacerdotalibus, cujus latera stipabant duo Sancti, in habitu Diaconi & Subdiacon, qui erant, S. Dominicus Fundator Ordinis Prædicatorum, & S. Ignatius Fundator Societatis. Quando sunt ingressi meum cubiculum, jam mei Domini Angeli habebant ea admirabili facilitate, sibi convetâ, paratum perelegans altare, super quod erat Majestas Triunius Domini DEI nostri. Postquam Christus Dominus, Deitatis nostrum, ad illud accessit, cum duobus Sanctis, solus Divinâ gravitate, & voce tâ, quanquam tono moderato, cantum dixit: *In nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Angeli responderunt: *Amen.* Vox Domini resonabat tam eximiè & divinè, ut statim appareret, eam esse personæ, quæ est verus Homo & Deus; atque audita supra modum oblectabat, & delectabat solatio. Dixit postea Ejusdem Majestas: *Gloria in excelsis Deo* & Angeli continuaverunt, ac finiverunt eam rem cum ipso absoluto, nullâque interpositâ morâ, Dominus dixit orationem, cujus ego solum tantùm intellexi conclusionem, quæ erat: Qui vivis, & regnas &c. Respondentes suo Choro Angeli: *Amen.* Tum S. Dominicus, & S. Ignatius transtulerunt eam

latere ad alterum libros Missales, qui erant duo. Divina Majestas inchoavit Evangelium, dicendo: *Dominus vobiscum.* & Angeli responderunt nonnulla verba, quæ nõ percepi. Prosecuta est Ejusdem Majestas Evangelium, quod erat: *Missus est Angelus Gabriel.* & pervenit usque ad ea verba: *Ave gratiâ plena* ubi subsititit, ac rediens ad altare accepit parvam hostiam (vidi clarè, ab Ipsius Majestate nullam hostiam fuisse sumptam) venitque cum Sanctis ad me, & realiter ac verè mihi illam dedit sumendam: verè enim agnovi istam communionem esse Sacramentalem. Reversus Dominus ad altare, inclinavit se, atque abivit, sicut venerat, datâ mihi priùs suâ benedictione. Ipse sit benedictus. Amen.

# CAPUT XLII.

## De revelatis huic Virgini mysterijs Incarnationis, & Nativitatis Filij Dei.

*DEvotissima sunt circumstantiæ, & aliquæ earum prorsus singulares, quibuscum Deus hæc duo mysteria Venerabili Marinæ revelavit, præsertim illæ, quas vidit prævias ad sacram Nativitatem Redemptoris nostri. Connectamus suo ordine, quæ ipsa nobis diversis hac de re temporibus scripta reliquit. Incipit ità loquens.*

Feriâ tertiâ vesperi, vigesimâ sextâ Novembris, hoc anno sexcentesimo vigesimo quarto, vidi, quòd illi mei Domini Angeli, qui morantur in aulâ inaurata, aperirent ejusdem portas, séque præpararent, & omnia, velut pro magna solennitate, disponerent. Prodierunt inde subitò alij Angeli Dei magno numero, qui singulari melodiâ & svavitate concinebant Divinas Laudes. Aula spirabat odorem tam cœlestem, ut non solùm anima, sed ipsa quoque mea natura reficillaretur. Egrediebantur Angeli, quasi supplicantium ritu bini, & replebant totum meum cubiculum, atque Oratorium, & adjunctam illi cameram, quin me intermedij parietes impedirent, quò minùs ipsos viderem. Post eos prodivit Trinus Dominus Deus noster, specialiter verò se mihi distinctiùs repræsentavit Sacratissima Persona Patris æterni. Veniebat humanam præferens speciem in eo apparente corpore, quod aliàs dico, esse absque comparatione longè subtiliùs phantasticis corporibus, quæ solent assumere Angeli. Hîc Dominus est ingressus Oratorium, & accedens ad altare, collocavit in parte ipsius superiore id, quod ferebat in manibus: erat verò patena, instar earum, quibus utitur Ecclesia, sed pretiosissima, & super illam apparebat minimus puerulus, non excedens longitudinem digiti, qui licèt non videretur esse major, indicibilis tamen erat ejusdem pulchritudo, & immensa venustas. Vidi deinde egredientes, ex eadem inaurata aula, plurimos alios Angelos, qui pariter laudes Dei concinebant, & postremò prodivit Sanctissima Virgo, magnâ spectabilis majestate, & speciosissima. Introivit in Oratorium, & prostravit se coram Patre æterno, procumbens in genua, séque profundè inclinavit, ut quasi fronte contingeret terram: erexit postea caput, provoluta in genua. Tum Pater æternus se convertit ad hanc Inclytam Virginem, cum patena & Puerulo, in ea posito (sicut se Sacerdos vertere consvevit ad porrigendam Sacram Eucharistiam) dixitque illi: Domina, vides hîc meum æternum Filium, quem tibi trado, ut in tuis viscèribus assumat carnem humanam; suscipe ipsum, ac educa, atque fove, & inservi eidem tanquam Filio meo, ut suo tempore redimat mundum. Ecce confido tibi ipsum, ac trado: novi enim te huic muneri satisfacturam, prout debes. Virgo se inclinavit profundè, & postquam præbuit assensum, immensus ille Infantulus introivit per Virginis pectus, séque inclusit in purissimo ipsius utero. Egit hæc magna Domina tenerrimas Patri æterno

gratias, pro collato sibi beneficio, & Dominus est illam amplexatus, vocando eam filiam, rursúmque admonendo, ut omnia pro sua obligatione quàm perfectissimè exequeretur. Totus iste sacer comitatus postea intravit aulam, ex qua prodiverat, dum mea anima millenos eliceret affectus, contemplando mysterium, quod viderat. Deus sit benedictus. Amen.

*Videtur, non sinè quapiam significatione fuisse hic Venerabili Marinæ ostensum, quòd Verbum Divinum, in ea specie, introiverit per pectus suæ Sanctissimæ Matris, acsi inprimis cor quæreret; atque inde, nostro loquendi modo, descenderit, ad assumendam carnem humanam, intra purissimum ipsius uterum. Ubi cogitare forsan aliquis posset, faveri ei opinioni, quam gravissimi Theologi existimant esse probabilem, corpus Christi Domini fuisse formatum ex purissimo sanguine cordis Virginis Dominæ nostræ, qui miraculosè delapsus fuerit, ad destinatum locum virgineorum ipsius viscerum. Verùm tenui meo judicio, certius esse arbitror, hic nobis indicari sublimissimam dispositionem, & excellentissimos affectus cordis magnæ Dominæ nostræ, quibus, audito nuntio Angelico, multóque ampliùs ijs, quæ ipsi Deus internè loquebatur, se præparavit ad illud Divinum mysterium: ob quam rationem Sancti Patres, & sacri Doctores dicunt, quòd Virgo Verbum conceperit priùs in mente, quàm in ventre; priùs in ardenti suo spiritu, quàm in purissimis suis visceribus. Æquè stupenda est alia visio, quam de hac materia habuit uno circiter mense pòst, ubi, sicut in præcedenti vidit, quem Pater æternus indiderit sensum Virgini Matri, quoad Incarnationem, ità illi modo manifestatum fuit, quid eodem tempore egerit Pater, & Divinus Filius, Christus amabilissimus Dominus noster. Id ipsa sic describit.*

Feriâ quintâ, decimâ nonâ Decembris, eodem anno, sub diluculum matutinum, vidi, quòd mei Domini Angeli (non illi qui incolunt aulam auream, sed qui mihi assistunt in meo cubiculo) sese moverent, atque loco pretiosarum, & gemmis refertarum vestium, quibus ipsos videoo ordinariè indutos, alias gererent elegantiores, acsi pro quapiam se exornavissent solennitate. Dum id considerarem, vidi magnam Angelicorum spirituum multitudinem ex cœlo descendentem, eodem ordine, quo antea, canentium sicut supra dixi: atque ità postremo loco Patrem æternum in eadem specie, & cum pretiosa patena, ac Divino Puerulo in manibus, prout priore vice. Postquam Divina Majestas advenit, omnes Angeli se prostraverunt, terram facie attingentes, séque his alis velut tegentes (quales enim hîc pingi consveverunt, tales se mihi exhibent videndos) ob reverentiam mysterij, quod adorabant. Tum Pater æternus alloquutus coram me speciosissimum illum, & admirabilissimum Puerulum, quædam tanta cum authoritate & majestate dixit, ut, quamvis mihi manserint impressa, modum tamen, quo sunt pronuntiata, reverentiam, & alios affectus, quos ijs auditis mea anima sentiebat, sit impossibile explicare. Fuerunt autem ad verbum ista: Fili mi dilectissime, mitto te in mundum, ut reformas, dirigásque, & illumines genus humanum. Eo momento tui edocta, quòd ille Sacrosanctus Puerulus elicuerit actum obedientiæ, & resignationis in voluntatem sui Patris, tam heroicum, omniquè ex parte perfectum, ut Pater æternus sibi in eo, super omnia, quæ dici possunt vel cogitari, complacuerit. Progressus est deinde Dominus, loquendo ad Puerulum, his conceptis verbis, quæ appono: Tu es filius meus, mea dextera, meum potens brachium; te ego Regem & Dominum constituo omnium creaturarum, atque Judicem vivorum & mortuorum.

His dictis Dominus se ad me convertit, mihíque dixit: Et tu, Anima, quid ad hæc dicis? Ego tota eram absorpta, obstupescendo ob tantum mysterium; quàm optimè tamen potui, respondi Ejus Majestati: Dico, mi Domine, me magnas tibi agere gratias, pro singulari beneficio, quod contulisti humano generi, dando illi hunc Filium tuum, ut ipsum salvaret, & Sancto Filio tuo pariter ago gratias, quòd tantâ charitate dignatus sit acceptare tuum mandatum, nósque tantis suis redimere impensis. Offero me etiam in ancillam ejusdem indignam, méque in omnibus, & per-

per omnia in ipsius resigno voluntatem. Tum Dominus, velut acceptando meam exiguam oblationem, affabili vultu ostendit, sibi eam placere, vertítque se ad Angelos, & impertiendo ipsis suam sanctam benedictionem, dixit illis: Angeli mei, do vobis meam benedictionem. Et conversus ad me, benedicénsque mihi; subjunxit: Atque tibi, creatura, etiam illam impertior. Postea Divina Majestas, eum in modum, quo advenerat, redivit ad cœlum, cum suis Angelis. Ipsi illum benedicant. Amen.

*Quas Venerabilis Marina habuit revelationes de Nativitate Christi, in festis Natalitijs, anni sexcentesimi vigesimi quinti, habuit quoque anno sequenti, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, adjunctis tamen quibusdam circumstantijs, quæ ipsi denuò de hoc sacrosancto mysterio fuerunt manifestatæ. Alias præterea tum est assecuta gratias, concernentes hanc solennitatem. Unde statui, nè idem inutiliter iterarem, referre tantummodo scripta anno sexcentesimo vigesimo sexto, addendo interdum aliquid ex anno sexcentesimo vigesimo quinto, ubi hoc illúdve fusiùs recensetur. Sic igitur ait.*

His diebus, ante festa Natalitia, Dominus mihi cœpit, ex mera sua bonitate, ostendere, quæ sanctam ipsius antecesserunt Nativitatem, voluitque, ut comitater Sanctissimam Virginem, proficiscentem Bethlehem versùs. Ibat hæc Domina unà cum suo purissimo Sponso, Sancto Josepho, circumdata à multis Angelis, ipsam comitantibus. Primâ nocte, vigesimâ secundâ Decembris pervenimus ad quoddam hospitium, ubi Ejus Majestas cum exigua fuit benevolentia excepta. Domus habebat spatiosam aream, & in singulis lateribus cubicellum satis malè accommodatum, quorum unum intravit Præcelsa Regina, & sedit in podiolo, seu tumulo assurgente ex terra, atque Sanctus Josephus juxta ipsam in sellula. Hospita se gerebat perquàm inhumanè, ostendendo, quantopere sibi displiceret, quòd Virgo divertisset in ejus dómum. Inclyta Virgo, & Sanctus ipsius Sponsus id mirá tolerabat patientiá & humilitate. Ibi Sanctissima Virgo magna à Deo accepit lumina, & intellexit, appropinquare felicem virginei partûs horam. Tota illa nox fuit transacta, assistentibus in cubicello multis Angelis. Deinde vidi, quomodo S. Josephus, orto jam Sole, cum admirabili reverentia, demissione, & modestia, duxerit Sanctissimam Virginem, juveritque conscendere asellum, ac deposito suo pallio, texerit eodem hanc magnâ Dominam, & ipse pallio carens apprehenderit aselli capistrum, atque inceperit antecedere.

Eo die sub vesperum, vigesimâ tertiâ mensis, pervenimus ad aliud diversorium, simillimum quoad fabricam præcedenti, sed prorsus diversum quod attinet ad hospitalitatem. Tabernaria erat mulier corpulenta, quæ mihi ex habitu, & velo capitis videbatur esse rustica. Suscepit Sanctissimam Virginem quàm libentissimè, & exhibendo illi singularem humanitatẽ. Ingressa est hæc Domina parvum cubicellum, quod erat in uno latere illius atrij. Hospita continuò adfuit, & amantissimè ipsam invitavit, ut veniret, séque calefaceret ad focum, ad quem intrabatur per magnam januam, primariæ in prædicto atrio portæ oppositam. Verùm Virgo, actis magnis pro hoc favore gratijs, non annuit humanæ invitationi, & gratiosè atque humiliter se excusavit. Vidi multos stantes ad ignem, & juxta focum, quos omnes apparebat esse pauperes. Erant ibi multæ distinctæ mensulæ, ubi omnes cœnabant: suppellex fuit paupertina & rudis, visáque mihi est lignea. Bona mulier solicitabatur de bene tractanda Virgine, & dicebat hospitibus cœnantibus: Advenit quædam Domina formosa, modesta, ac discreta, quantùm desiderari potest; nescio qualis sit, sed oportet absque dubio esse eximiam aliquam, & spectabilissimam matronam. Omnes libenter rescivissent, quænam esset. Exemit benevola hospita ex quodam repositorio gratiosam scutellam testaceam simpliciſſimam, quam replevit jusculo, superposuit orbi ejusdem materiæ, attulítq; Virgini, cum alio cibo, quem ex ijs, quos pro alijs paratos habebat, selegit quàm optimum, & Celsissima Domina illum cum gau-

gaudio, & magna gratiarum actione susce-
pit ex manu devotæ rusticæ, atque osten-
dit se comedere. Ego omnibus aderam,
etiámque duæ sociæ, una Monialis, altera
sæcularis, quæ me comitabantur. Videbar
mihi accipere oblatum cibum, ejusdémq;
reddere participes socias, urgendo illas, ut
accederent ad ipsum sumendum. Sanctis-
simus Patriarcha Josephus exposuit candi-
dissimum panem instar spiræ, ut inde ali-
quid sumeret, ad quem & me invitavit.

Totum atrium tunc semper, unáque
ille angulus, quem intraveramus, erat ple-
nus Angelis Dei, ut ibi videretur esse cœ-
lum: intra prædictum tamen tempus, præ-
ter illos, qui comitabantur Inclytam Do-
minam nostram, descenderunt ex cœlo
duodecim Angeli, aut paulò plures, qui e-
rant ex eminentioribus, & magnam præ
se ferebant majestatem. Hi cœperunt ca-
nere dulcissimum cantum, resonantibus
simul svavissimis instrumentis, quæ juncta
vocibus cœlestem edebant harmoniam, &
totus textus continebat laudes Dei. Tonus
adeò inhæsit meæ memoriæ, ut, si nôssem
musicam, existimem, illum à me facilè no-
tis musicis exprimendum. Absolutâ mu-
sicâ, tradiderunt instrumenta alijs Angelis
minoribus, qui pariter aderant. Reman-
serunt ibi sat diu, assistentes Sanctissimæ
Virgini, ipsámq; gratiosissimè & reveren-
tissimè honorantes, tanquam Reginam su-
am ac Dominam, ac deinde sunt reversi
ad cœlum. Quando adfuit hora discessus,
Virgo peramanter valedixit suæ devotæ
hospitæ, & imponens manum ipsius hume-
ro, dixit ei: Omnipotens Deus tibi, Soror,
rependat hospitalitatem mihi à te exhibi-
tam; quod quidem fiet. Bona illa mulier,
perquam reverenter & humiliter, juvit
Sanctissimam Virginem, in conscenden-
do asello: cùm autem inciperet suum iter
prosequi, fui mihi penitus erepta, cessante
sic visione.

Die vigesimâ quintâ, horâ primâ post
mediam noctem, me deprehendi, etiámq;
meas socias in tuguriolo Bethlehemitico,
& advertí, Celsissimam Reginam jam pe-
perisse. Tenebat illa sacratissimum suum
Filium, pulchriorem, quàm concipi possit,
in suis ulnis, qui tamen plorabat more alio-
rum infantium, & lachrymabatur: ex ocu-
lis quoq; Sanctissimæ Matris decidebant
copiosæ ac teneræ lachrymæ, servatâ ni-
hilominus maximâ, & plùs quàm huma-
nâ vultûs serenitate, & compositione. Vi-
di cœlos apertos, & in eorum summitate
Beatissimam Trinitatem, majestate con-
spicuam & magnificentiâ verè ineffabili,
quæ clarissimè demonstrabat gaudium, &
complacentiam, ob recèns natum Puel-
lum. Omne illud spatium, à regio throno
Dei, usque ad vile tuguriolum, erat refer-
tum Angelicis spiritibus, & audivi ab eo-
dem Domino, designante Infantem, ipse
dici: Iste est Deus vester & Dominus, ad-
orate illum. Tum ea beatorum Angelo-
rum multitudo, quæ mihi apparebat pro-
pè infinita, se humiliter prosternens, ado-
ravit cum ineffabili gaudio Divinum Puer-
rum. Ego pariter, licèt indignissima, ac-
cessi ad ipsum adorandum, advocando li-
licitè meas socias, ut idem facerent, quem-
admodum etiam fecerunt. Hæc visio ex-
traordinario meam animam affecit solá-
tio, & abripuit in profundam ecstasim.
Quando ex ea redivi, reperi me in meo
paupere cubiculo. Deus sit benedictus.
Amen.

Secundâ die Natalitiorum festorum,
acsi eo solatio, ac devotione, quam sensi,
quódque mihi Deus in prædictis mysteriis
præstiterit gratiam, fuissem quidpiam pro-
merita, novum mihi contulit beneficium.
Audivi in cœlo vehementem strepitum
tonitruorum (quæ non erant similia ter-
stratibus, sed svavissima) & ingentem ful-
gorem: atque ob experientiam, quam ha-
beo, intellexi, Sacratissimam Personam
Spiritûs Sancti velle aliquid operari. Nam,
quod multoties dixi, apparitiones hujus
Domini plerumque antecedit iste sacrum
strepitus. Descendit ad hoc cubiculum
cum comitatu multorum Angelorum, in-
tra quandam tamen caliginem, & quo-
dammodo tectus divinâ nebulâ. Postea
ad me pervenit, dixit mihi cum immensa
gravitate, simúlque ineffabili amore: Ve-
ni, amica mea, mecum, ducam te ad cœ-
lestem Patriam; & quasi extendens bra-
chia

chium me elevavit, atq; Sancti ipsius Angeli me derepentè exornaverunt vestibus, & cultu festivo, sicut aliàs. Ducta sum à Divina Majestate ad cœlum, ubi arctè unita Divinæ ipsius Essentiæ sum consecuta altissimas cognitiones, de immensis ejusdem perfectionibus, confusè, & in divina quadam caligine. Sic diu hæsi velut immersa lumini, unde me Dominus duxit ad aliam longè eminentiorem altitudinem, ubi me ipsam non novi, & fruita sum talibus bonis, ut sufficiissent ad conficiendam naturam, méque illic privandam vitâ, nisi ab omnipotenti manu fuisset confortata. Restituta mihi, deprehendi me in eo priore statu prædictæ unionis, & exhibuit se mihi idem Dominus spectandũ instar Regis splendidissimè exornati. Habebat tres vestes superinductas, eásque ità elevatas, ut extima aliquid retegeret de intermedia, atque hæc pariter aliquam discooperiret partem intimæ. Intuita me est Divina Majestas obstupefactam ijs, quæ videbam, dixítque mihi: Scias velim, Anima, me inductum esse potentiâ, charitate, & fortitudine; decet verò, ut tu, quæ es tota mea, & mea dilecta sponsa, te illis induas, mihíque aliquatenus similis evadas. Ego celerrimè, & solicitissimè respondi. Non mi Domine, non mi Domine, non nisi charitate, & fortitudine. Fiat ità, dixit Dominus: primam enim, quæ est potentiæ & gloriæ, tibi servabo pro fine vitæ. Reversa ad me ex hoc raptu, me inveni in meo angulo. Benedictus sit DEUS. Amen.

*Gratiam istam à Spiritu Sancto obtinuit, anno sexcentesimo vigesimo quinto, quam hoc loco retuli, eò quòd se ad eam promerendam videatur disposuisse affectibus erga mysterium Sanctissimæ Nativitatis. Sequentes tres visiones pertinent ad annum sexcentesimum vigesimum sextum. Continuat porro concernentia Christum Dominum, Delicium nostrum, recèns natum, & post enarrata alia festorum Natalitiorum mysteria, sic ait.*

Vocavit me rursum Dominus, dicendo: Veni mecũ, Anima, videbis solennitatem, quam animæ infantium, quæ sinè propriis meritis, me perfruuntur, propter solam gratiam baptismalem, hodie celebrant in honorem Pueri recèns nati veri Hominis & Dei. Duxit me Divina Majestas ad cælestem Patriam, in eáque collocavit intra palatium separatum, inferius reliquo cælo, quod tamen etiam erat cælum. Vidi ibi obtineri magna atque æterna bona, & cognosci possideríque ipsummet Deum quamvis non tam perfectè & excellenter, quàm eo fruuntur cæteri Sancti. Bene advertebatur utriusque statûs discrimen. In hoc palatio conspexi Sanctissimam Virginem mirum in modum ornatam, & pretiosissimis abundantem cimilijs gratiæ ac gloriæ, quæ in suis sacratissimis ulnis tenebat suum Sanctissimum Filium. Sedebat in splendido throno immensæ majestatis, circumdata à millenis Angelis, qui dulcissimè decantabant divinas laudes, & magnalia præsentis mysterij. Ex illo Puero Deo prodibant divini radij immortalis luminis & gloriæ, qui illustrabant animas eorum fortunatorum infantium, juxtáque ipsorum capacitatem illos reddebant beatos. Infantes longo ordine, & bini, sese invicem sequentes, canebant & laudabant Deum, gratiásque illi agebant pro beneficio nostræ redemptionis; ac deinde prostrati ipsum adoraverunt, tanquam suum Deum ac Dominum, atque Divinus Puer ijs dedit suam sanctam benedictionem.

Die S. Joannis Evangelistæ, quod erat tertium festum Natalitium, mihi similiter Dominus dixit: Veni, Anima, & intereris solennitati, quæ celebratur à Sanctis novi Testamenti, in honorem Verbi in carne nati. Ascendi ad cælum, vidi Christum Dominum jam virum triginta circiter annorum, augustâ spectabilem majestate, & authoritate supremi Regis, sedentem in splendidissimo & pulcherrimo throno. Hic thronus erat impositus currui triumphali, non admodum alto. Trahebatur à sex Sanctis animalibus (licèt namque esset species animalium, anima tamen agnoscebat eorum Sanctitatem) candidissimi, & venustissimi coloris. Singula suum in fæmore ferebant diver-

lum insigne. Erant autem Sol, Luna, speculum, crux, clavi, corona spinea. Postea intellexi, quòd repræsentarent Sanctos Evangelistas, & Prophetas. Ducta fuit solennis pompa per circuitum cælestis civitatis, Angelorum, & Sanctorum novi Testamenti. Concinebant laudes, in honorem Humanitatis Christi Domini, & præconia ipsius Nativitatis. Musica adeò erat admirabilis ac divina, ut attonitam redderet meam animam. Substitit processio ante thronum Sanctissimæ Trinitatis, & quando advenit ille mysticus currus, Pater æternus suscepit amabilissimè suum Filium, dixítque ipsi: *Sede à dextris meis.* Dominus descendit ex throno, & conscendit ad dextram sui Patris æterni, atque Sanctis, & Angelis, qui illum prostrati in eo cæli pavimento adorabant, tanquam suum Deum ac Dominum, dedit cum ineffabili benignitate suam Sanctam benedictionem.

Eodem die, post prædicta, cùm vacarem meæ consvetæ orationi, commendando me Sancto Joanni, rogavi illum, ut me, cùm esset ipsius festum, commendaret Deo, & intercederet pro mea paupere anima. Cùm etenim iste Sanctus tot habuerit revelationes, optabam ut mihi Deus ipso interveniente largiretur lumen, nè errarem in hac via, quâ me Divina Majestas dignatur ducere. Interea mihi idem Sanctus comparuit, méque salutatam interrogavit: Quid vis, Anima? Benedicte sancte, respondi, ut mihi des eleemosynam. Et extendi manum ad eam suscipiendam. Accipe, dixit ipse, & imposuit in illam nummum elegantem ac pretiosum, quasi aureum, mirè pulchrum & splendentem, quem fortiter strinxi: & sensi, quòd penetraverit ad meam animam, méque vehementer ditatam bonis repleverit spiritualibus. Pollicitus mihi præterea est Sanctus, se fore meum advocatum. Interrogavi ipsum: Pretiose Sancte, quomodo te non vidi in hodierna pompa? Et respondit mihi: soror, ego ibi incedebam penes Dominum, & juxta currum. Verum sicut hîc non lucent stellæ, nec videntur præsente sole, ità ego, coram Majestate Domini non apparebam, & propterea non advertisti me adesse. Hoc dicto, Sanctus rediit ad cælum. Laudetur DEUS in æternum. Amen.

*Visionem, nunc à me referendam, vere postremam de hoc summo mysterio habuit in festo Nativitatis, anno sexcentesimo nonagesimo octavo, quam his verbis descriptam reliquit.*

Hoc die me Dominus duxit ad cælestem Patriam, & interfui solennitati, quæ in ea peragebatur in honorem DEI Infantis recèns nati. Notavi Sacrum ac magnum strepitum, & ordinatissimam Angelorum Dei solicitudinem. Alij cantabant divinas laudes; alij, nescio quâ ratione, loco globorum ejaculabantur stellas, quæ volantes summè resplendebant; alij evibrabant velut pyrobolos; alij quasi fulgetra svavissimi & lucidissimi ignis. Constituerunt solennissimam processionem, obeuntes totum cœlum, atque inde cum magna exultatione descenderunt ad terram, quibus conspectis aufugit tremor infernalis cohors, quæ hîc vagabatur. Ipsi venerunt ad stabulum Bethlehemicum, repererunt Puerum Deum & Sanctissimam ejus Matrem, maximam demonstrantes gloriam & majestatem. Adest ibi tota Beatissima Trinitas, & Dominus Majestatis mandavit omnibus Angelis, ut illum Puerum adorarent, tanquam suum Deum, & verum hominem, Deum suum. Omnes humi prostrati sum adoraverunt, ac deinde sunt osculati ejus pedes, profitentes illum esse Deum & caput Angelorum ac hominum.

Finitâ hac adoratione, vidi adesse Pastores, qui sanctâ suâ simplicitate, persvasi ab Angelis, ipsum adoraverunt eidémque sua obtulerunt munera. Postea illum adoravi ego, atque eam nonnullæ, & eæ non paucæ, Monales, nec non fæminæ seculares, quæ me comitabantur, cum magna eundem adoraverunt devotione: inter quas agnovi meas quasdam amicas, Moniales Sancti Bernardi ex Conventu, dicto de las Hel-elgas, atque Dominicanas ex Conven-

qui nomen habet à Matre Dei, utroque Civitatis hujus Vallisoletanæ, prætereáq; duos Religiosos diversorũ Ordinum. Postremò vidi accedentem quendam virum nobilem, qui advenjebat alijs associatus. Is intravit solus, & adoravit Puerum Deum recenter natum. Alij ipsius comites manserunt foris confabulantes & ridentes, dicebántq; sibi invicem: Videamus, quorsum iste eat. Tum cessavit visio.

# CAPUT XLIII.

## Ea, quæ ipsi Christus Dominus patefecit, de sacrosancta sua Circumcisione, Adoratione Regum, Præsentatione in templo.

*Progrediens Venerabilis Marina in recensendis, quæ illi de Puero recèns nato fuerunt revelata, sic ait, loquendo de anno sexcentesimo vigesimo quinto.*

A vigilia sacrosanctæ Circumcisionis hærebam immersa spiritualissimæ contemplationi, infundente mihi Deo singulare lumen, de admirabili resignatione hujus Dei Pueri, & Salvatoris nostri, in sanctissimam voluntatem sui Patris æterni, ad redimendum genus humanum, tantis suis impensis & commodo nostro. Biduo pòst mihi, dum audirem Missam, Dominus exhibuit spectandum hoc mysterium. Sanctissima Virgo habebat in suis ulnis Sacratissimum suum Filium, quasi tum primùm fuisset circumcisus. Flebat tenerè Puellus sentiens vehementem dolorem, & pallens. Inclyta Virgo vultu ad summam gravitatem composito fundebat lachrymas, atq; porrigebat Filio Dei & suo purissima ubera, acsi ipsum conaretur pacare: animadvertebatur verò in Domina commiseratio, ob dolores Filioli, penetrans illius animã. Hìc mihi Deus profundam, & præter morem claram contulit cognitionem, ut intelligerem internam constitutionem Divini istius Infantis, & Sacratissimæ Ipsius Matris. Agnovi in illo manifestè actum heroicum, & voluntatem promptissimam, ad obediendum suo Sanctissimo Patri, quâ se offerebat, ad perpetiendam hominum causâ mortem & crucem. Sacratissima quoque Virgo, quod ad ipsam attinebat, acceptabat eandem obedientiam, atque tanquam suum Filium, cui suam tribuerat carnem, ferventissimis actibus in id ipsum offerebat Patri æterno.

Ego, hoc spectaculo tenerrimè commota, accessi ad Dominum, dixíque ipsi blandè ac dolenter: Cùm Tua Majestas posset tot alijs modis mundum redimere, vel unicâ sangvinis guttâ, aut unâ lachrymulâ, quid opus fuit pretio tot dolorum, & contumeliarum? Sacrosanctus Puer mihi exteriùs nè verbum est locutus, verùm tanquam Deus arcano, & penetrante sermone mihi dixit: Ità omnino est, Soror, sicut dicis, nihilominus tanta pati volui, ut obedirem Patri meo æterno, glorificando ipsum his doloribus, & ostendendo hominibus, quantopere à me diligantur, ut illos obligarem ad mihi respondendum, me amando, mihíque serviendo. Hoc audiens appropinquavi magis ad meum Dominum Puerum, egi illi gratias pro beneficio nobis præstito, optavi osculari ejus pedes, & ,quæ fuit immensa ipsius benignitas, sum illos osculata. Quando accessi, vidi quòd mysticè in ijs gereret signa suorum vulnerum: mysticè, inquam, quia re ipsâ nec erant vulnera, neque signa visibilia. Fuit mihi significatum, quòd, sicut ab instanti suæ sacrosanctæ Incarnationis Dominus præsentes habuit suos cruciatus, ità quoque habuerit pedes oblatos, & præparatos ad clavos, quibus suo tempore fuerunt transfixi. Ob hanc visionem sum sat longam passa ecstasim, atque dum ad me redivi, erat tempus sacræ Communionis.

Postea in festo trium Regum, mihi Divina Majestas dignata est manifestare mysterium

sterium hujus solennitatis, & quæ acciderunt, quando hi felices Sancti venerunt ad ipsum adorandum. Intellexi, hos Sanctos tres Reges, fuisse sapientissimos, & ex naturali scientia, quâ erant prædíti, ac sacrarum & humanarum literarum peritia, multóque magis propter lumen, quod Deus eorum animæ internè communicavit, & exteriùs per stellam, agnovisse, magnum hunc Deum & Dominum nostrum jam esse natum in mundo. Vidi, quòd ipsum vivacissimâ fide, quam habebant de ejus Divinitate, quæsiverint intrantes Jerosolymam cum periculo, & magno vitæ discrimine, atque interrogantes, ubi esset natus. Deinde vidi appropinquantes tugurìolo Bethlehemitico, cum numeroso hominum comitatu, & strepitu jumentorum. Ingressi invenerunt Divinum Puerum in brachijs suæ Sanctissimæ Matris, sedentis cum Sancto Josepho. Totum illud pauperrinum hospitiũ erat conversum in cœlum, plenum Angelis, & gloriâ cœlesti, quanquam Sancti Reges nihil horum viderint, præter Puerum & Matrem, coruscantes tam splendidis radijs, ut ille optimè adverteretur esse verus Deus & Homo. Fuerunt excepti à Virgine, demonstrante ipsis, summa cum gravitate, magnum amorem.

Tum illi prostrati adoraverunt Puerum tanquam verum Deum. Observavi autem, quòd singuli seorsim priùs fuerint osculati terram, ac deinde cum singulari reverentia, humilitate & devotione, accesserint ad osculum pedum ipsius, obtulerintque ei allata sua munera, quæ ex illorum manibus suscepit gloriosus Sanctus Josephus. Post adorationem & oblationem est ipsos allocuta Inclyta Virgo, cum svavissima charitate ac benevolentia, gratias illis egit pro sancto zelo, fide, ac donis, cum quibus advenerant. Ipsi pariter sunt allocuti Ejusdem Majestatem, non intellexi tamen, quid dixerint. Cùm valedicerent, Sacratissima Domina assurrexit, tenendo suum Sacrosanctum Filium in ulnis, exhibuit Sanctis Regibus honorem, semper manens in eodem loco. Sanctus Josephus est egressus extra tugurium, ipsis valedicturus. Tum mea visio cessavit. Deus sit semper benedictus. Amen.

*Antiqui Authores pleni sunt testimonijs probantibus, in Asia eos, qui adorabant sacros Reges, solitos fuisse osculari terram: idcirco non est mirum, Sanctos Magos adorantes Divinum Puerum, ut verum Deum, & legitimum suum Regem, usos fuisse hac reverentiali cæremoniâ, quam vidit Venerabilis Marina. Aliâ vice, septimâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo septimo, spectavit idem mysterium cum ijsdem circumstantijs, quamvis ei fuerit ostensum quasi repræsentatum in ipsius tabiculo. Tantum addit, quomodo illius Angeli se præparaverint, ad excipiendum sacrum comitatum descendentem ex cælo, qualiterq; jucunditá visione prædicti ipsius Angeli accesserint, ut ei precarentur felicia festa. Tandem anno sexcentesimo vigesimo octavo, eodem die Epiphaniæ ipsi Dominus denuò ostendit idem mysterium, verùm adjunctis specialissimis circumstantijs. Licèt verò aliquæ earum videantur opponi illis, quæ referuntur in scripto precedenti, si obiter considerentur; ex annotatione tamen, quam posteà apponemus, Lector intelliget, nullatenus ab invicem discrepare. Ego solùm adverto, quamvis unus alterve ex quorum Patrum existimaverit, Puerum fuisse adoratum, jam degentem in quapiam domo, non autem in stabulo (quam opinionem nonnulli moderni Doctores censent esse probabilem) communem tamen Patrum sententiam, & sensum Ecclesiæ Catholicæ expressum in jus festi officio esse, magisque à sacris Interpretibus probari, quòd Puer Deus, cum Sanctissima sua Matre, adhuc in eodem fuerit tugurio, in quo erat natus, quemadmodum Venerabilis Marinæ fuit ostensum, quotiescunq; videtur ipsa mysterium. Ipsa igitur dicit sequentia.*

Præterlapso hoc festo Regum, operame impendere orationi, & meditari illud mysteriũ modo securo, & ordinario, imaginando mihi personas, & locum, ac omnibus adessem, quæ evenerunt in ea ratione hujus Domini. Multùm conabar excitare imaginationem, & nullas in eam lebam efformare figuras: adigebam me id ampliùs, & minùs poteram. Tunc hi mei Domini Angeli dixerunt: Soli noli te fatigare, nihil enim efficies. Des

te jam non ducit hac viâ. Derepentè conspexi Divinam Majestatem, quæ mihi dixit: Visne adesse adorationi Regum? Ducam te, & repræsentabitur tibi à me quàm vivacissimè, eóque magis, quòd ego illam sim repræsentaturus, cùm ipsemet ibi fuerim adoratus. Non, mi Domine, respondi, non volo extraordinaria. Omnino, subjunxit Dominus, si vis, faciam id. Nihilominus tergiversabar, & indicabam meam detrectationem. Desiste, Anima, dixerunt mihi tunc mei Angeli, fac quod tibi Dominus offert: nos te ducemus ad stabulum Bethlehemiticum. Neque etiam sic inducebam animum, donec id Ipsius Majestas re ipsâ exequeretur.

Inveni illud tugurium, quanquam paupertinum, valde mundum, & nitidè adaptatum. Sanctissima Virgo habebat vestē ex panno non crasso, sed subtili, cujus color erat hyacinthinus obscurus, declinans in ferrugineum; velum erat coloris fulvi pariter obscuri: sedebat in quadam velut sella non rudi, ex ligno tamen, quod apparebat esse ejus coloris, cujus est lignum, ùt à nobis hîc appellatur, sanctum. Tenebat in ulnis suum Sacrosanctum Filium, cui porrigebat sua virginea ubera denudata. Divinus Puer erat involutus mundissimis linteolis, & fasciæ erant nitidissimæ. Tam Domina, quàm Puer tantam, humanissimæ mixtam svavitati, exhibebant majestatem, ut animadverteretur, hunc esse etiam Deum, & illam ipsius Matrem. Aderat quoq; Sanctus Josephus, licèt aliquantùm remotus. In medio illius tugurij stabat mensa quadrata, tecta candidissimâ & politissimâ mappâ, cui erat superpositus orbis, & huic spira delicatissimi panis, atq; aliæ buccellæ, quas, cujusmodi essent, non vidi.

Dum ista spectarem, intraverunt Reges absque magno strepitu, & antequam accederent, distantes duobus circiter, vel tribus cubitis à loco, in quo erat Virgo, se prostraverunt humi, ac deinde sese erigentes iverunt ad adorandum puerum Deum. Inclyta Virgo ipsos excepit, magnam demonstrando affabilitatem, & gravissimam modestiam. Non assurrexit, sed inclinando aliquantùm corpus, nutu capitis ijs exhibuit honorem. Sanctus Josephus illos est officiosè veneratus. Tum Virgo Sacrosanctum Puerum collocavit in suo sinu, ità ut Divino vultu respiceret Reges, qui ipsū adorantes, sunt osculati ejusdem pedes, & obtulerunt illi sua munera. Hæc erant duo vasa instar phialarum, quarū una continebat thus, altera myrrham, prætereáq; aurum. Duo mihi videbantur esse frusta auri, instar duarum ferrearum librarum, quales hîc in ponderando adhibemus. Omnia ista posuerant super mensulam, quæ erat in tugurio. Post hoc Reges surrexerunt, & abiverunt, nescio quò: non vidi enim illos ultrà. Sanctus Josephus non est cum ipsis egressus, sed illic manens accessit ad mensam, & fractâ spirâ tulit inde, in eodem orbe, duo frustula Sanctissimæ Virgini, ut illa sumeret. Observavi, Sanctum Patriarcham, modestæ comitati, & amori castissimo, quo ipsam prosequebatur, tanquam sponsus, conjunxisse quandam submissionem, flexo coram Celsissima Domina quàm reverentissimè uno genu, dum illi porrigeret orbem, quem Ejusdem Majestas decentissimè suscepit, ostendens, se comedere.

Petij ab hac Domina strenam, quam mihi pro me, & meis notis donavit, próque amicis meis comitibus, Monialibus & secularibus. Sanctus Josephus mihi obtulit frustum illius candidissimi panis, ego autem multùm reluctabar, neque ipsum audebam suscipere. Sed Sanctus videns meam tergiversationem, accepit panem, suáque manu imposuit in meum sinum. Durante hoc mysterio sensi vehementes affectus, donec mihi restituta, me reperi in meo angulo. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Quòd Deus, dum idem mysterium bis, ac diversis temporibus revelat, aliquas manifestet circumstantias posteriùs, non visas primâ vice, etiámq; nonnullas omittat ex ijs, quæ priùs fuerunt manifestatæ, nullam adfert difficultatem legenti sacros Prophetas, & Apocalypsim. Notant idem Sancto Hieronymo Interpretes in cap. 1. & cap. 10. Ezechielis. Idcirco Venerabilis Marina, postquam primâ vice*

*vidit Reges osculantes terram, potuit hac secundâ vice non videre, vel id ipsum scivit, quando dixit, quòd se prostraverint, & adoraverint Puerum. Sed neg. ullam habet difficultatem, quòd in tugurio fuerit mensula, & sella non prorsus rudis: siquidem dubitari nequit, quin prudens sedulitas, ac debita S. Josephi solicitudo, vel aliquorum notorum Bethlehemitarum, aut devotorum pastorum, procuraverit mutuo datam paupertinam supellectilem, quæ usui esset summo Regi, & ejusdem Matri, per eos dies, quibus ibi erant commoraturi.*

*Tota difficultas consistit in appositis hìc quibusdam circumstantijs, quæ alijs videntur adversari. Dixit superiùs:* Vidi appropinquantes tuguriolo Bethlehemitico, cum magno hominum comitatu, & strepitu jumentorum. *hìc inquit:* Intraverunt Reges absque magno strepitu. *qua in re nulla est oppositio. Advenerunt tres Reges cum magno strepitu ad tugurium, postquam autem descenderunt ex jumentis, atque dum illud intrarent, gesserunt se modestè & quietè, quantùm ipsis fuit possibile. In præcedenti visione illos comitabatur ex ipsorum regione usque Jerosolymam, & inde ad præsepe, refertq. strepitum, quem vidit, quando adveniebant, sicut contingere solet in accessu ad diversorium. In præsenti visione erat Venerabilis Marina intra tugurium, neque illi fuit exhibitus strepitus, quem homines & jumenta foris excitabant, sed modesta reverentia, & modicus strepitus, cum quo Sancti sunt ingressi.*

*In hac secunda visione dicit de Virgine:* Non assurrexit, sed inclinando aliquantùm corpus, nutu capitis ipsis exhibuit honorem. *Exponit Venerabilis Marina modum, quo hæc Inclyta Domina excepit Sanctos Reges: neq. id quidquam repugnat dictis in priore visione de modo, quo illis valedixit, ubi ait:* Cùm valedicerent, Sacratissima Domina assurrexit &c. *Combinentur tempora, & concordabunt veritates. Ostensum fuit Venerabili Marinæ primò, qualiter se Regina cæli gesserit, dimittendo Reges; secundâ verò vice, qualiter eosdem exceperit. Velle jam scrutari, cur hæc magna Domina excipiat sedendo, ac dimittat stando, esset potiùs commentari mysterium, quàm scribere historiam. Transeo ad alias majores difficultates, quas nonnemo potest observare.*

*In superiore visione dicit:* Quòd obtulerint allata à se munera, quæ ex illorum manibus suscepit gloriosus Sanctus Josephus. *In hac, postquam descripsit dona, addit:* Omnia ista posuerunt super mensulam, quæ erat in tugurio. *Legatur attentè contextus, qui non exprimit, quis illa omnia posuerit super mensulam: & procul dubio loquitur, meâ opinione, de Sancto Josepho, qui consequenter loquens de Regibus adjungit:* Post hoc Reges surrexerunt &c. *Constat ex hac visione, Dominam nostram cum Sanctissimo suo Filio fuisse aliquantùm remotam à mensa, ideo namque infrà dicitur, à S. Josepho esse allatum cibum Virgini Matri. Cùm itaque depositis donis super mensam, Reges dicantur surrexisse ab adoratione Pueri, non fuerunt ei ab ipsis posita. Neque est durus loquendi modus, licèt solus Sanctus Josephus dona ex manu Regum accepta in mensa posuerit, quòd Venerabilis Marina dicat:* Posuerunt. *Ità enim omnes in hujusmodi occasionibus loquimur, quando exempli causâ dicimus: Præparaverunt mihi mensam; dederunt mihi aquam pro abluendis manibus; attulerunt mihi cibum &c. quamvis id unus tantummodo agat. Verum dimus, hìc Ven: Marinam vidisse, quòd ipsimet Reges sua munera posuerint ad mensam; absolutè illa inde, sinè dubio, Sanctus Josephus. Atque ità in prima visione, ubi illi non fuit ostensa mensa, sed dona, priùs in manibus Regum, & tum in manibus Sancti Josephi, potuit cum eadem veritate dicere, quòd ipse ea ex illorum manibus acceperit.*

*Ultima difficultas, quæ magis apparet dua, expeditiùs, meo exiguo judicio, potest in faciliùs complanari. In prima visione dicit quòd, postquam Reges valedixerunt Virgini & Puero Deo,* Sanctus Josephus fuerit egressus extra tugurium, ipsis valedicturus. *In hac secunda ait:* Post hoc Reges surrexerunt, & abiverunt, nescio quò, non vidit enim illos ultrà. Sanctus Josephus non est cum ipsis egressus, sed ibi mansit, &c. *Tantùm abest, ut hæc famula Dei contradicat ijs, quæ superiùs asseruit, tanquam eorum oblita, aut sibi non constans, ut potiùs clarè apparet, ipsam in hac visione alludere ad alteram, & referre, quid viderit diversis. Videbit Deus illi in posteriore ista visione nihil mon-*

*fuisse*

*festavit de valedictione, & mutuo alloquio Regum ac Dominæ nostræ, eò quòd hoc viderit præcedenti vice. Ac proinde neque ipsi hîc ostendit egressum S. Josephi ex tugurio, qui pertinebat ad istam solennem valedictionem. Quapropter in hac postrema visione non loquitur de Regibus, tanquam discedentibus, sed acsi, absoluta eâ parte repræsentationis, quæ tunc peragebatur, disparuerint. Manşit autem S. Josephus occupatus ministrando cibo Virgini, quod ipsi tum erat ostendendum, ultra ea, quæ priori vice viderat.*

*Hoc sufficit, ad probandum, nihil in his visionibus reperiri contrarietatis. Accidet verò haud dubiè permirum Patribus spiritualibus, gerentibus curam animarum, videre, quòd vix ullus reperiatur, quantumcunq; elevati & securi spiritûs, cujus revelationes, licèt sint paucæ, non sit semper operosum (spectatâ obscuritate alloquiorum, & visionum Divinarum) combinare; quòdque revelationes Ven. Marinæ, quamvis sint innumeræ, ità sibi invicem cohæreant, ut unum duntaxat scriptum reperiatur, quod sit necesse concordare cum alio, quæ tamen concordia sit tam facilis inventu. Laudetur semper Deus, ùt est semper mirabilis in Sanctis suis.*

*Progrediamur ad aliud mysterium, quod ipsi Dominus ostendit in festo Purisitationis, anno sexcentesimo vigesimo nono, exhibendo illi modum, quo fuit præsentatus in templo. Accedit & alia gratia, quam mox die sequenti obtinuit. Quæ omnia ab ipsâ describuntur sequentibus verbis.*

Secundâ Februarij die Purificationis Dominæ nostræ, DEUS mihi gratificatus est, ut comparerem in cœlo, fruitura festo, quod ibi in honorem hujus misterij celebrabatur. Simul ac sum ingressa hanc Sanctam Civitatem, conspexi Sacratissimam Virginem, adeò immortali plenam splendore, & stupendâ pulchritudine, ut majore me affecerit admiratione, quàm quandoque aliàs. Tenebat in suis ulnis superpositum velo, quod erat splendidius sole, suum Sanctissimum Filium formosissimum, & immensâ luce, quâ perfundebatur, clarè demonstrantem, se verum esse Deum & Hominem. Tota hæc visio fuit, omnibus consideratis tam admirabilis, ut à nullo, sive homine, sive Angelo possit sufficienter edisseri. Instituta est solennis processio omnium cælestium Aulicorum, qui canebant laudes DEI, gratiásque illi agebant, quòd factus esset Homo. Circuibant totam illam magnam Civitatem, & claudebat comitatum Præcelsa Regina cum suo Filio, quem gestabat in ulnis, atque penes ipsam incedebat glorioşissimus Patriarcha sanctus Josephus. Dum sic progrederentur, observavi, Sanctissimam Virginem certo loco sese profundè inclinantem, & postea rescivi à Domino, illum locum respondere monti Calvariæ, ubi Sanctus ipsius Filius fuerat crucifixus. Pervenit pompa, & substitit ante thronum Sanctissimæ Trinitatis, ubi hæc Domina flexis genibus Patri æterno obtulit suum Sanctissimum Filium, in remedium humani generis, tota resignata in ejus Divinum beneplacitum, tanto affectu, amore, ac promptitudine, atque actibus tam heroicis, ut obstupefecerit universam illam cœlestem Civitatem, & pauperem meam animam præter morem reddiderit attonitam. Tum Beati illi Spiritus se prostraverunt, gratias agentes Deo, atque honorem deferentes Virgini suæ Reginæ: & postquam surrexerunt, novam sunt exorsi musicam, cantantes Domini laudes, ob beneficium remedij nostri, simúlque celebrabant gloriam ipsius Genitricis.

Post hoc Celsissima Domina accessit ad me, expansóque cum singulari affabilitate ac amore dicto velo in meis brachijs me multum timente & expavescente, ac admirante Divinam misericordiam, collocavit in ijs sacratissimum illum Puerum. Vehementer verecundabar, atque aliunde obcæcabar à radijs prodeuntibus ex Divina ejusdem Domini pulchritudine. Cum Sacrosancto hoc thesauro, quem gerebam in meis indignis ulnis, fui, unà cum Sanctissima Virgine, ducta ad alium locum, ubi erat Sanctus Simeon. Habebat ante se aram, & suscipiens ex meis manibus Sanctissimum Puerum, cœpit reverentissimè canere: *Nunc dimittis servum tuum Domine &c.* Mox Angeli, vocibus & melodiâ

lodiâ verè cœlesti continuaverunt, & finiverunt totum canticum. Deinde Sanctus senex restituit Sacratissimum Puerum suæ Sanctissimæ Matri, quæ illum in suis ulnis secundò præsentavit Beatissimæ Trinitati. Hîc ipsi Pater æternus cum tenerrimo amore dixit: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c.* & collocavit illum ad suam dexteram. Fui mihi penitus erepta, dum spectarem tanta mysteria, & quando ad me redivi, inveni me in meo paupere angulo.

Postridie deinde manè, intenta meæ ordinariæ orationi, inter consvetos dolores & curas, audivi Dominum dicentem: Anima, es fatigata, veni mecum, videbis quid agatur, & capies solatium. Ego propter meos timores nolebam ostendere, id à me intelligi, & perseveravi in mea oratione adhuc ultra horam, donec me Divina Majestas secundò vocaret, ducens me reipsâ ad cælestem Jerosolymam, & collocans juxta thronum Agni. Vidi emanantem inde vastissimum fluvium, qui irrigabat, & circumibat totum cœlum: licèt verò aqua esset limpidissima, aliquantùm tamen erat tincta colore sanguineo. Utrinque in ripa hujus fluvij erant innumerabiles Angeli, qui intingentes quædã velut aspergilla in ea aqua, seu sanguine, conspergebant omnes creaturas rationales. Significatum mihi fuit, magnum illud flumen esse meritorum & sanguinis Divini agni, Christi Domini, delicij nostri, & conspersos fuisse omnes homines, bonos ac malos, eò quòd pro omnibus sit mortuus, & omnibus sufficientia præbeat auxilia ac lumen, ad cognoscendum verum Deum: atque per malos stare, quòd nolint bene uti tam pretioso sanguine, quàm ex eodem fructum capiunt boni. Vidi tum juxta me omnes notos, & amicos, atque eos, qui se exiguis meis commendaverant precibus, tam Religiosos, quàm Moniales, & Dominos seculares. Expandebam, mei ipsius immemor, brachia, omnes advocando, & rogabam Angelos, ut ipsos aspergerent, quod fecerunt, & repleverunt illos eo Divino liquore sanguinis JESU, secundùm singulorum capacitatem, omnibus summo affluentibus solatio. Petivi deinde à Sanctis Angelis, ut aspergerent etiam me. Ità omnino facemus, responderunt. Vidi me conspersam illo pretiosissimo sanguine, qui omne meum desiderium explevit, meque confortavit. Tum se mihi in eo altissimo throno Agni videndam exhibuit Persona, & Majestas Christi Domini nostri. Fruita sum aliquamdiu gloriâ illius spectaculi. Ipse sit benedictus. Amen.

## CAPUT XLIV.

### Monstrat illi Dominus mysteria suæ Passionis.

*IN Januario anni sexcentesimi vigesimi sexti, quadã occasione Christus Dominus hunc Virgini repræsentavit dirissimum cruciatum, quẽ sustinuit, dum coronaretur spinis. Quid compatiendo senserit, refert his verbis.*

Adfui aliquando his diebus cruciatui & doloribus, quos Christus Dominus est perpessus, quando coronabatur spinis. Vidi hunc Dominum in specie tam vivaciter repræsentante supplicia ac tormenta, ut meum cor, compatiendo ipsius afflictionibus vehementissimo fuerit conversum dolore. Prostravi me humi, reclinato caput super meas manus; deploravi amarè cruciatus, quos meus Dominus tolerabat, erátque tantus meus dolor, ut non potuerim intueri sacrum ipsius vultum, sed gemuerim, fuderimque lachrymas, tenerè ei condolendo. Audiebantur clamores, & vociferationes carnificum, ac turba multum, qui in eo loco excitabatur, hæc méque augebat meum dolorem. Veniebant ad me Domini mei Angeli, & dicebant mihi: Veni, Anima, veni nobiscum. Verùm ego eram ità confecta dolore, &

tantopere desiderabam perseverare apud pedes mei Domini, qui sic afflictus ac divexatus patiebatur, ut ipsis nihil aliud responderim, quàm: Relinquite me, Domini relinquite me. Hoc aliquoties evenit, donec ipsemet Dominus, tametsi plenus doloribus, peramanter, & vices meas dolēdo, mihi diceret: Perge, Anima, perge, ibi me in alia specie videbis. Ità fui abducta à meis Dominis Angelis ad meum cubiculum. Dum jam in eo essem, vidi rursus eundem Dominum in eo habitu, quo cum hominibus conversatus est, & postquam ipsum conspexi, contulit mihi Ejusdem Majestas ingens lumen, ut aliqualiter eundem Dominum cognoscerem, quà est homo, manifestando mihi illam promptissimam obedientiam, & ardentem charitatem, quâ se obtulit ad labores ac dolores, adeóque duram mortem, pro generis humani redemptione. Agnovi admirabiles ipsius virtutes, sublimissima merita, & ea ardentia desideria Salutis nostræ. Cognitio harum prærogativarum tam rarâ meam animam affecit admiratione, adeóque omnem excedente modum, ut in me etiamnum perseveret, credámque semper ità perseveraturam, nec illam sciam explicare. Benedictus sit DEUS, qui dando nobis Christum Dominum, largitus nobis est tam magnum thesaurum. Amen.

*Quæ de nonnullis sacræ Passionis, Redemptoris nostri, particularibus mysterijs, déq; eorundem cognitione Venerabili Matinæ communicata, alibi dictum est, hoc loco solùm referam specialem revelationem, quam valde habuit distinctam suísque hebdomadæ Sanctæ diebus continuatam, anno sexcentesimo vigesimo octavo. Sic verò illam recenset.*

Die Sabbathi, decimâ quintâ Aprilis, ptidie Dominicæ Palmarum, illucescente die, fui à Domino ducta ad vastum fluvium, qui totus erat sanguineus. In hujus ripis multi Angeli, provoluti in genua, mæstissimo vultu adorabāt illum sanguinem. Intellexi, esse Sanguinem JESU Christi Domini nostri. Ibi mihi fuerunt distinctissimè & singillatim ostensa mysteria Passionis ejusdem Domini: oratio in horto, comprehensio, & reliqua. Videbam enim ea in Persona Sacratissima, quæ illa patiebatur, supernaturali tam expressivo & claro lumine collustrata, quàm si reverâ præsens adessem eo loco & tempore, quo fuerunt peracta. Quamvis autem me in magnam abriperet admirationem id, quod Ipsius Majestas externè sustinebat, absque comparatione tamen magis stupebam, videndo internam constitutionem animæ hujus Domini (quæ mihi à Divino lumine longè clatiùs, quàm meamet propria manifestabatur) & ea, quæ intra illud amore flagrans & afflictum cor agebantur. Tantus fuit dolor, & angustia meæ animæ, ut mirum fuerit, me non exspiravisse. Cœpi destitui viribus, eò quòd tam dolorosa & luctuosa viderim ac senserim objecta, quæ nequeunt exponi. Visis flagellis, non potui non avertere oculos, quia me advertebam exanimari spectaculo tam inhumanæ crudelitatis. Nulla reperitur lingua, ut aliquid dicere possit de ijs, quæ ibi meus Dominus est passus. Adfui postea mysterio crucis, & quando Dominus fuit elevatus in altum, atque tum existimans me mori, cucurri cum dolore & impetu, quasi mei impos, & amplexata sum ejusdem Majestatem viventem in cruce, strinxíque arctissimè, acsi mihi mea gravissima afflictio adderet vires. Audivi proferentem septem verba, & cùm pronuntiaret illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ostendit mihi Dominus vivacissimè, quanta fuerit derelictio, quam Sanctissima ea Humanitas unita Verbo patiebatur, in eas redacta angustias, atque si revera sibi soli relinqueretur, quod erat stupendissimum, & verbis exprimi nequit. Quando audivi postrema verba: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*; quæ Dominus cum validissimo clamore protulit, & vidi ipsum exspiravisse, nescio, quomodo non fuerim penitus extincta: scio verò accessisse ad me quendam Sanctum Angelum, dicentem mihi: Tempera tibi, Anima, nam fatiscis; abi, alioquin morieris. Ego, prout potui, tantummodo respondi: Domine Angele, sine me hîc mori cum meo Domino; atque licèt magis instaret, non poterat me abigere.

Interea adfuit tempus, ut transfigeretur lanceâ, cúmq; ego sacrum illud defunctum corpus amplexarer, lancea est ingressa latus, & me intactâ penetravit pectus Domini, effluente ex vulnere magnâ sanguinis copiâ, quo tota immadui. Afflictio mea tantopere crevit, ut illam nequeam sufficienter declarare. Tum Dominus refigendo se è cruce, imposuit brachia meis humeris, quem ità me amplexantem tuli ad Sanctissimam Virginem ejus Matrem, & collocavi in ipsius gremio, dicens: Hîc utique, mi Domine, optimè manebis, in loco, quo melior in mundo non extat. Ibi mihi Divina Majestas manifestavit, me specialissimè illuminando, qualiter fuerit internè constituta Sanctissima ipsius Mater; dolores quoque & resignationem illius purissimi cordis, quod mihi videbatur septem velut pugionibus transfixum. Et observandum est, me, quando mea anima hæc mysteria, quasi in se ipsis, videbat, acsi revera ibi coram me peragerentur, aliunde etiam eadem vidisse, mihíque fuisse repræsentata in eo fluvio, de quo dixi initio, tanquam in claro & crystallino speculo.

Post hoc vidi, quòd Sancti Nicodemus & Josephus, facultate petitâ à Celsissima Domina, acceperint illud sacrum corpus, & involutum syndone posuerint in quadâ arca, tulerintque ad sanctum sepulchrum. Deinde eæ sanctæ mulieres illic præsentes, quæ non erant multæ, sed paucæ, duxerunt Sanctissimam Virginem ad ipsius domum, consolando illam: & benignissima Domina ipsas vicissim solabatur. Non vidi illas tunc euntes ad sepulchrum. Ego Celsissimam Reginam sum comitata ad ejus domum, & ibi existens volebam, ac petebam manere apud Ejusdem Majestatem, quæ mihi tum dixit; Nequaquam, Soror, vivis enim adhuc in carne mortali, & deficerent te vires. Quare mei Domini Angeli me duxerunt ad meum angulũ. Visio duravit ultra duas horas: nam quando ex raptu redivi, erat hora quinta.

Hîc me Sanctus Angelus meus Custos, videns vehementer debilitatam, confortabat, & imponens manum meo capiti, dicebat: Age Anima, confortare. Sed ego tam vivaciter habebam impressa illa dolorosa mysteria mei Domini, ut mihi cor præ afflictione disrumperetur, nullúmque admitterem solatium. Tum vidi comparentem mihi, cum solita majestate, Sacrosanctam Personam Spiritûs Sancti, quæ me est solatus, ac dixit: Veni mecum, Anima, & quiesces. Mi Domine, respondi, nunc non est tempus quiescendi, sed patiendis, mi Deus, relinquat me Tua Majestas: quorsum namq; modò item? verum Divina Majestas videns me deficientem viribus, conspersit me quodam velut sanguineo liquore, quo fui confortata: restitutum sum mihi, & recuperavi vires. Laudetur semper, & benedicatur Deus. Amen.

Sic eram constituta, donec Feriâ quintâ sacræ hebdomadæ, sub diluculum matutinum, ad me venerunt quidam S. Angeli, totámq; me cooperientes nigro velo, cœperunt admirabili musicâ intonare, quod cani consvevit, dum ad sepulchrũ feruntur mortui. Finito cantu, qui me vehementer attonitam reddidit ac admirabundam, ac elevaverunt meũ corpus unà cum lectulo, in quo ægrotũ decumbit, totidémq; vicibus me demiserunt. Deinde me texerunt pretioso velo aureo & splendidissimo: cujus istud mysterium hactenus non percepi.

Advertí, quòd me vellent ducere ad cœlestem Jerosolymam, multùm autè reluctabar, dicendo: Nunc non est tempus gaudendi, sed tecum, mi Domine, patiendi. Verùm frustra id dicebam. Fui abeuntibus postquam me ibi Dominus arctissimè sibi univit, fruita sum in eo immenso Esse meo. Vidi derepente Divinam Majestatem vehementer iratam, vultuq; minacem summam indignationem, adeò mihi ingentẽ incuteret metum, neq; ipsum auderem intueri. Mi Domine, ajebam, quæ est causa tantæ indignationis? Divina Majestas mihi dixit, se irasci peccato Adami, quod tantum intulerit damnum, omiciendo genus humanum, pro cujus redidio necesse fuit, ut Deus fieret homo, atque pro ipsius redemptione subiret mortem. Nonne verò, mi Deus, respondi, ad id fecisset qualecunque istius Domini, Hominis, vel minimum opus? Omnino

abu-

abundè suffecisset, dixit Dominus: sed vos estis tales, ut, si fuissetis modicis redempti expentis, non æstimavissetis remedium, ideóque fuit conveniens, quod hac de causa, & ob alios meos altissimos fines, factum est.

Inde sum ducta ad hortum, ubi vidi Christum Dominum, delicium nostrum, orantem. Fuerunt mihi per speciale lumen manifestatæ angustiæ, & afflictiones, quas tunc tantas patiebatur, ut ipsi ob doloris vehementiam eripere potuissent vitam. Vidi illum sanguineo perfusum sudore, qui intra ejus vestimenta decurrebat usque ad terram. Vidi alloquentem suos discipulos dormientes. Quando autem venerunt ad ipsum comprehendendum, accessit ad me quidam Angelus, méq; indè abduxit, nè viderem illud mysterium. Existimo, non futurum fuisse possibile videre crudelitatem, quâ ibi Ejus Majestas fuit tractata, quin dolore extingverer. Reversa sum postea ad me, reperique me in meo angulo. Deus sit benedictus. Amen.

Feriâ sextâ in Parasceve mihi Deus exhibuit spectandam solennem processionem, quæ peragebatur in cœlesti Jerosolyma, méq; singulari affecit admiratione. Vidi meos Dominos Angelos præ se ferentes mæstitiam, tametsi ejus non sint capaces. Erant induti veste nigrâ, cujus stamen fuit aureum, Hunc in modum, cum omnibus reliquis Angelis, bini longissimo ordine processerunt. In medio gradiebantur quatuor Angeli è supremis, quorum unus erat S. Archangelus Michaël, alter S. Gabriel, alios duos non agnovi. Hi ferebant quatuor nigra vexilla in suis manibus. In fine ibat Sanctissima Trinitas, & Christus JESUS Dominus noster, indutus suis consvetis vestibus, quas gestabat degens in hac vita mortali, vultu exhibens grandem afflictionem & angustiam. Ducta fuit hæc pompa per totam sanctam Civitatem, resonante gravi & cœlesti musicâ: erant nihilominus cantus tristes & lugubres, de Passione ac morte Domini. Sacra ista processio substitit in eodem loco, unde prodiverat. Beatissima Trinitas se collocavit in suo sublimi throno, & JESUS Christus Dominus noster procubuit in genua, séq; prostravit coram Patre æterno, qui datâ ipsi suâ benedictione, dixit: Fili, non potest aliter fieri, quàm ut humani generis causâ moriaris, pro ejusdem redemptione. Ità convenit ad gloriam meam. Sanctissimus Filius obedivit promptissimâ voluntate, mihique ostendit singillatim omnia Passionis mysteria, eodem ordine, atque cum eodem meo dolore & sensu, ac præcedente Sabbatho. Post notabile temporis spatium ad me redij ex raptu.

Quando advenit Sabbathum sanctum, exoptabam sacram Communionem: dictum enim mihi fuerat, posse dici Missam. Deinde, quòd id minùs esset usitatum, existimavi fore convenientius, magísque Deo placiturum, si mihi eo die Missa non celebraretur. Divina Majestas approbavit hoc meum consilium, atque addidit: Non perdes propterea, Soror, fructum Communionis. Deus sit benedictus. Amen.

# CAPUT XLV.

## Mysteria Resurrectionis Christi, efficacia, & gloria Crucis ipsius.

*QUemadmodũ magnus Deus noster multis hanc Virginem exercebat doloribus, repræsentando illi mysteria suæ sacrosanctæ Passionis, ità eandem quoque solabatur, exhibendo ipsi spectanda gaudia gloriosæ suæ Resurrectionis. Exordior ab eo, quod de hoc mysterio vidit septimâ Aprilis, anno sexcentesimo vigesimo quarto, & sic recenset.*

In festo Paschatis manè fui à Domino ducta ad locum sepulchri, qui mihi maximus videbatur esse & capacissimus cãpus. Vidi totum illum S. Locum circumdatum

* Vita Mar. de Escobar Part II.

à magna multitudine Angelorũ, qui eundem venerabantur. Apparuit mihi subitò admirabilissimus splendor, à quo universũ ille campus replebatur gloriâ. In eo adveniebat sacratissima Anima JESU Christi Domini nostri, quæ est ingressa sanctum sepulchrum, séque univit suo sacratissimo corpori, & illico vidi Dominum resuscitatum stantem supra sepulchrum, cum maxima gloria, & indicibili majestate. Omnes Angeli illum adoraverunt, tanquam suum Deum & Dominum. Paulò pòst hic Dominus ivit ad domum suæ Sanctissimæ Matris, ducens secum omnes animas, quas liberaverat ex limbo. Postquam ad ipsam venit, salutavit illam, cum singulari amore ac benevolentia, & gravissimâ teneritudine est amplexatus. Virgo quoq; eum modestissimo amplexu excepit. Valedixit ipsi Dominus dicendo, se ire ad invisendam Magdalenam, atque desolatos discipulos. Magna Domina procubuit in genua, rogavitque suum Sacratissimum Filium, ut sibi impertiretur suam sanctissimam benedictionem, quod Ejusdem Majestas fecit, ajens se eam, quà est Deus, ipsi quàm libentissimè impertiri, & subjecit: Nunc tu Mater & Domina mihi eam, ùt homini, dare debes, quam illi Virgo, profundè se humiliando, dedit, inclinante amabilissimo Domino nostro modicè caput, qui postea petijt à sua Sanctissima Matre manum, quam est osculatus, atque ità Dominus discessit.

Post sat longum tempus Sanctissima Virgo me dignata est visitare in meo angulo. Salutavit me Ipsius Majestas, apprecando mihi felix Pascha, atque subjunxit: Soror, venio ut te abducam, perge mecũ: quandoquidem enim tam multum his diebus Christi Domini causâ fuisti passa, æquum est, ut modò recreeris gloriâ ipsius Resurrectionis. Apprehendit hæc magna Domina meam manum, duxítque me ad cœlestem Jerosolymam. Constituit me coram Majestate Triunius Dei, ubi vidi Angelos denuò adorantes Sacratissimam humanitatem JESU Christi Domini nostri, ad quam adorandam etiam me duxerunt. Non est explicabilis, aut conceptibilis celebritas, & gaudium istius supernæ Aulæ hac die: fruita sum meo modo ineffabilibus bonis. Finitâ solennitate, & acceptâ benedictione à Deo, fui ab eadem Virgine reducta ad meum angulum. Hic Ejusdem Majestatem rogavi, ut ipsa quoque mihi daret suam benedictionem, quod fecit dicendo: Benedicta sis tu, & quidquid intra habes. Vale.

Deinde sequenti feriâ quintâ ejusdem septimanæ, rursus vidi Dominum resuscitatum, pretiosissimâ indutum veste tubri. Ex sanctissimis vulneribus, quæ in pedibus & manibus, atque in latere habebat, prodibant quidam velut nubi aurei splendidissimi, qui subitò fuerunt conversi in quasdam quasi stellas, evibrantes pulcherrimum lumen. Cœpi me subducere, & hanc visionem subterfugere, propter meos timores. Tum meus Sanctus Angelus Custos, me quodammodo protrulit, impellendo me, & dixit: Cessa, Anima; cur ne incipis timere? Ità conquievi, & vidi ex sacratissimis illis vulneribus, seu stellis, procedentes tantos splendores, ut erpurent oculis meis reliquum sacrum corpus. Dominus me salutavit dicendo: Pax tecũ, Anima; volo, ut fruaris gloriâ meæ Resurrectionis, cùm tibi tam multum doloris gerit ex doloribus meæ Passionis, ideoque te per hos dies aliquoties invisam. Equidem prostravi ad ipsius sacros pedes, qui mihi repræsentabantur velut insistentes super eo cuidam suppedaneo, quod undè constructum esset, intelligere non potui: tantùm mihi videbantur calcare monstrum tanquam devictam. Permissum mihi fuit accedere, & ausa sum osculari dignum uno pedum mei Domini, quia alter est aliquantùm elevatus. Fruita fui aliquantò diu illius jucundissimæ visionis jubilo, usque dum Dominus discessit, dicendo mihi: Octiduo pòst, feriâ quintâ post Dominicam *Quasi modo*. iterum mihi Dominus præstitit eandem misericordiam, exhibendo se mihi spectandum cum eadem gloria suæ Resurrectionis: quanquam devotio meæ hac vice plus indulserit audaciæ confidentiæ. Ipse sit benedictus. Quo prostrata ad ejus pedes sum osculata

sacratissima vulnera, ac deinde accessi ad vulnus lateris, cui applicui labia, & visa mihi fuit communicari per illud virtus sanguinis hujus Domini, qui valedicendo, suam mihi dedit sanctam benedictionem, atque abivit. Sit benedictus. Amen.

Pauci præterierunt dies, & Dominus me denuo dignatus est visitare, ubi tamen prorsus miræ intervenerunt circumstantiæ. Vidi illum resuscitatum & glorioſissimum; quia verò mihi speciale infudit lumen, cognovi, quantùm in hac mortali vita cognosci potest, quomodo in eo Dominotota Beatissima Trinitas existat, qualitérque eadem intra semetipsam complectatur Sacratissimam Humanitatem Redemptoris nostri, cum hoc discrimine, quòd secunda Persona sit unita illi sanctissimo corpori, & sacratissimæ animæ, reliquæ autem duæ eam tantummodo concomitentur. Dominus me est allocutus dicendo: Pax tecum, Anima. Ego prostrata statim volebam osculari illius pedes, sed Ipsius Majestas mihi dixit: Contine te, Soror, nunc enim non est tempus; acsi mihi indicaret, ipsum à me non posse attingi, eò quòd se mihi videndum præbuisset, tanquam intimè conjunctum Beatissimæ Trinitati. Statim recessi, & vidi stillantes ex manibus, & velut per extremitates digitorum, guttas sanguinis. Contemplabar aliquamdiu hoc mysterium, eóque oblectabar. Postea Ipsius Majestas consperſit illo sanguine meam faciem, & pauperem lectum, communicando mihi pretiosissimam ejusdem virtutem. Tum meus vultus fuit tectus subtili velo, quod mysticè imbibit illum sanguinem, quo fueram conspersa. Deinde Sanctus meus Angelus Custos abstulit velum, servavítque intra seipsum. Divina Majestas mihi bene precata est, & fui mihi penitus erepta: quando verò sum ad me reversa, finita erat visio. Deus sit benedictus. Amen.

*Anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, quamvis extra tempus Paschale, habuit Venerabilis Marina aliam visionem, concernentem hoc mysterium, & in ea obtinuit alias gratias. Id ipsa sic refert.*

Die Dominicâ, vigesimâ quartâ Januarij, inter horam tertiam & quartam matutinam, dum agerem cum Deo, essentque affectus meæ animæ vehementer commoti, fuit hæc abrepta à Divina Majestate, mansíque in Deo cum in modum, quo avicula alligata filo, se uno alteróve volatu solet attollere in altum. Assecuta sum magnam, pro hujus mortalis vitæ captu, notitiam attributorum Dei nostri, utpote magnitudinis, immensitatis, sapientiæ, & aliorum. Quando autem Dominus devenit ad declarandam mihi suam omnipotentiam, tanta meæ animæ tum fuerunt manifestata, ut ab ea non potuerint percipi, unde in ea profunda abyssо fuit veluti submersa, & suismet erepta oculis. Redivi ad me, & fui, nescio qualiter, abducta: re ipsâ tamen me reperi apud sepulchrum Christi Jesu Domini nostri. Ibi mihi fuit repræsentatum illud sanctissimum corpus exanime, extensum in eo frigido sepulchrali lapide, quo conspecto intimè indolui, & fui commota, prout mihi accidit, quotiescunque mihi Dominus noster aliquid manifestat de sua Passione & morte. Cœpi plorare vehementer afflicta, & inter singultus ex intima anima profectos dicere: Surge, mi Domine, Delicium meum, & Sponse mi. Postea verò consideravi postremum istud à me prolatum verbum: nam quando plenè possum uti meâ libertate, nunquam ea fuit mea audacia, ut adhiberem hanc vocem sponsi, cùm id in me videatur esse temeritas, tanquam indignissima eâ familiaritate, quæ per illam denotatur.

Dum ità plorarem, advenit, acsi eâ primùm vice perageretur illud mysterium, Sacrosancta anima Jesu Christi Domini nostri, séqi univit sacro suo corpori, transmutando illam figuram mortualem, in ineffabilem pulchritudinem & gloriam. Dominus mihi manifestavit, quomodo Divinitas esset illi exanimato corpori unita. Tanta verò est admiratio animæ orta ex eo, quòd duo illa tam distantia extrema, quàm sunt, Deus & mortuus, videat unita, charitate, quâ tunc & disparitas, & unio repræsentantur, ut nequeat ullis verbis explicari, sicuti neque effectus, quos in

anima producit. Ex iſta, quæ ibi cognoſcitur, unione, neceſſe eſt, meo judicio, ut proveniat, quòd illud ſacrum corpus non ſit fœdum, neque incutiat horrorem, tanquam cadaver (tametſi tale eſſe appareat) ſed gratioſum, & præditum majeſtate. Quam primùm autem vidi Dominum reſuſcitatum, & glorioſum, profunda meæ animæ triſtitia ſubitò fuit mutata in lætitiam & gaudium verè cœleſte. Dum me proſternerem ad ipſius pedes, ut eos exoſcularet, dixit mihi Dominus. Abſiſte, noli me tangere, ſed abi, & dic id tuis Confeſſarijs: manſit autem ibi Dominus, quaſi in ecſtaſim abreptus, & ego derepente incepi ſentire meos timores ac perplexitates, quæ me toties anxiam reddunt, provenientes ex unico deſiderio, quo teneor, ut me in omnibus conformem Divinæ voluntati, & nè in via tam inuſitata decipiar. Poſtea Dominus velut ad ſe reverſus ex raptu, acſi aliquid attentiùs expenderet, ſubjunxit: Noli tamen illis id dicere, noli ipſos contriſtare, quo dicto diſparuit. Uſque adeo ſe Deus accommodat noſtro modo affectuum, & abſtractionum mentis, ut ſua noſtræ ruditati explicet myſteria, ſicut aliàs dixi.

Mea anima auditis his verbis magis fuit reddita perplexa, & cogitavi, vellétne mihi Divina Majeſtas ijs indicare, quòd jam adveniat tempus, ut me educat ex hoc exilio, quando conſpexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui, agnoſcens meam turbationem & dubium, mihi dixit: Quid eſt hoc, Anima? quid tibi accidit cũ Domino? noli nunc immorari cogitationi, an te Ejus Majeſtas ſit eductura ex hac mortali vita, nec nè: quamvis namque tibi hæc hora jam videatur vicina, ſcito, breves Dei moras eſſe admodum diuturnas, & intellige, multos eſſe, qui Deum orant, ut te in hac vita detineat, ipſum autem, ut ijs gratificetur, & pro eorum utilitate, annuere illorum voluntati. Pudet me id dicere, eſt tamen verum, quòd Sanctus Pater mihi hoc dixerit, conatúſque fuerit, me reddere ſecuram, nihil aſſerendo vel negando, qui ità abivit. Fiat voluntas hujus magni Dei, ſempérque idem ſit benedictus. Amen.

*Tandem anno ſexcenteſimo vigeſimo octavo, poſtquam illi, per dies hebdomadæ majoris, fuerunt repræſentata myſteria Paſſionis, prout præcedenti capite retulimus, ſtatum recenſet, quid ſibi fuerit oſtenſum Dominicâ Paſchatis, & ſic ait:*

Die Dominicâ manè mihi comparuit JESUS Chriſtus Dominus noſter reſuſcitatus, mitum in modum reſplendens, & glorioſus. Replevit meam animam ſolitio & gaudio reſpondente magnæ meæ præteritæ triſtitiæ, & peramanter me ſalutavit. Adveniebat veſtitus, & circumdatus lucidiſſimo Sole, tantis ineffabilis luminis coruſcans radijs, ut interdum non potuerit à me aſpici. Taliter mihi paulatim appropinquavit, atq; porrexit ſumendam ſacram hoſtiam, quã attulerat. Dum Ejuſdem Majeſtas hoſtiam meis labijs admovit, ſum paſſa ecſtaſim, & non advertam, an, aut quomodo illam ſumerem: obſervavi tamen, me multùm fuiſſe ditatam, & experta ſum magnos effectus, atque affectus, acſi eam revera ſumpſiſſem: quin imò fuerunt majores ijs, quos nonnunquam ſentio, dum Dominum ſacramentaliter ſuſcipio. Poſtquam ad me redivi, jam Dominus, quem vidi, erat aliter indutus habitu regio, gerens in capite coronam, & ſummâ plenus majeſtate. Allocutus me eſt amantiſſimè, dedítque ſuam ſanctam benedictionem, mihi, & omnibus rebus exiſtentibus in hac domo. Ipſe laudetur in omnem æternitatem. Amen, amen.

*Quandoquidem omnia bona, atque thesauri, quos nobis Chriſtus Dominus noſter promeritus, ex eo provenerunt, quod ſuſtinuit in cruce dignata eſt, Divina Majeſtas hujus famulæ, ad erubeſcentiam hæreticorum, manifeſtare honorem & gloriam, quam Fideles conſequuntur ex cruce, quantique hoc ſacrum ſignum ſit æſtimandum, qualis illi debeatur adoratio, tanquam maximè genuinæ triumphorum ipſius imagini. Idcircò mihi viſum fuit, myſterijs Chriſti Domini Servatoris noſtri protinus ſub nectere, quod nobis ſcriptum de glorioſo noſtræ redemptionis ſigno reliquit. Habuit verò Venerabilis Marina, in Mariæ anni ſexcenteſimi vigeſimi quarti, viſionem quam ſic deſcribit.*

Scrib

Sextâ die hujus mensis manè audivi in cœlo, quemadmodum aliàs audiveram, sonantes campanas, quæ cœlestem edebant musicam, gratissimam auditui animæ. Intellexi, significari honorem, qui debetur, ac defertur Sacratissimæ Humanitati Christi Servatoris nostri. Videbantur mihi istæ campanæ taliter, & cum prædicta harmonia resonantes, descendisse ad terram, subitóque reversæ fuisse ad cœlū. Interea conspexi effundentem se ex ea cœlesti Civitate innumerabilem numerū Angelorum, ad magnam pompam instructorum armis, quæ superinduerant splendidissimis vestimentis. Procedebant bini, & sequebatur illos Sanctus Archangelus Michaël ferens grande, & pulcherrimum vexillum: notavi, quòd illud interdum agitando, totam vento, quem excitabat, implevérit terram. Post glorioſum hunc Archangelum veniebat Sanctus Archangelus Gabriel, portans in suis manibus ingenrem crucem auream, summè refulgentem: modus autem, quo ipsam portabat, non erat qualiscunque, sed talis, ut illam portando amplexaretur. Sanctum Gabrielem comitabantur alij plurimi Angeli, & multi Sancti ex veteri Testamento, multi ex novo, præsertim Martyres & Virgines. Hæc sacra crux fuit defixa velut in centro ejus terræ, quam incolunt Catholici Ecclesiæ Romanæ filij. Continuò illam omnes Angeli prostrati adoraverunt. Accesserunt postea Sancti suo ordine, idémque fecerunt cum magna veneratione, agnoscentes, sibi per ipsam, tanquā instrumentum, in quo Christus JESUS fuerat passus, & mortuus, obvenisse omnem suam beatitudinem. Tum comparuit Sanctissima Virgo Domina nostra, quam omnes Angeli & Sancti exceperunt, profundè sese inclinantes, & summa cum devotione adoravit eandem crucē, demonstrando, se per merita Christi JESU in cruce mortui fuisse electam in veram ipsius Matrem. Durante solenni hac adoratione totius illius sacri comitatus, non cessavit ea svavissima musica campanarum, de qua dixi. Absolutâ verò eadem adoratione vidi Christum Dominum nostrum magnâ conspicuum majestate, qui, bene precando, munificentissimam impertitus est benedictionem omnibus illis Angelis & Sanctis, atque ità rediverunt eodem ordine ad cœlum, quo advenerant. Deus sit benedictus. Amen.

*Eodem anno sexcentesimo vigesimo quarto, in Junio evenit aliquid huic Virgini cum ipsius Angelis, unde sufficienter apparet, quo honore illi superni Spiritus prosequantur sacras Christi crucifixi imagines, quas blasphemus hæreticus ad majorem suam damnationem, tantis afficit injurys. Refert ipsa casum his verbis:*

Data mihi fuerat ænea crucifixi Domini effigies, & Deus in me excitavit desiderium, ut illam donarem cuidam Dominæ meæ benefactrici, quæ divexabatur scrupulis conscientiæ. cùm verò sim adeò timida in donandis meis rebus, licèt sint optimæ, quales sunt sacræ imagines, dixi meis Dominis Angelis: Domini, vellem hanc sanctam effigiem crucifixi dare isti famulæ Dei; benedicite mihi illam. Ipsi me intuentes, quasi admirabundi, mihi responderunt. Soror, decétne te hoc à nobis petere? nos id non possumus, neque debemus facere. Tum rem consideravi, & dixi illis: Benedicite igitur, mei Domini, æs, quod est hujus sacræ imaginis materia. Neque hoc possumus, ajebant: nónne vides jam illi inesse figuram Domini nostri crucifixi? Ut tamen tibi gratificemur, faciemus quod poterimus, noli contristari. Conjeci tunc oculos in meum Sanctum Angelum *Parvum*, & vidi, quòd teneret in manibus illam sanctam effigiem crucifixi, ipsámque genibus flexis adoraret, & oscularetur ejusdem pedes: deinde verò cæteri quatuor suo ordine se humi prosternerent, cámque adorarent, atque secundò se prosternentes accederent ad osculum ipsius pedum. Postquam id omnes peregerunt, fuit mihi crux reddita. Gratias egi Deo, quòd per hos quoq; Sanctos Angelos me docuerit, quem velit deferri honorem sacris imaginibus. Ipse sit benedictus. Amen.

*An. sexcentes. vigesimo octavo, 3. Maij, quâ die Ecclesia Catholica Romana celebrat inventionem S. Crucis, recenset sequentem visionem.*

In

In festo crucis, menſe Majo, agens cum Deo conſpexi crucem, non magnam, neſcio tamen, quomodo mihi viſa fuerit potens ac terribilis, adeò ut meam naturam quodam perculerit timore. Habebat colorem ligni, qualem habent aliæ cruces, quas hîc videmus. Depoſui autem citò metum, quando vidi prodeuntes ex ipſa innumerabiles radios pulchertimi luminis, & magnam virtutem, quæ replebat mundum, atque omnes illius partes, & feriebat animas univerſorum hominũ, tametſi diversâ prorſus ratione. Nam virtus & ſplendores hujus crucis ſeſe communicabant Catholicis: infidelibus verò, licèt eadem virtus & lux ad ipſos videretur pertingere, ſe non communicabat, neque illis competebat. Magno affluebam ſolatio aſpiciendo iſtam crucem: vidi autem ipsã paulatim aſcendentem ad cœlum, & poſtquam pervenit quaſi ad ejuſdem portas, obſervavi eſſe illi affixũ Chriſtum JESUM Dominum noſtrum, qui ſe mihi exhibebat ſpectandum, acſi patereturur. Quando mea anima ipſum vidit taliter conſtitutũ, fuit terribili & intimo correpta dolore: dixi illi, quæ Ejuſdem Majeſtas ſuggeſſit meo affectui. Deinde vidi, quòd ipſum Pater æternus cum magna fuerit alloquutus benevolentia & ineffabili amore, acq; milleni prodierint Angeli, & illum adoraverint, tanquam ſuũ Deum ac Dominum. Pater æternus eſt amplexatus crucifixum Dominum, & reſixit à cruce, qui ſubitò ſplendidiſſimis & regijs eſt indutus veſtimentis, capiti verò ejuſdem fuit impoſita admirabilis corona. Tum illi dixit Pater: *Sede à dextris meis, donec ponam &c.* Conſidentem ſumma cum majeſtate ad dexteram Patris adoravi, & paulò pòſt ad me redivi. Ipſe ſit benedictus in æternum. Amen.

# CAPUT XLVI.

## Revelationes, quas habuit de Sanctiſſimo Sacramento altaris.

*Vidimus revelationes, quas hæc Virgo habuit de myſteriis Chriſti Domini noſtri, quando ſe ipſi apertè manifeſtabat; nunc eas videbimus, quas de eodem Domino habuit ſacramentalibus velato ſpeciebus. Quamvis verò multa de hoc argumento ſint dicta ſeu, dum aliquando ſpectavit ſolennitates, quæ in cœlo peragebantur in honorem Euchariſtiæ, ſeu etiam dum ſæpe ab eodem Domino, & nonnullis Sanctis ſacrâ fuit refecta ſynaxi; reſervavi nihilominus in hunc locum, tanquam magis proprium, admirandas quaſdam viſiones, de ſublimiſſimo hoc Sacramento, quas deſcribemus juxta ordinem temporis, quo evenerunt. Inter chartat menſis Aprilis, anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti, extat una, in quæ ſic ait:*

Quodam die hujus menſis, cùm audirem Sacrificium Miſſæ, quando volebam ſumere epulum Evchariſticum, ingreſſi ſunt in meum cubiculum, præcedentes Sacerdotem, multi Angeli Dei, qui ferebant inauratos cereos accenſos, comitando Sanctiſſimum Sacramentum. Pone Sacerdotem etiam adveniebat, cum ſuo ardente cereo, Sacratiſſima Virgo Domina noſtra, magnificè exornata pretioſiſſimis gemmis, emittens radios tam potentis ſplendoris, ut ab ijs occæcater. Poſtquam illatum fuit Sanctiſſimum Sacramentum, omnes illi Angeli ſe proſtraverunt, adorantes Dominum, ſtatimq; ſe erexerunt. Regina quoque cœli ſe inclinavit, mihique diſparuit. Quia enim, ùt jam dixi me lux ipſius occæcabat, & animæ oculos abripiebat, exiſtimo, non ſuſcipiendum à me fuiſſe debitè ſacram hoſtiam, niſi diparuiſſet. Peractâ ſacrâ Communione rediit ad me hæc Celſiſſima Domina, & poſt ſalutatam eſt amplexata ſanctiſſimos illi brachijs, Fui mihi penitus erepta, & quando ad me redij, finita erat viſio. Deus ſit benedictus. Amen.

*Iſtâ occaſione Sanctiſſima Virgo eſt comm-*

*Dominum realiter in Sacramento existentem, allatum, ut sumeretur à Venerabili Marina: aliâ, quam nunc referam, eadem Regina cœli ipsi Divinum suum Filium attulit in symbolo quodam Eucharistico, ut illum ineffabili modo susciperet. Est omnino mirabilis ac devota visio, & accidit sequente mense Majo, eodem anno. Recensetur à prodigiosa hac famula Dei his verbis.*

Dum aliquando manè versarer cum Deo, excitavit Ejusdem Majestas in mea anima diversos & ferventissimos affectus, quanquam cum magna quiete & consolatione, atq; sinè ullo strepitu redundante in sensus & potentias exteriores: modò aliquid petebam, modò amabam, & interdum supplici affectu desiderabam, ut in me per omnia, & in omnibus adimpleretur Divina voluntas. Assumebam personam velut infirmi, balbutientis mendici, absque ratione & judicio tædiosè vociferantis ad januam divitis, atque petentis frustum panis, aut aliquid hujusmodi: qui dives partim ex sua charitate, partim ut se liberet à molesto mendici clamore, solet cuipiam famulorum dicere: Da huic pauperi eleemosynam, ac dimitte illum, ut abeat in nomine Domini. Taliter mea anima invocabat Deum, & Sanctissimã ipsius Matrem, petendo frustulum panis, eleemosynam alicujus doni: atque licèt se ruditer sciret explicare, erat tamen desiderium valde fervens, quo mea anima mendicabat.

In isto exercitio exegi multum temporis, quoadusque paulatim abalienarer à sensibus, & anima abriperetur in suum Deum. Vidi tum Majestatem hujus magni Dei; præsertim Sacratissimam Personam Filij, dicentem Sanctissimæ Virgini: Domina & Mater mea, ecce quomodo pulsat nostram januam, nósque invocat illa creatura, admodum instanter & fervenˉter, atque interpositâ tuâ intercessione mendicat modicum panis. Rogo te, Mater mea, exaudi illam, & da ipsi meo nomine eleemosynam, quam petit: gratum namque mihi erit, si ei tuis tribuatur manibus. Hoc audito Celsissima Domina magnas Sacratissimo suo Filio egit gratias, pro tam singulari beneficio, quod meæ animæ, & illi præstabat, volens ipsam hujus beneficij esse exoratricem, & instrumentum. Advenerunt subitò duo Angeli ex præcipuis, & superposuerunt cum summa reverentia linteum, seu velum splendidissimum brachijs & manibus hujus cœlestis Reginæ, atque super istud collocaverunt pretiosam pelvim, quæ videbatur esse facta ex purissima crystallo. Huic pelvi videbam jussu Dei imponi quendam mysticum panem, non exiguum, candidiorem nive, & exquisitissimum. In eundem panem Dominus conjecit oculos, suáq; sanctissimâ benedictione illum consecravit, quem ij Sancti Angeli subitò reverentissimè mirum in modum pulchris, & odoriferis floribus cooperuerunt. Prostraverunt se deinde coram Majestate magni Dei nostri & Domini innumerabiles Angeli. Sanctissima quoque Virgo sese inclinavit, & postquam ipsa se erexit, omnes unà assurrexerunt, eique inservientes sunt illam comitati.

Eadem Sacratissima Domina ad paucos passus progressa, paululùm substitit, acsi in profundam quandam abriperetur contemplationem. Deinde ulteriùs procedens, denuò modicùm quievit. Tum reversa ad thronum Beatissimæ Trinitatis, optando, ut nova & excellentior applicaretur à Deo virtus illi mystico pani, rogavit suum Filium JESUM Christum Dominum nostrum, ut eundem suis divinis verbis consecraret, unde gratia conferenda meæ animæ fieret copiosissima. Ejus Majestas ipsi id concessit, satisfaciendo petitioni suæ Sanctissimæ Matris, statímque Sancti Angeli præsentes inchoaverunt cœlestem musicam, canentes hymnum Ecclesiæ de Sanctissimo Sacramento. Celsissima Regina surrexit, atque defixis continuè suis oculis, cum singulari reverentia, in eo sacro mysterio, venit passibus majestate plenis ad me. Antecedebant ipsam omnes illi Angeli, ferentes accensos cereos, qui apparebant aurei. Ita sunt ingressi meum cubiculum, usquedum demum ad me hæc magna Domina accessit. Ego eram tota turbata,

bata, perplexa, & semiabrepta. Advenit tum Sanctus meus Angelus Custos, & reliqui mei Domini Angeli, dicentes: Expergiscere, Anima, excute hunc spiritualem somnum, & applica animum mysterio, quod est coram te.

Sic evigilavi, & conquievi ab ea turbatione ac perplexitate; conjeci oculos in illud grande mysterium, & in Dominam, à qua adferebatur. Aderat Ejusdem Majestas formosissima, in vestitu pretiosis cooperto lapidibus, ob quos resplendebat instar Solis. Vidi tum circumdatam esse à multis Virginibus ac Sanctis, & latera ipsius stipari à duobus Patriarchis, Ordinis Prædicatorum, & Societatis, Sancto Dominico, & Sancto Ignatio, indutis habitu sacerdotali. Hi Sancti removerunt flores, quibus illud mysterium tegebatur, jusserúntque me accedere, & cum magna reverentia oscularí marginem illius cœlestis pelvis. Postea applicuerunt meis indignis labijs sacrum mysterium, quo tempore mea anima specialissimos eliciebat affectus. Postquam eidem applicui labia, subitò sensi, ingressam esse spiritualissimè & ineffabiliter in meam animam per os omnem virtutem, & excellentiam illius sublimis mysterij, cui inerat ipsemet Deus, cum in modum, quo id Divina Majestas voluit, ac scivit operari, & quem ego nullatenus scio explicare, derivatis inde in meam animam insignissimis affectibus, & æstimatione magnæ gratiæ, quam eram consecuta. Post hoc duo Sancti acceperunt pelvim cum velo, in qua admirabilissimus panis fuerat à Præcelsa Virgine allatus, cujus Majestas tum nihil agebat, abrepta in quandam devotissimam admirationem, junctis manibus, & me intuens, quod quidem modico duravit tempore; atque deinde hilari me vultu, & cum affabilissima gravitate est amplexata, dicendo: Amica mea vale, & cape è mea manu istud cimelium, cúmq; id diceret, posuit intra abditissimum meæ animæ sinum rubram crucem. Abrepta fui sinè mora in profundissimam ecstasim, & quando ex ea ad me redivi, tota visio cessaverat.

Considerabam postea, & revolvebam in meo corde, quam ob causam mihi Deus præstitisset hanc misericordiam, tam singulari modo, & per manum Sacratissimæ Virginis, atq; cum hac de re mecum ipsa disceptarem, Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Anima, exponam tibi tunc jussu Dei, quod scire desideras. Animadverte, quando Divina Majestas ferventem in te illum affectum excitavit, ut postulares panem, tu autem rogabas ac invocabas Deum, & Sanctiss. Virginem, ut tibi daretur eleemosyna, petendo specialissimè panem, non attendendo, aut advertendo, qualem panem peteres, Sanctissima illa Domina, permota à sua magni bonitate & clementia, dixit ad Dominum: Fili, & Domine mi, ista creatura petit tanto affectu panem divinum, da illum ipsi ob tuam bonitatem. Et Dominus illi concessit, ut tibi adferret panem, operâ Spiritûs Sancti confectum in purissimis ipsius, & virgineis visceribus. Hac ratione Deus mysterium disposuit, tibique istam exhibuit misericordiam. Ipse sit millies benedictus. Amen.

*Ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quarti est sequens favor, quem ipsa sic refert.*

Post festum Corporis Christi, ante ortum Solis, feriâ sextâ, mihi dixit Dominus: Veni mecum, Anima, & videbis lennitatem, quæ hodie in cœlesti Curia celebratur. Duxit me Ejusdem Majestas secum, & ego fui in via nonnihil distracta, cogitando de re, non quidem mala, sed bona: adverti me tamen denique esse tam esse ab unica cura, quâ comitabor Dominum. Afflixit me id aliquantùm, eò quòd mihi videretur fuisse defectus. Rursùm Ipsius Majestas me est solata, dicendo: Nè te solicitam reddat, quod me deponente, interdum evenit: respicio enim naturam vestram, quæ plus nequit præstare, & alioquin deficeret. Ingressa sum templum, & vidi Sanctissimum Sacramentum in pretiosa hierotheca, ità collocatum, ut integrum appareret, & undequaque conspiceretur. Vidi in eo existentes omnes tres Divinas Personas, sicut aliàs, quamvis id à me rudissimè sit explicatum.

Audi-

Audiebatur vehemens, tametsi ordinatissimus ac admirandus, sonus campanarum, quæ suo modo Deum extremo conatu laudabant. Omnes Angeli, elegantissimè & festivè ornati, personabant instrumentis musicis, atq; cantabant Domino hymnos & psalmos, gratias ei agendo pro summo beneficio, quòd permaneat inter homines sub speciebus Eucharisticis, quoadusque mundus durabit. Accedebant bini ad pedem hierothecæ, & prostrati in solo illius cœli, tegendo, in sinum majoris venerationis, alis suas facies, adorabant illud Divinum Sacramentum, posteáque continuabant suam musicam, ùt antè. Hîc, præterquam quod fruita fuerim tantâ celebritate, Divina Majestas mihi aliam contulit gratiam, largiendo mihi magnam spiritualem eleemosynam, cedentem in utilitatem meorum proximorum, quam alibi enarro.

Feriâ quadam secundâ, nonâ Augusti, ejusdem anni, dum audirem Missam, in qua eram sumptura epulum Eucharisticũ, conspexi Majestatem Jæsu Christi Domini nostri, perambulantis meum cubiculum, quem interdum videbam, interdum autem minimè. Plerumque, dum mihi Ejusdem Majestas hanc præstat gratiam, non audeo ipsum bene aspicere, tum propter timores meos & perplexitates, tum etiam præ magna reverentia, ad quam me permovet. Id ipsum mihi hac vice evenit; quâ gravissimos patiebar dolores, & afflictiones. Tunc mihi Dominus perbenevolè & amanter dixit: Anima, non me manifesto integrè, neque ad te accedo, ùt alias; quia, quemadmodum vos dicere consvevistis, non sum ejus animi, ut te tanta patientem videre possim. Quòd si accederem, subitò te ab his doloribus liberarem, & tu perderes meritum, quod tibi per illos accrescit. Quando tamen adveniet Sacerdos porrecturus tibi sacram hostiam, egò ipsum comitabor, & meâ manu tibi sumendam præbebo Eucharistiam. His dictis Dominus rursum deambulabat, ùt priùs. Paulò pòst videtur se non potuisse continere ipsius misericordia, quò minùs mihi gratificaretur: appropinquavit mihi quàm viciniſſimè, & ego, cùm nihil aliud agerem, sum illum intuita, atque optimè consideravi. Gratias & pulchritudo divinorum ipsius oculorum erat inexplicabilis, quos protinus esse apparebat oculos Hominis Dei. Vidi, quòd illum comitarentur multi Angeli, & quia idem Dominus mihi adeò propinquus erat, ac stabat, dixi ipsi pro mea simplicitate: Ah mi Domine! cur Tua Majestas stat? Dicebam id velut ex verecundia: licèt namque optaverim, ut Dominus sederet, non aderat tamen sedes. Visne, respondit gratiosissimè Ejus Majestas, ut sedeam? sit ità. Quidam Sancti Angeli ibi sinè mora collocaverunt sedem mysticam; quæ erat instar throni, ubi Dominus, stupendam & immensam exhibendo majestatem, consedit, atque indidem mihi dedit suam sanctissimam benedictionem, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Derepente insonuit vox Patris æterni, eũ in modum attemperata, ut æquè oblectaverit dulcissimè animam meam, ac ad profundissimam permoverit venerationẽ, & dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complaceo. Surrexit postea Christus Dominus noster, obtuliteque mihi osculandam suam sacram manum, & cùm se meo conspectui subduxisset, non vidi ipsũ tunc ultrà. Deinde sub finem Missæ venit ad me Sacerdos, & cum illo Divina Majestas: Sacerdos mihi porrexit sacram hostiam, quo facto est reversus ad altare; unde me statim mei invaserunt timores, & dicebam intrà me quasi turbata: Quomodo verò mihi Divina Majestas non præbuit sumendam Eucharistiam, sicut dixerat? Quidsi decepta sim, & non fuerit Dominus, qui me est allocutus? Fui verò vehementer reddita attonita, dum vidi redeuntem Dominum, cum multorum Angelorum comitatu, qui ex unius ipsorum manu pulcherrimo accepto vase, quod videbatur ex purissimo esse conflatum argento, mihi suamet manu dedit bibendos tres haustus pretiosissimi liquoris, quem vas continebat. Postquam biberam, Ejusdem Domini Majestas accepit elegantissimum ex manu alterius Angeli

linteolum, eóque meis labijs admoto, illa abstersit, & mihi dixit: Anima, hic liquor, quem sumpsisti, est meus pretiosus sangvis, volui ut eum iteratò perciperes: atque ista est Evchariſtia, quam tibi manu meâ præbui. Nunc vale, & quiesce in me. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

*Priorem è sequentibus duabus visionibus hæc Virgo habuit anno sexcentesimo vigesimo octavo, in festo Corporis Christi; alteram sexcentesimo vigesimo nono, eadem die. Refert utramque, ut sequitur.*

Vigesimâ secundâ hujus, ipso festo Corporis Christi, agens in mea solita oratione cum Deo, audivi in cœlo magnum strepitum, tanquam armorum, tympanorum, scloporum, & aliorum militarium instrumentorum. Cùm autem ex alijs eventibus compertum habeam, quòd Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, dum aliquid specialiter operatur in terra, suam antecedenter ostentet majestatem ac magnificentiam, commovendo cœlos, & præmittendo hujusmodi strepitus, existimavi, prænotari, & significari quempiam adventum, & aliquam manifestationem hujus magni Domini. Non ità se res tamen habuit, verùm fuit effectus eorum, quæ mihi mox ostensa fuerunt. Conspexi igitur innumerabilem cohortem Angelorum cœlestis militiæ, qui compti, & eleganter vestiti, unà tamen præclarè armati, dispositi in ordinem, velut proficiscentes ad prælium, obambulabant terram, circumeundo universam, defendendæ ejusdem causâ. Vidi omnes diabolos, qui in ea erant, terrefactos, atque contremiscentes, celerrimè sese abscondentes, & ruentes usque ad terræ centrum; à quibusdam ipsorum autem abripi, & simul abduci nonnullos hæreticos obstinatiores, in neganda veritate realis præsentiæ Christi, & reliquis, quæ nos docet Ecclesia Romana, de Sanctissimo Sacramento altaris. Ibi intellexi, quantopere dæmones, totúmque infernum affligat, & excruciet veneratio, atque celebritas, quâ Christus Dominus noster existens in Sacramento his diebus colitur. Commendabam tum Deo populũ ipsius Christianum, & rogabam ipsum specialiter, ut misereretur pauperum, & averteret damnum; quod quædam, ùt mihi refertur, oppida Castellæ his temporibus perpetiuntur, ob copiam locustarum depascentium sata. Vidi autem etiam præaltum quendam coram Domino comparentem, & fœdum diabolum (non potui intelligere, quomodo is remanserit in terra) varios edentem gestus, & indignabundum, qui ardentissimè loquendo deblaterabat nonnulla verba, ex quibus ego amplius non percipiebam, quàm quòd peteret, nè audirer.

Deinde nihilominus vidi descendentem ex cœlo, cũ magna majestate, ad meum paupertinum cubiculum, Beatissimam Trinitatem. Vidi, inquam, non quòd mihi tum ostensa fuerit ulla figura imaginaria, sed quia hæc visio, tametsi mere intellectualis, non fuit minùs clara, & manoris efficaciæ atque certitudinis, quàm sint imaginariæ, quibus nostra natura pulpabiliùs inhæret. Pervenit Deus Trinus, prout sese tunc repræsentat, ad locum, in quo ego eram, unitámque me secum actissimè duxit ad cœlestem Jerosolymam. Ibi inveni meos Dominos Angelos, quibus Divina Majestas mandavit, ut me exornarent ijs splendidis vestimentis, de quibus sum aliàs locuta, & in momento animadverti, me illis indutam esse. Vidi postea in quodam altissimè, & pulcherrime concinnato tabernaculo Christum Dominum nostrum, speciebus velatum Evchariſticis; præsertim verò observavi, quòd simul viderem Sanctissimam Trinitatem, percipiente meâ animâ Personarum in unitate essentiæ distinctionem, eâ ratione, ut nullius rei ex ijs, quæ hîc videntur, veritas posset securiùs affirmari. Agnoscebam quoque in secunda Persona duas naturas, divinam & humanam, ac præterea, quòd suppositum illud sit verus Deus, & verus homo. Dum autem hæc omnia contemplarer, videbam etiam hostiam eo modo, quo à nobis hîc videtur, atque continuò intellectuali instructa lumine cognoscebam unà, eundem Dominum esse Deum & hominem, ibi in Sacramento existentem. His me intentam Angeli abs-

xerant,

xerunt, ubi erat mysterium, & osculata sum eam sacram hostiam, cū magna meæ animæ svavitate. Dominus autem me subitò elevavit ad immensam quandam altitudinem, ubi mihi contulit cognitionem sui infiniti Esse adeò sublimem, ut mihi impossibile videatur explicare, qualis ea fuerit. Mea anima submersa, se ipsam perdidit in illa immensa abysso Divinæ magnitudinis, donec mihi restituta, me reperi in meo angulo. Deus sit benedictus. Amen.

*In alio scripto sequentis anni sexcentesimi vigesimi noni, ità ait:*

Præcedenti feriâ quintâ, decimâ quartâ hujus, quæ fuit Corporis Christi, sum ducta à Deo ad cœlestem Jerosolymam, ubi vidi solennitatem, quæ illic peragebatur in honorem sublimissimi mysterij Eucharistici. Multitudo Beatorum illorum Aulicorum, eam cum magno gaudio celebrantium, erat innumerabilis. JESUS Christus Dominus noster claudebatur intrà pulcherrimum tabernaculum, elevatum super pretiosissimas columnas, verùm ità, ut ex omnibus quatuor mundi partibus posset conspici, quia omnibus patebat. Assistebant ipsi innumeri Angeli, audita fuit quàm svavissima aurearum campanarum, ex summitate illius cœli pendentium, harmonia, quarum sonus modo arcanissimo publicabat gloriâ Dei. Quod autem magis sum mirata, fuit jucundissimum visu spectaculum illius cœlestis exercitûs, geminato ordine prætereuntis illud sacrum tabernaculum, séque prosternentis, & profundissimè inclinantis, coram summo Domino, qui in eo existebat. Apparebat in ijs generosis bellatoribus incredibilis magnanimitas & fortitudo, ut mihi videretur, à singulis posse pessumdari universos homines. Circumibant cœlum, explodentes terram versùs suos mysticos scelopos, & ejaculabantur pretiosissima lumina, manifestantia majestatem & veritatem illius Divini Mysterij, Christi Domini existentis in Sacramento, unáque gratiosissimum ignem, ad inflammandos homines zelo honorandi, & amandi ejusdem Domini. Dum ij cœlestes milites id exequerentur, vidi copiosas dæmonum turmas, attentissimè & solicitissimè avertentium illos divinos globos, nè ab ijs tangerentur hæretici ac infideles, quod perfidi milites tam dextrè faciebant, ut cohorrescerem & stuperem. Observavi, hos dæmones, cùm viderent sancta illa lumina pertingere ad quasdam regiones, in quibus Catholici vivunt permixti hæreticis, tantâ fuisse arte operatos, ut nullum ex omnibus luminibus & radijs igneis penetrantibus Catholicos, attigerit hæreticos. Tantùm vidi, quòd in quodam oppido Angliæ (cujus nomen ignoro) dum supra grande palatium, non quidem altum, sed valdè spatiosum (quod unâ parte erat contiguum oppido, altero respiciebat magnum campum, seu aream) multæ ex cœlo eorum scloporum fierent explosiones, & palatij incolæ quosdam inde sentirent effectus, remanerent tamen perplexi ac timidi, nihil tum decernentes.

Finito hoc felici Angelorum prælio, quo ex cœlo oppugnabant terram, vidi, quòd illud Divinum mysterium moveretur ex tabernaculo, adessétque ibi tota Beatissima Trinitas, & Pater æternus haberet velut pectori suo acclinatum Christum Dominum nostrum. Vidi præterea, movente se eo mysterio, totam illam Beatam Angelorum multitudinem se prostravisse in solo ejus cœli, quibus Pater æternus dedit suam sanctissimam benedictionem. Illicò cœpit nova audiri vocum, instrumentorum, & campanarum ordinatissima ac svavissima musica, qualis imaginatione concipi potest, nulla verò unquam verba ad eam explicandam suppeterent. Magnus ille Dominus pervenit ad extremitatem cœli, quasi ad amplam quandam portam (taliter enim mihi tum Divina Majestas apparebat) & ibi vidi fieri undequaque concursum, ad adorandum cū magna reverentia, & exosculandum illud sacrum mysterium. Agnovi specialiter omnes mihi commendatas personas, unde tam singulare capiebam gaudium, ut eo abrepta meimet oblivisscerer, donec ipse Dominus, postquam cæteri suam absolverunt adorationem, ad me conversus mihi dixit: accede etiam tu. Accessi, & cùm

illud similiter adorarem, eíq; exhiberem honorem, quando sum osculata mysterium visum mihi fuit penetrare intra meum pectus, & sensi in mea anima effectus, quos soleo experiri, dum re ipsâ communico. Non vidi idem reliquis, cùm accederent, evenire. Deus sit in omnem æternitatem benedictus. Amen.

*Animadvertendum est, ex multis admirabilis hujus Virginis scriptis colligi, quòd non symbolicè, sed re verâ in cœlo viderit Sanctissimum Sacramentum. Quæ res favet opinioni quorundam doctorum & piorum modernorum, volentium, reperiri nonnunquam, ac adorari in cœlesti Patria hoc maximum Sacramentum. Neq;, exiguo meo judicio, ullum est argumentum ad id negandum, si dicatur, superfluum esse in cœlo mysterium fidei, ubi beatificæ visionis habetur fruitio. Quandoquidem illud non ideo in Ecclesia triumphante interdum ponimus, quod ibi sit hujus Sacramenti usus & necessitas, qualis est in militante: sed quia videtur prorsus rationi consentaneum, ut opere, quod in maximam Dei cedit gloriam, atque Christo Domino nostro est honorificentissimum, nonnunquam illic tota cœlestis Aula fruatur, adorando Dominum existentem in Sacramento, cùm frequenter descendant in terram, ad illum adorandum in consvetis Missæ sacrificijs, atq; ad assistendum eidem in Sacrario, innumerabiles Angeli. Certum verò est, quòd, sive realis, sive symbolica fuerit Eucharistia, quam Venerabilis Marina vidit in cœlo, Deus nos, per eas cœlestis pompæ Virgini isti exhibitæ figuras, docere voluerit, qualem esse oporteat reverentiam & venerationem, quâ hoc dulcissimum mysterium à nobis in terra sit celebrandum. Concludamus hanc materiam aliâ gratiâ, quam cum Deo Eucharistico, & Beatissima Trinitate connexam, eadem Virgo obtinuit, anno sexcentesimo vigesimo sexto, atq; sic breviter recenset.*

In festo Sanctissimæ Trinitatis, dum in Oratorio celebraretur Missa (quam dicebat Dominus Præses Franciscus Marquez) vidi in cœlo magnum nostrum Trinunum Deum, ab infinitis circumdatum Angelis, ex omnibus novem hierarchijs. Mea anima obstupuit præter morē, quòd videret Seraphinos assistentes Deo, licet tantâ sint præditi majestate & gloriâ (cæterum parebant verò mihi tunc admirabilissimi) nihilominus gloriæ & majestati illius immensi Dei comparatos, tantò esse inferiores, ut nequeat explicari: videbantur mihi longè minores, quàm sit formica collata altissimæ cuipiam turri. Vidi deinde rursus idem mysterium in hostia consecrata, paritérque me in magnam rapuit admirationem modus, quo ibi existebat Sanctissima Trinitas, quia mihi fuit repræsentatum; quòd corpus JESU Christi Domini nostri ibi esset speciali ratione, & non in suo loco, cætera verò spectantia ad Sanctissimam ipsius humanitatem & Divinitatem adessent per unionem, atque in illo sacro corpore, acsi illud comitarentur. Laudent tam magnum, & mirabilem Deum omnes ipsius creaturæ. Amen.

*Quod Venerabilis Marina hic, & supra in alio scripto dicit, aliud non est, quàm quod docet Fides, corpus Christi in hostia esse ex vi verborum, & reliqua omnia per concomitantiam.*

## CAPUT XLVII.

### Sublimissimæ notitiæ, quas Venerabilis Marina habuit, de infinito Esse Domini DEI nostri.

*IN hoc primo libro vix est reperire folium, ubi non legantur sublimissimæ notitiæ Divinitatis, quibus DEUS admirabilem istam Virginem illustravit: quia tamen hactenus, à capite vigesimo secundo, demonstrabamus perfectionem excelsi ipsius spiritûs, per familiaritatem, quâ cœlestes Aulici cum eo egerunt, acsi etiamnum in hoc degeret exilio, videretur jam felix esse superna incola Patriæ: præsertim verò, & quidem majores præ cæteris gratias, quàm omnes reliqui, magna eiusdem Reginæ Mariæ Domina nostra, atque Dominus ipsorum Rex Christus Dominus noster, visum mihi ad idem propositum fuit, hanc pro-*

*præsenti capite concludere materiam, ut in eo spectaliores quædam perspiciantur notitiæ, ab ea de Divino Esse habitæ, quæ ipsam, possibili in hac mortali vita modo, quanquam ad breve tempus, reddidisse videntur beatam. In quadam ergo charta, anno sexcentesimo vigesimo quinto, licèt nec mensem, neque diem certum adnotare potuerim, scribit sequentia.*

Vehementer me excruciabant dolores & afflictiones, quæ nunc sunt tolerabiles, quando vidi Majestatem Dei, qui mihi svaviſſimis verbis dixit: Anima es fatigata, vellésne mecum ire? Omnino, respondi ego, libentissimè comitabor Tuam Majestatem. Dominus acceptavit consensū meæ voluntatis, méque intra se ipsum est arctissimâ unione complexus. Post illam mihi ostendit supra omnem modum pulchertimam turrim, tam magnam & fortem, ut me raperet in admirationem. Pertingebat suis fundamentis usque ad centrum terræ, & apice suæ altitudinis ad intimos usque cœlos, unde tantæ firmitatis esse apparebat, ut nulla ad eam expugnandam vis sufficeret. Eram velut attonita, plùs quàm possim exprimere, considerando maximam pulchritudinem sumæ conjunctam soliditati, in illo miraculoso ædificio, & Dominus mihi tunc dixit: Anima, hæc turris, quam meritò tantopere miraris, est symbolum meæ Divinæ Essentiæ, in qua creaturæ suum esse habent tam securum ac firmum, ut absque me à nemine possint eo privari. A meo Esse ità universæ dependent, ut nè momento, quidem possent durare, vel conservari, nisì ipsis perpetuò conservarem illud esse, in quo permanent. Si enim eas desererem, deficerent recidentes in nihilum, ex quo à me fuerunt creatæ. Audiebam hæc DEI verba, quibus unà instruebar, quid significarent: cúmque mea anima admirabili lumine collustrata distinctè illas veritates cognosceret, videbam omnes creaturas penitus dependere à continua sui Creatoris conservatione.

Hoc tempore me Divina Majestas, inexplicabili modo, intromisit per unam fenestram, quæ erant in prædicta turri, & intra ipsam perduxit usq; ad ejusdem summitatem, ad tantam altitudinem, ut non animadverterim unquam me tam altè ascendisse. Hìc mihi Deus novam contulit cognitionem suarum perfectionum, suæ æternitatis, infinitatis, & sapientiæ, atque reliquarum, non per figuras imaginarias, sed solam notitiam intellectualem. Notitia ista fuit adeò exacta & plena, ut existimarem, me non posse pertingere ad majorem cognitionem, undè summè obstupescens ajebam: Quid est simile huic magno Deo? qualis est hæc immensitas carens mensurâ? qualis infinitudo? qualis sapientia? Ità eram admiratione istarum perfectionum absorpta, quando me Divina Majestas elevavit ad aliam altitudinem, priori longè superiorem, ubi mihi aliam largitus est eorundem attributorum intelligentiam, quæ tantò erat major præterità, adeóque meum excedebat captum, ut me prorsus perdiderim, & magnitudo eorum, quæ intelligebam, tantâ abripuerit vi superiorem partem meæ animæ, ut nihil aliud sciverim dicere, nisì: Deus est ampliùs quàm hoc, longè est ampliùs; fuerímque planè perdita. Postquam sum reversa ad meum angulum, sentio me ità immutatam, ut existimem meam animam non existere intra me, sicut solebat, sed superiorem ejusdem partem remansisse in ea altitudine, velut ebriam, & immersam visioni illarum summarum perfectionum sui Dei, méque hìc unam solùm partem habere, quæ dat vitam sensibus, & potentijs corporeis. Non scio exponere meliùs, quomodo id fiat, cùm ad hoc explicandum verba non suppetant, neque credam lingvâ hominis posse explicari. Deus, qui tribuit, ut id cognoscatur, tantummodo novit, quid sit, qualitérque fiat. Ipse sit semper benedictus. Amen.

*Etiamsi tam eximia fuerit notitia ista, quam Venerabilis Marina hac vice de Divina Essentia habuit, intimior tamen & sublimior fuit, quam illi Deus aliàs contulit, ut nunc dicemus. Non potui definire tempus, quo id evenit, sed considerato chartarum numero, procul dubio evenerit posteriùs. Describit hanc singularem gratiam his verbis.*

Mea anima versabatur cum Deo in suo con-

consveto exercitio cognitionis sui ipsius, ubi me etiam resignabam in manus Divinæ Majestatis, ut tam de anima, quàm de isto miserabili, morbido & afflicto corpusculo fieret, quidquid acceptius foret ejusdem voluntati. Videbatur autem mihi magnus iste Deus me jam quasi ad se elevare ac ducere, quod animadvertens dixi: Expecta, mi Domine, quia non possum: corpus enim est debillimum & infirmum; anima verò pauper, atque exiguæ capacitatis, nec te poterit comprehendere, qui magnus es, & infinitus. Ità est, Anima, dixit Dominus. verùm ego te bene potero complecti, & in me ipsum introducere. Hoc dicto Divina Majestas me totam circumdedit, ità ut mea anima se adverteret esse intra intimum palatium illius Divini Esse, velut circumseptam ab eo immenso Deo, & intra quasdam perfectiones impenetrabiles, totam admirationibus absorptam. Nequeo dicere, quamdiu ecstasis duraverit, scio tamen, meam animam paulò pòst fuisse à Deo elevatam ad aliam majorem altitudinem, ubi quoque Ejusdem Majestas existebat in immensissima gloria, & in lumine infiniti splendoris, adeò ut anima in profundissimam fuerit abrepta admirationem, quin ipsius capacitas posset quidpiam percipere, multóque minùs referre de tam abstrusa visione: tantùm sic attonita poterat velut balbutiendo dicere: O mi Deus, & omne bonum meum! ô lux lucis! ô lumen luminum! ô lumen inaccessibile! quis te poterit comprehendere & concipere, ut saltèm aliquid de infinitis tuis perfectionibus, & occultissimis arcanis explicet verbis, quò agnoscaris & lauderis à tuis creaturis? Poteritne, mi Deus, id fieri? Non poteris, Anima, respondit Dominus, sustinere tantam lucem, quia sum infinitus, & absconditissimus, neque illam tua capacitas, quamdiu degis in mortali vita ferre poterit: sed expecta, dabo enim tibi aliquid, ut eam possis tolerare. Deus sit benedictus. Amen.

Ità in arctissima unione cum Deo mansi longo tempore, sublimissimè cognoscens ejusdem perfectiones, præsertim verò æternitatem, quamvis perpetuò retinerem illum affectum, quodammodo simul afflictivum & glorioſum, quo impellente dicebam: Ampliùs est, quàm hoc, ampliùs est. Vidi deinde, qualiter illud summum & infinitum Esse Majestatis illuminaret animas beatas, séq; ipsis communicaret, quæ eam cœlestem incolebant Aulam, & quâ ratione illæ susciperent id lumen, ac participarent beatitudinem sui Dei. Spectabam, & recreabar, quòd meo modo viderem tam sublimem communicationem, dicebámque Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, qualiter potero explicare modum, quo id fit, cùm à me non percipiatur plenè, licétque videam, quòd communices tuam gloriam Beatis, & ipsi ejusdem reddantur participes, non tamen agnoscam bona istius gloriæ? Dicámne, mi Deus, meo rudi modo, quòd sicut infantulus recèns natus sumit lac ex uberibus suæ matris, quo secundùm suam parvitatem & teneritudinem recreatur, & sustentatur, atque taliter ipsi satisfit, ut nihil ultrà requirat, ità hîc eveniat? Hócne dicam, mi Deus? O quid dicam, ut me in prædictum finem explicem! Id ego agebam, semper tamen nulla mihi videbatur esse paritas.

Hujusmodi flagrabam desideriis, quando summa Majestas volens implere, quod mihi erat pollicita, me præmonuit, quid esset factura. Mea anima incepit timere, ac tremere, quanquam confortata in suo Deo. Dominus autem subitò evibravit suo Divino Esse quendam velut radium lucis, quo habito potui per unũ momentum Divinam escam, quâ Beatæ Animæ sustentantur, delibare, eáq; frui. Hic non occurrunt verba, sed necesse est linguam obmutescere, tantúmq; cum S. Paulo decere: Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque cor hominis capere potest abscondita bona, quæ præparavit Deus diligentibus se. Sic anima aliquamdiu mansit apud suum Deum, in ea æterna requie. Postea me Divina Majestas reduxit ad meum angulum, ubi summè attonita miror operà huius magni Dei, & sentio naturam debillimam, suisq; destitutam operationibus. Deus sit semper benedictus. Amen.

*Non constat mihi, utrùm ulla pura creatura, in hac mortali vita (semper verò in propositionibus universalibus excipitur Virgo Dei Genitrix, quam hæc suprema dignitas reddit per omnia eximiam) pervenerit ad videndam* raptim *Divinam Essentiam: scio tamen, si hoc privilegium fuit nonnullis concessum, posse ijs accenseri Venerabilem Marinam. Agnosco omni certitudine morali, quæ in ejusmodi materijs reperiri in hac vita potest, quàm securus fuerit spiritus hujus admirabilissimæ fœminæ; quàm exquisita veracitas, quâ suas refert revelationes: neque satis intelligo, quid sit per unum momentum videre objectum, quod beatas efficit animas, delibare vel unico instanti escam, quæ illas beatitudinis reddit participes, nisi sit visio beatifica, qualis in vita præsenti communicatur. Ità loquor, quòd existimem, nulli animæ, quantumcunque esset excellens, communicatam fuisse in hoc exilio, vel per unum momentum, visionem beatificam eo modo, quo communicatur in Patria. Atque id ipsum colligitur ex Dei verbis, dum paulò antè huic Virgini dixit, quòd non esset futura capax sustinendæ in vita mortali tantæ lucis, & subjunxit:* Dabo tibi aliquid, ut eam possis sustinere. *Quocirca ipsi non videtur fuisse data perfecta visio beatifica, sed aliquid ex ea, quod esse oportet supremum contemplationis gradum, proximum visioni beatificæ, adeò ut, comparata cum omni alia contemplatione hujus vitæ, sit instar visionis beatificæ, atque suprema contemplatio, si conferatur cum visione, quæ habetur in cœlo. Verùm hic non est locus, fusiùs disputando, discutere diversas opiniones, quæ extant in hac materia. Unde doctus & pius Lector poterit judicium ferre, juxta mensuram, non solùm gratiæ, sed etiam doctrinæ, sibi à DEO communicatæ: raro enim altera absq; altera sufficiet, ubi de rebus profundè mysticis est sermo.*

# CAPUT XLVIII.

## Rabies & furores dæmonum adversùs hanc Virginem.

*Authenticum virtutum hominis justi testimonium est persecutio, quam patitur ab improbis: nescit enim vitium in proprio suo conquiescere throno, nisi id assequatur, ut regium alienæ virtutis subruat palatium. Rara Venerabilis Marinæ Sanctitas pari probatur efficaciâ, quanquam diversis prorsus vijs, tum ex favoribus, quos à cœlo est consecuta, tum etiam ex infestationibus, quas sustinuit ab inferno. Non tot diabolus machinas, tam inusitata ob odium hujus Virginis tela collimabit, ut non appareat ex effectibus specialissimus amor, quo ipsam Deus complectebatur. Quamvis autem hac de re aliquid suprà dixerim, & plurima in prima parte fuerint scripta, existimavi nihilominus, pro conclusione hujus primi libri, in quo nobis propositum fuit, varijs exponere rationibus heroicam perfectionem, quam Venerabilis Marina superstruxit fundamento suæ humilitatis, postremum petere argumentum ex odio, quo dæmones contra ipsam flagrabant, & manifestissimè indicabant, supra modum illis displicuisse, quòd conjecturarent, eam tenerrimè à Deo amari. Referam acta, servato ordine annorum, quibus evenerunt. Primum sit, quod recenset mense Julio, anni sexcentesimi vigesimi quarti, his verbis.*

Hoc tempore, quadam nocte, acriter conflixi cum dæmonibus, quod ità accidit. Vidi eam scalam, de qua præterlapsis his mensibus sum toties locuta, pertingentem à terra in cœlum. Abstraxi me vehementer ab hac visione, & diu laboravi, ut mentem aliò converterem. Tandem autem me furiosissima vilissimorum diabolorũ caterva comprehendit, atque insolitâ violentiâ quasi connisu brachiorum, voluit compellere ad conscendendam prædictã scalam. Ego reluctabar multùm, conabárque evitare, nè vel ad passum per eam progrederer. Vehementer me fatigabat,

affligebat, & molestabat tam aspera pugna, quia hostes erant multi ac validi, & certamen diu durabat, dum illi obstinatè semper vellent potiri suo fine, adigendo me, ut ascenderem ad cœlum. Mei Domini Angeli toto eo tempore spectaverunt tam durum conflictum immoti, donec tandem mihi succurrentes perterruerunt illam infernalem colluviem, quæ confusa cum ingenti perturbatione se conjecit in fugam, dimittens me, sed fatigatissimam. Tunc hi mei Domini ad me accesserunt, méque amantissimè sunt solati, dicendo mihi: Anima, veni nobiscum; veni Soror nostra: es enim fatigata, & debilitata. Collocaverunt me in meo paupere lecto, confortatâ jam aliquantùm naturâ. Hoc factum notabili me affecit admiratione, & non potui intelligere, quid significaret, quòd dæmones laboraverint, ut abirem ad cœlum. Sanctus autem meus Angelus Custos dixit: Ecce, Anima, scias, dæmonem ob ea quæ agis, & propter id, quod nunc efficere contra illum conaris, ardenter optare, ut te, si posset, privet vitâ, atque sic finem omnium faciat, ùt ipse ait: & propterea velut desperabundus, quia existimat, quòd nullam de te possit ampliùs referre victoriam, & omnipotens Deus suo tibi adsit auxilio, téque jam sibi totam vendicaverit, & cum magno meritorum atque gloriæ incremento sit salvaturus, vellet demum compleri Divinum ipsius decretum, ac te ex hac vita migrare, nè ulteriùs ea agas, ob quæ ipse jacturam faciat suorum infernalium lucrorum. Voluit igitur tibi magnus noster DEUS & Dominus (ob finem ejusdem Majestati notum) hæc perversa desideria, & hos furores diaboli, eo mystico modo, quem vidisti, manifestare: quódque diabolus ex hac indignatione, te vellet, dummodo id posset efficere, ad cœlum promovere, cùm jam in terra aliud à te expectare nequeat, quàm plures ac plures injurias, sic enim ab illo appellantur. Hoc tibi, Anima, Deus patefecit. Sit tibi id solatio, & age illi gratias.

Post aliquot abhinc dies, cùm dici cu-

raviſſem novem Miſſas, pro neceſſitatibus populi Chriſtiani, prout juſſa fuerant à DEO (qua de re alibi loquor) vidi ex meo angulo ferocem dæmonum turmam, longo & geminato ordine procedentium. Omnes erant armati, & vario inſtructi apparatu militari, ùt hoſtis, ſclopis, aliiſque ſimilibus armis. Sic diſpoſiti, reſonantibus fiſtulis ac tympanis, venerunt versùs me confusè vociferantes, ſubſequente uno, qui apparebat altior ac animoſior, & omnibus præerat. Ego vilo hoc horribili ſpectaculo, timore correptus expavi, atque tum hi mei Domini Angeli ad me acceſſerunt, quaſi me defendentes. Tota illa infernalis cohors me præterivit, & cùm me indignabundè intuerentur, loquebantur velut inter dentes, audivi tantummodo dicentes: Niſi ſubruamus fundamentum, nihil efficiemus. Tranſiverunt univerſi, & vidi, quòd pervenientes intra quoddam oppidum, le diſpoſuerint per omnes illius plateas ac fora, ſtatímque inchoaverint cum incredibili fremitu & ululatu prælium, explodendo ſclopos, aliiſque omnibus armis dimicando. Venit mihi tum in mentem, me ibi habere, quaſdam perſonas notas, mihi ſangvine junctas, probiſſimas ac timentes DEUM, & dixi intra me: Ah mi Domine! etiámne illæ pertinaces patiuntur? Sed vidi continuò ante eorum fores duos Angelos utrinque aſſiſtentes, qui cuſtodiebant domum. Finito conflictu, dæmones diſceſſerunt, & versùs unam oppidi partem remanſit quædam quaſi nubes, ſeu nigrum velum, quo tegebatur; atque ex infernali illo igne, qui arſerat, ſuperfuerunt multæ ſordes & fœtor. Tunc mihi Sancti Angeli dixerunt: Eamus, Soror, & mundemus iſtud oppidum. Duxerunt me ultra, & abſtulimus totam illam caliginem, omnéſque ſordes, donec oppidum integrè emundaremus: quo completo me reduxerunt ad meum angulum.

Eodem anno, quatuor menſibus ante duos hos eventus, quos retuli, me occupuit cruciatus ille morbi extraordinarii, qui tot alijs ſupervenit, mihíſque tam acer-

acerbos attulit dolores. Deus sit benedictus. Sic verò se res habuit. Comminatus mihi fuerat dæmon, quòd me suo more esset vexaturus, ac de me sumpturus vindictam. Dum igitur quodam die vacarem meæ consvetæ orationi (erat tunc mensis Majus) conspexi longissimam plateam, angustam, & obscuram, cujus muri erant valde alti, & in illa incedentem dæmonem, qui habitu, & velo capitis referebat fœminam, vestémque habebat obsoletissimam & incompositam: obvertebat mihi dorsum, & appropinquabat, quin possem conspicere faciem. Cùm jam modicè distaret, agitavit se & gyravit, acsi ità vellet accedere, ut non animadverteretur. Accessit demum, & forcipibus velut ferreis, quas gerebat in manu, versavit prunas, tanquam illas suscitaret, cujusdam earundem receptaculi, sive nõ modici ignis, quem ipsemet sub paupere lecto succenderat, in quo à tot jam annis ægrota patior. Videns autem dæmon Angelum Custodem se moventem, acsi mihi vellet succurrere, totus terrefactus celerrimè sibi fugâ consuluit, nihil ampliùs attendando, quàm egerit: quod quidem non fuerit parum, cùm sinè mora inceperim sentire crudeles illius infernalis ignis effectus, qui spatio duorum mensium augebantur, ut incredibiles sustinuerim dolores, ac tormenta. Superaddebat idem hostis alia, atrociter torquendo miserabile corpus (nescio quomodo in tanta mea debilitate) eâ vehementiâ, ut existimem, potuisse brachium cujuspiam alterius, si tale foret, distrumpi. Tandem mei dolores intra istud spatium temporis usqueadeo increduerunt, ut me nec interdiu, neque noctu vel modicissimè sinerent quiescere. Tum Dominus misertus meæ afflictionis mihi inspiravit, ut confugerem ad Sanctissimam Virginem suam Matrem: quo ipsò momento mihi in mentem venit devotissima imago hujus Dominæ, quæ vocatur *Vulnerata*, & extat in Collegio Anglorum hujus Civitatis, atque dixi magno fervore & affectu: Sanctissima Virgo, aufer ex hoc miserabili corpore, quòd causam tam gravis præbet doloris. Vix dum finiveram meam affectuosam petitionem, cùm humores velut in lapides concreti prodiverunt ex corpore, qui me tantopere excruciaverunt: licèt verò essent grandes calculi, non sensi tamen in ijs egerendis majorem dolorem, quàm si eosdem tenens in manu dimitterem in terram. Deus sit benedictus. Amen.

Vulnerata *illa imago Deiparæ, de qua hîc Venerabilis Marina loquitur, & quæ est in nostro Collegio Anglicano Vallisoleti, summo in dicta Urbe colitur concursu ac devotione, ob multa miracula, quibus coruscat, & continuas gratias, quas animæ eam invisentium experiuntur. Aspectus hujus Virgineæ iconis plenæ puncturis, quibus illam hæretica perfidia male tractavit, emollit vel durissimam animam, movétque ad tenerrimam devotionem. Videtur hæc magna Mater misericordiæ, in singulis suæ imaginis vulneribus, singulas cœlestium gratiarum aperuisse januas, quibus cumulat pios glorioforum suorum vituperiorum veneratores. Ante illam hodiéque extat forma horum calculorum, qui sunt quinque, & quatuor adæquant magnitudine totidem juglandes, authenticum testimonium miraculi à Celsissima Virgine patrati, ac dolorum antea à Venerabili Marina toleratorum, quæ progrediens ad annum sexcentesimum vigesimum quintum, ità prosequitur materiam persecutionum, quas fuit passa à dæmone.*

Feriâ tertiâ, vigesimâ primâ Januarij, vidi Sacratissimam Personam Spiritûs S. cujus conspectus me vehementer consternavit, quia fuit prorsus repentinus, & absque indicijs, quæ aliàs præcedere consveverunt, dixique illi: Hicne, mi Domine, ades? Omnino, Anima, respondit Dominus, hîc adsum. Comitabantur illum infiniti Angeli cœlestes, & Ejus Majestas subitò dixit ijs, qui erant in meo cubiculo, ut me ad ipsum adducerent, quod sunt tam velociter & festinanter executi, ut, priusquam id possem advertere, prout soleo, me statim invenerim ornatam illis cimelijs & vestimentis, de quibus sum alijs occasionibus locuta. Fui collocata in pretiosa quadam sella penes eundem summum Dominum, qui cum magna majestate ascendebat, ducens me secum, comitante

ipsum eo immenso numero Beatorum Spirituum. Postquam nos modicùm sustulimus à terra, cœperunt tumultuari venti, incredibiliter sæviendo; audiri terribilia tonitrua; videri horrida fulgura. Horum omnium adeò erat tremenda furia, ut mihi maximum incuteret timorem: videbantur enim mihi certò quædam scintillæ igneæ prætervolare faciem & oculos. Dū me Dominus ità videret terrefactam, dicebat mihi, authoritatem demonstrando & securitatem: Nè timeas, Anima, nè timeas. Pertransivimus denique illam aëris regionem, in qua erat tempestas, & quando sumus ingressi cœlum, Dominus me univit cum suo Divino Esse, atque post hanc unionem, quæ aliquamdiu duravit, sum reducta ad priorem sellam, in qua me sedere adverteram, cùm intravi in illud cœleste palatium. Hinc me Dominus eduxit ad locum altissimum, ubi consvevi meam animam videre unitam Deo. Ibi mihi Divina Majestas eâ celeritate, quâ præterit fulgur, manifestavit modo arcanissimo suum Divinum Esse, & quomodo se communicet Beatis. Hæc visio, tametsi momentanea, fuit tam eximia, adeóque mirabile id, quod ibi videtur & intelligitur, ut nequeat explicari, neque credo reperibilem esse lingvam humanam, à qua exponatur. Inde sum reducta ad meum angulum, ubi præ desiderio, quod mihi Deus dabat, rescendi, qualis fuisset, quidve significavisset illa tempestas, quam in ascensu videram, resignando me humiliter, interrogavi de ea Divinam Majestatem. Respondit mihi, diabolum suspicantem, quantum essem relatura lucri ex eo ascensu, quantísq; reditura bonis auctior, conatum fuisse omnia objicere obstacula, quæ illi malitia ipsius suggerebat: à se verò, quod ad Divinam spectat providentiam, non semper impediri executionem talium conatuum, ut taliter creaturis rationalibus relinquat usum propriæ libertatis in ijs, quæ per illam possunt præstare. Benedictus sit Deus. Amen.

*Sequens visio contigit trigesimâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, horâ circiter septimâ noctis, cui multa interserit plurimum facientia ad argumentum, quod tractamus. Propterea judicavi, illam hic esse apponendam. Omnia his famula Dei verbis recenset.*

Videtur mihi diabolus his diebus summâ adversùs me agi rabie: millenos animenit modos ad mihi nocendum, & necesse est ab ipso aliquid effici, siquidem graves patior dolores & molestias. Maximè verò sensi, quòd, non agente diabolo, sed disponente Deo, qui id voluit, mihi videar superposita rotæ Sanctæ Catharinæ, fuerítq; meum debile corpus in ea bis cumactum: & quamvis hoc spirituale sit, mè acciderit, effectus tamen remanentes in paupere corpore ij sunt, atque si revera illam torturam sustinuissem; tam vehementer crucior, ac tota langveo, præsertim verò valde sunt afflicta brachia & dorsum. Insuper Deus his diebus mihi non præstitit consvetas gratias, præterquam brevissimas, ideóque natura est fractissima ac debillima, quæ cùm dependeat primùm à vigore animæ, & hæc illi non præbeat solitum auxilium, sentit hunc defectum, atque destituitur viribus.

Hunc in modum nocte præcedente decimam Januarij, sub horam quasi septimam eram constituta, quando audivi Dominum mihi dicentem: Soror, bene sit, quid tibi desit, volo tibi succurrere: namque graviter infirma. Subitò ingressi sunt in meum cubiculum Angeli, qui descendebant bini ex cœlo, gerentes in manibus albos accensos cereos, cantando hymnum de Sanctissimo Sacramento. Sequebatur illos Christus Jesus Dominus noster, eo indutus habitu, quo ut vivus degens in mundo. Ferebat in suis sanctissimis manibus crucem unius cubitus spithamæ, in qua erant expressa mysteria sanctissimæ ipsius vitæ, eo modo quo hîc solet efformari crux, pro recipiendis in illa sacris reliquijs. Accedens Divina Majestas ad me dicendo: Soror, accipe hanc lipsanothecam, quia tibi per illam communicabitur virtus meæ vitæ, passionis, & mortis, atque consortabor. Suscepi crucem ex manu mei Domini, qui mihi in semetipso contulit clarissimam

notitiam, juxta meum captum, myſterij Beatiſſimæ Trinitatis. Interea temporis videbam multos dæmones armatos, qui grandem excitabant ſtrepitum, & me torvè intuebantur, non tamen poterant accedere. Ego vehementer timebam ac tremebam, & Dominus mihi dixit: Quid times? nónne es mecum? atque nihilominus non poteram ſufficienter expellere timores. Tum Divina Majeſtas ipſos exſpoliavit viribus, juſſítque inde faceſſere, & ſtatim aliò receſſit ad caput mei paupertini lecti, acſi alteri advenienti loco cederet. Mirata ſum id magnopere, verùm ſtatim vidi Sacratiſſimam Perſonam Spiritûs Sancti, eâ conſpicuam pompâ & majeſtate, quâ aliàs adeſſe conſvevit, & quando advenit, conſpexi me exornatam veſtibus atque cimelijs uſitatis, dum ab hoc Domino viſitor. Collocavit ſe ad latus meum dextrum, & Chriſtus Dominus ad alterum, talitérque me duxerunt, cum innumerabilium Angelorum comitatu, ad cœleſtem Jeroſolymam. Poſtquam eò pervenimus, fui ducta per tres gradus ad quandam altitudinem, quos illi undequaque circumdabant. Ibi Chriſtus Dominus ſedit, & ego ad ipſius pedes. Ejuſdem Majeſtas ibi expoſuit conſecratam hoſtiam, coram qua ſeſe omnes ij Angeli proſtraverunt, adorantes illam, & ubi aſſurrexerunt, repetiverant hymnum de Sanctiſſimo Sacramento. Idem Dominus mihi eam hoſtiam porrexit realiter & verè ſumendam: ſenſi enim id optimè, non aliter ac dum iſthîc communico. Poſt ſumptam à me ſacram hoſtiam, rurſum ſe omnes illi Angeli proſtraverunt, & Dominus ipſis eſt largitus ſuam ſanctiſſimam benedictionem, unáque mihi. Hîc denuò cognovi myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, fuítque mea anima illi Triuni Domino arctiſſimè unita, ubi ſum fruita admirandis bonis, donec me poſtea reperi in meo angulo. Ipſe ſit benedictus. Amen.

*Poſtremum iſtud evenit anno ſexcenteſimo vigeſimo octavo, quod Venerabilis Marina refert ſequentibus verbis.*

Dum aliquando alloquerer Deum, incitata à lumine, & affectibus, quos Ejuſdem Majeſtas hujuſmodi occaſionibus in anima commovet, ut ijs liberè nequeat reſiſti, inter alia illi dixi: Mi Domine, neceſſe eſt, ut dæmonem vivum comburam. Id ſic præterijt, intra paucos autem dies ille maledictus ad me venit, & interrogavit: Cur me perſequeris? atque non expectato reſponſo ſubjecit. Polliceor tibi, quòd ſim duplicem de te ſumpturus vindictam. Inprimis quæcunque ſumes pro tui ſuſtentatione, inficiam veneno, ut tibi noceant: deinde, omnium qui huc adveniunt, corda reddam frigidiſſima, nè capiant fructum ex tuis dictis. Tace maledicte, reſpondi ego, Deus enim eſt potens, ut verba ipſius producant fructum in cordibus hominum: tu verò non habes majorem facultatem, quam quæ tibi conceditur à Divina Majeſtate, atque ad id tibi eam non concedet. Non negat mihi illam, regeſſit ipſe, quando id homines non promerentur. Interceſſerunt & aliæ inter me & dæmonem ſimiles prædictis quæſtiones, & reſponſa, qui continuè geſtibus & vultu minaci me aggrediebatur, ut me invaderet, mihíque aliquid inferret nocumenti. Præ ſe ferebat infelix ſpeciem laceri & nigri pueri, ſive, ut melius dicam, fuliginoſi, quales ſunt, qui occupantur circa uſtrinas, ſeu fornaces fabriles. Ego reſiſtebam, contemnendo ipſum, minaſque illi intentando, quòd eundem eſſem combuſtura, eo ſenſu, quem mihi in id Deus ſuggerebat. Mei Domini Angeli ſpectabant hanc pugnam, & acſi humanis eſſent prædiți affectibus, videbantur eâ oblectari, ſubridendo.

Intuita ſum illos, & quando denuò aſpexi dæmonem, adverti, quòd mutaviſſet ſpeciem, vidíque ipſum in figura colubri convoluti in ſpiras, & conantis caudâ, atque corpore cingere meos pedes: deprehendi ſimul in manu catenulam, quam ejuſdem collo injeci, duxíque illum raptando, licèt ſupra modum conqueretur. Inivi viam, quæ videbatur eſſe bona & plana. Hîc ille vehementer lamenta-

batur, dicendo: Noli hàc ire, noli hàc ire. Sed quantumcunque id infelix iteraret, progressa sum, donec perveni ad quendam locum, ubi in profundo terræ hiatu conspexi horribilem fluvium, ex quo prodibant lugubres voces, ejulatus, & clamores tam tremendi, ut mihi incuterent timorem, méque revera affligerent. Illuc præcipitavi istum colubrum, ruente eo maledicto in fluvium tanto impetu, ut, tametsi esset profundissimus, nihilominus strepitus fuerit suprà auditus. Ibi ipsum reliqui, & reversa ad meos Dominos Angelos, amanter illis sum questa, cur in adeò gravi conflictu fuissent tam quieti, relinquentes me solam cum dæmone. Illi mihi benignissimè & suavissimè responderunt: Non te deseremus, Soror nostra, neque deseruimus: siquidem nos DEUS hic constituit, ut tibi assisteremus, & opitularemur. Benedicta sit Divina Majestas, propter suas misericordias.

AMEN.

LIBER

# LIBER SECUNDUS.

## Ardens hujus Virginis charitas erga proximos, & cœlestis Doctrinæ monita, quæ nobis reliquit.

*Suavissima magni DEI nostri, & Domini benignitas in eo pocissimùm elucet, quòd instanter, quin imò cupidissimè, mutuam à nobis expetens dilectionem, toties unicum, sed evidens legitimorum, quibus ipsum amamus, affectuum statuat indicium, si ijdem teneræ erga proximos nostros charitatis producant effectus. Divina Bonitas non aliter se in ipso amoris fœnore, quod admodum avidè à nostris exigit cordibus, nostri studiosior commodi, quàm proprij sui emolumenti, videtur potuisse meliùs manifestare, quàm dicendo nobis, satisfieri sibi pro debitis nostris, dummodo nobis invicem reciprocæ impendamus opera charitatis. Cùm itaque perfectio amoris, erga DEVM, in Venerabili Marina altissimum attigerit apicem, quemadmodum in primo Libro dictum fuit, necesse erat, charitatem ipsius erga proximos adeò esse eximiam, ut in oculos incurrens probaret, illud pectus esse Divini Amoris ustrinam, in qua tam ardentia potuerint desideria, tam proficua proximis opera procudi. Hujus veritatis heroica in hoc secundo libro adferemus exempla. Quia verò non minùs prodest, quod in quorundam agitur commodum, quàm data ipsis documenta adferant utilitatis, addemus insignibus hujus prodigiosæ virginis operibus, admirabilem ejusdem doctrinam, quam à DEO per symbola, & verba hausiam, pro communi omnium Fidelium hæreditate, atque ad perpetuum vitiorum & perfidiæ dedecus, conscripsit.*

## Caput I.

### Venerabilis Marina erat animabus mediatrix, ad obtinendos divinos favores, & scutum, pro evitandis ingruentibus ex cœlo supplicijs.

*Inscrutabilia sunt judicia Dei, & admirabiles viæ. Qui solitariam vidisset Virginem in angulo humilis domûs delitescentem; annis gravem, quia plus quàm septuagenariam; continuis afflictam morbis, & acerbissimis doloribus, adeò ut ultra triginta annorum spatium, non posset è paupere lecto consurgere; omni alio in suis necessitatibus destitutam subsidio, præterquam eo, quod illi devotarum quarundem personarum subministrabat benignitas: Hæcne, dixisset,*

*xisset, est illa, per quam Deus sua in mundum derivat beneficia? hæcne anicula imbecillis est una ex robustissimis Ecclesiæ columnis? illæne contractæ manus cohibent ictus, & eripiunt gladium Divinæ Justitiæ, dum vel maximè irascitur, ut sumat vindictam de peccatoribus? sub iisne pedibus, qui jam nequeunt extenuatissimum sustinere corpus, prostrati gemunt dæmones, dum frustrata vident sua proposita, disturbatas machinationes ad perdendos homines? Nemo id videtur potuisse asserere, quod nihilominus efficere scivit Deus, qui sibi semper honori ducit, ut autherem se prodigiosorum demonstret operum, adhibitis debillimis instrumentis, ad ostentandam suam gloriam, & conciliandam sanctitati æstimationem, facilè hæc admiranda reddendo credibilia scienti, Deum qui dedit suum filium, ut pretium esset animarum, ijsdem cætera daturum omnia, & parvi æstimaturum universa, ut illas exaltet, si heroicas exercendo virtutes, exquisitissimis amabilissimi sui Domini gratijs respondeant. Ad id se Venerabilis Marina disposuit, prout tum in primo libro hujus secundæ partis, tum per totam historiæ ipsius partem primam vidimus. Ideóque minimè mirum est, quòd illam DEUS in utilitatem proximorum, & pro innumerabilium animarum commodo constituerit in gazophylacio suæ Misericordiæ thesaurariam, in tribunali suæ Justitiæ advocatam. In quodam scripto suo, mense Septembri, anni sexcentesimi vigesimi quarti, sic ait.*

Vehementer erubescens, quòd me tot viderem obnoxiam defectibus, plenam imperfectionibus, longéque magis obstupescens, quòd Divina Majestas tot ac tantas dignaretur exhibere misericordias tam indignæ creaturæ, multum insumpseram temporis meæ consvetæ orationi quando me adverti esse constitutam in actualissima Triunius Domini Dei nostri præsentia. Vidi prodeuntem velut ex dextero latere Patris Æterni Sanctissimum ipsius Filium, Christum JESUM Servatorem nostrum, circumdatum ab innumeris Angelis, adorantibus illum, & comitantibus. Veniebat hic Dominus demonstrans majestatem veri Regis, tum vestitu, tum pretiosâ coronâ, quam in sanctissimo suo capite gerebat. Idem Dominus descendit per duos quasi gradus glorioſissimos, & comparens coram suo Patre Æterno, sese in ijs prostravit, exhibendo ipsi, in quantum est Homo, hanc profundissimam reverentiam. Sacratissimus ejus Pater illi quàm amantissimè est bene precatus, dixitque continuò toti illi cœlesti Aulæ: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi multùm complacui: adorate ipsum & honorate, tanquam Regem ac Dominum vestrum. Simul ac id fuit à Divina Majestate dictũ, omnes ij Beati Spiritus se prostraverunt, exequentes magnâ veneratione, & voluptate, quod ipsis mandabatur. Surrexit deinde Christus Dominus noster, & intra illam Angelorum infinitatem, qui ipsum cœlesti musicâ laudabant, cœpit cum gravissima majestate paulatim mihi appropinquare. Fui notabiliter turbata, eò quòd sit incredibilis magnitudo gloriæ, quâ se mihi Dominus in hac visione præbuit spectandum. Postquam ad me accessit, Sancti Angeli ipsi admirandum adornaverunt thronum, & Ejus Majestas in eo sedit, seperponens fulcris sellæ suas sanctissimas manus, in quibus cum magno meo stupore conspexi recentissima, & pulcherrima signa vulnerum. Summus, ut dico, fuit meus timor ac turbatio, & Divina Majestas mihi dixit: Nè timeas, Anima, neque turberis: ego enim sum Deus, & tuus Dominus, qui pro te est mortuus in cruce, & úmque profudit sangvinem, noli timere. Mea anima auditis his verbis conquievit nihilominus rogavi illum submisè, ut mihi daret facultatem recurrendi viâ solâ ad Deum. Per me licet, dixit idem Dominus. Unde collegi me quantùm potui, & sepositis omnibus figuris imaginatis, defixi cor in Deo: petivi maximo affectu ut mihi impertiretur lumen ad cognoscendas suas veritates, eásque venerandas.

Dum id instanter postularem, deprehendi me in conspectu Majestatis Christi Domini nostri, prout antea, semper magis obstupescens. Observa, dixima, ajebat tum Dominus, quod tibi dicturus. Scito, me ex Divino Patris æterni mandato missum, ad dicendũ tibi

ut intelligas, Divinam ipsius Majestatem esse graviter offensam multis & magnis peccatis, quæ à Christianis committuntur, à quibus ira illius est magnopere irritata, & Divina ejusdem Justitia rigidissimas ipsis intentat pœnas. Licèt verò sit verum, multos reperiri illum amantes, eíque ex corde servientes; magnus tamen est eorum numerus, à quibus offenditur, & vilipenditur. Roga tu Deum, ut mitiget suam iram: magna siquidem urget necessitas. Mea admiratio augebatur, dum audirem hæc dici à Sanctissimo Salvatore nostro, & nullo verbo pronuntiato ajebam intra meam animam: Quid est hoc, mi Deus, & mi Domine? Agis advocatum peccatorum ad dexteram tui Patris, & dicis miserabili formiculæ, ut roget Deum, quò mitiget suam iram? Quia verò idem Dominus intima cordis mei videbat, dixit mihi subitò: Bene est, Anima; intermitte nunc alia, & exequere, quod tibi dixi, atque particulatim exponam. Curabis intra novem dies celebrari novem Missas. Primæ tres erunt de Sanctissima Trinitate, in quarum singulis suo ordine rogabitur quævis ex tribus Divinis Personis, ut misereatur sui populi Christiani. Quarta missa erit de assumptione Sanctissimæ meæ Matris, ipsâ adhibitâ in advocatam, ut Deus reconcilietur. Ex cæteris quinque Missis prima applicabitur pro statu Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, cujus petetur conservatio, & propagatio: altera pro existentibus in statu gratiæ, ut in ea se conservent & crescant: tertia pro constitutis in peccato mortali, quò suam ipsis Deus det gratiam, ut ex eo evadant: quarta pro Judicibus Rerum publicarum Christianarum, ut administrent justitiam: postrema erit pro animabus Purgatorij. Has novem missas audies devotè, & in ijs reficieris sacrâ Evchariſtiâ, offerendo pro istis necessitatibus sacram Communionem: quidquid præterea his diebus feceris operum spectantium ad divinum obsequium, quidquid etiam per eos fueris passa, dirigetur ad hunc finem. Conaberis toto hoc tempore specialissimâ curâ versari in præsentia Dei, orando pro his necessitatibus: abstinebis quàm maximè poteris à conversatione cum proximis, ut plus tribuas spatij istis exercitijs: quamvis enim per illam nō impediaris, nunc tamen id fieri vult Deus, excepto casu quopiam prorsus singulari, ac necessario, & accedente mandato tuorum Confessariorum. Atque ut tua oratio sit efficacior, & majorem vim habeat, voluit Divina Majestas, ut te ego ipse accederem, ad intimandas tibi has necessitates, & sanctissimæ ipsius voluntatis placitum.

Mea anima audivit hunc sermonem, quem Deus ipsius ad illam habuit; respondi, me summa cum diligentia, quam, opitulante ejus divinâ gratiâ, adhibere potero, omnia mihi injuncta impleturam. Bene est, Anima, dixit Dominus, nunc vale: priùs tamen te volo consolari, dando tibi meâ manu pretiosum munus; idque dicendo imposuit suam Divinam manum in sinum, velut sub vestem, & exemit nummum instar coronati, ex purissimo factum & splendidissimo auro, in cujus una facie erat ad vivum effigiatus ipsius vultus, & in altera scriptum sanctissimum ejusdem nomen, dixitque mihi: Accipe, Anima, hunc nummum aureum, qui erit epithema corroborativum tui cordis. Reluctabar vehementer, & non audebam pretiosum illud cimelium suscipere ex manu mei Domini. Ejusdem autem Majestas tum, visâ meâ verecundiâ, surrexit ex sua sede, & accedens ad me imposuit suâ sacratissimâ manu illum aureum nummum in meum sinum, qui statim mirabiliter penetravit ad meam animam, deditque mihi suam sanctissimam benedictionem. Postea impositâ eâ suâ sanctissimâ manu meo capiti, reliquit in illo lucidissimum splendorem, qui diu duravit, adeò ut à meis oculis non posset sustineri. Tandem mihi porrexit osculandam suam sanctissimam manum. Attigerunt illam mea labia, & cùm is contactus ad summam excitaret devotionem ac reverentiam, clarè anima mea cognovit, eam manum verè esse carneam, & intellexi à Domino,

præstitam mihi ab ipso fuisse hanc gratiam, ut experirer, esse verum, Ejusdem Majestatem esse ipsummet Dominum nostrum JESUM Christum, verum Deum & Hominem. Sedit rursum Divina Majestas, & dixit mihi: Anima, pro majore solatio tuo ac devotione tibi gratificabor, attingendo his meis manibus, & istis meis vulneribus aliquas tuas corollas precatorias. Non habebam tum eas apud me, ideóque cum mea magna verecundia & erubescentia respondi: Mi Deus, nullæ adsunt: verùm ubicunque fuerint, poteris illis conferre virtutem, mihíque istam gratiam præstare. Expone eas, subjunxit Dominus, volo enim, ut sic fiat, & videas, quomodo à me attingantur. Feci, quod eram jussa à Domino, exemi inde corollas, ubi erant repositæ, non absque insigni mea confusione & admiratione, dum tam immensam viderem benignitatem. Dominus illas apprehendit suis sacratissimis manibus, atque attrectavit cum gravissima majestate, & attigit suis pretiosis vulneribus, ac deinde mihi reddidit, quas cum magna mea consolatione sum osculata, & applicui meis oculis. Hoc facto Dominus abivit, comitante ipsum eâ infinitâ multitudine Angelorum illi inservientium, eundémque adorantium.

Mansi summo perfusa gaudio, quanquam aliquomodo metuens, propter admirabilitatem, & novitatem tanti mysterij. Considerabam partim hæc opera potentiæ, bonitatis, & sapientiæ nostri magni Dei, partim verò mecum ipsa disceptabam, perpendens quàm essent mira. Estne possibile, inquiebam, quòd Deus Dominus noster tale aliquid faciat? ut suum Sacratissimum Filium JESUM Christum Dominum nostrum, illum ipsum, qui sedet ad ejus sanctissimam dexteram, advocatum agens peccatorum, ad vilissimam mittat creaturam, qualis ego sum? éstne id possibile. Tametsi verò hæc omnia dicerem, non dubitabam, quia dubitare non poteram, quin esset verum, quidquid acciderat. Nihilominus mea anima perplexa præ admiratione erat velut attonita. Diu inhærebam isti considerationi, quando mihi Dominus, quasi mi misertus, quædam amantissimè dixit, concernentia doctrinam fidei, de ipsius mysterijs (qualia mihi etiam in hujusmodi occasionibus, quas alibi retuli, aliàs dixerat) ijsdémque, utpote clarissimis suæ potentiæ & charitatis exemplis, me penitus reddidit quietam, ac summo replevit solatio. Sit millies benedictus. Amen.

*Initio sequentis anni, sexcentesimi octogesimi quinti, Deus ipsi indicavit tot bella, quæ postea hic sumus experti, & quid suis efficere deberet precibus, nè infernus propositorum suorum rabiem exequeretur per hæreticos. Describit visionem his verbis.*

Agebam aliquando istis diebus mecum Deo, recitando nonnullas preces, quas ab ejusdem Majestate fueram docta, & audivi illum cum quadam festinatione, quamvis gravissima, mihi dicentem: Veni huc, Anima, veni, & videbis quid tibi volo ostendere. Respondi illi humiliter: Statim ibo, mi Domine, statim ibo, postquam persolvero has tuas preces: & mea anima persistebat in ijs finiendis. Dominus autem mihi denuò dixit: Age, Anima, veni mecum: volo namque ut quam primùm videas, quod tibi repræsentabo. Non potui obniti, & antequam complerem preces, Divina Majestas mihi exhibuit spectandas quasdam regiones, multùm ab eo loco, in quo eram, ut mihi videbatur, distantes, dixítque: Aspice Anima, hanc multitudinem meorum Angelorum, qui obeunt omnes istas provincias, & imperia Regum Catholicorum. Mea anima aspexit, sicut fuerat jussa à Domino, & vidit infinitos Angelos mirum in modum speciosos, armatos instar generosorum militū, sclopis & bipennibus, peregrantes omnia illa regna. Ibant tanquam valde procul profecturi, explodendo illos sclopos, quorum sonus etsi esset terribilis & vehemens, aliunde nihilominus erat suavis, & jucundus auditui animæ. Intellexi, id esse symbolum benignitatis & misericordiæ Divinæ. Sic procedentes illi collocaverunt in medio eorum omnium regnorum, exprimentes figuram crucis, statímq; sumo ordine bini sunt progressi, nulli

rectà tendentes ad locum, ubi ego eram, & illuc pervenientes eodem ordine me præteriverunt, atq; ascenderunt in altum, per quosdam quasi gradus demissos, & colorem referentes velut cœlestem, donec pertingerent ad cœlestem Jerosolymam. Tandem in fine hujus tam admirandæ pompæ, quam cum magno solatio spectabam, vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, quem comitebantur multi Sancti ex antiquo Testamento, Apostoli, Evangelistæ, & Patriarchæ Religionũ, aliíque speciales Sancti. Veniebat idem Dominus vestimẽtis indutus regijs & preciosis, gerens diadema in capite. Et verò bene advertebatur esse qui erat, verus nempe DEUS & Homo. Advenit cum maxima majestate, & conjectis in me (quæ subitò me prostravi) suis sacratissimis oculis, suam mihi dedit sanctam benedictionem, & omnibus rebus, quæ erant in eo loco. Processit idem Dominus ulteriùs, donec perveniret ad thronum Divinæ Majestatis. Ibi se prostraverunt omnes ij Angeli ac Sancti, etiámque dilectissimus Dominus noster, tanquam homo, coram Patre æterno, cujus Majestas omnibus est elargita suam sanctissimam benedictionẽ: & postquam Christus Dominus surrexit, Pater ejusdem æternus strinxit brachio ipsius collum, dixítque illi cum tenerrimo amore: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Contemplabar hoc sacrum mysterium, admirante vehementer meâ animâ talia sui Dei opera, quando illic vidi eminus, tanquam observantes hoc spectaculum, multas horribilium & crudelium dæmonum turmas, quæ suos à fronte habebant duces. Srabant dispositi in ordines, velut invicem colligati: pedes eorundem erant vincti compedibus, & corpora catenis, atque agitabant se cum ingenti confusione, & rabie: apparebant quasi sclopis armati, quos gerebant in humeris; conabantur procedere, & pergere ulteriùs, ac jaculabantur. Verùm fuerunt adeò constricti, ut, si progrederentur ad quatuor passus, tantundem statim retrocederent, evanescentibus velut in aëre ictibus, absque ulla vi, aut effectu. Tum in rabiem acti indignabantur, mordebant se mutuò confusè; exprobrabant sibi væcordiam: maximè verò omnes furebant, insultando suis ducibus. Infernale ipsorum propositum erat, ut animos Catholicorum inficerent hæresi: sed videntes denique se non posse prævalere, præcipites ruerunt usque ad abyssum. Post hoc illos vidi valde procul in quibusdam regionibus Infidelium otiantes, & quasi quiescentes. Omnia ista exhibebantur meæ animæ, absque comparatione longè vivaciùs, quàm si spectarentur oculis exterioribus. Quanquam autem illuminata à Deo aliquid de hoc mysterio conjicerem, nõ poterat tamen à me sufficienter percipi, & agnoscebam, mihi multum deesse ad illud penetrandum.

Tum mihi Dominus gravissimè, & perquam dolenter, ob magnum amorem, quo erga nos fertur, dixit: Ecce, Anima, oportet te scire, universum infernum conspirasse, & occupatis, me permittente, infidelium cordibus ac animis, ingenti furore ac rabie instare, ut omnes junctis viribus, quantum in ipsis est, honore privent & vitâ meum Filium JESUM Christum, conviciantes suis sacrilegis lingvis Divinam ejusdem Personam, purissimam illius Incarnationem, & Sacramentum Evchariſtiæ. Hæc est significatio eorum, Anima, quæ tibi ostendi. Quid tibi hac de re videtur? Mea anima propter audita ista verba, & modum, quo à Domino proferebantur, fuit summè afflicta, & indoluit, atque respondens ejus Majestati, dixit: Cùm ità se res habeat, mi Deus & mi Domine, nónne expediret, ut Reges & Principes Catholici, priusquam hostes sanctæ fidei prodeant, proficiscerentur, eósq; aggrederentur, ac pessumdarent? Non expediret id nunc, Anima, dixit Dominus, non expediret. Dic mihi, an bene fieret, si existentibus in foro tribus ferocibus tauris, debilis quispiam nanus, & imperitus diceret: Melius mihi erit invadere hos tauros, quàm firmare theatrum, illúdque conscendere? Satis clarè apparet hunc erraturum. Nónne verò tu mi Domine, & mi Deus, ajebam ego, es potentior toto inferno? nónne

facillimè potes omnes hostes nostros destruere, ac dare victoriam tuis Fidelibus? Ità prorsus est, sicut dicis, respondit Dominus, me esse potentem, ut faciam quæ volo, ac misericordem: unde, prout vidisti, tot misi Angelos meis Fidelibus, ad defendendas veritates fidei, ac destruendum mendacium, & fraudes diaboli: verumtamen ij, qui sunt mei, non ità me sibi, ob sua peccata, & malam dispositionem, devinxerunt, ut inter illos & meam Justitiam statuam aliquam aniculam, quæ ipsos defendat, atque, si impendens casus evenerit, permittam fieri, quæ fert cursus rerum, & sunt conformia legibus ordinarijs. Mea anima audiens id dici à suo Domino, & assumens nonnihil velut generositatis, atque incitata vehementi affectu, qui tamen fuit magnæ commiserationis, tum respondit: Profectò, mi Domine, si id fieret, me, ad avertendos ab ipsis, & suscipiendos in me ictus, interponerem inter illos, & tuam Justitiam. Non facies id, dixit Dominus. non facies, Anima: quia ego hoc à te fieri non permittam: atque si multum instares, & occasio eveniret, auferrem te è medio eorum, & abducerem ad me. Quid dicis ad id? quid tibi videtur?

Fui quasi consternata, & obstupui ob ea, quæ à meo Domino dici audiebam, dum mea anima partim metueret Divinam Justitiam, partim verò confideret in Dei Misericordia & benignitate, atq; hactenus in tali mei Domini versor præsentia. Reputo hunc eventum tanquam aliquid à Divina Majestate superpositum debilibus meis humeris, ut clamem, & à Deo absque intermissione postulem misericordiam, in his Ecclesiæ necessitatibus. Ipse nos dignetur respicere tanquam Pater, sítq; semper benedictus. Amen.

# CAPUT II.

## Recenset speciales alios ejusdem argumenti eventus.

*EOdem Anno sexcentesimo vigesimo quinto acciderunt, quæ hîc refert, & sequentibus exponit verbis.*

Ducta fui à Divina Majestate, comitante me Sancto Angelo Custode, ad remotissimam quandam Provinciam: pervenimus ad campos desertos, & inde ad alios prioribus non absimiles. Tota ea Regio mihi videbatur esse destituta habitatoribus, quæ tamen antehac fuerit culta, quia interdum deprehendebantur vestigia quorundam dirutorum ædificiorum. Mirabar vehementer videns tantam solitudinem, atque in tam vasto spatio nec reperiri oppida, neque comparere homines: unicum enim solummodo observavi viatorem, & hunc procul ambulantem. Converti me ad Dominum interrogans: Ubi sunt, Domine, isti homines? Et respondit mihi Ipsius Majestas: sunt in inferno. Civitates autem eorum, subjuncti, divitiæ, & facultates, quas possederunt, quonam devenerunt? Omnia sunt in inferno, dixit Dominus. Mea anima obstupescebat, dicendo tacitè: Proh Sancte Deus! ergóne hæc omnia interierunt, & hi tam multi homines sunt in inferno? Dum ità prosequeremur nostrum iter, conspexi maximam lucem, quæ videbatur cœlestes diffundere splendores. Pervenimus ad locum, unde lux promicabat, & incidimus in quoddam pauperrimum monasterium, cujus fabrica erat humilis; ubi vidi quendam Religiosum S. Francisci. Ingressi sumus templum, quod erat prorsus egenum, & malè accommodatum. Ibi fuit sepulchrum circumdatum clathris, cujus cippus erat coopertus pannno: coram eo sum jussa me prosternere, quo facto, & peractâ meâ adoratione, dum vellem surgere, dixit mihi Sanctus Angelus, nè me moverem. Exhibuit mihi mox spectandam, supra idem sepulchrum

chrum, Majestas Christi JESU Domini nostri, quasi tunc resurgentis, qui me amantissimè interrogavit: Quid est hoc, Anima? quis te huc adduxit? Mi Domine, respondi ego, Deus me adduxit. Et postquam brevi tempore mansi apud Dominum, dedit mihi suam sanctam benedictionem, quasi me urgeret, ut sinè mora regrederer, ac disparuit. Subitò vidi quendam crudelem, & indignabundum pastorem intrantem per portam, circumdatum à multis & magnis canibus, tanquam molossis pecuarijs. Hi ad me venerunt, méque omni ex parte cinxerunt. Timui aliquantùm, sed fuit timor exiguus: quamvis enim apparerent feroces, nescio tamen quomodo notaverim, esse ignavos, mihique ab ipsis parum posse damni inferri: quia verò mihi nocere non poterant, exarserunt contra se invicem, mordentes se ac discerpentes, donec denique disparerent.

Vidi deinde ex eo loco sepulchri, ad unum templi latus prodeuntem splendidissimum, ac pulcherrimum rivum sangvinis & aquæ: observavi nihil ipsius remanere in ijs regionibus, sed totum celeri cursu transire ad alias, quas inundabat, reddendo fertiles, & conferendo illis virtutem ad producendum fructum. Postquam mihi hæc omnia Deus ostendit, interrogavit me, an ea intellexissem. Aliquid, mi Deus, sum assecuta, respondi, sed non omnia. Declarabo igitur tibi illa, dixit Dominus: Omnes hæ regiones sunt Paganorum, in ijs est sepulchrum, in quo fuit depositum corpus JESU. Pastor ille, & canes sunt dæmones, qui se mordendo manifestabant rabiem, ac desperationem, ad quam rediguntur per mysteria patientis Salvatoris, mortísque ipsius & resurrectionis: significabant præterea, tuam orationem sibi esse tormentum. Sangvis Redemptoris, quamvis omnes pertranseat, cùm sit pro omnibus effusus, apud istos tamen non manet, eò quòd ex eo fructum percipere nolint. Commenda mihi illos, & offer aliquid ipsis profuturum. Quid possum offerre mi Domine, ajebam ego, aut quid habeo, quod dem? Potes aliquid facere, respondit Dominus: offer mihi pro illis sacram cõunionem, sicut offers pro Angliæ, & aliarum provinciarum Catholicis; & quidquid dederis, retinebis tibi, plurimúmque inde referes lucri. Promisi Domino, me id facturam, & videtur Divina Majestas tam hos, quàm illos debillimis istis superimponere humeris, atque hoc onus mihi esse grave. Faxit Deus, ut ipsis prosit, quod pro ijs facio.

Post aliquot deinde dies passa fui quadam ex causa aliquam afflictionem, unde solicitabar & angebar. Interea feriâ secundâ, vigesimâ primâ hujus mensis Octobris, manè vidi JESUM Christum Dominum nostrum, qui mihi peramanter dixit: Veni mecum, Anima, & respirabis. Duxit me Ejusdem Majestas ad cœlum, per scalas multorum graduum: comitabantur Dominum plurimi Angelici Spiritus, eíque inserviebant. Dum eò perventum est, fui prostrata coram Beatissima Trinitate, quæ me benignissimè excepit. Eram exornata ijs vestibus, quibus me in hujusmodi occasionibus mei Domini Angeli exornant. Tum Persona Sacratissima Patris æterni me ad se perduxit, & formavit in meo pectore, diductâ veste, suo sacro digito crucem rubri & splendidissimi coloris, quæ in eo mansit impressa. Postquam me illi Beati Spiritus viderunt eâ signatam, qui erant innumerabiles, cœperunt colloqui, séque invicem interrogare: Qualis est hæc Anima? Est promota ad dignitatem Ordinis equestris. Ego verecundabar & erubescebam, quemadmodum hîc erubesceret vilis quispiam mendiculus, cujus pannosis vestibus apponeretur crux, indicans habitum, ac dignitatem equestrem.

Dominus noster JESUS Christus, quem hac vice comitata fueram, me mox duxit ad quendam altum locum, unde mihi ostendit inprimis modum, quo creaturis irrationalibus, deinde illum, quo rationalibus se communicat Deus, tandémq; modum, quo se communicat Cœlitibus, reddendo illos beatos visione sui Divini Esse, omnibúsque bonis replendo. Mea anima multùm mirabatur videndo tam arcana

& sublimia mysteria, ut, licèt tam paucis referantur verbis, omnia tamẽ totius mundi nequaquam sufficerent, ad explicandam vel minimam eorum partem, quæ ibi videntur. Tum idem Christus Dominus noster mihi dixit: Anima attolle oculos, & aspice. Aspexi, ac vidi super totam beatitudinem immensum quoddam mare infinitarum aquarum, in quibus mihi modo adeò eminenti monstravit Divinum Esse, ut à nulla exponi valeat lingva, aut aliquid de ea majestate & pulchritudine enarrari. Postea me Christus Dominus noster denuò perduxit ad locum, ubi paulò antè videram Sanctissimam Trinitatem. Hìc me rursum est allocuta Sanctissima Persona Patris æterni, & dixit mihi: Ecce sicut Reges terræ provehunt quosdam duces militiæ ad equestres dignitates, ut animentur ad permanendum in confinijs hostium, útque contra hos pugnent pro defendendis ipsorum regnis, ità ego tibi dedi istam crucem, ut coram me prælieris, ac defendas animas ab earũ hostibus. Nunc revertere in pace. Atque tunc prorsus ex animo, & ardentissimo affectu dixi Ejus Majestati: Mi Domine, per temetipsum te obsecro, noli permittere, ut denuò revertar ad terram; noli, mi Domine, noli mihi mandare, ut revertar, quia peribo. Hoc sæpe, minimèque hæsitanter iterabam, donec Persona JESU Christi Domini nostri, singularem mihi exhibendo amorem, dixit: Anima, si redeam tecum, bene potes redire. Tecum, mi Domine, respondi ego, ibo ad terram, & ad infernum: & statim me eâdem viâ, atque cum plurimorum Angelorum comitatu, iterum deduxit per scalas, per quas ascenderamus, méque reliquit in meo angulo.

Quinque aut sex diebus pòst, proximè festum omnium Sanctorum, mihi Dominus significavit, quòd me in ea solennitate dignaturus esset ducere ad cœlestem Patriam. Volo, dixit, ut eo die fruaris festo, quod in cœlesti Jerosolyma peragitur, in honorem meorũ Sanctorum, ubi multis diebus commoraberis. Ità fuit factum, & in festo omnium Sanctorum, antequam dieſceret, me Divina Majestas duxit ad cœlum, sicut mihi dixerat, ibíque me secum univit, ubi modo mihi possibili fruita delicijs, & gloriâ accidentali, quam illo die Sancti percipiebant ex celebritate, quâ hìc in terra ab Ecclesia militante solemniter coluntur. Fui repleta specialissimo solatio, & vehementer sum mirata, quòd viderem illum modum gloriæ accidentalis, quæ ipsis superaddebatur, quamquam alioquin omnibus affluerent bonis, ob solam Visionem Dei, quódq; etiam ego ejusdem fierem particeps. Isto perfruens gaudio mihi Dominus dixit: Anima, pete à me quidquid volueris, omnia enim tibi concedam. Sensi autem mihi ab eodem Domino inspirari, quid petere deberem, ideóque dixi latinè: *Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris.* Subitò omnes Beati Sancti responderunt: *Te rogamus audi nos.* Progressa sum dicendo: *Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris.* Et Sancti responderunt: *Te rogamus audi nos.* Addidi tertiò: *Ut cunctum populum Christianum pretioso sanguine redemptum conservare digneris.* Atque Sancti similiter subjunxerunt: *Te rogamus audi nos.* Hìc substiti, nihilque ampliùs petivi. Tunc mihi dixerunt Angeli: Soror, pete ampliùs, pete: *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris.* Petivi id, sed non ità ex animo, neque eos eiusdem actus, quos in tribus prioribus eiusdem petitionibus; neque etiam Sancti ad quartam hanc responderunt, quemadmodum ad alias responderant. Divina Majestas mihi dixit, se mihi concederet, quæcunque petieram: post quod dictum fui rapta in ecstasim, & quando ex ea ad me redivi, reperi me in meo angulo, verùm superior pars animæ mansit apud Deum jusdem Majestatem, sicut mihi dixerat. Benedictus sit Deus. Amen.

CAPUT

# CAPUT III.

## Sanctus Pater noster Ignatius huic Virgini exponit, quæ sit precum ipsius efficacia: referuntur alia eodem spectantia admiranda acta.

*MAgna dignum est consideratione, quòd Deus isti Virgini ità pollicitus fuerit, concessurum se ipsi, quidquid peteret profuturum proximis, ut illi unà inspiraverit, quales esse oporteret ejusdem petitiones. Insignia habemus hujus veritatis exempla in historijs Sanctorum (qua de re mirabiliter scribit, æquè ac de alijs, quas pertractat, Sancta Teresia) ubi legimus, eos, quibus Deus hoc privilegium concessit, quotiescunque illis aliquid à Deo est obtinendum, petere præventos, & incitatos à divina inspiratione, sine qua se interdum advertunt esse tepidos ad petendum, ac destitutos animo ad perseverandum in petitione, habéntque manifesta præsagia, se nihil consecuturos. Neque has animas adeò eximiè privilegiatas contristat repulsa, quam patiuntur, dum nihil talibus occasionibus efficiunt: conservant enim viridem & vegetam radicem efficacis & generosæ voluntatis, quâ solummodo desiderant, ut fiat voluntas Dei: quin imò istius executionem illis Deus in omnibus ipsarum petitionibus pollicetur, id óque humanas horum Sanctorum voluntates prorsus unit suæ Divinæ, ut in hujus beneplacito, qualiscunque demum sit eventus, plenè conquiescant. Verùm dicet quispiam modicæ fidei: quid igitur privilegij Deus hujusmodi Sanctis concedit, si successus ad Divini sui beneplaciti expendit libellam, non autem naturalis illorum complacentiæ? Dico, inprimis sciendum esse animabus devotis, quanquam minùs sapientibus, Deum, cùm rerum omnium sit author, & prima regula, non potuisse facere, ut non esset unica norma, juxta quam humanæ voluntates, si justæ sint, debeant dirigi. Secundò ajo, in hoc ipso magis elucere privilegij præstantiam, quod Sanctis datur, immensâ dignam liberalitate infinitæ charitatis magni Dei nostri & Domini, dum beneficia & gratias, quas conferre statuit populo Christiano, vult in executione dependere à Sanctorum suorum desiderijs atque precibus. Et verò plurima ex his beneficijs in æternum non decerneret, nec unquam concedere vellet, nisi per tales Sanctos, eorúmque merita, quos tanquam amicos, & viva membra sui Filij Jesu Christi, per quem illis ista gratia obvenit, voluit honorare, constituendo ipsos inter se & mundum mediatores, in remedium tot necessitatum. Hoc sufficit pijs animabus, quæ majore præditæ virtute, quàm doctrinâ, se hujus admirabilis, & utilissimæ historiæ applicuerint lectioni.*

*Has veritates Venerabilis Marina clariùs didicit à Sancto Patre nostro Ignatio, quadam die (annum definire certum non potui) quando illi, tanquam suæ dilectissimæ filiæ, magnas alias præstitit gratias. Refert ipsa factum his conceptis verbis, quæ mox adscribam. Fuerit, quantùm est colligere, tempus vicinum Quadragesimæ: dicit enim sibi oranti, & more solito constitutæ in Divina præsentia, supervenisse desiderium audiendi verbi Dei, cui ait satisfactum esse primâ Dominicâ Quadragesimæ, si brevi evenisset, quod illi fuerat promissum. Sed audiamus omnia ex ore Virginis.*

Versabar cum Domino in Divina præsentia, consveto mihi modo orans, quando me occupavit dolor, ex eo quòd essent tot anni, quibus ob meum diuturnum morbum non audirem conciones, & DivinaMajestas mihi continuò dixit: Creatura mea, noli idcirco affligi, aut contristari, quòd non audias divinum meum verbum: mittam enim tibi, qui te meo nomine, pro tuo solatio alloquatur. Mi Domine, & mi Deus, respondi ego, me quidem volente id non fiet, neque, si tibi placet, cupio à te obtinere has tam insolitas gratias. Bene Anima, ajebat Dominus, bene loqueris: ego tamen faciam, quod volam. Passa fui deinde magnam

ecsta-

ecstasim, & post illam mihi restituta, vehementer me conabar ab eo abstrahere, quod mihi cum Domino acciderat. Dum advenit Dominica prima Quadragesimæ (sub horam circiter secundam noctis) intenta orationi, vidi velut eminus venientem gloriosum Patriarcham Sanctũ Ignatium, quem comitabantur multi Angeli Dei, & Religiosi ex ipsius Ordine linteati: specialiter autem observavi, quòd maximæ authoritatis, & Sancto superior Angelus stiparet latus Beati Patriarchæ. Hũc in modum advenit gloriosus S. Ignatius ad locum, in quo eram, & salutans me nomine Dei dixit: Dominus Majestatis sit tecum, Anima. Statim ibi fuit collocatus quidam admirabilis suggestus instar sellæ, quem is Angelus superior manibus aliquantò ulteriùs promovit ex loco, in quo antea fuerat positus, jussítque Sanctum Ignatium sedere, stante dicto Angelo ad latus Sancti, & velut innitente sellæ. Gloriosus Patriarcha jam sedens elevavit oculos ad cœlum, junctis manibus, ac deinde eadem superponens fulcris sellæ, singulari devotione & spiritu ita locutus est.

Dum adfuit tempus, quod Divina Majestas Domini Dei nostri in excelso suo, & sacro Consistorio decreverat, ut unigenitus ipsius Filius fieret homo, redempturus genus humanum, venit in mundum, & gravissima sustinuit convicia, opprobria, atque persecutiones ab hominibus, & subivit demum mortem in cruce: sepultus est, ac resurrexit tertiâ die, aperiendo omnibus viam ad cœlum, qui tam magno & caro remedio bene vellent uti, quale fuit sacra passio & mors, atque pretiosi sangvinis effusio. Postquam autem divinas suas in mundo disposuit, & ordinavit Leges, omnibus observandas & sequendas, suæq; sanctæ Ecclesiæ optimè de Medicis prospexit ac medicinis spiritualibus, pro curandis populi sui Christiani vulneribus, idem nihilominus mundus, & hic populus Dei, nunc est perversissimus, summéque sui profectûs, & considerationis tam admirandorum mysteriorum immemor, non adhibendo remedium, neque applicando medicinam sangvinis Jesu Christi Domini nostri, contra venenum suorum peccatorum. Iste est, Anima, præsens populi Christiani status: ora Deum instanter, & ex toto corde, eo amore, quo illum prosequeris, ut cohibeat suam iram, & non puniat ipsum, prout peccata illius merentur. Tu verò, Anima, confortare, & solatium habe in tuo Deo ac Domino, & esto certa, omníque procul dubio crede, implenda esse ad literam, quæcunq; tibi tuus Deus & Dominus est pollicitus, ità ut nè unum jota pereat. Advertè, Anima: notum tibi quoque sit, & esto certissima, te nihil unquam petivisse à tuo Deo ac Domino, quod tibi non concesserit, quamvis id non intellexeris, quia existimabas, te interdum petivisse, & non vidisse, quatùm intellexisti, petitionis effectum.

Dum mea anima cum magna admiratione audiret, quod ipsi à Sancto dicebatur, fuit in me excitatus internus quidam affectus, acsi illi vellem respondere, dicendo: Omnino, benedicte Sancte, verum est, id me sensisse & cogitavisse, quod dicis: sed attribuebam meis peccatis, quòd non obtinerem petita. Sanctus autem videns, Deo revelante, meum animum, gravissimo gestu quasi appposuit labijs digitum, quod erat mandatum, nè ipsum interrumperem, ideóque mea anima siluit, & Sanctus respondens meo affectui perexit, dicendo.

Observa, Anima, nunquam petivisti aliquid à tuo Deo & Domino, quin ante omnia id velles esse conforme Divinæ voluntati, & cedere ad gloriam Dei, atque bonum & commodum animæ illius personæ, pro qua incercedis. Et quamvis dum actu petis, magnum habeas fervorem & affectum, prior tamen ille affectus, quo vis solum Divinum beneplacitum, semper profundè inhæret tuæ animæ: ac proinde certissimum est, Deum tibi in hoc speciali, etiámque in alio superiore modo orationum & petitionum, quæ tibi inspirantur, semper gratificari: quapropter tuum convenit, ut tibi temperes, aut desistas a petendo.

His ab isto Sancto Patriarcha dictis, ab

perse

perior ille Angelus, qui ſtabat ad ipſius latus, accepit ex manu alterius Angeli quoddam myſterium, in quo erat velut ſacrum ciborium, inſtar parvi calicis, qui inſiſtebat parvæ quadratæ & ſplendidiſſimæ baſi. Dictus calix, ſeu ciborium habebat ab una parte clauſuram, & continebat hoſtiam. Sanctus Ignatius ſurrexit (diſcooperiente ipſius caput eo Angelo ſuperiore) rurſúmque ſtatim ſedens ſemiinclinatus ſeſe ſuper illam hoſtiam incurvavit ad eum modum, quo Sacerdos conſecrat, & protulit nonnulla verba, quæ licèt mea anima non audiverit, ipſi tamen videbantur eſſe verba conſecrationis. Angelus aliâ hierothecâ continuò clauſit ſacram hoſtiam: quo facto Sanctus Patriarcha ſecundò ſurrexit, habens illud myſterium in manibus, & deſcendit cum magna reverentia per tres gradus ex loco, in quo fuerat, poſteáque per alios duos. Comitabatur ipſum ille Angelus ſuperior, & multi alij Angeli, atque beati ejus filij (hi autem toto tempore, quo ſermo duravit, ſederant in longo & miro ſcamno) cúmque ad me acciſſiſſet, applicuit idem myſterium meis labijs. Paſſa ſum derepente magnam ecſtaſim, & paulò pòſt mihi reſtituta non alios ſenſi affectus, quàm ſi realiter & verè ſuſcepiſſem Sanctiſſ: Sacramentũ. His finitis, glorioſus Sanctus Ignatius redivit ad ſuum locum & ſedem, atq; inde, jubente eo Angelo ſuperiore, mihi dedit ſuam ſanctam benedictionem. Tum ſe inter me, & illud jucundum ſpectaculum, quod videbam, interpoſuit quædam velut nubecula pellucida, & inaurata, donec ſenſim ſinè ſenſu, & ſvaviter tota diſparuit viſio. Repleta fui ingenti ſolatio interno & gaudio, gratias agens Deo, pro ipſius miſericordijs, qui millies iterúmque millies ſit benedictus. Amen.

*Satis colligitur ex hoc eventu, quanti Cœlum fecerit preces hujus Virginis, quas fundebat pro ſuis proximis adjuvandis, & quantopere optaverit, ut abſque intermiſſione procederent ex ipſius pectore, quod flagrabat charitate. Verum adhuc clarius idem apparebit ex eo, quod ipſi evenit cum Deo illâ die, quâ fuerunt abſolutæ eæ novem Miſſæ, de quibus ſumus in primo capite hujus ſecundi libri locuti, & quibus ipſa finem impoſuit diligenter exequendo, quod juſſa fuerat à Divina Majeſtate, pro communibus neceſſitatibus. Ità porrò ſcribit.*

Poſtquam fuerunt dictæ novem Miſſæ, & peracta cætera, quæ mihi Dominus mandaverat, quemadmodum ſuprà dixi, quod contigit die Sabbathi, vigeſimâ primâ Septembris, vidi Divinam Majeſtatem deſcendentem de cœlo, mihíque appropinquantem. Repugnavi propter ſolitos meos timores viſitationi, abſtraxi vivaciter imaginationem, convertens pro viribus aliò animæ oculos, quo facto fui quodammodo extra me rapta. Paulò pòſt mihi reddita conſiderabam, quâ ratione me potuerim tantopere abſtrahere, & Dominus me ſubitò eſt allocutus, dicendo: Quid agam, cùm à te repellar? mi Domine, ajebam, tu nôſti voluntatem meam, & perſpectum habes cor meum, quod tibi cupit placere, te venerari, tibíque ſervire: ſed mei timores, nè decipiar, atque unicum deſiderium, quo feror ad aſſequendam tuã ſanctiſſimam voluntatem, me ad iſta adigunt. Ego verò, reſpondit benigniſſimè Dominus, me tibi promptum exhibeo ad gratificandum, atque polliceor, te ob hos timores & circumſpectionem nunquam perdituram meos favores, aut beneficia, quæ tibi voluero præſtare, & converſus ad meos Dominos Angelos dixit illis: Accipite iſtam creaturam, adhibentes curam, nè deficiat viribus, atq; adducite illãm ad me. Fui continuò adducta ad Divinam Majeſtatem: verùm quia non poteram conſiſtere pedibus, inclinavi me ſuper ſacra genua illius Domini, qui tum protulit gratioſiſſima verba, quæ etiamſi ab eo dicerentur latinè, mea tamen anima optimè intellexit, & ſunt iſta: *Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ità ego conſolabor vos, & in Jeruſalem conſolabimini. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum.*

Hìc ego aliquantùm dormituriebam, videbárque mihi quaſi otiari, & Dominus mihi dixit: Ità es diſpoſita, ſicut oportet, ad id, quod volo facere. Divina Majeſtas accepit ſubitò globum quendam lucis, qui

erat instar splendidissimæ stellæ, & posuit illum intra meum pectus, dicendo: Signavi te signaculo meo. Passa sum non exiguũ sensibilem dolorem. Hoc peracto Eadem Majestas mandavit meis Dominis Angelis, ut me reducerent ad meum locum.

Postea me existentem in meo angulo idem Dominus invisit, dixítque mihi; se venire ut ostendat, gratum sibi accidisse obsequium à me præstitum, quando dici curavi novem Missas pro necessitatibus, mihi ab ipso commendatis. Quid verò, mi Domine, ajebam ego, hac in re præstiti? quantum profudi sangvinis, aut quid ad honorem & gloriam tuam sustinui, quod talem mereatur complacentiæ exhibitionem? Non ità respicio, respondit Dominus, obsequia, quæ mihi præstantur, sicut voluntatem & amorem, quo ea mei servi præstant. Sed quid, mi Domine, interrogavi, per id, quod Tua Majestas præscripsit, obtinui? Multum, reposuit Dominus, quia suspendisti executionem pœnæ, quam mea Justitia erat inflictura illi loco, quem scis, ejusdémque incolis. Fui vehementer contristata, & institi dicendo: Si, mi Domine, nihil habemus ampliùs, quàm hanc suspensionem, quæ potest esse securitas, nè à tua Justitia castigentur post aliquod tempus, si revertantur ad sua peccata. Plus, Domine, plus te, ob tuam bonitatem & misericordiam, facere est necesse. Tum mihi Dominus velut indignabundè, sed cum maxima gravitate, dixit: Tace, noli me molestare, noli mihi hac de re plura loqui: atque statim, acsi me interrogaret, subjunxit: Quid igitur velles, quid modò cogitas facere? Mi Domine, respondi tota pudefacta, cùm nihil valeam aut possim, cogito secretissimè alloqui JESUM CHRISTUM Dominum ac Redemptorem nostrum, & Sanctissimam Virginem ipsius Matrem, & Dominam nostram, atque ab ipsis magno affectu suppliciter petere, ut rogent Tuam Majestatem, quò nova præbeas auxilia & gratias ijs animabus, nè Tua Majestas de illis, ob earum peccata, sumat vindictam. Quia tamen hîc Reges multùm offenduntur, si quis occultet malefactores, vel deponat ex paribulo; etiámque tu, mi Domine, offenderis, quòd impediaris in puniendo, quid nobis poterit superesse remedij? Magna est disparitas, ajebat Dominus jam mansvetior: illi enim tantùm puniunt corpora, quod fieri convenit in bonum animarum; meæ verò animadversiones, dum sunt seriæ, durant in æternum, quia, quos punio, præcipito in infernum: fac jam, quod voles. Post hoc mihi Dominus disparuit, remansi sola, cœpi magno affectu invocare Sanctissimam Virginem, & meum Dominum JESUM CHRISTUM, petendo ab illis ex tota mea anima, ut faverent huic causæ, rogarentque DEUM, ut ijs animabus præbeat auxilia suæ gratiæ, quæ ego desiderabam, ut agentes pœnitentiam convertantur ad Ejusdem Majestatem. Isti petitioni multum impendi temporis.

Die deinde Dominicâ manè, cùm in ijsdem perseverans affectibus ac desiderijs vacarem meæ orationi, denuò vidi Dominum mihi summa cum gravitate & majestate appropinquantem, qui mihi dixit: Quid vis, Anima, quid dicis, quid petis? Mi DEUS, respondi, peto à mea Domina Virgine MARIA, & meo Domino JESU CHRISTO, ut te rogent, nè pœnas eas animas. Tum videns Divinam Majestatem magìs ac magìs ad me accedentem, intellexi (id mihi tum in mentem venit) quòd mihi vellet auferre illud cimelium lucis, pridie mihi ab ipso datum, & hoc metuens dixi: Non, mi Domine, bona tuâ veniâ, non debet ità fieri, non oportet te mihi auferre, quo tantopere indigeo. Nolo tibi, respondit peramanter Divina Majestas, illud auferre, sed reddere melius: volo, ut mihi des tuum cor, quod tibi restituam splendens instar auri, & potens instar ignis. Reluctabar meo, semper me esse existimans, quale sum, indignissimam hujusmodi misericordijs, quoadusque mihi Divina Majestas, ex sua sapientia, dat necessariam dispositionem pro ijs suscipiendis, quando captionem meum assensum: aliàs enim tanquam Dominus absolutus re ipsâ operatur. Deus

Denique hac vice me Dominus disposuit: annui, quòd illi cor meum essem datura. Angeli cœperunt voce svavi, & velut acutâ, tono dulcissimo verèque cœlesti canere: dum autem mea anima esset quasi attonita, Dominus evulsit meum cor ex pectore, & quamvis non viderim, qualiter id fuerit factum, sensi tamen vehementissimum dolorem. Agnovi clarè, quòd Dominus Divinâ suâ virtute in me suppleret vices cordis, & confortaret naturam, nè privarer vitâ. Vidi tum cor meum in manibus trium Divinarum Personarum, acsi ab una transferretur ad alteram. Eo rempore mihi Divina Majestas, dixit, ut modicum averterem oculos, nè destituerer viribus, quod feci, quanquam deinde illud potuerim videre, quotiescunque volui.

Optabam scire significationem tanti mysterij, non interrogabam tamen, & Dominus volens me in hoc dubio consolari, mihi dixit: Ecce, quia mea Justitia propendebat ad castigandos illos homines, & mea Misericordia illam continuit, depono tuum cor instar pignoris, quòd eæ animæ à me adjutæ se sint emendaturæ, & acturæ pœnitentiam ob sua peccata. At verò mi Domine, reposui ego, quæ est Justitia tua & Misericordia, nisi tu ipsemet, ac tua Divinitas? Quod tu Deus vis, fieri necesse est, & tuæ creaturæ debent tuæ obtemperare voluntati. Ità est, respondit Dominus, sed prædicto modo id meliùs percipies. Videbatur mihi Dominus edidisse gestum, acsi mihi esset redditurus cor, & dixi illi: Nequaquam, mi Domine, serva illud ibi, donec ijs animabus des illa auxilia. Rogavi ipsum, ut earum misereretur, orando juxta affectum, quem ille in me excitabat, non pro omnibus universim, sed pro ijs personis, à quorum reformatione, dependebat reformatio reliquorum. Manifestavit mihi Divina Majestas, quid factura, qualia ipsis auxilia esset datura: ostendit mihi ipsas personas, quas hîc non exprimo, sicut neque locum, in quo degunt, quia ità convenit. Hunc in modum mihi Dominus valedixit.

Sequenti feriâ secundâ, eâdem horâ, expletis prorsus viginti quatuor horis, ex quo carebam corde, vidi descendentem Sacratissimam Personam Spiritûs Sancti, cum tanta majestate & pompa, ut mihi omnes cœli visi fuerint cum ingenti strepitu esse commoti, tota terra cum suis montibus, usq; ad abyssum contremuisse. Adveniebat idem Dominus inter divinos splendores, circumdatus ab innumeris Angelis; ferebat meum cor in manu, ex cujus digitis prodibat adeò immensa lux, ut eam mea pauper anima non potuerit intueri. Accessit ad me, ut restitueret suo loco meum cor, & quando id erat mandandum executioni, conspexi ibi derepente Sacrosanctam Personam JESU Christi Domini nostri (quem hactenus in toto mysterio non videram) qui in meo pectore formavit crucem, atque istud statim fuit apertum, & Divina Persona Spiritûs Sancti reposuit intra me cor, ubi priùs fuerat, ac dicendo: Tu in me manes, & ego in te; me secum ad aliquod tempus arctissimè univit. Quando ad me redivi, natura fuit plurimum fatigata, sensitq; graves dolores, qui perdurant in omnibus hujus miserabilis corporis membris.

Post omnia prædicta mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, dixítque: Nolo tecum nunc diu loqui, quia es vehementer fessa: quamvis autem me nõ videris, fui tamen præsens gratijs, quas tibi Deus præstitit, & significo tibi, me, dum eas spectarem, speciale habuisse gaudium, & gloriam accidentalem. Bene scis, me, quamdiu vivebam, licèt molestias paterer meæ adversæ valetudinis, solitum fuisse venire ad te invisendam, quando audivi, collatum tibi à Deo fuisse aliquod beneficium: quia existimabam bene impensum laborem, si te Divinas misericordias enarrantem auscultarem: ità nunc sum gavisus, videndo gratiam tibi à Deo præstitam. Vale. Deus sit in æternum benedictus, Amen.

*Gratiosissima verba, quæ Dominus Venerabili Marinæ initio hujus eventûs latinè proposuit, & ipsa nobis scripta reliquit linguâ vernaculâ, sunt illa, quibus Propheta Isaias*

*cap. 66. v. 12. nomine Dei promisit Fidelibus delicias amoris, quibus eos esset tractaturus. Laudetur in æternum infinita bonitas magni Dei nostri & Domini, quòd, licèt tanta pollicitatio, intellecta in sensu spirituali, sufficeret ad resolvendam nostram duritiem, & incendendum vel frigidissimum pectus amore tam suavis Patris, nihilominus Ejusdem Majestas velit, ut interdum eo modo, quo fieri potest, experientiâ edoceamur illam impleri ad literam. Has Divini amoris teneritudines minùs credunt, qui se magis literarum dedunt, quàm orationis exercitio, majorem habentes curam doctrinæ, quàm sanctitatis. Idcircò Sancta Teresia de Jesu dixit, illos, qui non inducuntur ad credendam Dei (qui per essentiam est amor sui ipsius communicativus) teneritudinem in agendo cum purissimis animabus, posse bene esse certos, se nunquam ex perventuros, ut illam experiantur. Deberet doctis, sicut est justa, ità quoque esse efficax magni doloris causa, quando vident Deum, ipsis se non disponentibus ad percipienda hæc beneficia, quibus instructi possent agere instrumenta eximiorum operum, & heroicarum in mundo conversionum, communiter eo redigi, ut quasi ad laxanda desiderio sui communicandi, & impetuosæ eluvioni suæ immensæ liberalitatis, frena, quærat cor simplex cujuspiam aniculæ. Multa hac de re scripsit Sancta Teresia. Ingreditur Divina Majestas, quia potest, quia nequit, quà vellet, nolens permissas rebelli humani arbitrij libertati leges violare. Prosequamur nostram historiam.*

# CAPUT IV.

## Deus illam constituit suam promulgatricem in utilitatem animarum, confértq; ipsi lumen ad has agnoscendas, & vim ad easdem emolliendas.

QUandoquidem charitas hujus Virginis erga proximos tam erat ardens, & ipsa suis precibus (quod fuit talentum ei à Deo datum, conveniens vitæ ipsius solitariæ, & naturali verecundiæ, ut ijs prodesset) tam multa in illis efficiebat, dignatus est eidem Deus, per admirandas aliquot visiones manifestare finem, ad quem ab eo fuerit electa. Legatur, quod Sancta Teresia hac de re Venerabili Marinæ dixit, fuitque in prima hujus historiæ parte relatum, dum illi explicaret diversitatem naturarum, quas utrique Deus dederat diversis aptas ministeriis, ad quæ ab ipso vocabantur: & quomodo illi obtigerit animus invincibilis, atque cor virile ad prodeundum in publicum; Venerabili verò Marinæ sufficeret natura meticulosa, & muliebris verecundia: quanquam enim ejus opera pariter essent heroica, fuisse tamen ab ipsa executioni mandanda, in abdita suæ domûs solitudine, per orationem, & familiarem ac privatam cum suis proximis conversationem. Dignatus est porrò, ùt dixi, Deus huic Virgini, per mira quædam symbola manifestare, ut ipsam in hoc proposito magis animaret, quàm excellenter sua prodesset proximis, orando pro ijs & patiendo, dum vel maximè solitaria in suo delitesceret angulo. Priores duo eventus, quos hic referam, videntur, juxta computum chartarum, non fuisse multùm tempore distantes à præsentibus. Sic verò ait.

Considerabam extraordinarias vias, quibus me Deus dignatur ducere, quando derepente in corde, cum incredibili vehementia, varij ebulliverunt affectus, quos mea anima exprimebat, interne perdurantibus exclamans, iterando, hæc tantummodo identidem suspiria: Ah, mi Domine! ah, mi Domine! Et quamvis mi Domine! ah, mi Domine! Et quamvis mi Divina Majestas, pro infinita sua bonitate, responderet, ajens: Quid vis, Anima te, responderet, ajens: Quid vis, Anima mea, quid vis? non cessabam tamen dicere: ah mi Domine! donec tandem mihi penitus fui erepta. Tum se mihi spectandam exhibuit immensa quædam Majestas, & Ens infinitum, adeò ut mea anima velut annihilata timeret, atque quodammodo contremisceret. Dominus autem mihi dixit:

Quid

Quid times, Anima? Ego sum tuus Deus & Dominus, cur times? veni mecum. Ego summopere metuebam, penitúsq; animo concidebam. Dominus verò mihi denuò cum ineffabili gravitate & authoritate dixit: Veni huc, Anima, noli timere, accede ad me. Subitò fui à Sanctis quibusdam Angelis, admirabiliter me adducentibus, prostrata coram ea Divina Majestate. Surge Anima, dixit Dominus, & observa, quid tibi dicam, velímque mandare. En cum his Sanctis Angelis, meo nomine, te conferes ad quatuor mundi partes, & in earum singulis promulgabis, quod tibi à me dicetur. Noli autem timere, aut hoc munus detrectare: ego enim tibi meâ gratiâ & potentiâ adero. Quod à te promulgari ac dici debet, est istud: Animæ pretioso JESU Christi Domini nostri sangvine redemptæ, attendite & videte, quàm misericors & svavis sit magnus Deus noster ac Dominus, & quomodo misericordia ipsius transeat à progenie in progenies ad timentes eum: egit fortiter, atque potentiâ suâ deposuit superbos de sede, & exaltavit humiles. Magnus hic Dominus est supremus & justus Judex, punit operantes iniquitatem, quemadmodum fecit mittens ignem de cœlo in quinque illas civitates, & universum mundum aquis punivit diluvij. Implorate ipsius misericordiam, ac timete ejus justitiam. Hoc te, Anima, dicere oportet ac promulgare. Vade in pace, & cum benedictione mea; quam mihi Divina Majestas est impertita.

Sancti illi Angeli, me absque mora duxerunt ad unam ex ijs quatuor partibus mundi, ubi altè inter cœlum & terram elevata, extensis latè brachijs, cœpi cum summo affectu ac vehementia spiritûs, & ingenti atque extraordinariâ voce clamare, & dixi ea ipsa verba, quæ à Deo jussa fueram promulgare. Vidi subitò, quòd omnes homines in ea mundi regione essent perturbati, & multa per campos, per fora, plateas ac domos agendo conventicula, dicerent timentes, & stupentes: quid est hoc, quod audivimus? qualis est ista vox? quid nobis intimabat? Sic se contulerunt ad quendam, qui earum ditionum erat rex & gubernator, ut illi referrent audita, & is dispiceret atque examinaret illum eventum, ipsíque diceret, quomodo esset intelligendus, & quid agere deberent. Rex illos magna cum attentione audivit, & afflictus ac turbatus ijs dixit, ut convenirent in locis consvetis, ibíque cum magno clamore & vehementia rogarent magnum Deum, ut ipsos illuminaret, ac edoceret, quid illis clamore ejus vocis, quam audiverant, intimare voluerit, & mandare. Deinde me Angeli duxerunt ad aliam partem, ubi idem promulgavi, quod in præcedente, atque promulgatio idem in omnibus illis effecit hominibus & oppidis, quod nunc retuli de prioribus. Tum fui ducta ad tertiam partem mundi, & in ea evenerunt omnia, prout in reliquis duabus. Quando me Sancti Angeli voluerunt ducere ad quartam hujus magni mundi partem, ut admirabilem istam peragerem promulgationem, mea anima vehementem sentiebat difficultatem, & existimabat sibi esse impossibile id exequi, atque videbatur mihi eo tempore natura deficere, & penitus disperire. Verùm Angeli me confortabant, & conabantur animare, urgentes me, ut ibi quoque facerem, quod in ceteris partibus. Tandem feci, quod jussa fueram, peregi meam promulgationem eodem affectu, eodémque ardore, ac tribus prioribus vicibus: sed effectus fuit longè alius, siquidem promulgatio in hac mundi regione fuit ab omnibus hominibus neglecta, eò quòd ipsam parvi facerent. Nonnulli dicebant, fuisse aliquid aëreum, & eos, qui referebant, se illam tam distinctam & sonoram vocem audivisse, homines esse phantasticos, & cordibus præditos muliebribus: se quoq; nonnihil de ea voce percepisse, sed non applicuisse illi animum, neque à se æstimatam fuisse. Hunc in modum remanserunt quasi attoniti, nolentes audita intelligere.

Postea me ij Domini Angeli statim susceperunt in suas manus, & aliquantùm confortaverunt, quia dubio procul debile corpusculum, atque destituta viribus

natura, videbatur non posse alioquin vivere. Taliter sum ab ipsis perducta ad Divinam Majestatem, & Dominus me quàm amantissimè ac benevolentissimè excepit, dicendo mihi: Veni huc, Anima, quiesce in me, univitque me secum arctissimè. Ibi fui perdita, & submersa in eo immenso mari Divini Esse. Sic aliquo tempore eram constituta, nescio quamdiu: ac deinde me Deus sensim sinè sensu, & admirabiliter dimisit, atque collocavit in meo angello, manens tamen aliunde apud me, si ità dici potest. Quando ex hoc raptu redivi, summè debilem me sensi & langventem, sed non absque magno meæ animæ solatio ac stupore, ob talia opera, & misericordias magni Dei nostri ac Domini, qui sit benedictus in æternum. Amen.

*Animadvertendum est, verba hujus miræ promulgationis omnia esse sumpta ex diversis sacri textûs locis. Colligere verò est, Venerabilem Marinam, prout aliàs solebat, operatam in hac visione fuisse, tam corpore, quam animâ. Quænam sit postrema ista pars mundi, ubi divinum mandatum excitavit quidem admirationem, propter veritatem doctrinæ, & nihilominus occasionem præbuit, ut somnij & vanæ imaginationis loco haberetur, quantùm attinet ad timorem, ac emendationem vitæ, per me judicet pius Lector. Qualem Deus ex his famulæ suæ promulgationibus perceperit fructum, qualiterque occulta contulerit multis auxilia, id quod illi in publica ista promulgatione significavit, solus ipse scire potest, à quo hæc facta sunt. Certum, atque indubitatum est, non exiguam dictis verbis vim inesse, ad permovendos eos, qui eandem promulgationem legerint. In scripto sequenti exprimit Virgo diem & mensem suæ visionis, atque sic ait.*

Die Dominicâ septimâ Julij, mihi multùm gravibus afflictæ doloribus Deus dixit: Veni mecum, Anima, & quiesces modicùm. Fui subitò rapta ad cœlestem Jerosolymam, & acsi superior pars meæ animæ foret aliquid penitus à me distinctum, talem mihi eam Divina Majestas, in ipsius constitutam præsentia, ostendit in quadam immensa altitudine. Licèt verò mihi hæc gratia sæpe fiat, tum tamen diutiùs considerabam id, quod mihi ostendebatur, quomodo nempe ea pars animæ mez occupetur, dum ibi videt, quod per Divinam bonitatem experitur, continuâ sui Dei præsentiâ perfruendo, quin ab ea ullatenus recedat. Observavi, quòd, præter attentionem quâ illic adest, interdum volitaret, quasi anhelando, magisq; ad summum illud bonum appropinquando. Intellexi, illo volatu, & ijs motibus spiritualibus significari affectus, quos Deus excitare consvevit, & ferventes amoris erga ipsum actus, qui eliciuntur ab anima. His porrò notitijs occupata, quasi mihi quædam panderetur porta, ad videnda alia secretiora, & interiora mysteria infiniti thesauri Divini, conspexi Solem immense claritatis, qui suo fulgore perstrinxit & collustravit meam faciem, omnésq; meos sensus, & meas potentias, virtute & viadeò efficaci atque attractivâ pervasit, ut me ad sese perduxerit, donec me secum uniret, intrinséque conjungeret. Cognovi, Solem illum esse ipsummet Deum: & sicuti mihi aliàs in hujusmodi occasionibus, ex mera sua bonitate, est dignatus aliquid manifestare de eo, quod est in semetipso, déque suorum magnitudine attributorũ; ità me nunc specialiùs voluit edocere, qualiter se habeat erga creaturas.

Audiebat mea anima & contemplabetur, quæ ei ab ipsius Deo dicebantur, & ostendebantur; atque animadverti, quòd Dominus sedens pendulam haberet ex manu super genua auream claviculam, cujus, licèt quoad cætera omnia speciem clavis referret, extremitas tamen erat acutissima cuspis. Tum Divina Majestas mihi dixit: Anima, volo tibi gratificari, dare tibi videlicet istam clavim, ut tuis verbis penetres arcana cordium proximorum tuorum, útque illos, ubi proportionatam ipsis dedero dispositionem, permoveas ad ea, quæ illis meum concernentia honorem volueris persvadere, juxta dotem, & cognitionem, quam tibi contulerim. Unde specialem deinceps habebis potestatem & vim, ut hæc in cordibus hominum efficias. Dum mihi Dominus dare

vellet clavim, vehementer sum reluctata, agnoscens me esse indignam tanto dono, & dixi illi: Mi Domine, si tibi placet, da ipsam meo Domino Angelo, à quo meliùs conservabitur. Verùm Divinæ Majestati placuit, ut maneret intra me: ac proinde spiritualissimè, & decentissimè accedens, illam inseruit meo pectori, cum aliquo naturæ dolore: & quando clavis mihi admovebatur, observavi in acuta ejusdem cuspide stellam. Mea anima fuit velut prorsus à se ipsa abalienata, & acsi tam multum sustinere non posset, dixit: Vale, mi Domine, ego enim abeo, cùm id perferre nequeam. Ipsius verò Majestas mihi cum amabilissima benignitate respondit: Habes me comitem, Anima, atque manes in me. Post aliquod temporis spatium me reperi in meo angulo quàm debillimam. Dominus mihi explicuit, cuspide clavis significari efficaciam, quam essent habitura mea verba, ad permovenda corda, accedente lumine, quod ejusdem Majestas ipsis esset datura, significato per stellam, atque de his effectibus mihi alia est locutus. Omnia sum non aliter experta, ex ipsius misericordia, qui per tam vile instrumentum aliqua, suum honorem concernentia, operatur. Ipse benedicatur ab omnibus suis creaturis. Amen.

*Aliud æquè mirabile, sed longè universalius, in proximorum ipsius commodum, huic Virgini Deus contulit donum, decimâ nona Octobris, anno sexcentesimo trigesimo, quod sic recenset.*

Die Sabbathi, decimâ nonâ hujus, vidi quendam S. Angelum, qui in manibus ferebat crucem. Is, postquam me salutavit, dixit, se pretiosum illud donum adferre nomine Dei, mihi ab ipso missum. Crux longitudine æquabat spithamam, & plena erat loculamentis, qualia habere solent cruces, in quibus asservantur sacræ reliquiæ: materia ejusdem fuit aurum obryzum, & admirandi splendoris. Quanquam verò id aliquoties dixerim, hîc tamen repetere volo, quòd, dum in his visionibus nomino Solem, lapides pretiosos, & alia hujusmodi, non sint similia ijs, quæ hîc in terra videmus: sed mea ruditas non invenit alia verba, quibus se possit explicare. Multò ampliùs illa ab his differunt, quàm perfectè vivens à malè picta imagine; longéque magìs, quàm si deformem & insulsam rusticam, villosâ & fædè maculatâ indutam veste, comparemus formosissimæ ac discretissimæ, & splendidissimè nitidissiméq; ornatæ Reginæ. Nihilominus adhuc anima deprehendit, pulchra illa & pretiosa, quæ hîc videntur, multò magìs distare ab ijs, quæ in his supernaturalibus visionibus repræsentantur. Intellexi, loculamentis illius S. Crucis significari abundantiam sangvinis, ac divertitatem divinorum donorum, quæ animabus proveniunt ex merito & virtute sangvinis JESU Christi Domini nostri, qui pro nobis effusus fuit in cruce. S. Angelus mihi dixit, eundem Dominum velle per illud pretiosum donum applicare meæ animæ cœlestes crucis effectq; sublimiore modo, quàm aliàs. Auditis his verbis surrexi, & prostravi me coram S. Angelo. Ipse verò: Noli, ajebat, id facere; quod enim nunc Dominus vult, est, ut suscipias hoc donum, & offeras pro necessitatibus mundi, téque conferas ad conspectum Divinæ Majestatis. Erexi me denuò, & cum illam S. Crucem amplecterer, sensi in mea anima mirabiles effectus amoris, luminis, & jucundissimæ svavitatis, quæ svavitas non erat, qualis exundante spiritu solet derivari in potentias exteriores; sed quædam dulcedo, quæ, cùm sit major, tota remanet in intimo & secretissimo animæ recessu.

Mei Domini Angeli, me subitò, consvetâ sibi celeritate ac decentiâ elevaverunt, duxerúntque ad illam immensam altitudinem, ubi manet superior pars meæ animæ: constituerunt me coram illa summa Majestate, à qua fui cum magnis amoris indicijs excepta. Derepente sum passa ecstasim, occupata somno quodam spirituali, communicante se mihi quietissimè ac delicatissimè Domino, & ex eo expergefacta obtuli Deo, in cujus versabar præsentia, illud pretiosissimum donum, quod mihi ab ipso fuerat datum, unà cum omnibus vitæ, & mortis JESU Christi Domini nostri meritis. Hanc oblationem peregi sum-

ſummo meæ animæ affectu. Subitò incepi audire ſtrepitum tanquam vehementis alicujus tempeſtatis, quâ durante cadebat quaſi ex alio ſuperiore cœlo, in magna copia, ſuper me, atque ad ſolum cœli, in quo eram, denſa grando, cujus tantus erat impetus & abundantia, ut omnia fuerint pretioſiſſimâ illâ pluviâ quàm celerrimè repleta. Nequit explicari verbis voluptas & conſolatio, quâ ſvaviſſimus illius tempeſtatis ſtrepitus, & grandinis pulchritudo, replebat animæ auditū & viſum. Grando partim erat major, partim minutior, & alia hujus, alia alterius coloris, omnem referens varietatem, quam hic obſervamus in coloribus, cum eo tamen, quoad venuſtatem & perfectionē, diſcrimine, de quo dixi initio, ut ſatis clarè intelligeretur, unicum hujus grandinis granum majoris incomparabiliter eſſe pretij, quàm univerſa ſimul, quæ reperiuntur in terra.

Advenerunt continuò multi Angeli, qui juſſu Dei, cum ingenti gaudio, & concinendo divinas laudes colligebant illum ſacrum theſaurum, quo onuſtos Deus miſit in diverſas mundi regiones, ad provincias Chriſtianorum, hæreticorum, & gentilium: atque in omnibus his terris vidi nonnullos, per Dei bonitatem & miſericordiam, quam ſuis exhibet creaturis, fuiſſe repertos ejus beneficij capaces. Præſertim verò vidi, magnam obtigiſſe partem Catholicis, qui inter infideles vitam agendo multa patiuntur, ut conſervent fidem, & præcepta divina obſervent. Sancti ij ablegati citiſſimè rediverunt ſummo affluentes gaudio, propter impletum à ſe Dei mandatum, & collatum hominibus illud beneficium. Ego conſiderabam, cui mihi nihil daretur, atque optabam ut & mihi pars quæpiam tribueretur, quod ipſi humiliter expoſui Domino, cujus eram pedibus advoluta. Divina Majeſtas annuit meæ petitioni, juſſitque mihi partem dari. Præcinxerunt me quantocyus linteo, & in hoc injecerunt grandem copiam earum gemmarum, ut illas ijs diſtribuerem perſonis, quibus ipſas ex inſpiratione, ac directione divini luminis judicarem convenire. Cum iſto theſauro benevolè & amanter dimiſſa à Domino, uti aliàs, ſum à meis Dominis Angelis reducta ad meum angulum, ubi meus S. Angelus Cuſtos ſtatim abſtulit meum linteum cum omni theſauro, qui in eo erat, & ſervavit ipſum ſuo tempore uſui futurum. Hâc viſione finitâ, cùm deſiderarem ſcire, quid ſignificaret, edocta fui à Domino, quòd Divina Majeſtas intuitu ſuæ miſericordiæ, & ob amorem, quo proſequitur JESUM Chriſtū ſuum Filium, & Dominum noſtrum; atq; etiam reſpiciens affectum, quo illi obtulerām merita hujus Domini, & virtutem ipſius paſſionis ac mortis, pro hominum ſalute, & remedio tam ſpiritualium, quàm corporalium neceſſitatum, in quibus verſantur, oſtentaverit illam pluviam divinarum donorum & beneficiorum, ut homines ea acciperent à Sanctis ſuis Angelis.

Ipſe propter omnia opera ſua ſit benedictus. Amen.

-(✠)-

# CAPUT V.

## Alij diverſi eventus, ex quibus patet, quàm fidelem hæc Virgo ſuorum egerit proximorum advocatam, quámq; tenerè ſenſerit, dum ij punirentur.

*OMnes hoc loco recenſendi eventus ſpectant ad annum ſexcenteſimum vigeſimum ſextum, quos eo ipſo ordine connecto, quo per hujus anni decurſum acciderunt. In quibuſdam eorum apparebit ſolicitudo & fervor, quo Venerabilis Marina agebat cum DEO ſuorum cauſam proximorum; in aliis afflictio ac dolor, quo angebatur, dum non obtinebat ijs veniam; in omnibus autem officium advocatæ, quod illi à Deo vitæ ſuæ injunctum, ad ſuccurrendum communibus neceſſitatibus.*

Quodam

Quodam, inquit, die, in Martio, me Deus vocavit dicendo: Ecce, Anima, tu nescis, quomodo tecum agatur. Quomodo, mi Domine, respondi ego, mecum agitur? Divina Majestas aperuit meos oculos, & conspexi juxta me magnam turbam Catholicorum, unà cum Angelis ipsorum Custodibus. Subjunxit vero Dominus: Scito, te esse matrem omnium istorum pauperum hominum, hi sunt tui filij. Consideravi hæc verba, & fui vehementer pudefacta, quòd ea à Domino audirem. Tum mihi Ejusdem Majestas dixit: Cùm sint tui filij, omnésque à te dependeant, sicut parvuli & pauperculi infantes dependent à suis matribus; quemadmodum istæ ostiatim mendicant panem pro ijs alendis, ità tu illum debes petere, ut hos homines sustentes. Mi Deus, respondi, quâ ratione ego mendicabo? scis námque me esse valde miserabilem & verecundam. Conticui modicùm, & postea re meliùs expensâ dixi: Omnino, Domine, dico, omnino faciam id, & recurram ad te, qui bonis abundas æternis, petámque à te pro ipsis eleemosynam. Bene dixisti, respondit Dominus, roga me, quia tibi providebo, ut habeas, quod illis tribuas: quin etiam tibi tradam claves meorum granariorum, ut ijs tuâ manu prospicias. Homines isti erant, meâ opinione, omnes horum Regnorum Fideles, & reliqui Catholici, qui versantur inter infideles, præsertim verò mei noti & benefactores.

Feriâ secundâ, vigesimâ secundâ Junij, vidi Dominum, qui mihi volebat quædam ostendere. Restiti, prout soleo, dum id possum facere, rogando Deum, ut mihi largiretur lumen, ad assequendam ipsius voluntatem. Abstraxi me pro viribus, donec non valens ampliùs reniti, vidi Sacratissimam Personam JESU CHRISTI Domini nostri, qui mihi dixit: Age tandem, Soror, quia te expecto. Fui induta veste referente speciem ejus, quæ in sacris dicitur dalmatica, & Divina Majestas me secum duxit per quasdam angustas vias, usquedum me constitueret in vertice altissimi montis, unde magna terræ pars apparebat. Eam ego contemplabar, & videbatur mihi esse tota deserta, oppida conspiciebantur vacua, ac destituta incolis: nemo ultrò citróque commeabat, neque ullum erat commercium. Videns tantam solitudinem dicebam: Quid est hoc? ubi erunt isti homines? Dominus mihi graviter respondit: Hîc aliquos detineo, ut illos castigem. Circumspexi, & vidi in quodam ergastulo spatiosissimo copiosam turbam, viros ac fœminas: erant, meo judicio, circiter decem millia hominum. Universi multùm affligebantur, deplorantes suam miserandam sortem, ejulando & lamentando. Ego vices ipsorum dolens me converti ad Dominum, tam vehementibus æstuans affectibus, ut mihi videret exanimari, & rogavi illum per infinitam ipsius bonitatem, pérque sangvinem ejus, passionem ac mortem, ut esset propitius miserabilibus illis hominibus. Dominus non fuit permotus meis precibus, nec earum habuit rationem. Convertebam me ad Sanctissimam Virginem, rogabam illam impensè, ut intercederet pro ijs hominibus, allegans illi, quòd esset Mater misericordiæ, & Mater peccatorũ, quódque omnes spem suam in ipsa haberent collocatam. Idem petebam ab omnibus Angelis, & universis cœlitibus. Verùm tam illi, quàm Virgo Domina nostra me aspiciebant, quandam præ se ferentes incuriam, acsi parvi facerent, quod ab ipsis tam ardenter petebam. Dum acerbo hoc dolore conficerer, insistens meis precibus, vidi derepente ignem descendentem de cœlo, instar horribilium fulminum, qui corripuit illam infelicem multitudinem, ipsámque comburendo totam redegit in cinerem, evadentibus solummodo octo vel decem personis, quæ erant matronæ ac viri graves, & quas inde pessimè constitutas Sancti Angeli eruerunt, atque deductas ad ripam latissimi & pulcherrimi fluminis laverunt, in eóque curaverunt, cum quibus per ripam sunt tam procul progressi, ut illas ultrà non viderim. Mea anima fuit afflictissima, & vehementer timuit gravem quampiam animadversionem. Deus misereatur sui populi, per infinitam suam misericordiam.

Octavâ Julij, quæ fuit feria tertia, dum audirem referri, eâ die in hac Vallisoletana civitate celebrari taurilia, valde indolui, homines intentos esse oblectamentis, quando ipsis maximè incumberet agere pœnitentiam suorum peccatorum. Cùm autẽ id cogitarem, conspexi JESUM Christum Dominum nostrum, qui mihi dixit: Etiam tu debes tauros spectare; quod breve dictum Divina Majestas tam gravi protulit vultu, cum tanta vocis authoritate, ut ostenderet, quis esset, quódque non loqueretur sinè magno mysterio. Nihilominus mirata sum ea verba, quia non intelligebam, quidnam vellet. Verùm Ipsius Majestas, ut mihi manifestaret, cur sibi placeret, ut eos spectarem, mandavit his Dominis Angelis, ut me deferrent ad forum, à quibus collocata è regione Conventûs S. Francisci, vidi supra tectum multos dæmones, qui se mutuò instar canum mordebant, & dum rixarentur, aliqui cũ ingenti impetu ruebant ad terram. Ego decumbebam in lecto, circumdata ab Angelis, assistente mihi velut virtute Dei, me tam specialiter protegentis, ut existimarem, mihi nec ab universo mundo, neque à toto inferno posse noceri. Vidi deinde prodeuntes tauros, & illorum exagitatores, atque omnia mihi videbantur lusus infantium, & qui congrediebantur cum tauris esse nani, tauri verò nihil habere virium aut generositatis, quod mihi Dominus vivacissimè repræsentabat. Tum conspexi multos homines existentes in foro, qui invadebantur à diabolis, tanquam ferocissimis tauris, licèt assumptâ specie humanâ, & corporibus altissimorum, atque crudelium gigantium. Ab his horribilem edentibus stragem impetebantur miserabiles homines, ac discerpebantur. Ego tanto cum dolore contemplabar istud lamentabile spectaculum, ut mihi cor disrumperetur: elevatis autem oculis ad cœlum vidi Beatissimam Trinitatem, quæ cum immensa quiete & gaudio replebat gloriâ omnes suos Beatos Palatinos, & perinde acsi res humanæ non subessent ipsius providentiæ, nullam earum videbatur gerere curam, neq; commoveri luctuosis casibus, qui meis oculis obversabantur.

Hæc spectabat mea afflicta anima, & nesciebat, quid aliud diceret, præterquam tantummodo: Deus meus, & magnarum miserationum! id quod sæpe ardenti affectu iterabam, ut Divina Majestas misereretur sui populi. Dum inhærerem huic affectui, qui vehemẽter invalescebat, & algeerem Deum, qui se fingebat surdum, ac simulabat me à se non audiri, prodivit quidam Sanctus Angelus, dixitque mihi graviter & indignabundè: Quare dicis: Deus meus, & magnarum miserationum! pertermitte id, atque die: Deus justitiæ & ultionis. Audivi hæc verba, & acsi timore perculsa laterem in quopiam angulo, nihilominus ibi anxiè idem dicebam: Deus meus, & magnarum miserationũ! usque dum Dominus me intuitus, dixit: Nonne te meus Angelus monuit, ut diceres: Deus justitiæ & ultionis? cúmque se exhiberet iratum, & ità constitutum, acsi nullo tangeretur dolore ob mala, quæ fierent in terra, repetebam, utì hactenus, eosdem affectus & verba, ac deinde rem accuratius expendebam, & ajebam: JESU! JESU! éstne possibile, ut id fiat Vallisoleti? Huic meæ cogitationi Dominus respondit dicendo: Non percepisti visa, quod tibi hìc ostendi, fit in foro mundi. Fuit mihi significatum, sic potissimùm agi in Aula; unde se Deus monstrabat iratissimum, & minabatur, se puniturum peccata, quæ contra Ejus Majestatem committebantur. Ego illum rogabam, ut cohiberet suam indignationem, allegando ipsi multa, quibus permoveretur, & postquam hac de re nonnullum quædam locuta, subduxit se meo conspectui, significando mihi, quòd ei ligarem manus, placando justam ipsius iram, & inclinando illum ad misericordiam, totumque illud spectaculum mihi disparuit. Dignetur Divina Majestas propter semetipsam nobis suam exhibere infinitam clementiam.

Die Dominicâ, sextâ Septembris, [illegible] præterlapsos aliquot dies, ex quo me Dominus non ducebat ad cælestem Jerusalem ( quem mihi favorem sæpe exhibere solet bonitate præstare ) videbar mihi conspicere illam supernam civitatem [illegible]

in modum, quo hîc turres eminus videntur, & fastigia magni cujuspiam castelli. Interea adverti aperiri cœlum, vidi Beatos illos Palatinos, circumdantes thronum Beatissimæ Trinitatis, quæ se mihi præbuit spectandam immensâ præditam majestate, méque amantissimè invitabat (præsertim Sacratissima Persona Spiritûs Sancti) dicendo: Veni amica mea, additis alijs verbis, quæ adeò ineffabilem charitatis magni Dei nostri significabant dulcedinem, ut, licèt me ob meam indignitatem ea commemorare pudeat, nihilominus ex ipsis in me derivetur effectus profundissimi contemptûs mei ipsius, dum expendo gravitatem, quâ proferuntur, atque tam efficacem complacentiam, ut parum, & nihil esse existimem, pati omnia imaginabilia tormenta, ac millenas sustinere mortes, quò vel minimùm quid in honorem tam benigni Domini fiat. Derepente me hi mei Domini Angeli erexerunt, decentissimè consvetâ ipsis celeritate ab ijsdem vestitam, dicentes: Age, Anima, DEUS nobis præcepit, ut te abducamus. Cùm ascenderem ad cœlum, vidi mihi ab alijs Sanctis Angelis impediri transitum, non permittentibus me progredi. Hæc difficultas mihi accidebat gravissima, & sicut corpus, si pendens in aëre ab alijs sursum, ab alijs autem traheretur deorsum, ingens sentiret tormentũ; ità mea anima terribilem patiebatur dolorem, ut coacta fuerim conqueri ac dicere: Domine discerpor! Tum vidi prodeuntes ex pectore Divinæ Personæ Spiritûs Sancti quosdam radios, instar aureorum filorum, lucidissimos, qui me undique cinctam svaviter traxerunt, & perduxerunt ad cœlum, recedentes, prout ego progrediebar, intra semetipsos, donec illuc pervenirem. Dum jam fui apud thronum illius immensæ Majestatis, superior pars meæ animæ est ingressa pectus ejus Divini Domini, ubi modo mihi possibili, sed incomparabiliter clariùs, quàm si id oculis viderem corporeis, agnovi quidquid nos docet Fides de eo abscondito mysterio Trinitatis Personarum, in perfectissima Essentiæ unitate. Hâc divina unione fruebatur superior pars meæ animæ, quando sunt ingressæ duæ meæ amicæ, méque cœperunt alloqui, quas quidem audiebam, non tamen bene, & vix ipsis poteram respondere. Taliter fui diu constituta, quoadusque mysterium cessavit. Non est mihi tunc declaratum, qualis fuerit istius ascensûs difficultas, & cur illum ij Sancti Angeli impediverint: sed modò mihi ipsâ Dominus explicuit dicendo, Sanctos illos Angelos fuisse præsides Regnorum & Provinciarum mundi, qui ignorantes, quid Deus decrevisset, timuerunt nè ibi remanerem, ac propendebant in contrarium, petentes id à Deo, propterea quòd exiguis meis precibus possem prodesse mundo, juxta ipsorum intentiones. Verecundor plurimùm, & erubesco, quòd hoc dicam: Deus autem novit, non aliter se rem habuisse, & à meis Confessarijs jubeor id scribere.

Post hoc sequenti die Sabbathi, duodecimâ ejusdem mensis, cùm mihi quidam servus Dei retulisset bella Germaniæ, & specialiter ea, quæ gerebat Rex Poloniæ adversùs Turcas ac Tartaros, indolui magnopere, & fui contristata, propter afflictionem Catholicorum, atque persecutionem, quam sancta Fides nostra patitur à suis hostibus. Commendavi hæc negotia Deo, rogavi illum, ut prospiceret felici statui Ecclesiæ suæ. Proximâ deinde feriâ secundâ me Dominus vocavit dicendo: Veni, Anima, veni mecum. Vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri in eo habitu & vestitu, quem gerebat conversans in vita mortali cum hominibus: is me, apprehensâ meâ manu, acsi paucorum forem annorum puellula, secum duxit. Cœpimus progredi viâ quadam valde latâ & spatiosâ, quæ erat amænissima, & videbatur esse purissimo auro strata. Mirabar vehementer, & respectabam meum Dominum, more infantium, dum sunt contentissimi, propterea quòd ducantur à suis parentibus, quos alloquuntur, intuendo ipsorum vultum, acsi in eo situm esset omne illorum bonum & præsidium: ità nempe ego aspiciebam Dominum, tanquam illum, quo cum mihi nihil deerat,

atque dicebam ipsi: Quàm gratiosas habes vias, mi Domine, quàm pretiosas, quàm jucundas! Divina Majestas autem mihi svavissimè blandiendo respondit: Anima, sic tu progrederis. Multùm ob hæc verba erubui, quæ licèt tam benignè dicantur, adeò nihilominus afficiunt animam, ut tota intimè commoveatur, agnoscens suam vilitatem, propriúmque suum nihilum, atque idcirco illi respondi: Ah mi Domine, noli mihi id dicere! sed Dominus tunc tacuit.

Procedentes ulteriùs ingressi sumùs ingentem campum, qui totus apparebat argenteus, & in ejusdem superficie multæ conspiciebantur inscriptiones, instar epitaphiorum. Erant præterea in varijs illius locis magni quidam pretiosi lapides, & alij minores. Hîc mihi Dominus dixit, nos esse in ditione Turcarum. In confinijs, & circuitu hujus campi erant multi homines armati, qui illum custodiebant, cum magno strepitu & clamoribus, alloquentes se invicem, sibíque correspondentes, quam communicationem mutuam mihi videbatur exigere incumbens ipsis custodia. Omnis hæc turba erat prorsus scurrilis, quod ipsum indicabat vili ac lacero vestitu, atque ex omnibus, quæ forinsecus observari poterant, apparebat, esse homines pervertos. Dum Divina Majestas hunc campum intravit, universi fuerunt turbati, séq; accinxerunt ad defensionem, multis undique accurrentibus, ad subvenien-dum ipsis & opitulandum. Dominus nihil fuit immutatus, sed ostendens, se omnibus dominari creaturis, summa cum majestate perambulavit totum illum campũ, donec perveniret ad ejus limites: & postquam hos attigit, tantus exarsit ignis, ut in momento universum combusserit campum, & omne argentum, lapides pretiosos, omnémque ipsius ornatum converterit in miserabilem lacunam abominabilium, & malè olentium aquarum, unáque omnes illos hominum exercitus consumpserit.

Subitò conspexi pulcherrimam scalam, valde latam, affabréque constructam, & in ea infinitam Angelorum multitudinẽ, quos hactenus non videram, licèt milleti Dominum comitarentur. Per hanc incepimus ascendere ad cœlum, & postquam pervenimus ad thronum Sanctissimæ Trinitatis, omnes nos prostravimus, ipse quoque Christus Dominus ùt homo, qui Patri suo æterno dixit: Domine Omnipotens, feci judicium & justitiam, castigando illam infernalem turbam: hanc autẽ creaturam tibi adduco, ut illi nova conferas dona & gratias, útque solatium capiat ex dolore, quo illam bella infidelium affecerunt. Pater æternus me est intuitus, sicut aliàs, exhibens serenitatem & benignitatem illorum divinorum oculorum, dan-que mihi suâ benedictione me univit cum suo Divino Esse, ubi inter altissimas notitias se mea anima penitus perdidit, donec mihi restituta me repeti in meo angulo: quanquam superior pars ejusdem meæ animæ, quasi esset aliquid à me distinctum, videatur remansisse apud suum Deum.

Mense Octobri, quintâ ejusdem, quæ fuit feria secunda, postquam totâ nocte lecto affixa, graves perpessa sum dolores, confracto per eos corpore, & animâ fatigatâ (quamvìs semper, quæ Dei est bonitas, retinerem consvetum mihi modum divinæ præsentiæ) vidi Divinam Majestatem, quæ conversa ad meos Dominos Angelos, ipsis dixit: Accipite istam creaturam, & ducite illam, quò vobis dicam. Refe-giebat id natura, unde dixi Domino: Mi Deus, quomodo hoc fieri potest, cùm ista ità conquassata, ut mihi videar, ubi fuerit mota, expiratura. Interea Dominus dilexit executionem sui mandati, post unus autem horã denuò id ipsum Angelis præcepit, atque ego etiam rursum similiter repugnavi, rogans meos Dominos Angelos, ut me relinquerent in meo loco, si Deo placeret. At ipsi responderunt: Permitte fieri, quod vult Deus, quia exequemur ejus mandatum svavissimè, & absque ulla tua molestia. Apprehenderunt me itaque quàm circumspectissimè, & collocarunt in quodam velut pulvinari, atque cooperta tulerunt ad littus ampli & vasti maris. Omne illud spatium exiguam habebat lucem, qualis est in crepusculo ma-

ortus

ortum solis, & albescente die. Jussa fui perlustrare oculis illud mare, vidique in eo vehementem fluctuum commotionem: & quamvis alicubi quædã appareret malatia, alibi tamen omni ex parte immanes furere procellas ac tempestates, & naves confringi, alias verò demergi, alias huc & illuc appellere convulsas.

Dum hos tam luctuosos considerarem casus, moverunt me Angeli, atq; tulerunt ad medium maris, ubi super aquas constituta audivi magnos ejulatus & lamentabiles multorum hominum clamores, qui vehementer anxij ac afflicti vociferabantur, tanquam proximi submersioni. Ego invocabam summo affectu Deum, dicebámq; illi: Expecta, Domine, expecta. Tandem vidi fuisse submersos ac mortuos in aquis, & plerasque defunctorum animas iviſſe ad Purgatorium, alias verò his pauciores ad Infernum, atque pauculas quasdam evolaviſſe ad Cœlum. Hæc omnia anima mea spectavit magna cum admiratione, & aspexi meum Dominum tanquam attonita, etiam idcirco, quòd mihi Divina Majestas diceret, multis ex ijs animabus, quæ iverant ad Purgatoriũ, obtigisse eam bonam sortem, propter meam intercessionem (quamvis illas non noverim, neque sciverim quænam essent) illas autem, quæ descenderant ad Infernum, se noluisse disponere, ideóque in æternum perijsse. Subjunxit quoque Dominus: Noli cogitare, id esse signum, quòd plures salventur, siquidem plures damnantur. Unde intellexi, specialem aliquem fuisse illum eventum, licèt aliam magis individuam ejusdem notitiam non habuerim: cognovi nihilominus, per mare à me visum, & ipsius tempestates significari hunc mundum ac tentationes, & varia, in quibus animæ versantur, pericula interitus. Post hoc me Angeli retulerunt ad meum locum.

Denique decimâ nonâ Decembris, postquam aliquot diebus multùm fui divexata, ac defatigata occurrentibus quibusdam proximorum meorum negotijs, dum maximo affectu commendarem, & exponerem ipsorum necessitates DEO (quem nunc semper specialiùs præsentem sentiebam, quàm communiter consueverim) dixit mihi Ejusdem Majestas: Anima, veni mecum, & quiesces in me. Nequaquam, nequaquam, mi Domine, non est nunc tempus quiescendi. Cùm mea, & vicinorum meorum domus arderet, non bene fieret, si quærerem solatia, sed necesse est, ut juvem extingvere ignẽ, non subterfugiendo laborẽ. Ità loquebar, quia graves erant calamitates publicæ, de quibus mihi constabat, & afflictiones meorum proximorum torquentes cor meũ. Bene est, respondit Dominus; verùm si illos ità desereres ac aufugeres, ut quæreres fontem, unde haurires aquam, ad extingvendum ignem, jam id non malè, sed bene fieret. Sic fui denuò relicta à Domino duabus circiter horis, & postea mihi secundò dixit: Modò veni mecum, Anima, & quiesces. Tum vidi quosdam S. Angelos, qui subitò fabricaverunt inter quatuor columnas, & exornaverunt magnificum thronum, in cujus medio collocaverunt sellam. Quatuor deinde eorum innitebantur columnis, acsi illas sustentarent, cantantibus tam his, quàm reliquis dulcissimè: cúmq; me posuissent in ea sella throni, dixerunt: Divinus Sponsus venit. Quotiescunque ab Angelis audio proferri hoc nomen sponsi, notabiliter verecundor, & pudefio, ideóq; ipsis dixi, sicut aliàs: Mei Domini nolite taliter lòqui, quia ego sum vilis ancilla Domini, & serva inutilis. Ità prorsus est, responderunt illi: quodsi tamen aliquis Rex sibi desponset ancillam, eámque exornet, ac ditet, erit utiq; ipsius Sponsa: maximè verò, si ejus sit potentiæ, ut naturalem illius nigredinem vario cooperiat ornatu ac decore auri, quod est charitas. Id verò in te est operatus Omnipotens. Ità me sedentem tulerunt ad cœlestem Jerosolymam, præsentantes me Majestati Triunius Dei, qui sit benedictus. Amen.

Prostravi me coram hoc magno Domino, & manifestavit se mihi singulariter Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, qui arrepto cum ingenti majestate meo brachio, imposuit meis digitis elegantissimos añulos, inaures auribus, speciosissimũ monile

collo, & pretiosam coronam capiti. Postquam fui exornata, iterum prostrata sum coram Sanctissima Trinitate, ubi, utì alijs vicibus, deposui coronam cum cæteris cimelijs, eidémque magno affectu obtuli, existimans absque omni dubio, quòd, si mea esset universa hujus mundi, & illius cœli gloria, eâdē promptitudine ipsam illi offerrem, méq; rebus omnibus privarem, ut Deus omnibus frueretur. Divina Majestas acceptavit oblationem, ostendens, sibi eam plurimùm placere, & mandavit, ut mihi rependeretur vestis, quæ speciem habebat Dalmaticæ, defluens usq; ad pedes; manicæ quoque illius erant longæ, pertingentes ad manus. Indicatum mihi est, Deum per eam gratiam significare, quòd mihi jam conferat possessionem gloriæ, quâ suo tempore essem fruitura. Dum hac pretiosâ Dalmaticâ fui vestita, Dominus mihi restituit omnia illa cimelia, quæ ei obtuleram, sed longè, quàm antea fuerint, meliora. Cum omni autem isto ornatu me duxit ad quoddam elegans palatium, in quo erat aula inaurata, pretiosissimis exornata gemmis, ex quarum singulis milleni gloriæ splendores prodibant. Hîc ingressa in abyssum Divini Esse, secundùm meam capacitatem, sum fruita immensis bonis. Deinde me Divina Majestas elevavit ad magnam altitudinem pulcherrimæ turris, ibíque mihi existenti dixit: Age Anima, perlustra hinc totum mundum. Aspexi, & vidi omnia Regna, terras, maria, & eorum divitias, atque omnia mihi apparebant instar puncti, comparata immensitati illorum, quæ videram. Subjunxit continuò Dominus: Anima mea, quidquid volueris, non decet enim, ut revertaris vacua. Rogavi Divinam Majestatem, ut propitius esset suo populo Christiano, & omnibus Regnis, utque ea liberaret ab hostibus Fidei, & quandam personam ægrotam restitueret sanitati, quam ego illi exoptabam, ut lucrarer ipsius animam, in magna constitutam necessitate, id quod Dominus omnino dixit futurum, sicut re ipsâ fuit factum. Petivi deinde ab illo, ut appelleret classis, atque ut cuidam Domino impertiretur filium hæredem. Non dixit mihi definitè, se id facturum, attamen quod attinet ad classem mihi dedit modo quodam, quem nescio explicare, spem certam: quod verò hæredem concernit, necdum illam perdidi, expecto quid sit futurum. Deduxit me Dominus eâdem viâ, donec me collocaret in throno, unde me abduxerat, & in eo sui à meis Dominis Angelis delata ad meum angelum. Benedicta sit Divina Majestas in æternum. Amen.

(✠)

# CAPUT VI.

## Gratificatur nonnullis personis, & in Catholicorum commodum castigat quosdam infideles; alijs subvenit quoad Fidem: referuntur unà alij admirabiles casus.

*NOn minùs hæc Virgo fuit solicita de commodo proximorum, anno sexcentesimo vigesimo septimo, videntúrque auctæ fuisse gratiæ, quas illi Deus præstitit, ut ipsis posset efficaciùs succurrere. Omnia patebunt ex actis hoc anno, quæ nobis ipsa descripsit, & sequentibus retulit verbis.*

Septimâ circiter Januarij conspexi septem, aut octo homines (quos tunc non agnovi) intra quosdam transversos palos quasi confligentes, ità ut non possent ab invicem accedere. Tum advenit quidam dæmon, qui abstulit illos palos, assumens quodammodo ijs hominibus, ac ictibus. Mirabar hoc spectaculum, & percurrendo frequentiùs ad Deum, eum me intimè commendabam, mansi aliquam diu in ecstasi, atque ad me reversa vidi, quòd illi viri insistentes eidem terræ quam calcabant, descenderent usque ad latus nescio fuerítne maris, an fluvij; nequeo nim id observavi abrepta ab hac alien

visione. Ibi illos reliqui vehementer obstupescens. Deinde postridie vidi, quòd illos duæ spectabiles personæ (videbantur esse Reges, & regia gerere in capite insignia) venientes cum suo comitatu ad illud littus, captivaverint, & abductos in suam ditionem omnes conjecerint in obscurum carcerem, præter unum, qui, nescio quam ob causam, remansit ad ejus portam. Interea non poteram hanc repræsentationem ex mea anima excutere, & alio postea die, qui jam erat tertius hujus visionis, conspexi Dominum, qui mihi dixit: Age Anima, te ire necesse est, ut educas illos viros ex carcere, in quo detinentur. Mi Deus, & mi Domine, ajebam, quomodo ego id possum præstare? tam arduum negotium superat exiguas vires meas. Noli timere, dixit Dominus: nam hi Angeli te juvabunt. Designavit Divina Majestas in hunc finem duos ex istis meis Dominis Angelis hîc præsentibus, quorum alter fuit *Fortitudo*, alter autem *Missus major*. Profecti igitur sumus ad carcerem, ubi erant ij miserabiles homines, quem ingressa omnes agnovi. Erant miseri afflictissimi, timebant ac tremebant, tanquam præstolantes mortem, aut aliud grave supplicium. Sancti Angeli ipsorum Custodes, à quibus non fuerant derelicti, nobis conspectis sunt plurimùm exhilarati, quibus hi mei Domini Angeli dixerunt: Debemus istos homines hinc educere; atque sinè mora apprehenderunt unum ex illis, qui ei loco videbatur esse affixus perinde acsi pedes forent ejusdem materiæ, cum ea, in qua stabant; quasi vellent avellere statuam à suppedaneo elaborato ex eodem trunco. Consideravimus, in quo sita esset illa difficultas, & vidimus, quòd infelix ille homo imposuerit, ac demerserit unum pedem intra viscera terræ, ut videretur pertingere usque ad infernum. Sancti Angeli omnem adhibebant conatum, ut ipsum extraherent, & acsi essent corporei, ostendebant se fatigari, atque modicùm quiescere, ut restauratis viribus resumerent laborem. Denique effecerunt tantum, ut illum hominem inde extraherent, quem eductum ex carcere, ibi reliquimus vehementer fessum. Reversi sumus, ut educeremus cæteros, & summam sumus experti difficultatem in ijs avellendis, tametsi non tantam, quantam in avellendo priore. Tandem ipsos extraximus, & postquam omnes jam liberos constituimus extra portam, quilibet Sanctus Angelus Custos ad se spectantem duxit ad ipsius domum.

Notandum est, auditos fuisse, dum eos educeremus, super illum carcerem magnos clamores, quos edebat hospes domûs, cui fuerant commissi: advertebat enim, quid ageretur, ac demonstrabat gravem dolorem & afflictionem, quòd sibi auferrentur sui captivi, & advocabat suam familiam, ut id impediret. Verùm disponente ità rem Deo, nemo audivit clamores, vel accurrit ad defensionem, usquedum captivi essent restituti libertati, & educti è carcere. Postea vidi concurrisse multos homines, famulos illius Heri, qui vehementer dolentes tremendum in modum vociferabantur, & altercabantur, quòd ij captivi evasissent. His omnibus peractis, fui à meis Dominis Angelis reducta ad meum angulum.

Ibi aliquantùm à Deo illuminata, ut intelligerem, quid hæc historia significaret, quódque Divina Majestas quampiam adhuc vellet infligere pœnam his hominibus (quos optimè novi) converti me ingenti animo ad Deum, & ex toto affectu meæ animæ illi dixi: Nequaquam, Domine, nullâ ratione ipsos debes castigare, neque hac de re sermo habendus est: sed nec te quidquam in hoc proposito ultrà agere oportet. Audivit me Deus cum magna gravitate, eadémq; me interrogavit: Quis verò erit adeò potens, qui impediat, ut non faciam, quod voluero? Ego cum ea fiducia, quam ipsemet Dominus tum inspirat (quod quidem clarissimè advertitur, & nequit explicari, quomodo non excludat summam reverentiam, quâ ipsum anima tunc adorat) illi respondi: Domine, ego te impediam. Et quæ es tu? reddidit Divina Majestas. Nónne scis nullam reperiri seu in cœlo, seu in terra potestatem, quæ meæ resistat voluntati & potentiæ?

tiæ? Jam id scio, mi Domine, dixi, & bene novi, me esse formicam, verùm constat mihi etiam, quòd te ex mera tua bonitate, charitate, & misericordia, sinas vinci precibus servorum tuorum, cujus rei ex tua scriptura audivi exempla de tuis servis Abrahamo & Moyse. Ideóque, Domine, quamvis ego nihil sim, propter tuam tamen bonitatem te patieris vinci meis precibus, nè punias istos homines. Auscultavit me Dominus, exhibendo mihi singularem amorem, & cum eodem mihi dixit: Bene locuta es, Anima, optima est tua allegatio, ut, quod tibi proposuisti, obtineas. Et hoc dicto mihi disparuit. Vehementer optabam, ut Deus abstineret à vindicandis, quibus fuerat affectus, injurijs, & illuminaret eos homines, ut, si rei sunt peccatorum, agant pœnitentiam, quod ipsorum multùm interest. Deus illos adjuvet, quemadmodum potest.

Die Sabbathi, vigesimâ septimâ Januarij, invocabam instanter Deum, dicebámque illi: Mi Domine, nihílne mihi mandas? obsecro te, jube me aliquid facere, quod ad tuum cedat honorem. Conspexi subitò Majestatem JESU Christi Domini nostri, qui mihi dixit: Sit ità, volo tibi aliquid injungere, quod præstes in meum honorem. Præstabísne id autem? Omnino, mi Domine, respondi, quàm libentissimè: statímque provoluta in genua junxi manus, attentissimè intuendo Dominum meum, ut accuratissimè audirem, quid mihi vellet præcipere; & aspexi meos Angelos, desiderans, ut ipsi quoque diligentissimè attenderent. Cùm ità penderem à vultu mei Domini, dixit mihi Ejusdem Majestas: Proficiscéris, comite solo tuo Angelo Custode, relictis hîc cæteris, ad maria, quò dicis te solitam à me duci, ibíque facies, quod tibi dicam. Fui continuò à meo Sancto Angelo Custode ducta ad litus maris, quod non novi, neque existimo, me aliàs in ea regione fuisse, ideóque dixi Domino. Istud, mi Domine, licèt sit mare, non est tamen, quod unquam pertransiverim. Erant ibi quinque naves, seu triremes, quibus vehebantur homines, meâ opinione omnes pessimi. Hærebant hæc navigia quasi in arena, quia notabilem modicam sub se habebant aquam. Sanctus Angelus me collocavit ad nostra unius ex illis navibus, dixítque mihi: Hâc ingredere deorsum. Ego timui, & nonnihil sum reluctata. Noli timere, ajebat ipse, intra, ego enim te sequor. Intravi, non ad infimam partem, quam dicunt vocari carinam, sed infra latus, cui applicui humerum, & connitendo velut ad imprimendum impetum, illam propuli intra mare. Mirata fui valde meum factum. Similiter me Sanctus Angelus jussit subingredi consequenter alias, donec omnes protruderemus ad mare. Vidi derepente turbari aquas, tantámque excitari tempestatem, ut omnes fuerint submersæ, una cum hominibus, qui ijs vehebantur. Tum conspexi Dominum, qui mihi egit gratias, ac ego id præstitissem. Erubui, & dixi illi: Quid verò, mi Domine, ego hîc præstiti, aut quid nunc feci? Multùm feci, respondit Divina Majestas, isti enim hîc erant accincti ad inferendum damnum filijs meæ Ecclesiæ, quod intulissent gravissimum, nisi tu illos submersisses. Hoc vidi, & hoc mihi dixit Dominus, cui sit laus pro beneficijs, quæ nobis confert.

Primâ Martij, quæ feria fuit secunda, vidi in cœlo infinitos Angelos splendidè vestitos, bene armatos, & speciosissimos. Explodebant suos sclopos, quorum sonus laudes erant Dei. Tum non observavi, qua esset illorum dux: sed cùm inciperent proficisci, vidi, quòd egredientes ex cœlo antecederet JESUS Christus Dominus noster. Circumiverunt sequentes Ejusdem Majestatem totũ hunc inferiorem mundum, ostentando magnam generositatem & potentiam. Vidi dæmones tremebundos, qui erant in terra, ac terrefactos ab illo grandi exercitu, fugientes, seque mari aquas, in earundem abyssũ, abscondentes. Postea tota illa sacra cohors cum suo divino duce, eodem ordine quo prodiverat, redivit ad cœlum.

Post quatuor abhinc, vel quinque dies, cùm meam Deo offerrem voluntatem, ipsúmq; rogarem, ut meâ dignaretur ego, râ uti, quomodocunque illi placeret (quia meam

meum cor tum, præ fervore affectûs, nè minimam ulla in re sentiebat difficultatẽ) conspexi ipsummet Dominum nostrum JESUM Christum, qui mihi dixit: Veni huc, Anima, necesse enim est, ut te eò conferas, quo à me mitteris: facies autem, quod tibi dicam. Eram contentissima, quòd mihi Ipsius Majestas aliquid dignaretur mandare, & attentissimè audiebam illius verba. Descendes, ajebat, per has scalas (repræsentabat verò mihi Dominus omnes earum circumstantias, de quibus mihi loquebatur) & procedes usque ad infimum illarum terminum, ubi deprehendes homines, quos interrogabis, qui sint, & qualem sequantur legem: atque si bene responderint, bene cum ijs agetur; quodsi non, præcipita illos in infernum, ad cujus fauces ipsos reperies. Comitabitur te tuus Angelus Custos. Noli verò exhorrescere, aut metuere obstacula, quæ tibi occurrent in via; siquidem tibi nihil poterunt obesse. Auditis his Domini verbis, me prostravi coram Ejus Majestate, & osculata sum terram. Mox ab illo digressa cœpi descendere per scalas: comitabatur me Sanctus Angelus, non descendebat tamen per illas, sicut ego, sed propriâ se sustentando virtute ibat velut per aërem ad latus meum dextrum. A latere sinistro prodibant multa fera animalia, quæ me terrefaciebant, & conabantur remorari. Erant quasi leones ac tygrides, & alia diversæ speciei, quæ non novi, neque unquam vidi: arripiebant suis ungvibus ac dentibus meum brachium, sed ità debiliter, acsi nihil haberent virium, & virtus divina me ità confortabat, ut illa non timuerim, neque me ullatenus impedirent. Prodibant quoque alij miserrimè vestiti hostes, hominum gerentes figuram, verùm deformem & horribilem. Explodebant suos sclopos, quorũ globi prætervolabant meos oculos: sed nec istorum furiam, aut rabiem, quam præ se ferebant, neque terrores, quos mihi incutiebant, curabam, quia me Deus animabat, omnibúsq; reddebat superiorem.

Tandem perveni usque ad infimum gradum illarum scalarum, sub quibus erat ingens hiatus, intra quem, quasi in barathro, audiebatur maximus confusarum vocum tumultus, atque miserabilium ejulatuum, blasphemiarum, lamentationum, & gemituum, quibus millena possent disrumpi corda: erátq; tantus horror, quem hæc omnia afferebant, ut mihi abundè manifestaret locum æternorum tormentorum. Prope hunc hiatum, atque apud postremum dictarum scalarum gradum, erant quatuor viri, qui omnes videbantur esse Reges: unus tamen magis conspicuus habebat in capite quandam præaltam quasi tiaram. Postquam ad ipsos perveni, interrogavi illos perquàm imperiosè: Qui estis vos? qualem observatis legem? & quid hîc agitis? Tres tacuerunt, ille autem spectabilior, quasi iracundè mihi respondit, dicendo: Quæ verò es tu, quòd ista ex nobis sciscitaris, & quid hîc quæris? His dictis varios edebat gestus, jam unum brachium attollendo ad cœlum, jam utrumque decussando supra pectus. Ego instabam, urgebámque illos, ut mihi responderent, qualem legem observarent, & quem Deum adorarent. Cùm autem mihi prior responderet: Nos habemus legem, & adoramus deos majorum nostrorum, atque in hac lege salvandi sumus; non salvabimini, ajebam ego, nisi adoretis DEUM Triunum, quem adoramus, & cui servimus fideles servi ejusdem magni Domini; & peribitis in æternum, nisi habueritis fidem ipsius, ac per baptismum & pœnitentiam fiatis illius servi. Non intelligimus hæc, subjecit ille, neq; scimus aliud, quàm quod à nostris antecessoribus docti sumus. Rogate igitur, dixi ego, ex toto corde DEUM verum, ut vos illuminet, docéatque viam salutis vestræ id quod ipse faciet.

Omnes audiverunt ista verba, & tres mihi nihil videbantur posse respondere, præterquam quòd mihi denique tantùm dixerint, se facturos, quod faciet is Rex, qui, ùt dixi, erat spectabilior. Tam hunc, quàm cæteros complectebantur medios quidam terribiles dæmones, cúmque illos ab istis viderem impediri, nè bene responderent, magno ipsis animo no-

mine DEI præcepi, ut dimitterent eos miserabiles homines, & inde facesserent, quod dæmones, tametsi acti in rabiem, fecerunt: & subitò conspexi juxta singulos hos quatuor viros Sanctum Angelum cujusque Custodem, quos hactenus non videram. Liber jam ab impedimento ille Rex, qui me loco omnium alloquebatur, mansvetè mihi & pacatè dixit: Dic illi DEO & Domino, quem tu adoras, ut nobis mittat magistros, qui nos verâ ipsius imbuant doctrinâ, & admittemus illam quàm libentissimè, observantes ejus legem & præcepta, ut consequamur salutem, quod nobis polliceris. Fui plurimùm exhilarata audito hoc responso, quia metuebam, nè, si inurbanè & malè responderent, mandaretur executioni in miseris ijs hominibus pœna, quam illis DEUS fuerat comminatus, præcipitando ipsos per illum horribilem hiatum intra eam abyssum, ubi damnati adeò terribiliter furentes cruciabantur: ideóque vehementer gaudens ijs respondi, & promisi, DEUM satisfacturum ipsorum desiderijs, missurúmque illis Concionatores ac Doctores, à quibus instruerentur. Fuerunt recreati, & animati hoc promisso. Ego redivi latura responsum Domino, cujus Majestas me ità auscultavit, acsi ista non vidisset, aut audivisset, gratiásque mihi egit pro eo, quod præstiteram. Venit mihi in mentem, an fortasse isti Reges essent Turcæ, vel Mauri; & Dominus respondens meo dubio mihi dixit, non esse, sed Reges aliarum Provinciarum, tametsi non expresserit, quales eæ forent.

Mense Julio, in festo Visitationis Beatissimæ Virginis, mea anima invocabat Dominum cum ingenti fervore ac desiderio, quo tenebar, ut, libera tandem à carcere, & compedibus hujus mortalis vitæ, pervenirem ad ipsius conspectum. Dicebam illi sæpiùs: Mi Deus, vides hîc exulem, pauperem, miserabilem, & peregrinam. Dominus audivit meos clamores, dixítque: Esne peregrina? Ducatur igitur eò, quò tendit in sua peregrinatione, & visitet more peregrinorum loca sancta. Deprehendi me subitò indutam habitu, quê tales gerere solent, & mei Domini Angeli me duxerunt versùs cœlestem Patriam: ducebant me tamen per longissimos anfractus, inter prærupta saxa, & semitas inusitatas. Ostenderunt mihi in hoc itinere vastos campos, in quibus erant quædam urbes, exiguum habentes populum. Hîc amplum aliquod conspiciebatur palatii, ibi aliud. Videbantur mihi esse homines pauperes & Pagani: erant autem Turcæ, vel Mauri. Et dicebam intra me: Hi tam pauperes parum possunt Christianis nocere. Verùm deinde vidi, quòd illæ domus & urbes, adeò parum populosæ, circumdatæ essent ab aureis & gemmeis montibus, unde multùm indolui, siquidem mihi jam videbantur posse tantis divitijs ingens Christianitati inferre damnum. Tandem pervenimus ad cœlum, & postquam illuc sumus ingressi, præsentaverunt me Angeli Deo, dicentes: Domine Majestatis, hîc adducimus ex mandato tuo istam peregrinam. Vide Domine, quàm adsit pulchrè ornata cimelijs, quæ illi dedit Divinus Sponsus Spiritus S. Ostendebant monile, quod gerebam, armillas, cingulum, & reliqua. Ad hæc omnia respondit Dominus: Bene dicitis, pulcherrimè profectò est exornata; sed non est mirum, cùm tam Divinum habeat Sponsum. Summè verecundabar coram Majestate hujus magni Dei, sentiens de me, quod est verum, me vilissimam esse creaturam, & fœtidum sterquilinium.

Interea vidi comparentes coram Majestate ejusdem magni Dei quatuor Angelos ornatissimos: singuli ferebant in manu ignum flagellum, & brachia habebant succincta. Videbantur mihi adesse, ut me, quod quidem magnopere mereor, castigarent, & revera timebam, dicebámq; intra me: Etiámne hîc in cœlo reperiuntur flagella? etiámne Angeli castigant? Mei Angeli me aspiciebant, dicebántque mihi dissimulater: Soror, Angeli flagellaverunt S. Hieronymum. quo audito magìs metuebam. Quando advenerunt, adoraverunt Deum, ac dixerunt: Domine Majestatis, adsumus parati, ut faciamus, quod nobis mandabis. Ite, dixit Dominus, & castigate, prout

prout vobis commisi, illas creaturas. Sancti ij quatuor Angeli statim abiverunt, qui mihi videbantur esse tam agiles ac fortes, ut possent totum mundum destruere. Pervenerunt autem ad illam regionem Infidelium, quam videram in itinere, quos inceperunt flagellare, adeóque malè tractare, ut eorum fuerim miserta: ac tandem descendit ignis de cœlo, qui illos, & ipsorum thesauros combussit. Post hoc mei Domini egerunt de me reducenda ad meum angulum, & Divina Majestas illis dixit: Expectate, non decet peregrinam reverti absque aliquo munere, cùm inviserit meam domum: quamvis autem videatur peregrina, non est tamen prorsus talis. Vide, Anima, habitationem, quam habes in æternum paratam. Et ostendit mihi locum, quem mihi ex mera sua bonitate præparavit. Dedit mihi deinde quoddam cimelium singularis splendoris & candoris, imponénsque illud meo pectori super cor, dixit, eo significari donum puritatis & castitatis communicabilis, quódque omnes, qui me intuituri essent ac visuri, liberandi essent à tentationibus, quas paterentur adversùs castitatem. Ità me Domini mei Angeli duxerunt ad meum angellum.

Aliam singularem gratiam mihi Deus ante aliquot dies præstiterat. Intenta meæ solitæ orationi audivi Divinam Majestatem mihi dicentem: Anima, gratificabor tibi. Fui multùm turbata, & quamvis peterem à Deo lumen, nè deciperer, adeò tamen mei timores creverunt, & eousq; sunt progressi, ut illi dixerim. Mi Deus, per temetipsum te rogo, nè mihi loquaris. Sed Dominus me pacavit, & postea mihi dixit: Pone hîc istam corollam precatoriam. Tenebam unam in manu, quæ est facta ex lapide referente marmor. Obedivi Domino, qui illam benedixit, ac subjunxit dicens, quemlibet, qui oraret, adhibito qualicunque grano, vel quavis partium, ex quibus crux dictæ corollæ componebatur, præter multas gratias, obtenturum ab Ejus Majestate magna & specialia auxilia, ad consequendam suam salutem, & orationem dicendam posse esse, quæ cuivis placeret. Istam corollam (dixit præterea Dominus) nemini da, quamdiu vixeris, neq; imminue: moritura ipsam dabis tuo Confessario, quam ille ijs dispertietur, quibus ipsi videbitur. Post hæc à Domino dicta, mei Domini Angeli acceperunt corollam ad suas manus, osculati sunt illam, & admoverunt suis oculis, atque resposuerunt ad priorem locum, super meum lectum. Mirabar hujus Domini bonitatem, dicebámque illi: Mi Deus, quomodo ità profundis tuas divitias? Et respondit mihi: Nónne scis, me esse omnipotentem, ut faciam, quidquid voluero? Si meorum thesaurorũ reddo participem, quem volo, quid miraris? Benedicta sit misericordia hujus magni Dei.

Vigesimâ octavâ Augusti manè sum profecta, comitantibus me Dominis Angelis, ad quoddam mare, in quo erat classis Infidelium. Objiciebant se meis oculis multa navigia, & ibam ferens manu gladium instar leænæ. Ingressa sum mare, & visa mihi sum dissipare classem, ut una hîc navis mergeretur, ibi alia. Conabantur me trajicere, & præ turbatione aberrabant. Ego invadebam hostes, interficiebam multos; alij semivivi absorbebantur ab aquis: apparebat mihi mare secutum ab hostibus. Hoc peracto fui ducta ad meum angulum.

Feriâ quartâ, sextâ Octobris, agens cum Deo, mihi videbar illum videre vehementer offensum & iratum, propter gravia peccata, quæ contra ipsum in hoc Regno committebantur: non cognovi peccata ullius personæ singillatim, sed genericè. Fui plurimùm afflicta, invocavi Dominum, implorans ipsius misericordiam magnis meæ animæ affectibus, & conficiebat rogando illum, ut propitius esset suo populo Christiano. Tum mihi Divina Majestas dixit: Veni mecum, Anima. Feci quod soleo, quando me timores mei reddunt pusillanimem, à quibus tunc coarctabar: sed obsequendum erat Deo, sicut ipse constituerat. Posuit me Divina Majestas intra quandam rotam versicolorem instar iridis, & solâ hujus Domini potentiâ (neque enim vidi, quòd me comitare-

taretur ullus Angelus) fui translata ad vastum mare, quod nescio in qua mundi parte fuerit. Ferebat me Divina Majestas huc atque illuc per istud mare affluentem solatio, non tamen absque modico timore, quamvis me Dominus redderet securam. Fui demersa, ignoro quomodo, vel à quo, in medio illius maris, & statim extracta, quod est factum absq; mea molestia, quin imò cum consolatione, pace, & voluptate. Intellexi à Deo, id fieri ad sedandum mare, & componendum pro malatia, ut navigantes evitarent tempestatem, quam sinè hoc remedio passuri erant gravissimã. Audivi subitò Angelos magnis vocibus ex alto instantes, ut me ducerent ad cœlestẽ Patriam, quibus auditis timebam: sed placaverunt me, ducendo me & præsentando Dei Majestati.

Conspexi illum in specie humana summè iratum: videbatur mihi evibrare ex oculis scintillas. Habebat in manu gladium, acsi minaretur, destructum à se, ac perditum iri mundum. Significavit mihi, citò admodum adfuturum finem mundi (sed breves Dei moræ, etiam in rebus modicis, sunt longissimæ) prostravi me coram Divina hac Majestate; rogavi illam, ut misereretur sui populi, essétq; nobis propitia, quod instantissimè petebam affectibus quàm potui vehementissimis. Existimo, quòd me velut interposuerim inter Deum & mundum, ut justam suam indignationem contra me exereret, paratam ad omnem rigorem tolerandum, quem in me Deus vellet exercere. Tum Deus ejecit gladium ex sua manu, vibravitque illum prope meum pectus, quem ego tum arctissimè complexa, & audivi dicentem Divinam Majestatem: Ligas mihi manus, Anima, placavisti me, & superavisti: coram te depono arma, atque tanquam victus tibi jam gladium trado. Repleta sui gaudio & solatio, auditis benignissimis verbis immensæ illius Bonitatis, agnoscens svavissima viscera hujus potentissimi Dei nostri. Postea me Divina Majestas conspexit quodam quasi somno spirituali, quo mihi videbar velut obdormivisse in brachijs ejusdem Domini, mèque somniare, quòd jam migravissem ex hoc mundo, essémque in cœlo. Videbam me, quodammodo unitam cuidam Soli immensâ luce fulgenti, abundare omnibus bonis. Non constat mihi, quanto id tempore duraverit, scio autem, quòd finitâ hac visione, quando sum ad me reversa, me reperierim in meo angulo. Benedictus sit millies, iterúmque millies DEUS. Amen, amen.

# CAPUT VII.

## Prosequitur idem argumentum.

*PRimus è sequentibus eventibus pertinet ad vigesimam quartam Augusti, anni sexcentesimi vigesimi octavi. Quartus indicat tantummodo mensem & annum, qui est sexcentesimus trigesimus. In reliquis nihil quoad tempus invenio expressum. Ex omni tamen ordine, quo chartæ sunt computatæ, colligitur, secundum accidisse anno sexcentesimo vigesimo nono, tertium verò paulò pòst. Describit omnes Venerabilis Marina subsequentibus verbis.*

Vigesimâ quartâ hujus, postquam affectus meæ animæ vehementer fuissent commoti, dum memoriæ meæ obverterentur calamitates & afflictiones, quas patitur Respublica, atque ardenter oparem, ut ab ijs liberaretur, invocabam eundem Deum magno spiritûs clamore, & verbis, quæ in hujusmodi occasionibus magis oriuntur ex fervore affectûs, quam directione rationis. Dicebam itaque illi: Mi Deus, extátne aliqua eleemosyna pro hac paupere, mendica, importuna, derelicta, vulnerata, ac desolata? quibus & alijs nominibus animam explicabat mala, & miserias temporales, & spirituales, quas reputat tanquam proprias, eò quòd illas videat tolerari à suis proximis, quarum mi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

medium unicè desiderat. Hæc dicens me deprehendi ad portam cœli, ubi Dominus est egressus, magnam demonstrando charitatem & clementiam, mihique dixit: Quid vis Anima? quid habes? cur clamas? Respondi Ejus Majestati eadem verba, suprà à me exposita, quorum sensum reconditum, & intentionem Deus optimè novit, utpote provenientium ex affectu, quē Ejusdem Majestas exsuscitat, & commovet penitissimè intra animam, ideóque mihi respondit. Fiat ità, mittam eleemosynarium. Et statim intuens unum Sanctorum Angelorum, qui aderant, illi dixit: Da huic Animæ, quidquid petiverit, atque his dictis videri desijt. Mansit ibi ille Sanctus Angelus cum aliquot ex ijs, qui mihi assistunt, & dixit mihi: Age nunc Anima, quid vis? quid petis? Mi Domine Angele, respondi, misericordiam Dei. Et quid amplius? subjunxit ipse. Peto lumen, ajebam, ut agnoscam sanctam ipsius voluntatem, & ejusdem veritates. Optimè omnia hæc petis, dixit ille, sed quid præterea? Tum ego animata respondi: Puritatem divinam, munditiem cordis & intentionis, ut amem Deum, ipsumque solum in omnibus rebus quæram. Multum petivisti, dixit Sanctus Angelus, idque etiam optimè. Habesne autem, in quo hæc auferas? adfersne aliquid hujusmodi? tum ego latè exporrigens brachia: Hîc, inquiebam, omnia feram. Et quomodo? subjecit Sanctus Angelus, nónne scis, misericordiam Dei, & ejus clementiam esse ipsummet Deum? quomodo illum vis complecti, cùm sit incomprehensibilis? Ità est, Domine Angele, respondi: verùm Divina Majestas talem condidit meam animam, ut sit ipsius capax, & pro modo capacitatis, quam ei contulit, illum feram. Bene dixisti, ajebat Angelus: necesse tamen idcirco est, ipsam emundare, & evacuare. Quo audito cœpi solicitissimè scrutari meam animam, & aeti haberet plicas, imponebam manum in sinum, quærens celerrimè ac diligentissimè, quid intra illam lateret, & nihil inveniebam, quod impediret, vel occuparet locum, ubi latura essem meam eleemosynam. Interea conspexi rursus Dominum, qui se totum videbatur transformavisse in illum Sanctum Angelum, adeò ut istum non viderim amplius, remanente loco illius ipsomet Domino, quamvis subitò iterum ibi conspexerim Angelum aliquantùm distantem. Allocuta me est Divina Majestas amantissimè, & dixit mihi: Nunc, Anima, jam aufers, quòd desiderabas: revertere ad tuum angulum, nè natura deficiat. Rapta deinde sum in profundam ecstasim, & postquam ad me redivi, sensi me plurimùm immutatam, non sinè speciali voluptate, & solatio, quod mihi attulit hæc visio, ac donum Dei.

Die Incarnationis Dulcissimi Servatoris nostri, occupata meâ consvetâ oratione, vidi & audivi in cœlesti Jerosolyma celebertimam solennitatem omnium illorum Beatorum Palatinorum, & innumerabilium Angelorum Dei, qui musicis instrumentis, & svavissimis vocibus laudabant, ac magnificabant Majestatem magni sui Dei & Domini, propter inæstimabile beneficium Redemptionis nostræ, ponderatis divinè omnibus ipsius circumstantijs. Venerabantur deinde summopere, & magnâ demissione Sacratissimam Virginem Mariam Dominam nostram, quòd fuerit sacrarium, in quo Verbum Divinum habitaverat, carnémque induerat. Sedebat hæc Augustissima Regina in throno altissimo, & immensæ gloriæ. Quamprimum mihi ista omnia comparuerunt, incipiente solennitate, Dominus mihi dixit: Accede, Anima, accede propiùs, & videbis mysteria, quæ hodie in mea sacra aula celebrantur. Vix id dixerat Dominus, quando, non relicto mihi spatio ad aliud quidquam agendum, fui à quibusdam Angelis ducta ad cœlum. Postquam eò perveni, hæsi velut attonita ob magnificentiam Divinæ Majestatis. Anima mea defixit oculos in Beatissimam Trinitatem, & intuebatur illam quodammodo facie ad faciem, neque illos inde poterat avellere, Deo sic disponente. Vidi tres Divinas Personas divino & ineffabili modo conversantes, & quasi invicem sibi complacendo dicentes: O quàm admira-

bile arcanum, ac divinum opus peregimus in Verbi Incarnatione! quàm nobis dignum! quàm est inæstimabilis ejus valor! Res est magna, altissima & sublimissima. Deinde Beatissima eadem Trinitas sibi plurimùm complacebat in sacrario Virginali, ubi obstupescendum illud opus fuerat mandatum executioni. Quàm rudibus & paucis id refero verbis, cùm omnia totius mundi non sufficiant, ad explicandam vel atomum ex multis, quæ tum anima intelligit, de altitudine hujus mysterij, eò quòd sibi Deus ineffabiliter in illo complaceat!

Passa fui quendam mentis excessum, quasi consopita, ex quo me excitavit nova & jucunda musica illorum cœlestium Palatinorum, honorantium & laudantium Sanctissimam Virginem, qui sese postea prosternentes illam venerabãtur tanquam suam Reginam & Dominam. Vidi deinde, quòd Celsissima Virgo, cum infinitorum Angelorum comitatu, descenderit per admirandos gradus ex throno, in quo erat, séque, postquam pervenit ad Sacrosanctam Trinitatem, humillimè & reverentissimè prostraverit, agnoscens se, quidquid esset aut haberet, accepisse ex manu illius liberalissimi Domini. Complacuit sibi singulariter Divina Majestas in ijs virgineis submissionis & gratitudinis affectibus, atque magnus Deus noster, ùt est Triunus, illi impertivit suam sanctissimam benedictionem, ac multa largitus est dona & gratias, ut eas nomine ipsius posset distribuere, benefaciendo creaturis. Hæ autem, subjunxit Dominus, erunt, pro quibus apud te intercedet, téque rogabit illa Anima, quæ est ibi. Et designavit Divina Majestas me, quod me vehementer pudet referre. Surrexit tum Celsissima Domina, infinitas Deo suo gratias agens, pro præstita sibi ea misericordia, & collocans se in throno demissiore conjecit oculos in me, innuens mihi ut aliquid peterem, se enim mihi gratificaturam, juxta acceptum à Domino Majestatis mandatum. Percepi specialissimum gaudium & solatium ex munificentissima hujus Præcelsæ Reginæ promptitudine, & oblita penitus mei, nihil petendo quod mihi ipsi prodesset, cœpi celerrimè advocare omnes, qui se mihi commendaverant, & quotquot noveram: vertebam me hucatque illuc, agitando brachia, ac dicendo: Venite amici & amicæ meæ, venite festinanter, nolite vel uno momento morari.

Occupata hoc meo ferventissimo desiderio & affectu, vidi advenientes, quoscunque mihi notos advocabam: erant verò omnis statûs & conditionis. Accedebant etiam alij ex diversis regionibus, quos Deo commendabam, tametsi illos non noverim, & multi Infideles. Singulos comitabatur Angelus ipsorum Custos, sed aliqui ex Infidelibus veniebant quasi coacti; quosdam illorum Angeli adferebant impositos humeris, alios trahebant, arrepto eorum brachio; nonnulli comparebant minùs inviti. Omnis hæc hominum multitudo remansit velut circa cœlestem eam civitatem, & extra ipsam, quamvis esset quodammodo in illorum conspectu. Postea cum summo meo solatio ingrediebantur mirabili ordine Sancti Angeli Custodes horum hominum, & procumbentes coram hac Sacratissima Virgine, singuli accipiebant ex manu ejusdem Celsissimæ Dominæ donum, impertiendum animæ sibi commendatæ. Sic omnibus istis hominibus fuerunt distributa convenientia dona & gratiæ, quæ ipsis concedebantur per merita JESU Christi Domini nostri, & intercessionem Sanctissimæ ejus Matris. Mox Angeli reduxerunt illas animas ad suum locum, quæ mihi arcano modo fuerant repræsentatæ.

Hac visione summè exhilarata, agebam ex toto corde meo gratias Deo, pro tantis beneficijs, & paulatim inter admirationes, gaudia, & gratiarum actiones, fui sum abrepta in ecstasim, méq; ipsam prædidi. Hunc in modum, nescio quamdiu, fui constituta. Quando ex hoc raptu ad me redivi, agens Deo gratias pro magnitudine incomparabilium ipsius beneficiorum, vidi Sacratissimam Virginem, comitantibus illam innumeris Angelis, proximantem ad me, quæ mihi appropinquanti me multùm erubescentem ac admi-

tem salutavit, dicendo: Deus sit tecum, Anima, Deus sit tecum. Magna profectò fuit tua charitas, Anima, erga proximos: siquidem tui ipsius es oblita in mysterio, quod tibi Deus ostendit, omnísque tua solicitudo, & affectus primariò tendebat in bonum & commodum eorum, pro quibus intercedebas, & perorabas. Esto nihilominus certa, te hac ratione non perdituram quidquam, aut perdidisse: venio enim ad te nomine Dei, ut tibi dem meam benedictionem, & per illam applicem gratiam, virtutem, & auxilia Domini Dei tui. Atque hoc dicto Celsissima illa Regina mihi suam dedit sanctissimam benedictionem, & omnibus rebus, quæ erant in meo cubiculo. Subitò autem duo Angeli parvi mihi assistentes, assumptis svavissimis instrumentis, cœperunt simul cœlesti melodiâ, quamvis tono demisso, canere laudes Domini Majestatis, & Sanctissimæ Matris ipsius. Hi duo Angeli canebant seorsim, & omnes reliqui ibi præsentes illis respondebant alternatim. Etiam tunc summa cum svavitate mihi fui prorsus erepta, & quando ad me sum reversa, finita erat visio: colliquescebam tamen tota, agens gratias tam benigno & clementi Deo.

Aliâ vice, dum me pro more, sed ferventer, commendarem Divinæ Majestati, conspexi, quasi tempore alieno, JESUM Christum Dominum nostrum affixum cruci. Mea anima id valde mirabatur, abstrahénsque se quantùm poterat, conabatur mentem aliò avocare, prosequendo suam consvetam orationem coram Deo, & se resignando in sanctissimas ipsius manus, ut in hac ancilla sua operaretur quidquid vellet. Non diu id egi, quando se mihi subitò rursum spectandam præbuit Majestas JESU Christi Domini nostri, sicut antea. Ego verò denuò ob meos timores sum conata avertere imaginationem, & redire ad Deum viâ ordinariâ, usquedum se mihi idem Dominus tertiò manifestavit eodem modo in cruce. Et vidi, quòd modo spiritualissimo & arcanissimo (quem mea anima nesciet explicare, quamvis illum clarissimè spectaverit) hic Dominus taliter affixus cruci sese inclinaverit, & sacro suo capite attigerit meum, indignum tantâ gratiâ & misericordiâ. Similiter attigit meum pectus, manus, & pedes. Dum autem deinde reversus esset ad priorem situm, interposuit se inter eundem Dominum, & meam animam quædam velut aurea, & lucidissima nubecula, ideóq; ipsum ultrà non vidi. Obstupui plurimùm ob admirabile mysterium, non intelligens illius significationem, & dixi Deo: Mi Domine, quid vis operari in hac miserabili creatura? quid illam taliter vis docere? Hoc perpendebam, donec mea anima, infundente ipsi Divinâ Majestate ingens & internum lumen, ut se (longè clariùs quàm oculis corporeis) videret, animadvertit, quòd in se haberet impressam & insculptam imaginem illius Crucifixi Domini eo modo, quo ipsum viderat, acsi re ipsâ foret tranformata in eundem sum Crucifixum Dominum, & quodammodo participaret Divinam ipsius virtutem.

Ex ista cognitione fuit orta admiratio, humiliatio, & verecundia meæ animæ, incomparabiliter major eâ, quam habuerat initio, quanquam conjuncta magno solatio. Et revera me sentiebam adeò immutatam, ac tam diversam, non in potentijs tantùm internis, sed in exterioribus etiam sensibus, ut me vix agnoverim, visáq; mihi fuerim ignorare, an essem ego, quæ externè operabar & loquebar. Ità transegi complures dies. Dum igitur hunc in modum essem abrepta, dixit mihi aliquando Divina Majestas quàm benignissimè, & amantissimè: Quid habes Anima? quare tantopere miraris? cur nunc ob humiles tuos affectus, & agnitionem tuæ propriæ vilitatis vexas adeò caput, ac times, cogitando, quomodo sit possibile, ut in te similes operer gratias? Ecce scias, quòd, prout audiveris, per Moysem in deserto exaltaverim illum serpentem æneũ, figuram Crucifixi JESU Christi, propterea que talem ipsi contulerim virtutem, ut quicunque eum aspicerent, sanarentur à morsibus serpentium. Si ergo nunc propter incomprehensibilia mea judicia, & insi-

infinitam meam misericordiam, in anima meæ creaturæ, quam condidi ad imaginẽ & similitudinem meam, volo effigiem Crucifixi Filij mei, & ejusdem virtutem ponere, atque ità operari tam mira, ut quicunque ipsam aspexerint, obtineant auxilium & gratiam meam, quò curentur à morsibus serpentis infernalis, etiámque, si fuerit expediens, sanentur à morbis naturalibus: si, inquam, id operari volo in mea creatura propter meam misericordiam, & bonam dispositionem, quam in illa reperio, volésne tu fortè meam misericordiam nimijs tuis timoribus coarctare? Noli hoc facere, Anima mea, sed confide in me, quòd te sim illuminaturus & instructurus, ac adjuturus, & nunquam tibi defuturus, quemadmodum tibi sum pollicitus. Modò vale. Id mihi dixit Dominus, & revera intra brevissimum tempus sum experta hujusmodi quædam Dei beneficia, proficua meis proximis. Ipse sit millies iterúmque millies benedictus, ob id quod est in semetipso, & quod præstat suis pauperibus creaturis, dum semper varios indagat modos, ut illis opituletur in via salutis.

Accidit mihi aliâ vice, ut, cùm haberem miserabile meum corpus vehementer oppressum, tam gravis ac diuturnæ ægritudinis doloribus, atque nihilominus animam conservarem attentam suo Deo, & consvetâ suâ occupatam oratione, audiverim Dominum, qui mihi, acsi me properantissimè vocaret, dixit: Veni huc, Anima, veni, accede. Ego, quia ità eram constituta sicut dico, & notabiliter habebam fractas naturæ vires, respondi: Non possum, Domine, quia magna hujus miseri corporis debilitas non patitur, ut possim surgere. Veni Anima, subjunxit Dominus: juvaberis enim, ut possis. Surrexi adjuta à meo Sancto Angelo Custode, & innixa baculo sum progressa ad paucos passus, atque accessi, non sinè aliqua difficultate, ad quendam parietem: acclinavi me ad illum, ignorans qualenam hoc esse posset mysterium, & vellétne me Deus propter peccata mea castigare, molestum enim mihi accidebat ibi manere. Tum mihi Dominus dixit: Noli timere, Anima, expecta modicùm. Venit interea quidam Angelus, & aperuit fenestram, quæ erat in eo pariete. Rursus mihi deinde dixit Dominus: Specta, Anima, quæ ibi videbis, noli timere. Spectavi, sed cum ingenti metu, quia vidi abominabiles quasdam & feras bestias, ut leones, ursos, & alias hujusmodi, clausas in obscurissimo conclavi, quæ se mutuò mordebant, cum extraordinario strepitu ac tumultu. Intravit subitò quidam Angelus Dei in illum locum, torvo & irato vultu, atque incepit baculo, quem in manu ferebat, illas terrefacere, & quasi verberando pellere, ut per exiguam quandã portam egrederentur ex eo conclavi, præcipiens ipsis, ut abirent ad abyssum infernalem, nullo ullibi cuiquam creaturæ damno illato. Ità fecerunt, & ingressi sunt rugientes in barathrum.

Dum viderem hoc spectaculum, valdè trepidabam, & conversa ad Deum, dixi illi: Deus mi, & Domine mi, quid mihi hac ratione voluisti indicare? statim id scies, Anima, dixit Dominus: nunc revertere ad tuum pauperculum lectum. Clausa fuit continuò illa fenestra, & Sanctus meus Angelus Custos, apprehenso meo brachio, me cum magna mea difficultate, & naturali virium defectu, reduxit ad meum locum. Respiravi tantillùm à meagavi molestia, ac tum mihi Dominus dixit: Anima bene scis, quòd à me admodum ardenter atque instanter petiveris, ut possumdarem præcipuos, magísq; noxios dæmones, à quibus suscitabantur incantamenta bellorum, quæ exarserant inter Principes Christianos, & Infideles, quod ego propter occulta judicia mea fieri permittebam, & quia mihi ad id fuerat petita causa. Ità, ac tam efficaciter me rogasti, toties me solicitando ad illos inde abigendos, ut tibi id non potuerim negare, fecerímq; ut adducerentur ad tuum conspectum, & meo jussu concluderentur à meo Angelo in inferno, nè ulli possent nocere; útque tu, videns satisfactum esse tuo desiderio, quiescas, & capias inde solatium. Mea anima mirata fuit quæ vidit, & multò magìs quæ audivit à Domino, agnoscens infinitam illius bonitatem & mi-

sericordiam, exaudientis preces tam indignæ & miserabilis creaturæ. Ipse sit in æternum benedictus propter omnia opera sua. Amen, amen. Hoc mihi evenit initio Martij, anno sexcentesimo trigesimo.

# CAPUT VIII.

## Concluditur materia concernens beneficia, quæ universim præstitit proximis.

*Et si visiones, quas capite hoc referam, nullum indicent certum tempus, quo evenerunt, colligere nihilominus est, quòd illas habuerit ab anno sexcentesimo trigesimo, usque ad postremum suæ felicis vitæ, qui fuit sexcentesimus trigesimus tertius. Siquidem juxta supputationem chartarum, quam in hujusmodi dubijs observo, omnes istæ ponuntur post ultimam, quâ concluso præcedens caput. Venerabilis Marina ità scribit.*

Quotidianum per hos dies meum exercitium est, ut me magìs ac magìs immergam in propriam meæ vilitatis cognitionem, quâ plerumque mea anima libenter occupatur. Dum ergo aliquando magno fervore tali essem intenta orationi, dixit mihi Dominus: Veni mecum, Anima, & ducam te ad cœlestem Jerosolymam. Modus, quo Deus hæc verba protulit, fuit admirabilis, & singulari me affecit solatio: quia tamen mea anima tum eliciebat illos affectus, séque eo solabatur, quòd se adverteret esse tanquam in proprio loco, in fimeto suæ vilitatis, existimans se indignã, prout est, tanto favore, respondi humili affectu, sed prompto ad exequendam Divinam voluntatem. Bene hîc maneo, mi Domine & Deus mi, bene hîc maneo, quia est proprius meus locus: quorsum me vis ire? quomodo me vis ducere ad locum, quem minimè mereor. Bene, Anima, ajebat Dominus, bene dicis: sed nunc veni mecum, & noli tergiversari. Ecce me indignam ancillam tuam, mi Deus, respondi; fiat in me tua sanctissima voluntas. Subitò me Dominus duxit suâ manu, soláq; suâ propriâ virtute, ad immensam altitudinem illius cœlestis Civitatis, ubi me deprehendi in quadam quietissima Divina solitudine, quin ullam viderem creaturam, sive Angelum, sive animam beatam, sed tantùm immensam gloriam illius Divinæ Majestatis, adeò ut mihi nihil aliud ibi esse videretur præter Deum ac me, qui soli eramus in eo felicissimo loco.

In hoc profundissimo silentio, & in ista quodammodo statione solitaria Dominus ad me quàm vicinissimè accessit, & acsi secretissimè solus in aurem animæ loqui vellet, eidémque, gravem indicando dolorẽ, suas manifestare querelas, mihi dixit: Ecce, Anima mea, scias, meum populũ Christianum; illum, quem specialiter sangvine meo redemi; illum, cui quotidie tot ac tanta confero beneficia, esse quasi perditũ, nihil propè in eo reperiri præter mendacia, fraudes, peccata, abominationes, incredulitates, & exiguam mearum veritatum cognitionem, ac eorũ, quæ ipsi meo nomine dicuntur, eò quòd habentes obscuratam rationem sint cæci, & errent. Anima, vehementissimè hæc sentio, tantúmque non decerno mundare triticum, & congregatum recondere in meo horreo, paleas autem succendere & comburere. Quid tibi, Anima, hac de re videtur? animadverte etiam, quã habeam causam id faciendi, cùm tibi eam manifestaverim, quando intuendo clarissimum speculum mei Divini Esse, unà vidisti omnẽ hanc perversitatem, quæ adversùs me perpetratur, ac de qua tam justè queror. Audiebam plurimùm dolens & obstupescens, quod mihi à Domino dicebatur; conabar nonnulla ex ijs excusare, quæ mihi videbantur aliquando posse eximi à culpa, ùt quòd non adhiberetur fides privatis revelationibus, & similia. Dominus autẽ nolebat admittere excusationes, dicendo mihi, se sufficientia illis dedisse fundamenta, & lumen, ad eas credendas, sed ab ipsis id lumen vitijs ac defectibus naturalibus obscurari atq; extingvi; & hoc

Divina Majestas dicebat modo usqueadeo sublimi, & tam imensum habente pondus, ut à nullo possit intellectu comprehendi. Deinde verò pro infinita sua bonitate, quasi ostendens, se vices dolere sui populi, sibíque difficile accidere, quod ipsi Divina ejus dictabat Justitia, mihi dixit: Nunc Anima vale, & ora, atque intercede pro omnibus. Sit Ipsius Majestas in æternum benedicta. Amen.

Derepente fui rapta in ecstasim, & adverti me subitò occupatam somno quodã spirituali, arctissiméq; unitam huic magno Deo & Domino, ubi cognovi ineffabiles ejusdem perfectiones. Ex hoc svavissimo somno me expergefecit (non absq; magna difficultate, & velut repugnantia mea) cœlestis Angelorum musica. Tum Div: Maj:, ex cujus dispositione id fuerat factũ, præcepit S. meo Angelo Cust:, & cæteris meis Dominis Angelis, qui ibi comparuerant, ut me cum magna solicitudine ac attentione reducerent ad meum locũ: quod ipsi fecerunt, sicut jussi erant à Domino.

Magnam sum experta difficultatem in redeundo, semper tamen fui resignata in voluntatem hujus magni Dei. Ex quo hic raptus fuit finitus, nõ cessavi sentire quendam dolorem compassivum (nescio, quomodo illũ appellare debeam) ob tam justas querelas Dei, acsi afligeretur nostrâ ingratitudine, sumẽq; desideraret, ut implorarẽ ipsius misericordiã pro me, & pro universo populo Christiano. Ipsi sit laus. Amen.

Paucis deinde diebus elapsis mihi Deus præstitit gratiã, quam alibi recensui, & unâ horâ pòst, dum illi pro prædicta gratias agerem, me rursus Ejusdem Majestas vocavit quasi festinanter, sed gravissimè, dicendo: Veni huc, Anima, veni mecum, & videbis, quod tibi ostendam; atq; sinè mora me duxit ad cœlestem Jerosolymam. Vidi ibi magnam copiam Angelorum, qui jam erant velut accincti ad abeundum, ut exequerentur quodpiam mandatum Dei, videbantúrq; jam accepisse Divinam ipsius benedictionem. Tunc mihi Ejusdem Majestas dixit: Anima, præpara te ac dispone, quia acceptâ pariter meâ benedictione te eò proficisci oportet cum his meis Angelis, quò illos mitto. Prostravi me subitò coram eo magno Domino, & protestans, me esse indignã ipsius ancillam, promptam me exhibui ad omnia cõformia sanctiss: ejus voluntati Surge, dixit Dominus, & abi statim cum istis Angelis. Acceptâ verò sanctissimi ipsius benedictione, conspexi derepente S. Angelum meum Cust:, & alios meos Dominos ac socios, à quibus ducta ad numerosissimum agmen illorum SS. Angelorũ, de quibus sum locuta, fui collocata in medio (aut paulò inferiùs) intra eas cœlestes cohortes. Hoc ordine sumus egressi ex illa superna civitate, & adverti ipsos constituisse, ut circumirent totum mundum, quod existimo fuisse factum. Licèt autem ego initio aliquantùm timerem, videns me in tam ignotis regionibus, tamen animata à meo S. Ang: Cust:, & aliis meis Dominis mihi jam notis, prosequebar iter intrepidè. Circumivimus quædam vastissima maria, & latissimè patentes terras, ubi interiùs à Deo illuminata cognovi diversissimas provincias & Regna, atque in his infinitos homines variorum statuum, morum, legum, & sectarum, quæ omnia me Deus edocebat per meos S. Angelos. Tandem, postquàm perambulavimus universum mundum, ingressi iterum sumus eodem ordine cœlestem Jerosolymam, ubi prostratam Beatiss: Trinitate, quasi in præmium, quòd bene fuissemus executi ipsius mandatum, denuò accepimus sanctam eandem benedictionem.

Paupercula mea anima vehementer turbabatur, dicam meliùs, erat confusa perplexa, dicebátque intra se ipsam. Deus bone! quid magnus iste Dominus voluit significare, & indicare per hoc mysterium? quẽ in finem mihi monstraverit tot homines in toto mundo, cùm illo peragrando nihil videatur esse præstitũ, quod ceciderit ad salutem animarũ, sive ad glotiam ipsius met Dei? Quid prodest, quòd viderim creaturas, quas Deus suâ potentiâ condidit, suáque providentiâ gubernat, divisas in tam multiplices sectas? Non potui non perire, ubi in meo dubio securè figerem pedem. Dum id expenderem, vidi, quod magnus ille Deus ac Dominus vocaverit eam multitudinem Angelorum, cum quibus profecta fueram, dicendo: Veni

huc Angeli mei, & dicite mihi, quid egeritis in hoc itinere & expeditione, ad quã vos misi: retulistísne aliquem fructum, & estísne assecuti aliquid boni pro salute animarum, ad gloriam meam? Sancti Angeli velut obmutescentes siluerunt, & hæserunt attoniti. Tum Divina Majestas, quæ videlicet intimè penetrabat mysticũ illud silentium, ijs dixit: Ità est, Angeli mei, ità est, sicut vidistis; tot sunt impedimenta, quæ homines ex parte sua objiunt acceptando meo lumini ac doctrinæ; tantæ sunt ipsorum tenebræ, & cæcitas, ut, licèt profecti sitis, ad illos permovendos & illuminandos, nec vos viderint, neque agnoverint: quin etiam vobis ipsis, propter eorundem malam dispositionem, lumen vestræ facis, ad prælucendum illis, est quodammodo extinctum, & apparet, quòd eos videndo non videritis, atque agnoscendo non agnoveritis.

Deinde Divina Majestas ad me conversa mihi dixit: Veni huc, Anima, & dic mihi, quid egeris in ista expeditione, ad quam te cum Sanctis meis Angelis misi, quem fructum feceris in animabus: quomodo te erga illas gessisti? quid ipsis dixisti? quid tibi responderunt? Mirata sui interrogationem illius magni Dei, & pudefacta respondi: Mi Deus & Domine mi, nihil dixi, neque scivi aut intellexi, quid facere possem, quia nihil sum, nihil valeo, & nihil possum sinè te. Bene est, Anima, dixit Dominus, causa hujus facti est mihi soli reservata, ad te non pertinet. Quod tibi nunc faciendum incumbit, & à me injungitur ac præcipitur, est, ut me instanter, & eo affectu, quem ego tibi suggeram, invoces, imploréque meam misericordiam: siquidem propter infinitam meam bonitatem, & immensam clementiam, ac dispositionem, quam tibi ad id dabo, remedium & salus illarum animarum, quas vidisti, in hoc versatur: atque idcirco tibi fuerunt ostensæ. Vade nunc in pace, & quiesce in me. Dedit mihi Divina Majestas suam sanctam benedictionem, & mei Domini Angeli me duxerunt ad meum angellum, ubi, ex quo hæc visio fuit finita, non cessо pro illis animabus, quæ mihi videbantur esse plurimæ, invocare magnum Deum nostrum. Ipse me exaudiat per viscera misericordiæ suæ, cùm id tam parum mereat, & sit benedictus in æternum Amen.

*Animadvertendum est, non dicere Venerabilem Marinam, quòd, licèt peragraverit totum mundum, viderit omnes animas in eo existentes, sed phrasi, quâ communiter uti solemus, vocaverit infinitos homines, quos postea vocavit plurimos. Quia verò hæc Virgo ardens amore Dei & suorum proximorum, desiderabat conversionem totius mundi, tam Provinciarum Catholicarum ad pœnitentiam, quàm earum, quæ tales non sunt, ad fidem; ostendit ipsi Deus dispersam, per totum orbem, magnam hominum multitudinem, quorum salutem æternam, per ipsius preces obtinendam, Divina Majestas, ex mera sua bonitate & misericordia, decreverat: quod ingens est privilegium, liberaliùs tamen, aut parciùs multis Sanctis concessum, quos merita & gratia, per Christum Redemptorem nostrum, ad tantam perfectionis provexerunt sublimitatem, ut non solùm ipsimet salutem superabundanter consequerentur, verùm etiam suis precibus cooperarentur ad salutem alienam. In alia charta, quæ paulò post sequitur eam, quam modò retuli, sic Venerabilis Marina loquitur.*

Fui quadam vice, post prolixam orationem, arctissimè unita meo Deo & Domino. Hæc unio erat tam vehemens, ut existimarem esse impossibile, unquam ab ea dissolvi. Erumpebant ex anima, quasi cum impetu ebullientes, multi & ferventissimi affectus, licétque essent tot ac tales, nescio quâ ratione omnes in unum solum videntur coaluisse, cum in modum, ut sic dicam, quo hîc ex multis diversis floribus, vi ignis, prodit distillata unica compositio fragrantissimæ aquæ. Tum anima, velut ebria divino amore, revera non advertebat, quid diceret: videtur tamen explicuisse affectus, de quo loquor, proferendo, & sæpe iterando hæc verba: Mi Deus & Domine, nequit ampliùs id tolerari, nihil ultrà fieri potest: ignosce Dilecte mi, nequit ampliùs id tolerari. Paupercula anima non potest à te separari, ignosce, nequit ampliùs id tolerari. Dominus Ma-

jestatis audivit, quod illi mea anima, ex ipsiusmet instinctu, dicebat, & singulari benignitate ac affabilitate me interrogavit: Quid loqueris Anima, quid significant tua dicta? explica te, & expone mihi, quid velis dicere, dum ais: Nequit amplius id tolerari. Non, mi Domine & mi Deus, respondi ego, non potest amplius tolerari. Bene est, dixit Dominus, optimè te intelligo: mane modò in me, & quiesce. His à Divina Majestate dictis, me adverti quasi profundissimè immersam in Divinum Esse, cum summa pace, & quiete. Fui velut circumdata ab ea Divina magnitudine, tanquam intra quoddam palatium gloriæ, ubi nulla ad exitum patebat porta aut apertura. Ità mea anima diu fruebatur ineffabilibus bonis, quamvis inter illa reviviscceret quidam sanctus timor, affectus amanter humilis, & carens turbatione, qui æstimabiliores ipsi & venerabiliores reddebat gratias, quas à suo Domino consequebatur.

Præterlapso hoc tempore me Divina Majestas denuò est allocuta, dicendo: Quid agis Anima? dormisne, & quiescis in tuo Deo? Expergiscere jam, atq; egredere modicùm, & ascendes ad hanc immensam altitudinem, conferésque te ad altam speculam, & ex ea videbis, quod tibi ostendetur. Audiebam quidem Dominum, sed videbatur mihi quasi impossibile inde egredi, ac tam altè ascendere, ideóq; Ejusdem Majestati respondi: quomodo fieri potest, quod dicis mi Deus, & mi Domine? sum debilis, miserabilis, pauper, & creatura indigna tantis beneficijs tuis: sum pulvis & cinis, sum nihil: quomodo me vis exire extra tam arctam unionem, atque tam altè ascendere? quomodo id potero facere? Poteris, Anima, dixit Dominus, me adjuvante. Tum ego magis me humiliando, penitus me submisi Divinæ voluntati, protestando, me esse indignam ipsius ancillam. Venit ad me subitò quidam gravissimus ac superior Angelus, & mirabiliter attingens plantam mei dextri pedis, me svavi violentiâ, & expeditissimè elevavit ad quandam quasi speculam illius immensæ altitudinis. Inde videbam universum mundum, qui tamen mihi totus videbatur vix exiguum esse punctum. Hîc mihi Divina Majestas per altius lumen manifestavit suam infinitam potentiam, quâ cuncta creavit, & quomodo omnia in ipsius conspectu sint atomus. Cognovi, quòd facilè alios millenos posset denuò condere mundos, cum innumeris alijs creaturis, & qualiter omnium creaturarum esse dependeat ab infinita ipsius bonitate & providentia.

Omnia ista intelligebam, dum contemplarer mundum, & magnus ille Angelus, qui me elevaverat, erat juxta me velut innixus eidem speculæ. Videns autem, mihi nihil aliud præter dicta ostendi, conversi me ad illum dicendo: Domine Angele Majestatis, quid vis mihi significare, dum mihi ostendis hunc mundum, qui mihi non apparet major unico puncto? Respondit mihi, se id facere, ut hac visione, & lumine habito, quod mihi à Deo communicabatur, ascenderem ad cognitionem Divinorum attributorum, adjecítque deinde: Prospice bene, Anima, ex hac specula, in qua es, & videbis distinctiùs atque clariùs hunc mundum, qui apparebat instar unius atomi. Feci ità, ac vidi mundum clariùs & distinctiùs, videbárque mihi non posse comprehendere totam ipsius magnitudinem. Quod videbam, & poteram assequi, erant infinita mala & peccata, abominationes, errores, nequitiæ, mendacia, fraudes, ac deceptiones. Videbam hæc non singula seorsim, sed confusè, & acsi viderem apicem omnium simul, eorúmque innumerabilium malorum. Indolui propterea vehementissimè, & fui summè afflicta, neq; scivi, quid aliud dicerem, quod etiam sæpe repetebam, quàm tantummodo: Mi Domine, & mi Deus, miserere, ac propitius esto populo tuo Christiano. Hæc me cura ad magnam defatigationem diu angebat.

Prædictus Sanctus Angelus me enim nuò duxit ad thronum Beatissimæ Trinitatis, ubi me humiliter prostravi. Ibi me magnus iste Dominus surgere, ac dixit: Nónne vidisti, quæ sit mundi corruptio, abominatio, & perversitas? quid tibi de-

detur? Respondi tota tremens: Mi Domine & mi Deus, miserere & propitius esto populo tuo Christiano. Bene est, dixit Divina Majestas, tanquam irascendo; & convertens se ad illum superiorem Angelum, qui me adduxerat, dixit illi cum magna authoritate: Apprehende arcum, & perge ad illam speculam, atque ejaculare inde sagittam ignis fortis & comburentis in mundum, ut ipsum destruas, disperdas, & consumas. Audiens id ille magnus Angelus (qui mihi semper ab initio videbatur esse ampliùs quàm Angelus, ut, nescio quomodo, suspicarer, adesse ibi personatum Christum Dominum) prostravit se coram Divino conspectu, ac deinde provolutum in genua, & manifestantem se mihi, quis esset, ostensis vulneribus suorũ sacrorum pedum, manuum ac lateris, vidi eundem Redemptorem, & dulcissimum Dominum nostrum, tanquam Hominem, exhibentem ea vulnera suo æterno Patri, egisse advocatum nostrum, & instantissimè ac efficacissimè petisse ab illo magno Deo, ut per infinitam suam bonitatem, & per mortem, quam ipse pro genere humano fuerat passus, propitius esset populo Christiano, ejusdémque misereretur. Allegabat præterea incomparabilia merita suæ Sanctissimæ Matris (quam eo momento conspexi præsentem, quo illam nominavit) quasi illam monstrando suo Patri æterno: & observavi, quòd ipsam ineffabili teneritudine, & gravitate attigerit suâ sacrosanctâ manu. Hæc Celsissima Domina etiam suas agens partes, pari humilitate & efficaciâ instanter implorabat misericordiam.

Dominus Majestatis audiebat preces sui Sacratissimi Filij, & benedictæ ipsius Matris, atque ostendens divinam suam indignationem aliquantùm mitigari, permisit, ut interim suspenderetur pœna, quæ per illam sagittam destructricem erat executioni mandanda, & alloquens me denuò mihi dixit: Quid tibi, Anima, de his omnibus videtur? dic mihi, quid tibi videtur. Ego rursum tremens, & profundè penetrans meam vilitatem, dixi: Mi Deus, & mi Domine, nihil aliud possum respondere, quàm, conformando me cum petitione mei Domini JESU Christi, & Sanctissimæ ipsius Matris, ut sis propitius populo tuo Christiano, secundùm magnitudinem miserationum tuarum. Veni huc, respondit ille magnus Dominus, videórne tibi bene facturus, si nullam haberem rationem justitiæ, & eam non exercerem? Ecce scias, quòd ira mea suum obtineat locum, non secùs ac misericordia; & jam appropinquet tempus, quo purum & mundum triticum congregari oportet in horreum, atque paleæ sunt comburendæ, & in ignem projiciendæ. Cùm tamen tantâ commiseratione tangaris, ob castigandum à me mundum, esto generosa, cordata, & animosa, ad dicendum Gubernatoribus Reipublicæ, ut pro viribus corrigant errores à se in eo commissos, de quo ipsos aliàs per te commonefeci. His Domini verbis fui turbata, atque expavi vehementer, & prout potui, dixi: Mi Deus, & mi Domine, quomodo id vis ac jubes à me dici cùm scias, quòd ob animas illorum, qui præsunt Reipublicæ, malè dispositas, nihil fuerit curatum, aut præstitum eorum, quæ ipsis tuo nomine sunt insinuata, imò facta fuerint omnia contraria? Idẽ nunc absque dubio credo eventurum, & fieri poterit, ut quæ ijs dicam, existiment imprudenter ac ineptè dicta, quod nescio an ipsis etiam prodesset, & an non occasionem præberet magìs irritandæ tuæ justitiæ. Sed neque, mi Deus, insuper video convenire tuæ gloriæ, & venerationi debitæ tuis veritatibus, ut despectui habeantur. Obsecro autem te & rogo, quàm humillimè ac enixissimè possum, per temetipsum, & per tuam infinitam bonitatem, ut tu illis id inspires, loquarísque ijs ad cor, quò faciant, quod dicis, ut ego ipsis intimem, & omnia dirigant ad tuam sanctissimam voluntatem, atque ad bonam gubernationem Reipublicæ Christianæ.

Tum Dominus Deus summâ majestate & authoritate mihi dixit: Adverte Anima, non decet te mihi dare consilia, vel dicere quid mihi sit agendum quídve meliùs fieret: sed promptissimè obediendo

exequi ea, quæ tibi mandavero, & injunxero. Audivi objurgationem magni Domini nostri; deprehendi me ream; prostravi me coram Divino ipsius conspectu; rogavi illum, ut mihi ignosceret, dicendo: Mi Domine, ecce me indignam ancillam tuam, fiat in me tua sanctissima voluntas, & præcipe mihi quidquid volueris. Bene est, dixit Dominus, & non ursit me denuò ad intimanda, quæ mihi injunxerat. Interea fui modicùm abalienata à sensibus, & ad me reversa me inveni in ea cœlesti Patria, ubi videbam ineffabilia bona gloriæ, defixis oculis animæ in illud Divinum Esse, quod me subitò abripuit, sibíque tam arctè univit, ut penitus perdita nihil ampliùs de me sciverim. Ibi remansit pars mea superior, & inferiorem, dum tota mihi mirum in modum in anima & corpore viderer splendere, duxerunt Sancti ipsius Angeli ad suum angellum. Hîc ad me rediens ex isto raptu, sum mirata opera & misericordias indicibiles Dei: natura verò fuit usqueadeo prostrata ac debilis, ut mihi tunc fuerit impossibile referre meo Confessario mysterium, quod mihi evenerat. Divina Majestas illuminet hanc miserabilem creaturam, ut assequat ipsius veritates in via tam extraordinaria, quâ me ducere dignata est à primis annis meæ infantiæ. Deo gratias, qui in æternum sit benedictus. Amen.

*Vix quidquam in via, quâ Deus duxit Venerabilem Marinam, ac etiamnum similes animas ducit, & ab exordio suæ Ecclesiæ ducebat, difficiliùs illis accidit & molestius, quàm dum se vident obligatas, ad commonefaciendos nomine Dei cœli Dominos, & Moderatores terræ. Occurrentibus primis occasionibus oritur difficultas ex eo, quod, cùm omnis bonus spiritus singularem ingeneret animabus contemplativis circumspectionem, & specialissimum affectum, ut mundus ipsarum obliviscatur, nullámque habeat notitiam, quam ob causam rigidissimas sibi imponunt leges silentij, ne alijs manifestent divinos favores, quos consequuntur; quòd, inquam, postea videntes se ab ipsomet Deo obligari, ad prodeundum velut in publicum, ut ejusdem nomine agant internuntias, tanquam cœlo familiares, terribilem patiantur confusionem, insuperabilem tumultum, ac discrepantiam suarum rationum, quam experiuntur in intellectu, & intolerabilem conflictum, atque perplexitatem suorum affectuum. Quævis naturæ sanctè meticulosæ repugnantia illas excruciat, acsi ea foret libera rebellio adversùs mandatum illius Domini, cui satisfacturæ mille prodigerent vitas. Aliunde verò qualemcunque promptitudinem, quam hac in re sentiunt ad obtemperandum, judicant esse perversam propensionem, ad captandum vanum honorem, & conciliandam sibi opinionem sanctitatis. Tremunt, si obsequantur, & extremè affliguntur, si secùs faciant. Atque hîc magis quàm unquam alias dæmon suas agit partes, excitat ipsis dubia, prætereáque diffidentiam de bono, quo aguntur, spiritu. Si credunt, persuadet illis, quòd sint faciles ad credendum, & perpetuis expositæ deceptionibus; sint autem protervæ, & ligent manus Divinæ misericordiæ, si fidem non adhibeant: adeò ut, quæ audientes divinam vocem fuerunt certissimæ de infallibili veritate ejus, qui ipsas alloquebatur, dum exequi volunt mandatum, subtracto illo claro lumine, se in profundo interdum deprehendant pelago tenebrarum.*

*Iste ex parte (omnia namque dici nequeunt) est hujusmodi animarum status, in primis occursibus, seu primis occasionibus, quibus illas Deus suas facit internuntias. Non minuitur afflictio, quin imò magis ac magis augetur, dum ipsis talia à Deo per decursum vitæ præcipiuntur. Singula, ad quæ denuntianda denuò obligantur, omnium præteritorum ubi complectuntur difficultatem: quandoque autem, etiamsi prædicta confusio (eò quòd maius adsit lumen, & præsentius) cesset, duplicatur tamen difficultas in executione. Jam non solus timor illis negotium facessit, sed manifestat insuper experientia, quàm parum suis proficiant admonitionibus; parcè præterea adhibetur fides earum revelationibus, quas, qui humanior est, & civilior, vocat bonos affectus & zelum sanctum, destitutum nihilominus notitiâ negotiorum, quæ à Proceribus & Gubernatoribus intimiùs perspiciuntur; alij ut minimùm appellant timores muliebres; hi dicunt esse somnia, ac debilium capitum exercitationes; illi sive animarum dolosarum fictiones, frivo-*

*lusiones diaboli, optantis hac viâ impedire, quæ ad præcipuam DEI gloriam, & Reipublicæ Christianæ emolumentum Gubernatores, adhibitis ex singularis prudentiæ dictamine mediis, neque sinè sæpiùs iteratis consultationibus, decernunt. Omnes autem (etiam viri Religiosi, ac timentes Deum) denique concludunt, regimen publicum instituendum esse juxta modos, & regulas ordinarias, nobis à Deo relictas, non quæsitis extraordinariis viis privatarum revelationum, quæ sunt plurimum obnoxiæ deceptioni illius, à quo examinantur, & aptæ ad præcipitandum unà illum, qui eas sequitur. Hæc igitur experientia, quòd videant fieri injuriam Divinæ veritati, summopere has animas remoratur, quæ submississimè venerantur suum Dominum. Accedit, propter ardentem amorem, quo feruntur erga suos proximos, ingens timor, nè si Gubernatores multiplicent contemptum similium admonitionũ, multiplicentur tantùm æquissimæ causæ Divinæ indignationis, & nè, dum ipsa optant, intimando quod illis fuit injunctum, videre, ut, ad placandum & exarmandum Deum, admittatur, si id annuntient; propterea tamen quòd spernatur, occasionaliter accelerent pericula divinæ vindictæ. Istam existimo fuisse unam ex majoribus, & gravioribus crucibus, quas Venerabilis Marina sustinuerit, quod colligitur ex aliquot epistolis, quas scripsit ad suum Confessarium, & penes me habeo,*

*Non est hujus seu loci, seu argumenti, ostendere Consiliariis, & Præsidibus Rerumpublicarum, quomodo se in hac materia gerere debeant: non satisfacerem tamen muneri meo, nisi ad prædicta intelligenda, & ea quæ deinceps dicentur, breviter indicarem periculum, quod in ejus usu incurri potest. Adverto inprimis, æquè secundùm se malum esse & noxium regimen, quando mendacia, ac dolis fraudulentarum personarum, vel illusarum, admittuntur pro divinis revelationibus, atque est, dum spernuntur veritates Dei, manifestatæ personis verè sanctis, & missis ab eodem magno Domino, ac si essent somnia, vel fabulæ. In primum abripiuntur quidam Gubernatores præditi genio facili & indiscreto, quamvis addicto pietati, tantóque violentius, quantò tam illi, quàm ipsorum Confessarii, quibuscum consultant de revelatione, sunt magis, prout vocantur à mundo, devoti, quàm prudentes ac docti, multúmque habent simplicis cujusdam pietatis, & propè nihil doctrinæ, atque experientiæ. Qui sunt hujusmodi, omnia mirantur, credunt omnia, & omnia approbant. In alterum se Gubernatores, qui sunt duri ingenii, nimiùm astuti, & modicè propensi in pietatem, præcipitant eò confidentiùs ruentes, quò eorum Confessarii, & in similibus materiis consiliarii, fuerint doctiores viri, & qui ordinariâ duntaxat præditi virtute, vitámque agentes Christianam, tori sunt in evolvendis Authoribus, perlustrandis, & conscribendis libris, expertes autem orationis solitariæ, ac diuturnæ cum Deo conversationis. Tales sua studia solent comprobare, vertendo in jocum divinas admonitiones: appellant beatos, qui eas approbant, non tamen credunt, nisi quod experiuntur, fortasse quia non possunt tolerare, quòd ipsis, quamvis, opinione suâ, vitam ducant probam, tot in obsequium Ecclesiæ, ùt illi ajunt, exantlando studia ac labores, non manifestentur, quæ Deus docet quempiam clausum & ignotum Religiosum, aut aliquam latentem in angulo aniculam.*

*Adverto secundo, Dominum Deum non minùs nunc esse liberalem erga suam Ecclesiam (imò tanto munificentiorem, quantò illam magis amat) quàm fuerit olim erga synagogam: atque cùm in hac præter publicos Prophetas (quibus modò opus non est) habuerit quasdam personas privatas, uti constat ex sacro textu, intimè charas, per quas pro sui populi solatio aliqua proficua dabat monita, æquũ esse, ut credamus, quòd in lege gratiæ animas habeat dilectissimas, quibus se communicet, & per quas populo, quem longè ampliore prosequitur amore, necessarias interdum submittat admonitiones. Tales fuerunt nonnulli Sancti, & Sanctæ præterlapsis temporibus, etiámque nostris, quorum revelationes hodieque veneramur impletas, tametsi, dum viverent, non caruerint molestiâ, ortâ ex obmurmurationibus, quibus divexabantur.*

*Supposito, rem istam & materiam tanti esse momenti, bene considerent Gubernatores, quomodo se gerant in ea examinanda. Nam, exiguo meo judicio, licèt tales personæ tantam sentiant difficultatem, ùt dixi, in dandis his monitis, & patefacienda sua revelatione, non*

*minor*

*minor est illa, quæ cuilibet se offert Gubernatori (præsertim ab initio, priusquam exploratus habeatur nuntius) ut prudenter possit ac debeat admittere, vel rejicere hæc monita. Nec video, quid amplius indigeat cœlesti lumine, quod instanter à Deo petendum est & implorandum, cum sincerissimo desiderio debitè exequendi injuncti officij, ad majorem gloriam ejusdem magni Domini. Id solum dicere possum, revelationes, quæ prætulerint nomen Venerabilis Marinæ, prudenter esse admittendas. Erant personæ notoriè sanctæ certitudine morali, quæ in hoc genere potest haberi; sunt approbatæ & examinatæ à viro, qui fuit unus ex doctissimis, peritissimis, & sanctissimis, quos nostra ætas viderit, Venerabili, inquam, Patre Ludovico de Ponte. Erant, utpote prefectæ à Deo, admonitiones adaptatæ tempori, supra modum seriæ, prorsus à privato commodo immunes, prudentissimæ secundùm humanam rationem quoad præsentia, quæ complectebantur; comprobatæ quoad futura, quæ præmittebant, aut comminabantur. Novit enim universa Hispania, eas, quæ datæ in gravissimis casibus ab hac Virgine, sunt acceptæ, exactissimè fuisse impletas. Deus largiatur gratiam Magistratibus, nè in ejusmodi occasionibus errent: nos autem revertamur ad nostram historiam.*

(✠)

# CAPUT IX.

## Charitas, quâ Venerabilis Marina oravit, ac laboravit pro fortunato Hispaniæ statu.

QUi ab hujus libri principio legit sanctos affectus, quibus tenerrimum & capacissimum cor istius Virginis, omnes mundi complectebatur, tam Catholicorũ, quàm Infidelium nationes, ut instanter orando divinum ipsis imploraret auxilium, applicatis in hunc finem afflictionibus, & cruciatibus, quibus à Deo exercebatur; non poterit mirari quòd se perquàm solicitam exhibuerit erga Hispaniam suam patriam, magnámque ejusdem gesserit curam. Sanctitatem Justorum mirè exornat grati animi significatio, dum præcipuam debitæ gratitudinis obligationem agnoscunt esse eam, quam contraxerunt erga natale solum, ubi primùm sunt in lucem editi, tantò magis soliciti, ut illi satisfaciant, quantò meliùs intelligunt, quòd Divina Majestas speciali providentiâ, per omnes Orbis Provincias diviserit origines & incunabula suorum amicorum, ut in singulis reperiret pignus sui amoris, à quo alliceretur & inclinaretur, ad profundendas suas gratias in multos, propter paucos ibi à se electos. Benedictus sit in æternum hic magnus Dominus, qui adeò liberaliter tot per Hispaniam distribuit insignes virtute viros, tot heroicâ conspicuas sanctitate fœminas, ut vix in ea sit Regnum, quod non in cœlo præclarissimos numeret filios, qui sua ætate firmissimæ fuerunt columnæ Ecclesiæ. Referemus igitur deinceps per aliquot capita, quid Hispania debeat huic suæ prodigiosæ filiæ, gratias, quas per ipsam á magno Deo nostro & Domino obtinuit. Insistendo autem, quoad fieri poterit, ordini temporis, præsenti capite comprehendam, quæcunque evenerunt anno sexcentesimo vigesimo quinto. Venerabilis Marina sic incipit.

Præterlapsâ die Sabbathi, quæ fuit prima Martij, dicata Angelo Custodi, vidi prodeuntẽ ex munitissimo castello (quod, utì mihi fuit indicatum, erat symbolum immensi Esse, & Omnipotentiæ Dei) innumerabilem Angelorum multitudinem deputatam ad custodiam hominũ. Hanc ordine geminato, & unius ducem agnovi Sanctus Archangelus Michaël, alterius verò Sanctus Archangelus Gabriel. Omnes elegantissimè armati explodebant per intervalla quoddam genus scloporum, quorum sonus non offendit, sicut ille qui auditur, imò, quod aliàs dixi, est suavis auditur, & gratissimus auditui animæ, quamus, & gratissimus auditui animæ, quam eo non solùm agnoscit harmoniam musicam, verùm etiam laudes Dei. Hanc mam claudebat pulcherrimus, omnibus superior Angelus: & significatum

fuit, advenire in ea ſpecie ſummum Angelum magni conſilij, Chriſtum Dominũ noſtrum. Commeabant ultrò citróque, acſi luſtrarentur & recenſerentur, rurſúmque conſiſtentes ad portam illius magni Caſtelli, omnes ſe ibi proſtraverunt, etiam Chriſtus Delicium noſtrũ, tanquam Homo, ad ſuſcipiendam Divinam benedictionem: quâ acceptâ ſurrexerunt, progreſſíque ſunt terram versùs, ad exequendam voluntatem Dei. Tum ego ipſos ardentiſſimis cordis mei affectibus rogavi, ut deſcenderent ad eas regiones, & contra illos populos infideles, qui conjurabant in perniciem Hiſpaniæ. Annuerunt meis precibus, cúmq; illuc deſcendiſſent, vidi, quòd ij Spiritus Angelici proceſſerint inſtar militum obviàm hoſtibus, & in illos jaculando alios peremerint, alios autem fugaverint, atque alios quaſi perturbaverint, & reddiderint attonitos. Repleta ſum maximo ſolatio, quia vidi per Dei miſericordiam ijs regionibus reſtitutam fuiſſe pacem. Deus ſit benedictus. Amen.

*Pater Michaël de Orenja, ipſius Confeſſarius, in fine hujus ſcripti ſuâ manu addit, id eveniſſe, quando Dominus Fridericus de Toleto eſt profectus in Braſiliam, & expectabatur ſucceſſus. Quàm certa fuerit viſio, probat inſignis victoria, quam ibi tum Hiſpania facillimè & feliciſſimè retulit de tam obſtinatis hoſtibus. Pergit porrò Venerabilis Marina.*

Feriâ ſecundâ, duodecimâ Maij, mihi fuit dictum, triſtia adveniſſe nuntia ex Italia, de ſtatu bellorum, quibus nonnulli Principes adoriebantur Regem Hiſpaniæ, & poſtquam ſtatim ſequenti feriâ tertiâ, cum hac, de proſpero ſtatu Eccleſiæ, atque augmento Catholicæ fidei, ſolicitudine oraviſſem, cœpi dicere Litanias Sanctorum, quas non potui finire, ſeu propter naturalem gravem debilitatem, quam his diebus ſentio, ſeu ob vehementiam ferventium affectuum, qui tum in me fuerũt excitati: & aliquantùm abrepta in Deum vidi, quòd Sancti Angeli, quorum ſtatio eſt ad duo latera mei cubiculi, ſe moverint, & convenientes in medio fuerint collocuti, acſi de re aliqua magni momenti conſulterent. Videbantur mihi velle aliquò abire, & incepi ob illorum abſentiam affligi, interrogando ipſos, quorſum vellent proficiſci? Conſpexi autem ſubitò Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui mihi dixit, ut nõ affligerer, indicando mihi, Sanctos Angelos a me non diſceſſuros, quod etiam fuit factum: quia illis ad cœlum aſcendentibus, séque coram Sanctiſſima Trinitate proſternentibus, eodem tempore ibi cum ipſis comparui. Obtulerunt hi mei Domini Divinæ Majeſtati meam orationem, & Litanias à me dictas, pro felici horum bellorum exitu. Dominus dixit vultu placido, non aliter futurum, & converſus ad alios Angelos, juſſit illos ferre auxilium, quod ab eo petebam. Vidi continuò cohortem ſpecioſiſſimorum Angelorum Sanctorum, qui tamen erant accincti & armati, tanquam inituri pugnam, atque proficiſcentes direxerunt greſſus illuc versús, ubi gerebatur bellum. Licèt verò mihi eæ regiones eſſent ignotæ, ſignificatum mihi tamen fuit, eſſe ditionem Sabaudiæ. Erat ibi grandis exercitus diabolorũ, contra quos Sancti Angeli cœperunt pugnare. Horum conſpectu fuerunt turbati illi infelices ſpiritus, & inceperunt fugere, quorũ aliqui ſe ſuſtulerunt in auras, quanquam ſtatim deciderent in terram, & ab ea abſorberentur; alij ingrediebantur aquas, ubi mergebantur. Omnes fuerunt victi, & Angelica illa cohors, obtentâ victoriâ redijt ad cœlum. Poſt hoc ego ſolicitabam meos Dominos Angelos, ut rediremus ad meũ angulum: licèt enim mihi multò meliùs eſſet in ea cœleſti patria, neſcio tamen, quomodo timuerim, nè ipſi, me dimiſsâ, ibi remanerent. Sed Divina Majeſtas me tum abripuit in magnam ecſtaſim, & quando ex ea ſum reverſa, inveni me in meo cubiculo, unà cum his meis Dominis.

In Auguſto, eo circiter die, quo celebratur feſtum Transfigurationis JESU Chriſti Domini noſtri, me vocavit Divina Majeſtas præproperè dicendo: Veni, veni, & videbis quoddam prælium. Fui derepente ducta ad locum, in quo confligebant duo exercitus, alter Catholicorum, & alter in-

fidelium. Videbatur mihi pugna esse in mari, ibíq; illum conflictum fieri. Vidi, à nostratibus, licèt viribus essent inferiores, vinci hostes. Multùm mirabar hanc victoriam: nostrates enim mihi apparebant instar puerorum, & pauci numero, hostes autem tanquam viri robusti, ac valde multi. Tum Dominus, quasi respondens dubio ac admirationi meæ, mihi dixit: Converte huc oculos, & videbis causam istius victoriæ. Aspexi, quò eram jussa à Domino, & vidi tres fœminas provectæ ætatis, ac pauperculas, magno affectu & devotione orantes, quæ rogabant Deum, ut concederet Catholicis victoriam adversùs hæreticos, & hostes nostræ sanctæ fidei. Non agnovi illas fœminas. Dominus tamen mihi pro sua bonitate postea dixit, ad magnum meũ ruborem, me esse unam ex ipsis. Deus sit benedictus propter tot beneficia.

Primâ Decembris mihi Deus, modo quodam sublimissimo, ostendit in se ipso quædam concernentia gubernationẽ horum Regnorum, quæ secùs aguntur ac Divina Majestas vellet, quódq; nonnulla fiant indebitè, licèt absq; mala intentione; perpetrentur peccata publica, quæ essent emendanda, & committantur prælia, quæ nunc meliùs differrentur; exigua sit gratitudo, pro acceptis ab ipsius manu miraculosè beneficijs; quòd bene fieret, si populus relevaretur à tributis, & minùs expenderetur in superflua, atq; alia hujus generis. Invocabam Div: Majestatem, petendo horũ malorum remedium, & veniam istorum peccatorum. Dominus ostendebat se tædio affici ob meos clamores, & vultu vehementer irato mihi dixit: Apage, & relinque me. Fui plurimùm afflicta, quòd ipsũ viderem adeò iratum, & summus animam occupavit dolor propter proximos meos, siquidem timebam, nè punirentur, atq; nè quædam evenirent contrà quàm hîc existimaretur. Misertus est noñihil Dominus meorum gemituum, dixítq; mihi: Verè tibi dico, quæcunq; evenerint, cessura in bonum meorum electorum. Hoc responsum mihi non attulit solatium, quia judicabam, ità procul dubio futurum, sed responsum esse generale. Rursus commendavi Deo maximo affectu meæ animæ prosperum statum horum Regnorum, rogando illum, ut placaretur, qui mihi tandem dixit: Noli cruciari, Soror, quamdiu namque in hoc mundo vixeris, non te contristabo, neque exequar, quod te affligat. Hinc me (cõtra omnem meam solitam propensionem) ingens quædam cæpit cupiditas vivendi pro bono communi istorum Regnorum, & rogo Deum, ut mihi prolonget vitam, quod quidem nunquam aliàs feceram. Laudent illum Angeli ipsius. Amen.

*Notetur hîc, qualis fuerit istius Virginis charitas erga Hispaniam. Cùm enim antehac unicè desideraret mori, ut frueretur conspectu sui Dei, jam cum dilatione cœlestis gloriæ exoptabat diuturniorem vitam, ut removeretur pœnas imminentes suis proximis. Advertendum quoq; est, nonnullas calamitates, quas populus c[illegible]unes & speciales perpessi, consecutas fuisse i[illegible] obitum. Recenset Virgo ulteriores alias du[illegible]siones, quas eodem mense habuit, sic ajens.*

Feriâ tertiâ, & die sextâ ejusdem mensis, cùm affectus meæ animæ fuissent commoti, ob vivacem apprehensionẽ propriæ meæ miseriæ, & internarum necessitatum hujus vitæ, semper indigentium Divino auxilio, perseveravi sic aliquamdiu in præsentia Div: Majestatis, conquerendo internè, atq; etiam externè de me ipsa. Interea comparuit quidam S. Angelus pulcherrimus, méq; interrogavit, quid vellem, dicens se mitti à Deo, ut mihi nomine ipsius offerret, quidquid ab illo peterem. Egocèt tum fuerim imemor necessitatum Hispaniæ, & præsentium bellorum (quia nea eram immersa, sicut dixi, consideratio mearum miseriarum) dixi nihilominus: *inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris; ut Regibus & Principibus Christianis pacem & unitatẽ largiri digneris.* Et conversa ad bonos Dom: Angelos, rogavi illos, ut me juvarent, qui subitò adjuvantes meã petitionẽ dixerunt: *Te Rogamus, audi nos.* Tum Sanctus Angelus, qui mecũ loquebatur: Bona, inquit, est hæc petitio: quid aliud vis? quando mihi id dixit, observavi, quòd haberet in brachio gratiosissimam aviculam, cujus collum aureis erat variegatum coloribus pro-

movebat se huc atque illuc, & quodammodo blandiebatur eidem Sancto Angelo. Declaravit mihi deinde, illam esse symbolum affectuum meæ animæ.

Post prolata quædam alia dixit, se nomine Dei velle inserere in digitum meæ manûs annulum, quem gerebat in sua, quod fecit, & annulus mihi derepente visus est eundem digitum penetravisse, adeò ut illi fuerit incorporatus. Hoc facto Sanctus iste Angelus disparuit. Mox vidi descendentes ex cœlo alios Angelos, adferentes speciosam coronam, qui consistentes coram me gratias mihi egerunt, quòd orarem pro commissis curæ & custodiæ ipsorum Provincijs, atque pro felici exitu, quem Deo largiente erant sortitæ meæ preces. Fui vehementer pudefacta, & nunc id refero cum ingenti mea verecundia, agnoscens quàm sim indigna, ut Deus suis Divinis oculis meas respiciat preces: quanquam ità magis manifestet magnitudinem suæ misericordiæ. Illi Sancti Angeli imposuerunt coronam meo capiti, quam ubi aliquamdiu retinuissem, Sanctus meus Angelus Custos eam deposuit, servaturus, licèt non viderim, quò illam tulerit, quidque cum ipsa egerit.

Die sequenti, quæ erat feria quarta, decima septima dicti mensis, sum ducta ad cœlestem Jerosolymam, & præsentata Beatissimæ Trinitati, quæ mihi dedit suam sanctissimam benedictionem. Inde fui ducta ad quendam altum locum, plenum inæstimabili gloriâ, ubi mihi, quidquid videbam & agnoscebam, apparebat esse mera æternitas, vita perpetua, gaudium perpetuum, beatitudo perpetua, non absque inexplicabili animæ voluptate & svavitate. Hinc, jubente Deo, inclusa in quandam velut nubeculam auream sum translata ad longè dissitum locum, qui habebat speciem commodi oppidi, seu parvæ urbis. Ibi vidi castellum munitum, quod obsidebatur ab hostibus, non circumquaque, sed ab una parte, & quasi ex adverso. Pugnabatur utrinque, & aggressoribus fortuna minùs favebat: ex nube autem, in qua ego eram, emicabant quidam radij luminis, quibus excæcati hostes, aliqui præfocabantur calore, & alij despondebant animos. Conabantur nihilominus iterare oppugnationem, ut de novo invaderent possessos, qui erant Catholici, & Hispani. In hoc statu illos reliqui, sperans tamen fore, ut Divina Majestas concederet victoriam nostris. Locus, quantùm ex indicijs mihi datis collegi, est Portus dives. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Legatur, quod hac de re in quadam sua epistola Joannes de Havo, qui tum Gubernatorem agebat Portûs divitis, scribit ad Venerabilem Marinam, cujus precibus victoriam attribuit. Epistola, cum reliquis hoc factum concernentibus, reperitur in fine Capitis XXXVI. Lib. I. hujus II. Partis, ubi id recensui.*

# CAPUT X.

## Referuntur varia, quæ ipsi, agenti patronam Hispaniæ, cum Deo evenerunt.

*ANno sexcentesimo vigesimo sexto, multa huc spectantia fuerunt à Venerabili Marina acta cum Divina Majestate, ut necessariò plura nobis capita sint occupatura: exequemur omnia secundùm ordinem temporum & mensium, quibus contigerunt. Calamitosissimum fuit hujus anni principium quibusdam regionibus Hispaniæ, præsertim verò Castellæ, propter subitas fluviorum exundationes, quæ luctuosam intulerunt stragem. Huc alludit Virgo ità exordiendo.*

Decimâ nonâ Februarij fui vehementer fatigata, & oppressa doloribus, neque minùs afflictione ortâ ex calamitatibus meorum proximorum. Tunc mihi Dominus dixit: Soror, es valde fatigata, quiesce in me, ac dormi tantillùm. Anima fuit unita Deo, & corpus occupatum brevi, sed svavi somno naturali, quo suas vires modicùm refocillavit. Quando ex eo evigilavi,

visus mihi est JESUS Christus Dominus noster præ se ferre, acsi eò tenderet, ubi ego eram. Volui illi procedere obviàm, ad ipsum excipiendum, & quasi alloquerer sociam, quæ mihi tum aderat, dixi intra me: Eamus. Vidi autem tunc Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte mihi dicentem: Paulatim Soror, quid vis facere? Expecta Dominum, quia ipse ad te veniet. Ità conquievi, & expectavi. Advenit Ejus Majestas cum comitatu multorum Angelorum, eo habitu & modo, quo versatus fuit in mundo: superinduerat tamē quandam elegantem vestem, & habebat pretiosissimum diadema in suo sacro capite, vultum exhibendo gravissimum, & magnæ authoritatis, ut se ostenderet sum̃um esse Regem. Latus ipsius stipabat, ad unius passûs distantiam subsequens, sublimissimus Angelus, qui auream in manu ferebat campanulam, cujus sonus videbatur esse vox Angelica, intimans attentionem. Eo audito cæteri Angeli se prostraverunt humi, & Dominus stando suam ipsis dedit sanctissimam benedictionem, quâ acceptâ surrexerunt, & Christus Dominus magna cum majestate sic illos est allocutus: Angeli mei, ibitis ad omnes illas regiones, in quibus per hos dies fuit exercita mea Justitia, atque in nomine Patris, & meo, ac Spiritus Sancti, & in virtute sangvinis, quem profudi in cruce, perambulabitis terram (tum Ejusdem Majestas elevavit brachium, & gravissimo gestu indicavit illius circuitum) dicetisque mortalibus, qualiter mea Clementia ipsorum fuerit miserta; inspirabitis illis, ut agant pœnitentiam pro suis peccatis, atq; ut vias suas, opera, & corda dirigant ad consequendam salutem; ut fructuosè audiant, & custodiant verbum Dei. Quod attinet ad temporalia, restaurabitis collapsa, corroborabitis debilia, & reparabitis minùs perfecta. Deinde idem Dominus ad me conversus mihi dixit: Tu verò ora Deum pro hoc populo, ut se disponat ad suscipiendam Divinam misericordiam.

Fui afflicta, dum audirem dicentem Divinam Majestatem, ut orarem, quò se ipsi disponerent: voluissem enim, ut omnia faceret Ejusdem Clementia, statimque illos disponeret. Intuitus me est Dominus, & dixit mihi: Ego ità res disposui, ut homo ex parte sua præstet, quod debet. Quamvis namque sim omnipotens, hoc tamen svavi meæ convenit dispositioni. Angeli se obtulerunt cum magna promptitudine & hilaritate, ad omnia exequenda, quæ ipsis mandabantur. Postea Dominus cœpit mecum sermocinari dicendo: Accede nunc, quid tibi de hoc justitiæ meæ opere videtur? Ego verecundè, prout par erat, respondi: Mi Domine, sufficit quòd tu id sis executus, ut prorsus bene factum fuerit. Bene est, reposuit Dominus, quid tamen tibi videtur? melius esse fuisset, si mea Clementia fuisset misera hujus populi; an verò quòd exercuerim meam Justitiam? Mi Domine, ajebam, tu semper facis, quod est melius, & operaris, quod est convenientius: ac proinde quod factum fuit est melius, quia tu id fecisti. Accessit Ipsius Majestas ad me, quæ procidi ad ejus pedes, & impertiens mihi suam sanctam benedictionem, imposuit unam è suis sacris manibus meo capiti, alteram autem potui exosculari. Tum agnovi, quòd revera, qui me alloquebatur ac tangebat, esset ipsemet JESUS Christus Dominus noster in sua propria persona, ità ut de hoc non possem ambigere. Meus spiritus se fortiter univit eidem Domino, & quando deinde ad me redivi, fuerat finitum mysterium.

Aliâ vice, cùm essem afflictissima, propter multas adversitates & calamitates, quæ his diebus, ut mihi referebatur, obruerant hæc Regna, quantumcunque me resignarem in Divinam voluntatem, non poteram me tamen componere. Tum mihi Dominus dixit: Conquiesce, Anima: sic enim fieri conveniebat, ut punirentur, qui sunt mortui, & superstites emendarentur. Advertè, nónne vidisti magistrum aliquot puerorum, dum hi sunt negligentes in legendo, & garriunt, surgentem ex sella, & duorum triúmve ex ipsis capita ac aures scuticâ aliquoties verberantem, atque ita terrefacientem omnes, qui merù pereuntes se applicant lectioni? ità verò ego nùnc ego

Alia

Alio die, postquam mihi Divina Majestas ostendit, quid suprà dicti Angeli profecerint, exequentes quod fuerant jussi, vidi Angelos Custodes earum animarum, quibus dictata sibi à Deo inspiraverant. Veniebant apertis & semiextensis brachijs, dependentibus inde instar spirarum multis catenis ex purissimo auro, quæ erant pretiosissimis interstinctæ lapidibus. Progrediebantur hi Beati Spiritus longo ordine, & videbantur mihi, licèt essent lætissimi, incedere multùm fessi, ut indicarent non tam pretium & quasi pondus illius thesauri, quem ferebant, quàm curam ac diligentiam impensam lucrandis animabus. Ascenderunt per pulcherrimos gradus ad cœlum, & obtulerunt illa cimelia Majestati Triunius Dei, qui ostendens, sibi ea plurimùm placere, mandavit, ut servarentur in cœlesti quodam castello munitissimo, suo gazophylacio. Significatum mihi fuit, cimelia mystica, quæ ibi ostendebantur, ideo fuisse catenas, ut mihi indicaretur, animas illas jam quasi fuisse in Domino ab Angelis in perpetuum captas, & non perdendas, neque recessuras ab amore debito tam bono Deo. Ipse sit in æternum benedictus propter suas misericordias. Amen.

Quadam feriâ tertiâ, decimâ sextâ Martij, dignata est me invisere Sacratissima Persona Spiritûs Sancti. Venit iste Dominus cum consveta pompa & majestate, quanquam absque prævio illo strepitû & motu, de quo aliàs dixi. Ducta fui ab Ejusdem Majestate ad valde remotum mare, ubi vidi tria oppida seu castella muro cincta, & turrita, atque duo ex ijs intra mare in insula, & aliud in litore. Ignoravi Provinciam, in qua essent, scivi tamen esse Catholica. Dominus mihi dixit: Considera accuratè hæc duo castella. Consideravi illa diligenter omni ex parte, vidi esse penitus destituta omni apparatu necessario ad defensionem, & militibus, unde afflicta dixi Deo: Ah mi Deus! valdè malè hoc loco agitur, summa est hîc debilitas, & maximum periculum, ut destruantur ab hostibus, si adveniant. Quid igitur est faciendum, ajebat Dominus. Obsecro Tuam Majestatem, respondi ego, ut jubeas ista castella custodiri à tuis Angelis. Fiat licet ità, dixit Dominus, & mandavit sex Angelis, ut custodirent ea castella. Vidi, quòd se assumptâ specie humanâ collocaverint infrà, quasi ad angulos illorum castellorum. Sic aquievi, & egi gratias Deo pro præstito mihi beneficio. Vidi tamen deinde, illos Angelos relictis angulis, quos occupaverant, ascendisse ad turres castellorum, ità ut inferior pars esset velut indefensa ac deserta, quando ego fui quodammodo absorpta in Domino.

Octiduo pòst, sequenti nempe feriâ tertiâ, manè me Dominus valde properanter vocavit, dicendo: Veni, veni Anima, & videbis. Gyravi oculos animæ, & vidi eadem ista castella quasi nudata præsidio, eò quòd Angeli ascendissent, sicut dixi. Rogavi rursum Divinam Majestatem, ut dignaretur illi necessitati succurrere: & Deus videtur voluisse rogari, qui mihi denique dixit: Bene est. Derepente fui ducta ad cœlestem Jerosolymam, in cujus spatioso foro, ubi eram, vidi multos Angelos Sanctos velut expectantes, ut illis Deus quidpiam mandaret, cessurum in ipsius honorem, eum in modum, quo per fora hujus mundi est reperire operarios expectantes aliquem, à quo conducantur ad laborandum. Erant speciosissimi & comptissimi, quos tum interrogavi: Domini, quid hîc agitis? Expectamus, respondetunt, ut Deus nobis aliquid imperet, in quo illi exhibeamus obsequium. Voletísne verò, mei Domini, subjunxi ego, vos conferre ad protegenda & custodienda quædam munimenta Catholica, quæ summè indigent defensione? Faciemus id omnino, reposuerunt ipsi, verùm oportet te hanc rem petere à Deo, atque de ea cum Ejusdem Majestate agere, ut nobis id mandet. Adivi Dominum cum magna confidentia, & dixi illi: Mi Domine, isti tui Sancti Angeli se offerunt, ad succurrendũ ijs castellis, modò tu ipsis id mandes. Obsecro te per temetipsum, ut mihi gratificeris, mandando hoc illis. Ità faciam, dixit Dominus: quid autem habes, quod mihi rependas? Mi Domine, respondi, cur

id dicis? quomodo sic loqueris? quid sum ego, aut quid habeo, quod tibi dem, cùm sim pauper & miserabilis creatura, ut proinde si aliquid habeo, totum sit tuum?

Taliter velut pendebam à Deo, expectans quid mihi diceret, sed nihil audivi, quia eo ipso momento me rursus adverti esse in meo angulo. Tum ad me venerunt omnes hi mei Domini Angeli, qui hîc assistunt, & attingentes me spiritualissimè, atque illâ sibi consvetâ decentiâ Angelicâ, discooperuerunt meos pedes, manus & latus, quas partes Divina Majestas signavit suis sactis insignibus. Unumquodque horum membrorum erat transfixum durissimo clavo, unde unus è Sanctis Angelis singulos clavos extrahebat, tanto meo cum dolore ac sensu, ut tota contremiscerem, acsi mihi evelleretur anima, & videbatur mihi copiosus ex vulneribus sangvis effluere. Positis quinque clavis in quadam patina, dixit mihi Angelus meus Custos. Age, Soror, mitte Domino istos clavos, hoc enim sibi à te vult dari. Mi Domine Angele, dicebam ego, quid ità dono Divinæ Majestati? Multum, respondit ille, quia ipsi donas desideria, & voluntatem, ut, quotiescunque Dominus voluerit ijsdem istis clavis iterare in his membris vulnera, id faciat juxta suum divinum beneplacitū: das illi promptitudinem & patientiam in vehementibus doloribus, qui hinc in te derivantur. Nónne es prompta, & vis hæc omnia, soror, prout Dominus voluerit? ità profectò quàm libentissimè, respondi. Oblati fuerunt clavi Majestati magni Dei nostri, qui accepto munere, ostendens sibi illud valde placere, statim jussit suos Angelos abire, & custodire ea castella.

Post pauciſſimos dies, nihil ejusmodi cogitans, fui ex paupere meo lecto abrepta (non vidi tum, à quo, etsi deinde resciverim, fuisse bonum spiritum) atque ùt eram nudipes educta sum ex cubicello, & è mea domo. Ambulavi per plateolam angustam, tendentem ad Cantaranas: ingressa sum plateam aurifabrorum, forum, plateam Sancti Jacobi, portam campi, donec pervenirem ad Conventum Monialium Recollectarum Sancti Bernardi. Ibi fui elevata in altum, ità ut optimè potuerim discernere ex anteriore pontis parte fluvium. Vidi turbari, & commotam à dæmonibus crescere aquam, atque fluctus vehementer intumescere, quod agentes illi infernales spiritus volebant omnia in ea vicinia destruere & inundare. Incepi id videndo exclamare ac dicere. Adjuro vos mali spiritus in nomine Dei, ut relinquatis has aquas, & non conturbetis, neque damnum Fidelibus inferatis. Ipsi quali exasperati agebantur in majorem rabiem, sed ego tantò magis attollebam vocem, & dicebam instantiùs: Advertite, quòd vobis imperem nomine Omnipotentis Dei, nè cuiquam noceatis, quod solicitè & frequenter iterabam. Tandem coacti ac frementes abiverunt, & aquæ conquieverunt. Fui continuò à Sanctis Angelis, qui se mihi tum exhibuerunt spectandos, ducta ad meum angulum. Restituta mihi ajebam: Bone Deus! qualis est mea phantasia! quantùm potest hæc facultas! Licèt verò mihi aliunde satis clarum videretur, non esse imaginationem, quod mihi acciderat, ex alia tamen parte mei consveti timores me adigebant ad existimandum, me non intelligere, quid vidissem. Quaptopter inquieta mecum ipsa disceptabam, quousque me Dominus pacavit, dicendo mihi: Non fuit tua imaginatio, sed veritas. Cur verò, mi Domine, dixi ego, sic fecisti? Bene tu potuisti imperare dæmonibus, & aquis, atque omnia fuissent sedata, quin ego illuc irem, quemadmodum ni. Verum quidem est, respondit Dominus, me id facillimè potuisse, non volui autem, sed mittere te nomine meo, ut hoc cu quereris. Ecce nunquid non vidisti, qua dum aliquis manet in cubiculo, & audi subtùs excitari tumultum in gallinario, quia ibi infrà comparet rapax quæpiam a vis, advocet puerum, illíque dicat: Cum deorsum, & incute illi avi timorem. Id verò ego nunc feci, & videns dæmones s licentiâ, quam à me his diebus habent, p le conturbare fluvium, ac nocere ibi cr tati, præ commiseratione, quâ mea C mentia fuit permota, misi te, ut ires ad l los terrendos, & nolui id ipse facere, tam

quam

quam pertæsus vestrarum negligentiarum, atque exiguæ emendationis vitæ, post tot beneficia, quæ accepistis. Hæc omnia mihi dixit Dominus. Ob hunc itum debile meum corpus fuit occupatum à gravi catarrho, & præter meam ordinariam infirmitatem pessimè valui, patiendo aliquot noctibus terribiles pectoris angustias. Et quia ego non possum dicere causam, atq; meæ sociæ statim ex magna sua charitate advocant Medicos, sustineo quod Deo placet. Isti me tum repererunt valde debilem, & fractam viribus.

Alio die mihi Deum pro his præsentibus, & totius Regni necessitatibus oranti, ut nostri misereretur, dixit Div: Majestas: Penes te sit arbitrium pacis & belli, tu esto judex inter me, & populum meum. Quid vis ampliùs à me fieri? Deus sit millies propter suas misericordias benedictus. Amen.

*Comparatio rapacis avis, invadentis gallinarium, nihil continet, quod non sit dignissimum ore Dei, cùm sciamus, quòd Christus amabilissimus Dominus noster se ipsum comparaverit gallinæ, qui suos ingratos filios, tanquam pullos protegere cupiebat. Aliunde etiam est aptissima, atque demonstrans majestatem ejusdem magni Dei, qui potest per imbecillem & pauperculam Virginem terrefacere & fugare dæmonum turmam. Per occasionem præterea declaratur horum vilitas & vecordia: non enim assimilantur cuicunque avi rapaci, sed ijs, quæ sunt spuriæ & abjectæ, qualis est milvus, tantum audentes infestare gallinarium, quas minimus in domo puer repellit ac fugat.*

# CAPUT XI.

## Continuatur idem argumentum, enarratione aliorum ejusdem anni eventuum.

PRæterlapsâ die Dominicâ, decimâ septimâ Maij, me Deus vocavit dicendo: Veni Anima, & videbis, quod tibi volo ostendere. Fui subitò ducta in spiritu ad litus maris Anglici, ubi vidi multos artifices hæreticos fabricantes navigia, & ijs immixtos nonnullos dæmones, à quibus juvabantur. Observavi nihilominus, quòd, etsi cum ipsis viderentur in construendis & reparandis navibus laborare, id tamen agerent fraudulenter, ità omnia instituendo, ut naves redderent debiles, & fabricam periculosam. Inde me Dominus transtulit, & collocavit in litore Catholicorum maris Hispanici. Ibi conspexi multos Angelos in specie fabrorum lignariorum, qui suis ascijs, & reliquis instrumentis construebant nescio quales fabricas: videbantur autem mihi esse domus. Alij tanquam lapicidæ restaurabant muros; alij ex ipsis fabricabant naves. Alij instar provisorum præparabant armamenta navium, tormenta bellica, & annonam. Nonnulli conscendebant præaltas turres, quasi speculatores, ad explorandum inde hostem, ac denique non pauci instar nautarum permeabant mare, exercentes naviculariam. Hoc tempore vidi venientem ex Anglia potentem classem, cum ingenti apparatu, optimèque instructam rebus necessarijs ad pugnandum, & spectatâ potentiâ ac viribus, quas præ se ferebat, videbatur submersura omnes naves, quæ se illi opponerent, atque appellens ad portũ subrutura mœnia, & prostratura castella, quæ in continente sita aggrederetur. Vidi deinde prodeuntes illi obviàm ex Hispania paucas quasdam naves, eásque debiles, & non tam bene instructas tormentis bellicis, quàm erant hostiles. Angli cœperunt invadere nostrates cum magno tumultu, ac adeò vehementibus explosionibus, ut omnes primo impetu ab illis viderentur submergendæ. Notavi, quòd, licèt tantus esset fragor, perexiguus tamen sequeretur effectus, quia globi appellebant tam langvidi, ut nostris navibus vix nocerent. Hæ quoque sua explodebant tormenta, ejaculando pilas, utì apparebat, parvas, & modicum edentes strepitum:

sed

sed effectus & conflictus fuit tam magnus, ut validissimè dissiparent classem hostilẽ, quam tandem tam malè tractaverunt, ut demersâ hîc aliâ, alibi aliâ navi, hostes ad satis parvum numerum redegerint: & quanquam isti cum ingenti pugnarent furia ac indignatione, videntes quòd tam pauci resisterent tam multis, fuerunt nihilominus victi, atque nostri retulerunt victoriam. Mirata sum hoc spectaculum, quod bene agnoscebam esse symbolicum, nesciebam tamen, quid mihi Deus per illud vellet indicare. Postea intellexi ex Divina Majestate, expedire Hispaniæ, ut non inquirat suos hostes, sed ipsos expectet, restaurando & communiendo suas naves, castella, & confinia, sic enim fore victricem; si autem illos inquisiverit, non futurum hujusmodi successum. Deus sit benedictus, & misereatur sui populi. Amen, amen.

*Refero hoc loco gratiam, quam Deus huic Virgini præstitit, in utilitatem proximorum: etsi namque fuerit communis nonnullis extraneis, qui ad ipsam recurrerunt, ut cum ea conferrent dubia suum spiritum concernentia; specialiter tamen illi fuit concessa in commodum innumerabilium animarum Hispanarum, quæ sequentes consilia, doctrinam ac directionem hujus Virginis, repererunt modum prudenter expediendi negotia intricata, præsertim verò in materijs spiritualibus, ubi fuerunt animadversa mutationes vitæ, & specialissimi in perfectione progressus. Istud fuit donum linguarum, quod in simili alio eventu explicui libro primo. Postquam igitur Virgo recensuisset quandam sibi à Deo, secundâ Junij hujus anni (quæ fuit ultima dies Pentecostes) præstitam gratiam, de qua alibi loquar, sic ad præsens propositum pergit.*

Eodem die audivi alium strepitum longè majorem, quàm fuerit prior, erátque tantus, ut cœli viderentur contremiscere, & universa mundi machina commoveri. Multùm me reddidit perplexam, permovítque ad singularem venerationem, & reverentialem timorem. Quocirca hi mei Domini Angeli accedentes me animabant. Conspexi subitò grandem scalam, per quam citatis passibus ascendebant ac descendebant Angeli Dei, significantes mihi diligentiam & fervorem, quo se Divini obsequij impendunt operibus. Descendit deinde per eandem Sacratissima Persona JESU Christi Domini nostri cum magna majestate, cujus vestitus erat regius, & in capite gerebat pretiosissimam coronam. Quando pervenit ad meum cubiculum, dixit mihi magna exhibendo amoris indicia: Anima, veni mecum ad cœlum, & non concesso mihi spatio ad quidquam proponendum, statim fui ducta cum eodem magno Domino. Post ingressum in illam supernam Curiam, & paulò antè quàm pertingerem ad locum, in quo se Divina Majestas manifestabat, nescio quis meam animam timor invaserit, ut aliquantùm substiterim. Christus Dominus autem ad me conversus mihi dixit: Progredere, mecum enim bene accedere potes. Intravi quasi quoddam spatiosum conclave, ubi vidi Personam Spiritûs Sancti, instar magni & pulcherrimi Solis, cujus radij desinebant in lingvulas aureas, imminentes universæ illi cœlesti Societati: aër totus referebat speciem aurei splendoris, nihílque ibi erat aliud quàm gloria. Tum idem JESUS Christus Dominus noster, qui me adduxerat, alloquens totam Sanctissimam Trinitatem (quamvis ego singulariter tertiam tantummodo viderem Sacrosanctam Personam Spiritûs Sancti) dixit: Hîc adduco istam Animam, ut in ea exequaris opus, quod à tua æternitate decrevisti, cujus operis magnitudinem Dominus multùm expendebat. Prodierunt autem ex Divino Sole multi prædictorum radiorum, qui penetraverunt omnes meos sensus. Indicatum mihi fuit, communicatum mihi esse donum variarum linguarum, quod mihi aliàs quoque Dominus significaverat: verùm nec tunc, neque modò intellexi materialiter lingvas diversas, quibus in terra loquimur, sed spiritualiter, ità ut hoc donum sit facultas operandi quacunque viâ in animabus. Sancti Angeli me duxerunt ad omnes Apostolos, & reliquos prædictos Sanctos, qui me omnes magnâ excipiebant charitate; præsertim Co-

Celsissima Regina cœli, quæ imposuit suam benedictam manum meo humero, mihíque promisit, se futuram semper meam Dominam & adjutricem. Benedictus sit Deus propter suas misericordias. Amen.

*Progreditur Venerabilis Marina recensendo alia acta, quorum effectus innotuerunt palpabiliùs, & sic ait.*

Feriâ secundâ, vigesimâ septimâ Julij, conspexi Deum vehementer iratum, præsertim nonnullis Madritensibus, quibus ipsum aliàs videram offensum, præbitis signis gravis indignationis: præter cæteras verò causas eam specialiter manifestabat, quòd non crediderint quædam, de quibus pro suarum animarum, & Regni bono fuerant admoniti, atque ità impediverint alia, de quibus erant commonefaciendi. Rogavi Divinam Majestatem, ut eorum misereretur, & nè ipsos puniret. Inter reliqua mihi respondit, designando mihi quendam: Nónne sufficit, quòd ipsi non abstulerim filiam? Neq; Deus quidquam ampliùs dixit, judicio autem meo non ostendit, se decreviſſe, quòd ipsam illi non esset ablaturus. Instiri denuò, dixiq; ipsi: Domine, indulge mihi, ut ego ijs loquar. Prorsus per me licet, dixit Divina Majestas. Comparui subitò Madriti in spiritu, atque apud dictas personas. Cœpi illas compellare, exhortando ipsas, ut se converterent ad Deum, útque agnoscentes ipsius indignationem, illum conarentur sanctis operibus placare. Audiebant me, & posſum dicere, me ab ipsis non fuisse auditam. Sicut enim præcone quidpiam promulgante aliqui ex commeantibus per plateam prætereunt, nõ attendentes quid dicatur, alij tantillùm subsistendo statim revertuntur ad sua negotia; ità fecerunt omnes illi, quos alloquebar. Fui postea ob id in meo angulo solicita. Deus medeatur nostris malis, non enim sunt exigua, quæ nobis impendent.

Feriâ quintâ deinde, die trigesimâ ejusdem mensis, mihi Dominus spectandam exhibuit classem Hispanicam, quæ advehit argentum. Videbatur mihi solvens ex quodam portu incidere in naves hostiles, & inter confligendum utraque classis versari in periculo naufragij. Tam repentino spectaculo fui usqueadeo afflicta, ut elevatis oculis ad Deum, cum magno ipsi clamore, & ardenti affectu dixerim: Expecta, mi Domine, expecta. Tum Divina Majestas, velut suspendendo executionẽ, permittens illas naves fluctuare, ità ut neo interirent, neque penitus evaderent discrimen, mihi respondit: Quid vis Anima? Mi Domine, ajebam tota turbata, ut modicùm expectes, nè ità festines ad infligendam hanc pœnam. Bene, dixit Dominus, & cui bono id fiet, aut quid hinc sequetur? Nemo vestrùm reperitur, qui istis (& designavit personas) dicat in faciem, quod illos audire convenit. Non, mi Domine, respondi, non reperitur, qui ipsis id dicat, nolunt enim audire: sed, si tibi placet, ibo ego, ac dicam illis. Dominus mihi ad hoc nihil respondit, dixit tamen: Polliceor tibi, quòd ipsos sim castigaturus, & si quid thesauri, quem expectant, vindicabitur ab interitu, nullum inde percipient emolumentũ. Hoc audivi à Domino. Quamvis autem sciam, Divinam Majestatem graviter indignari, ac timeam, nè suas minas exequatur, revera tamen ignoro, neque hactenus intellexi, quid sit futurum; magna siquidem est ipsius misericordia. Ipse sit in æternum benedictus.

Decimâ tertiâ Augusti, postquam in cœlo magnam spectavi solennitatem, celebratam in honorem Virginis Dominæ nostræ, quam alibi recensui, cùm jam essem in meo angulo, habui visionem hujusmodi. Vidi multos homines, cum magna festinatione supra mare, quasi longo ordine, procedentes. Tanta erat ipsorum agilitas, ut se invicem prosternerent, donec superatis omnibus ijs aquis pervenirent ad terram, & conscenderent quosdam asperos montes, unde postea ex adversa parte descendentes inciderunt in aliud mare, ubi ambulaverunt, acsi quidpiam attentissimè quærerent, quo non reperto singularem præ se ferebant dolorem.

Continuò me Dominus constituit in conspectu classis, quâ advehebatur argentum:

tum: vidi noſtros valde properantes, ut ſe inde proriperent, ſive ob metum hoſtium, ſive alia ex cauſa, quam ego non intellexi; audivi tamen vehementes & luctuoſas vociferationes, atque tanta ipſis incumbebat vis, ut mali navium viderentur diſrumpi, atque naves diffringi, & aliquæ ſubmergi, cæteræ verò huc & illuc diſpergi, quædam autem malè habitæ, plurimúmque afflictæ appellere ad portum. Metuo magnopere, ut claſſis non adveniat tam integra, quàm deſideratur. Deus nobis per ſuam miſericordiam ſit propitius, & ſubveniat tot neceſſitatibus. Amen.

*Omnia iſta erant indicia Divinæ Juſtitiæ, unáque occultæ, ſed efficaces diſpoſitiones Divinæ miſericordiæ, quæ hac viâ conabatur augere fervorem precum Venerabilis Marinæ, atque per illas, & induſtriam ardentis charitatis ipſius, quædam ſuaviter emendare, quibus multùm impediebatur obſequium Divinum, & bonum regimen Hiſpaniæ. Ex inſpiratione igitur hujus magni Dei Venerabilis Marina inſtituit, ut ejus Confeſſarius Pater Michaël de Orenja hoc tempore adiret Aulam (quam ob rem nonnulli è vulgo, qui omnia ſpiritualia luppis intuentur oculis, vehementer murmuraverunt) atque de hoc ageret, qui ſingulari ſuâ religioſitate ac prudentiâ, multóque magis adjuvante divinâ gratiâ, alloquendo & exhortando præcipuos Aulæ Magnates, obtinuit, ut decerneretur de gravioribus quibuſdam negotijs, & obviaretur aliquibus majoris momenti damnis, quod tum Deus fieri volebat. Habeo penes me epiſtolam quinque paginarum in folio integro, totam manu propriâ ſcriptam, in qua nonnemo è ſummis Proceribus ejus ætatis gratias agit Venerabili Marinæ, implorat plures preces, & pollicetur, ſe pro viribus ſuis factuarum, quidquid fuerit poſſibile. Ità fuit placata Divina Majeſtas, & dilectæ ſuæ famulæ adeò afflictæ, quòd videret, quantopere augerentur publicæ proximorum ipſius neceſſitates, niſi ſubveniretur claſſi, manifeſtavit modum, quo illam provehebat. Id ipſa his verbis in quadam ſcheda deſcribit.*

Vidi initio Septembris, à quibuſdam dæmonibus perturbari mare, non in eo tractu & via, quibus ſolent appellere claſſes Indicæ, ſed ubi erat quodammodo diverticulum. Poſt paucos deinde dies conſpexi aliquos Angelos DEI, qui precabant illam fluctuum turbationem, quos dæmones excitaverant. Solverunt tum ex portu paucæ quædam naves, ſed vix cœperunt progredi, quando turbato mari aliæ fuerunt ſubmerſæ, aliæ ad diverſos appulerunt portus, & aliquæ ſe recepe-runt in eundem portum, ex quo ſolverant. Conſpexi poſtea magnam & pulcherrimam cohortem Angelorum, deſcendentium ex cœlo ad quendam portum: omnes videbantur fortiſſimi & potentiſſimi, atque inde diſpoſiti in ordinem perambulaverunt totum illud mare. Paucis rurſum elapſis diebus viſi ex eodem portu, unde proceſſerant Angeli ad perambulandum mare, ſolventes pulchro ordine, perſonante muſicâ, & exhibitis indicijs gaudij, multas naves: videbantur mihi eſſe circiter triginta, etiámque plures, quæ tranquillo mari appulerunt ad optatum portum, & fuerunt cum ſumma voluptate exceptæ. Poſt complures dies mihi fuit oſtenſum, quòd ex dicto portu ſolverint alia navigia, non tot, meâ opinione, quot fruetant priora. Vidi, antequam omnia egredierentur, excitatam fuiſſe tempeſtatem, ut nec poſſent ulteriùs procedere, neque reverti (exiſtimo, eâ occaſione interiiſſe aliquod navigium) verùm vectores animando ſe, & confidendo in Deo connitebantur proſequi ſuum iter. Dum verſarentur in hoc diſcrimine, advenit ille Angelus Dei, qui appellatur *Fortitudo*, & ſuffulciens humero ſecundam navim ex ijs, quæ præcedebant, duxit omnes ſecundis ventis, donec pervenirent ad ſecuram ſtationem, ubi erant exonerandæ. Admoneo, quòd mihi ſpectanti deambulationem illius pulchræ turmæ Angelicæ, viſum fuerit, velut ab eadem deſignatam fuiſſe novam illam viam, ac diverticulum. Iidem hi Angeli die Sabbathi, quintâ Septembris, favorabile præbuerunt auxilium magno cuidam navigio quod vidi circumdatum à multis navibus: quamvis autem ſe conaretur defendere, parum tamen poterat præſtare. Verùm

Verùm Angeli illud cinxerunt, atque excæcatis,& in fugam actis hostibus, conservaverunt.

Initio Novembris, dum Deo commendarem adventum classis, & magnis affectibus instarem, ut ipsam Dominus adduceret salvam, dixit mihi Divina Majestas: Expecta Anima,& videbis aliquid. Ostendit mihi Dominus quandam aulam, & in ea quatuor homines, qui omni diligentiâ & curâ erant intenti cuidam operi, quo Deus graviter offendebatur. Vidi præterea alium, qui adstabat, illósque aspiciebat, & quasi melancholicus, propterea quòd ipsos videret, optabat eosdem admonere & redarguere, sed non audebat. Tres ex ijs novi, non verò reliquos duos. Tum mihi Dominus dixit: Vide Anima, quid agatur: quomodo vis, ut ipsis gratificer, meámque his exhibeam misericordiam? Fui vehementer afflicta, videns Deum denuò iratum; continuavi meas miserabiles preces, ut implorarem Divinam ipsius clementiam. Præterlapsi sunt paucissimi dies, & cùm quadam nocte orarem, vidi derepente in meo cubiculo monstrosum serpentem, alatum, & vultu præditum in speciem humano, qui, postquam alia quædam fuisset molitus, avolavit ad mare Anglicum, ibíque se immergens illud conturbavit. Volavit postea ad locũ, quem pertransibat quædam classis Anglica, séque sub ipsam svaviter demersit, accedendo ad naves, quasi svasorus earundem gubernatoribus, quid illis esset agendum, & quomodo deberent nocere classi, atque exercitui Hispanico. Inde avolavit eò, ubi nostra classis navigabat, & tertiò se mergens suscitavit fluctus, conando commovere aliquam tempestatem. Tum est pervagatus totum illud mare, quod intercedebat inter duas classes, inferendo damna, quæcunque poterat.

Ego constituta coram Deo, spectabam quæ fiebant, & Divina Majestas mihi dixit: Anima, vidésne quid agatur? Ità, mi Domine, respondi, non intelligo tamen, quid sit. Scito, dixit Dominus, diabolum moliri quidquid potest, ut destruat classem Catholicorum: audebísne te conferre ad illud mare? Vehementer expavi, ac dixi: Omnino faciam, Domine, quidquid volueris. Jam est bene, dixit Dominus, consulta hac de re cum tuis Angelis,& vide, quid tibi svadeant. Converti me ad meos Dominos, & dixi ipsis: Mei Domini, Dominus Deus me remittit ad vestrum consilium, ut mihi dicatis, quid mihi sit agendum. Intuiti sunt se invicem, velut deliberabundi, & meus Sanctus Angelus Custos mihi nomine omnium respondit: Soror, resigna te in voluntatem Dei, & roga illum, ut tibi concedat aliquem Sanctum Angelum ex potentibus, qui te comitetur atque ducat. Tum, acsi foret necessarium, ut cum meo responso reverterer ad illum magnum Deum omnia videntem, dixi illi: Mi Domine & mi Deus, jam de hoc negotio consultavi: svadent mihi, ut me resignem in tuam sanctissimam voluntatem, id quod libentissimè facio; dicunt mihi, ut à te petam Sanctum Angelum, qui me ducat, atque ut iste sit ex ijs, qui magnâ sunt præditi potestate. Fiat ità, dixit Dominus. Conspexi me subitò indutum albâ togâ, & quidam Sanctus Angelus, apprehenso meo brachio, me duxit ad illud mare, quod permeabat serpens (qui me eminus aspiciebat actus in rabiem) ibi me demersit, quò etiam ipse est ingressus sub classem hostilẽm, & significatum mihi fuit, per illum contactum evanescere, atqȝ effectu frustrari stratagemata & consilia, quæ diabolus nostris adversarijs inspiraverat. Duxit me postea ad illum tractũ, in quo nostra classis vela faciebat, ubi nos pariter immersimus, fuítque totum mare pacatum ad malatiam, & aversum nocumentum à diabolo illatum. Ità serpens disparuit, & Sanctus Angelus me duxit ad meum angulum. Misera mea natura fuit passa magnam debilitatem,& sensibiles harum immersionum effectus. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Bene quispiam curiosus posset revolvere diarium hujus anni sexcentesimi vigesimi sexti, atque ex relationibus tam Indicis, quàm Hispanicis, missis ad Majestatem Catholicam,*

*& ipsius Ministros, videre, an hæc symbola, ostensa Venerabili Marinæ, exactè respondeant veritati eorum, quæ isti classi evenerunt. Nos prosequamur nostram historiam.*

# CAPUT XII.

## Recensetur, quod sequentibus annis pro Hispania egit.

*NOn minùs hæc fidelissima famula Dei, & amantissima suæ charæ patriæ filia, se eidem faventem sequentibus annis exhibuit, quàm prioribus, sicut vidimus. Id clarè patebit ex scriptis, quæ suo ordine connectemus. Anno sexcentesimo vigesimo nono ità ait.*

Die Sabbathi, duodecimâ Junij, me Dominus vocavit dicendo: Anima veni mecum, & quiesces. Ego ob meos timores aliquantùm reluctabar, sed mei Domini Angeli me duxerunt per quosdam amœnissimos ac deliciosissimos campos ad cœlestem patriam, comitante me Divinâ Majestate. Perambulavi, non procul progrediendo, ter quatérve cœlum, ac tandem cœpi destitui viribus, & visa mihi sum corruere instar mortuæ. Resume vires, Anima, dixit tum Dominus, & esto bono animo. Accesserunt ad me Angeli, multúmque me confortaverunt, unde mihi fui restituta, & cum ab ipsis ducerer per eam cœlestem civitatem, quæ plena erat gloriâ, ac beatis Palatinis, Divina Majestas mihi dixit: Anima, conscende hos gradus. Postquam autem ascendi ad immensam quandam altitudinem, deprehendi me in altissimo castello, ubi mihi rursum dixit Dominus: Age Anima, aspice hinc, quid fiat, propterea namque te huc adduxi. Aspexi, & vidi quandam nostram classem Catholicam navigantem in mari, atque eminus prodeuntem aliam classem hæreticorum copiosiorem, & munitiorem nostrate, quam cœpit insequi. Quia erat multò potentior, incussit nostris timorem. Conspexi verò statim multos Angelos Dei, constituentes se inter duas classes, & objurgatis nostratibus, eò quòd se exhiberent pusillanimes, ijsdem dicentes: Quare modicam habetis fidem in Deum, qui vos juvabit? Adversarij inceperunt nostram classem impetere tormentis, sed nihil proficiebant, ideóque agebantur in magnam rabiem. Increpabantur, & urgebantur à suo Archithalasso, & illi respondebant: Domine jaculamur frustra, & perdimus apparatum tormentarium, nullum operæ pretium referentes. Interea fuit excitata grandis tempestas, & nostri se receperunt ad quendam portum, ubi effugerunt periculum. Hostes se, ob hanc tempestatem, commiserunt alto mari, quæ illos tamen insequebatur, donec ipsos dissiparet. Multæ eorum naves naufragium passæ interierunt, aliæ confractæ aliò declinaverunt, séque separaverunt, ut illas amplius non viderim. Nostri omnes lætissimi evaserunt salvi. Deus sit benedictus. Amen.

*Ad finem hujus scripti addit P. Michael de Orenja hæc verba: Classis hæc infidelium fuit Anglica, quando prodivit ad intercipiendam nostram classem venientem ex Indijs, & postea est dispersa, quod constabat universæ Hispaniæ. Pergit Venerabilis Marina, & repetendo ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum octavum sic inquit.*

Dum orarem primâ hujus mensis Februarij, petendo à Deo magnis affectibus remedium temporalium hujus Regni necessitatum, quæ mihi dicebantur esse maximæ, dixit mihi Divina Majestas: Veni mecum, Anima, veni, & videbis, in quo sita sit perditio Hispaniæ, & unde oriantur calamitates, quas mihi recenses. Duxit me Dominus ad quoddam mare, & vidi venientes parvas naves, onustas pecuniâ ingenti preâ. Trahebant alligatas fumibus alias naves grandiores quasi actuarias, & erant satis procul remotæ à portu, expectantes veluti clanculùm, ut incolæ continuò venirent accepturi eam monetam. Tum mihi

mihi Dominus dixit: Vide Anima, quid fiat: hoc esset emendandum, quia hinc oritur perditio Hispaniæ. Visne, ut hos omnes nunc submergam? Consideravi id, atque dixi: Nequaquam, mi Domine, verùm submerge hanc monetam, quam advehunt, & in qua damnum consistit. Nullâ ratione, sed etiam illos omnes, subjunxit Dominus: nunquid non vides esse hæreticos? Subitò exclamaverunt duo Sancti Angeli, ibi præsentes, dicendo: Noli, noli Domine, per tuam misericordiam, noli ipsos submergere: poterit namque fieri, ut convertantur. Ego quoque dixi: Noli, mi Domine, es enim potens, ut illos ad te convertas. Exorta fuit continuò ingens tempestas, & naves sunt ingressæ quoddam quasi ostium fluminis, ubi omnia, quæ advehebant, fuerunt submersa, & homines salvi evaserunt. Deus sit benedictus.

Feriâ sextâ, octavâ Septembris, hoc eodem anno sexcentesimo vigesimo octavo, hinc interfui ijs, quæ agebantur in cœlo, ubi vidi Beatissimam Trinitatem, & quodammodo impressum in Divina ipsius mente æternum illud decretum, de creanda in tempore Virgine Maria, ut esset Mater Redemptoris generis humani. Vidi præterea, quòd, postquam illam creavit exemptam à peccato originali, cujus reliqui omnes filij Adam sumus rei, eadem Beatissima Trinitas præ se tulerit indicia lætitiæ, visâ pulchritudine & perfectione illius operis, quo absolutius eousq; non prodiverat ex Divinis ipsius manibus. Atque ut etiam ejus progenitores, præter naturale gaudium, quo affluebant, propter fructum sibi à Deo concessum, quando illum minùs poterant ob senectutem sperare, speciali fruerentur jubilo spiritûs, misit ad ipsos Dominus aliquos Angelos, qui ijs gratularentur nativitatem magnæ illius Dominæ, cui Deus multos attribuit Angelos, qui ipsi in hac vita mortali assisterent, & inservirent. Ut verò beneficium, quod hac ratione conferebatur hominibus, & hierarchijs Angelicis, celebraretur in cœlo, ubi magis agnoscebatur, mandavit idem Dominus, ut ibi singularis institueretur solennitas, in signum novi gaudij, quam peregerunt omnes illi Spiritus Angelici canentes, & jubilantes, ornati (prout id tum à Domino repræsentabatur) novis festivis vestimentis quàm elegantissimè.

Mea anima occupabatur spectaculo horum mysteriorum cum magno solatio, quando mihi Deus ex sua misericordia dignatus est aliam gratiam præstare, ut meo modo fierem particeps illarum gratiarum, quibus fruebantur Cœlites. Dixit enim more humano Dominus, alloquens eam multitudinem Angelorum, qui in Divina ipsius versabantur præsentia: Quando celebratur magna solennitas, in eâque apparatur splendidum convivium, solet amico mitti quodpiam ferculum, qui illi adesse nequit: æquum proinde est, ut aliquod feratis ei Animæ, reddendo ipsam participem vestræ lætitiæ. Statim duo speciales Angeli Dei, cum comitatu aliorum, ferentes in manibus canistellum rectum linteo, abiverunt ex cœlo, concinendo svavissimè Divinas laudes, & postquam pervenerunt ad meum cubiculum, depositò canistello, omnes se cum magna reverentia prostraverunt. Hujus facti novitas me obstupefecit; vidi autem, eò versùs respiciendo, ad latus meum dextrum Christum JESUM Dominum nostrum affixum cruci, quod tantò ampliùs sum mirata, quantò magis mysterium erat ab eo die alienũ. Dixit mihi hæc tantummodo verba: Anima amplectere meam crucem. quibus auditis vivacissimè mihi in momento fuerunt repræsentati cruciatus, qui in ea sustinentur. Natura non defuit suo officio, aliquantùm timendo, & eos aversando: considerando tamen, quid mihi esset agendũ, & adhibendo conatum, ut me, opitulante Divinâ gratiâ, resignarem in voluntatem illius Domini, qui me alloquebatur, amplexata sum illam crucẽ, stringendo eam partem, quæ ab ipsius pedibus protendebatur ad terram. Tum mihi dixit: Audi, & attende, quid tibi velim dicere. Ecce Anima, licèt in cœlo non sim crucifixus, exhibeo me tamen tibi in hac specie videndum, ut meliùs intelligas, quomodo

offeram Patri meo tormenta, quæ pro humano genere ſum perpeſſus in cruce, rogando illum, ut miſereatur hominum, præſertim populi Chriſtiani. Nunc te oportet eundem in finem offerre quidquid egeris, vel paſſa fueris, pro ſalute & auxilio Chriſtianitatis, donec tibi aliud dicatur. Mea anima fuit velut abſorpta, dum audiret hæc verba, atque ille Dominus cœpit aſcendere, donec ſe ſubduceret meo conſpectui, quanquam relictis profundè cordi meo impreſſis, quæ mihi dixerat.

Tum ij Sancti Angeli ſurrexerunt ex loco, in quo erant proſtrati, & extendentes in meo paupere lecto illud cœleſte linteum, quo tegebatur caniſtellum, exemerunt quæ intra idem erant, & poſuerunt ſuper linteum. Fuit verò catena aurea ex cœleſtibus aurifodinis, contexta ex elegantibus annulis, non tamen magna, & faſcis precatoriarum corollarum, quæ fuerunt pretioſiſſimæ, nec non alia cimelia. Acceſſit deinde meus Sanctus Angelus Cuſtos, & complicato ſecundùm quatuor angulos eo linteo, abſtulit illud cum omnibus, quæ erant intus: alij autem Sancti Angeli abeuntes aſcenderunt ad cœlum. Converti me ad Sanctum Angelum meum Cuſtodem, dixíque illi: Mi Domine Angele, quod cimelium ex his, quæ Deus miſit, ſpectat ad me? Nullum, reſpondit ipſe, & ſinè mora mihi ibi oſtendit, ac repræſentavit illos, ad quos pertinerent. Vidi verò, quòd illam catenam auream imponeret Regi Philippo Quarto Domino noſtro, quódque, dum ea ipſi imponeretur, Divina virtus cordi illius communicaverit ſpecialem affectum, ad protegendam noſtram ſanctam fidem. Ex corollis precatorijs dedit unam cuidam, qui eſt inter ſummos Regiæ Majeſtatis Miniſtros, & quamvis illum optimè noverim, non vidi tamen, quid in ipſo operaretur. Poſtea diſtribuit omnes eas corollas, & reliqua alijs Miniſtris Regijs mihi notis. Bene nihilominus intellexi, dona ideo fuiſſe eum in modum collata, quòd Deus ab illis expoſcat vigilantiam in regimine, & purum gloriæ ipſius, ac ſanctæ fidei zelum, atque à me, ut idcirco ipſum invocarem, eidémque eam ipſam ob cauſam offerrem, quòd mihi Divina Majeſtas injunxerit agendū, & patiendum. Ipſe me dignetur juvare, ut in omnibus exequar ſanctiſſimam ejus voluntatem. Amen.

*Quantopere in Catholico Philippi Quarti, Regis & Domini noſtri, pectore, ab ipſa infantia reſplendeat affectus protegendæ Fidei, cujus à ſuis Majoribus eſt factus hæres, novit univerſus mundus: fueritne is auctus ex eo die, quem hic Venerabilis Marina deſignat, provoco ad illos, quibus ſunt magis explorata ejus temporis acta, & perſpecta res Aulæ, atque ad ipſam experientiam Regiæ Catholicæ Majeſtatis, quam Deus conſervet. Certum eſt, licèt iſta nequeant definiri, quòd adeò manifeſta, adeóque frequentes Regij ipſius animi ardentes effectus, quoad Fidei defenſionem, venerationem Eccleſiæ Romanæ, & omnia concernentia pietatem, ac Divinum cultum, ut non poſſit dubitari, quin illi ſpecialiſſima liberaliſſimus DEUS hujuſmodi dona contulerit. Redeo ad hiſtoriam, ubi anno ſexcenteſimo trigeſimo ità hæc Virgo, ſolicitiſſima ob amiſſum Buſcoducum, loquitur.*

Matutino quodam tempore, die vigeſimâ quartâ hujus anni ſexcenteſimi trigeſimi, cùm miſerabile meum corpus ſummè eſſet debilitatum, propter acerrimos dolores ingraveſcentes ex diuturno meo morbo, & mea anima conſvetæ ſuæ vacaret orationi, Deus in me excitavit inſolitos quoſdam affectus, eâ vehementiâ, ut ſuccumbente meâ imbecilli naturâ, mihi ab illis videret veluti exanimari. Oriebantur ex afflictione ac dolore, qui ab aliquot diebus inhæret quaſi fundo animæ, eò quòd occulta magni Dei judicia permiſerint, ut Hollandi hæretici occuparent urbem Buſcoducenſem, & graviſſimâ afficerent contumeliâ quandam ſacram imaginem ſanctiſſimæ Virginis, plurimúmque inſolescerent, & ſuperbirent ob hanc, & alias victorias relatas de Catholicis. Augebat meum dolorem notitia bellorum, quæ moliuntur Principes Chriſtiani, & quodam adversùs Hiſpaniam, unáque illa, quam habeo de communibus Regni neceſſitatibus, & particularibus pauperum. Præ vehementia ergo quaſi violenta hujus affi-

afflictionis, & præ æstu horum affectuum, cœpi exclamare, dicendo: Non quiescam, ô Beatissima Trinitas, non dabo somnum oculis meis, aut quietem diebus vitæ meæ, donec me vindices de his hæreticis, vel ipsos, si non sunt convertendi, perssumdes ac destruas, ad solatium tuorum Catholicorum, atque ad gloriam nominis tui. Et cum eodem fervore subjungebam: Putásne fortasse, mi Domine & mi Deus, parum à nobis hîc amari, & æstimari tuam Sanctissimam Matrem, atq; non honorari toto animarum nostrarum affectu, ut possimus tolerare contumelias, quæ ipsi inferuntur? Profectò, Domine, necesse est ut id facias, neque ullatenus fieri aliter debet, atque oportet te providere his necessitatibus, & componere ista bella: neque ulteriùs, propter tuam bonitatẽ & misericordiam, ac amorem unigeniti Filij tui, nec non Sacratissimæ ipsius Matris, debes irasci. Hoc dicebam, & clausis aliquamdiu oculis instar mortuæ elangvescebam: Dominus autem ista dissimulabat, non alloquendo me, nec ullum mihi verbum respondendo.

Mea anima volebat rursum clamare, cùm autem natura esset tantopere exhausta, non poterat. Quia tamen eadem affectûs perseverabat vehementia, denuò me animavi, ac dixi: Noli cogitare, mi Deus & mi Domine, licèt me prives viribus ad clamandum & vociferandum, quòd idcirco sim tacitura: corde namque, & desiderio, quod huic animæ intimè inhæret, te invocabo usq; ad mortem, &, nisi me audiveris, mihíq; responderis, quæram te: jam enim novi viam, & scio, quà mihi sit eundum, quia tu mihi id ostendisti. Ad hæc omnia Divina Majestas silebat, nihil respondendo, sed nec ideo ego tacebam, aut diffidebam, nam dixi illi: Quid est hoc, mi Deus, & mi Domine? cur mihi aufers vires ad invocandum te? cur íd facis, infinitum Bonum meum, ut mihi videar à te repelli? quomodo, mi Domine, permisisti, ut perderetur illa civitas? tunc mihi modo gravissimo, & cum magna indignatione Dominus Majestatis dixit: Apage Anima, noli mihi hac de re loqui, nec sis importuna in petendo, quia te quoq; tollam è medio, nè mihi de hujusmodi rebus loquaris, sicuti sustuli nubes, nè plueret. Audiebat id mea anima, & quamvis timeret ac tremeret, nescio tamen, quid secretissimè viderit, ac advertrerit in eo magno Domino, ut existimarem, ab illo hac ratione potiùs incuti metum, quàm quòd vellet mandare executioni majores justitiæ suæ plagas: unde quantumcunque metuerem, non despondebam tamen penitus animum. Subjunxit Dominus eâdem authoritate, quâ priùs: Misi ad eos, qui illis meo nomine loqueretur, ipsos illuminaret, diceréteque ijs veritates, & declararet meam voluntatem: atque cùm sufficientes haberent causas ad credendum, quod ipsis fuit dictum, nihil id curaverunt, & processerunt vijs prudentiæ humanæ, ubi occultissimi admiscentur errores, non confidendo in me. Bene est, mi Domine, ajebam ego, optimè dicis: sed quid supereſt remedij? Mi Domine, quod factum est, infectum fieri nequit: noli hujus rei meminisse, per temetipsum te obsecro, noli, noli mi Deus, per misericordiam tuam. Anima, dixit Dominus, remediũ est, quod jam sciunt, ut agnoscant errores, atq; de ijs doleant, & emendent futura, jam verò facta corrigant, quantùm poterunt. Da ipsis itaque, respondi ego, mi Deus lumen, & necessariam dispositionem ad illud acceptandum: siquidem scis, quæ sit nostra miseria, & quàm parum possimus ac valeamus absq; te. Bene est, dixit Dominus eadem sum̃â gravitate, bene est Anima, quiesce modò, quiesce modicùm in me, quia es fatigata. Absorpta fui in Domino per ecstasim, inter fiduciam & timorem, quamvis magìs propenderem ad existimandũ, nobis taliter minas tantùm interminari, pro nostra emendatione. Intra paucos dies mihi fuit nuntiatum, bella, & alia esse in meliore statu. Deus omnibus medeatur, prout potest. Amen.

*Multa alia Venerabilis Marina præstitit in commune Hispaniæ emolumentum, quæ, quia directiùs spectant ad alias materias, fuerunt suprà in alijs tractatibus relata, & referentur infrà suis locis.*

Caput

# CAPUT XIII.

## Tenerrima hujus Virginis charitas, erga Anglos Catholicos.

*OMnes mundi nationes, quemadmodum ab initio hujus libri patuit, Venerabilis Marina intimè diligebat, ut earum ageret advocatam apud Deum; specialissima tamen fuit cura, & ardentissimus affectus, quem ipsi idem Dominus inaidit, ut subveniret Anglis Catholicis, sive quia inter nationes septentrionales hæresi infectas plurimùm patiuntur, sive quòd illis minùs liberè debitum, ac necessarium præbere possint auxilium Evangelici Ecclesiæ Romanæ operarij. Unde voluit Deus per preces Venerabilis Marinæ spiritualium supplere defectum subsidiorum, quæ alijs vijs non poterant obtinere. Certum est, ab hac purissima Virgine, quæ omnes mundi homines respiciebat tanquam proximos, præcipuè solos Anglos Catholicos vocatos fuisse filios; atque cùm instar sororis tot alijs optularetur, hos tenerrimo suavissimæ matris affectu protexisse. Aliquid hac de re suprà dictum fuit, rursumque alijs locis infrà attingetur: specialiores huc spectantes successus modò complectemur. Supersedebo verò adnotatione annorum, quibus evenerunt (præterquam interdum, ubi videbitur necessarium) plerumque enim id existimo, quoad præsens propositum, posse prætermitti. Venerabilis Marina sic exorditur.*

In festo Corporis Christi, quo fui abrepta in cœlum, ut adessem solennitati, quæ illic peragebatur in honorem Sanctissimi Sacramenti, post alia singularia, & mysteria, quæ alibi recensui, vidi ibidem exoriri svavissimum quendam turbinem sacrorũ tonitruorum, & fulgetrorum, quæ audita ac visa exhilarabant animam. Pluebat ignis Divini amoris, qui inflammabat cœlestes illos Palatinos; grandinabat, & cadebant Divini thesauri in specie pretiosorum lapidum. Hos ego, cupidissima obtinendæ pro meis filijs Anglis Catholicis eleemosynæ, cœpi colligere, sed non habebam quò eos ponerem. Aspexi meos Dominos Angelos, qui mihi amanter dixerunt: Anima, collige diligenter, nos tibi servabimus, quidquid collegeris. Neque aliter faciebam, & porrigebam ipsis, quod colligebam. Postquam cessaveram, optabam abire ad distribuendam meam eleemosynam. Tunc mihi Dominus dixit: Marina, non poteris tam longum iter conficere, quia tua naturalis dispositio id nunc non patitur. Tui Angeli illam ipsis adferent. Subitò hos vidi abeuntes, ad eam spiritualem Divinarum gratiarum eleemosynam ijs ferendam, quam illis Dominus mittebat. Solus meus Sanctus Angelus Custos apud me mansit, qui me, cùm satis diu fuissem fruita bonis illius superæ Civitatis, reduxit ad meum angulum.

Aliâ vice vidi in meo cubiculo pestilentem catervam rabidorũ canum, terribiliter latrantium & ululantium. Agnovi esse diabolos, conquerentes coram Deo. Tenebat illos Divina Majestas ligatos, & ipsi optabant se expedire vinculis, ad nocendum Fidelibus. Conabantur quoque intervertere opera, quibus me Deus per hos dies occupat, & impedire, nè converser cum proximis. Tandem, cùm hîc nihil pollent efficere, disperserunt se per varias orbis partes. Vidi mox intrantes multos viros & fœminas, quibus omnibus aderant Angeli Custodes, recurrentes ad me tanquã ad matrem, ac petentes à me eleemosynam, specialiter verò panem. Sancti ipsorum Angeli Custodes me etiam jubebant opem ferre illi egenæ turbæ. Confugi ad Deum, dicendo illi: Mi Deus, da mihi pro hac turba Divinum panem, & lumen tantarum miserationum. Divina Majestas, simulando, à se quasi non percipi meas preces, mihi dixit: Quid à me petis? quid tu Anima? Ego repetebam idem, & Dominus rursum dissimulabat. Ità affectus meæ commiserationis multò magis exardescebat, & invocabam Dominum: Mi Deus da mihi Divinum panem, & lumen mise-

ratio-

rationum. Sit ità, dixit tum Ejusdem Majestas, habes clavim mearum miserationũ, dispensa illas pro tuo arbitrio. Omnes isti erant Angli & Hyberni Catholici, præter quos adveniebant etiam nonnulli hæretici, quorum Angeli mihi dicebant: Da & nobis aliquid, roga quoq; pro his. Nequaquam, mei Domini, respondebam ego, panem filiorum non oportet dare canibus. Sic est, reponebant ipsi, sed canes edunt de micis, quæ cadunt ex mensa. Dum hoc modo colloquerer, fui in spiritu ducta ad insulas Hyberniæ & Angliæ, quarum regionum Catholici mihi videbantur lachrymantibus oculis dicere: Mater & refugiũ nostrum, noli nos derelinquere, mane nobiscum. Solabar ipsos quantùm poteram, animando illos ad perferendas patienter suas afflictiones, blandiebar ijs dicendo: Filij mei, si me possem dividere, & manere vobiscum, facerem id absque dubio quàm promptissimè: cùm autem hoc fieri nequeat, nunquam vestri coram Deo oblivisear. Valedixi ipsis, & finitâ visione me reperi in meo cubiculo.

Quod mihi Deus dixit de clavi suarum miserationũ, manifestavit mihi paulò amplius quàm post unum mensem, per aliam visionem, quæ fuit hujusmodi. Fui in illis regionibus, ubi est sepulchrum Christi Domini Redemptoris nostri, & vidi quosdam Cœnobitas sese lavantes in eo mystico flumine sangvinis & aquæ, de quo sum aliâ occasione locuta. Spectabant ipsos multi Infideles, dicebántq; sibi invicem: Videte quàm sint sordidi & fœdi illi Monachelli, qui se lavant sangvine. Alij ex ijsdem Infidelibus ajebant: Non sunt profectò, quin imò prodeunt ex balneo mundissimi: nónne videtis, quomodo resplendeant? Hi continuò ad me conversi mihi vociferando dicebant: Mater adjuva nos. Ego eram tenerè commota, & recurrens ad Deum, invocabam illum instantissimè. Quid vis Anima? dixit Divina Majestas. Mi Deus, respondi, ascendere ad cœlum, ubi degis, & ingredi tuam cellam penariam. Nescio, quomodo tanta fuerit mea audacia, ut subjunxerim: En, mi Domine, jam illuc proficiscor. Veni Anima, dixit tum benignissimus Dominus. Hoc eodem momento comparui in cœlesti Jerosolyma coram Beatissima Trinitate, quasi in conspectu immensæ gloriæ. Erat ibi ingens, pulcherrima, & supra modum elegans arca clausa tribus seris, atque cùm viderem esse tres realiter distinctas, videbatur mihi esse unica. Idem mysterium notavi in clavi, quæ licèt esset tantùm una, aliunde tamen mihi apparebat triplex. Accede, dixit tum Dominus, & resera hanc arcam. Accessi, & volui illam reserare clavi, quam videram, sed Divina Majestas mihi dixit: Relinque istam, hîc enim geris tuam clavim, ad arcam reserandam. Aspexi me, & vidi pendentem ex meo cingulo auream clavim, quæ conveniebat omnibus tribus seris. His apertis, erat tam grande, & adeò immensi ponderis operimentum ejus arcæ, ut illud nullo modo possem elevare.

In hac mea anxietate conspexi Sacratissimam Personam JESU Christi Salvatoris nostri & Domini, qui infinitâ Sanctorum Angelorum multitudine stipatus, magnũ mihi exhibens amorem & affabilitatem, venit ad me, suáque benedictâ manu felicissimè elevavit operimentum arcæ, gaudente plurimùm eo sacro comitatu beatorum spirituum, quòd Dominus aperuisset, ac palàm proposuisset illum thesaurum. Accesserunt, jussu Dei, meus S. Angelus Custos, unáque mei cæteri Domini, & imponentes in arcam manus, eximebant illas præstantissimis plenas unionibus, pretiíque ac pulchritudinis incomparabilis margaritis, & conjiciebant eas in quoddã linteum, seu præcinctorium, quo me vidi circumdatam, considerando attentissimè, quomodo ab ipsis exponerentur. Erat verò ingens aviditas ac desiderium, quo tenebar, ut mihi multum darent. Tandem, postquam implevissent illud meum linteum, præ cupiditate, quâ ferebar ad succurrendum ijs, de quibus initio dixi, ad nihil aliud animum advertens, volui confestim abire, ut illis impertirer, quod acceperam. Admonuit autem me S. Angelus meus Custos, ut illi magno Domino priùs deferrem honorem, & agerem gratias, qui me pro suis prædestinatis tam liberaliter

locupletaverat beneficijs. Feci id, petendo veniam meæ incuriæ. Cogitabam, nos statim tendere ad eas regiones vicinas sepulchro, sed mei Domini Angeli me inprimis constituerunt in Regno Angliæ, ubi incepi meis Catholicis distribuere illas gratias ac dona cœlestia, quæ omnibus magno affectu elargiebar, & singulari cum desiderio, ut ipsis abundè satisfacerem, & subvenirem omnibus illorum necessitatibus.

Hoc opere peracto, me duxerunt ad regionem, & locum S. Sepulchri, ubi eæ animæ à me petiverant auxilium, sicuti suprà dixi. Et cùm eadem ratione vellem distribuere illas divitias, quo ipsas distribueram meis Catholicis Anglis, mei Domini Angeli mihi dixerunt: Expecta, desiste Anima, quia hîc distributio non est pariter facienda ac ibi, sed prorsus aliter. Et continuò ijdem mei Domini Angeli, acceptis illis gemmis & margaritis, quas ferebam, cœperunt eas jactare super illos homines, dispersas per aërem, quemadmodum Agricola pugillatim spargit frumentum, ut illud seminet. Post hoc me reduxerunt ad meum cubiculum, ubi derepente rursus vidi JESUM Christum Dominum nostrũ, cum comitatu multorũ Angelorum. Cœperunt ex Ejusdem Majestate prodire pulcherrimi radij, qui me ferientes totam perturbaverunt, abripientes me eò, ubi erat idem Dominus, qui uniendo meam animam suo Divino spiritui, me secum abduxit ad cœlum. Ibi sum fruita, meo modo, ineffabilibus bonis, donec mihi reddita me reperi in meo angulo, admirans magnas hujus Domini misericordias, cui sit benedictio, & laus æterna. Amen.

*Hæc visio est plena mysterijs, quæ vel mediocriter doctis sunt facilia intellectu. Pijs animabus, ad ipsarum instructionem, sufficit breviter intelligere, quod hic adnotabo. Clarum est, arcam tribus clausam seris, quæ omnes tres erant una, fuisse symbolum Triunius Dei, cui eminentissimè insunt thesauri, & gratiæ, quas communicat animabus. Symbolum quoque ejusdem videtur esse clavis una & trina, quam in ea Venerabilis Marina vidit: specialiter tamen repræsentabat liberalissimam hujus magni Dei potentiam, communem tribus Personis, quâ potest re ipsâ, & solet hæc bona, nullo alio adhibito instrumento, communicare. Ideóque Deus ipsi mandavit, ut non hac, sed altâ clavi, quam habebat, tanquam gerente vices illius prioris, aperiret eam mysticam arcam, ut illi significaret, orationem ipsius à se adhiberi pro instrumento suorum beneficiorum, quemadmodum lingua Eliæ à Sanctis appellatur clavis cæli. Quia tamen omne patrocinium & favor Sanctorum suam habet radicem & efficaciam in meritis Christi Domini nostri, fuit huic Virgini ostensum, quid ipsa suum impenderet terunciolum, referanda arcam clavi, majoris verò momenti opus, utpote elevatio operimenti, fuerit reservatum virtuti Christi. Non fuit offensus Deus (quamvis illam Angelus admonuerit, quid sexe præstaret) quod hæc Dei famula, postquam se vidit locupletatam, abiret, non obtentâ facultate, ad distribuenda, quæ acceperat, animabus indigis: siquidem Divina Majestas suavissimè dissimulat quasdam naturales negligentias, quas inter orandum committimus, provenientes ex perpetua de proximis nostris solicitudine: quin imò experimur ipsum interdum erga eos benigniorem, quàm alias esset, dum illos solummodo propter ipsum quærimus. Diversus ille modus, quo distributa fuerunt dona, dum Anglis Catholicis sunt quasi ad manus tradita, & Paganis convertendis, acsi super ipsorum capita seminarentur, videtur significare, quòd omnes Catholici, saltèm per fidem, & multi eorundem etiam per charitatem, quia sunt filij Ecclesiæ, jam evaserint vasa capacia, ad retinendos thesauros CHRISTI; Pagani verò fuerint instar sterilis terræ, ubi, priusquam gratia seminata, accedente ipsorum cooperatione, ageret radices fidei, DEUS non inveniebat, nostro loquendi modo, vas, in quo sua dona reponeret. Ipse sit in æternum benedictus. Venerabilis Marina continuat suam historiam.*

Post prædicta non sunt elapsi duo menses, quando audiens mihi referri, à quibusdam Patribus Anglis è Societate, Iubiem, quâ Rex Angliæ persequeretur Catholicos suarum ditionum, concepi vehementem affectum, & ardentissimum desiderium, ut Deus ipsis, tanquam vere Ecclesiæ

Ecclesiæ Romanæ filijs, largiretur patientiam & fortitudinem, cum alijs suis multis Divinis donis, ad tolerandas tantas afflictiones. Cùm autem Divina Majestas mihi revocaret in memoriam cœlestia dona, quæ illis, accepta ex Divina ejusdem mensa, aliàs distribueram, vidi me duci in spiritu ad cœlum, ubi me deprehendi præcinctam candidissimo, & admodum capaci linteo, in manu verò habui scopulam, quasi pro verrendis ijs cœlestibus mensis; & colligendis spiritualibus illarum micis, quas impertirer illis afflictis Catholicis. Ingressa sum magno animo ea cœlestia cœnacula, venítque mihi obviàm quidam Angelus ex majoribus, magnæ authoritatis, ut illum existimem fuisse præfectum illorum conclavium, qui mihi valde severè dixit: Quò vadis Anima? expecta, quid vis? Domine Angele, ajebam, vado ad colligendas micas mei Domini, pro meis filijs, Catholicis Angliæ. Jam te alia, respondit ipse, prævenit, bene potes reverti. Hoc responsum me reddidit nonnihil attonitam, ità tamen, ut plurimùm gauderem, reperiri, quæ istud munus exequeretur. Idem S. Angelus se deinde exhibuit affabiliorem, & non solùm mihi non prohibuit transitum, sed etiam ostendit, quà mihi esset eundum. Postquam igitur intravi in quoddam cœnaculum, vidi in eo disposita scamna, & velut subsellia, cúmq; inter illa obambularem, prodivit alius Angelus, qui mihi dixit: Quid est hoc? éstne ista scopula tui affectûs, quo prosequeris tuos filios? progredere jam ulteriùs.

Perveni tandem ad caput mensarum, ubi Dominus accumbebat; prostravi me ad sanctos ipsius pedes, &, nescio quo affectu impellente, cœpi canere. S. Angeli ibi præsentes me intuebantur, & interrogabant se mutuò: Quæ est ista? quid quærit? Divina Majestas ipsis dixit: Relinquite illam, quia canendo laudat suum Deum, & venit quæsitura alimentum pro ijs, quos ipsi commendavi. Jussit mihi deinde dari, quod optabam: atque tum Angeli imposuerunt in prædictum linteum quendam cibum, qui, prout mihi à Divina Majestate repræsentabatur, habebat speciem pretiosissimarum margaritarum, & repleverunt illud adeò, ut mihi non videretur plus posse capere. Surrexi, & præ ardore mei affectûs sinè mora descendi ad meos Anglos Catholicos; intravi eorum domos (quas mihi jam videor nôsse) distribui ipsis quàm liberalissimè, quod acceperam. Videbam illos contentissimos, & animatos, multúmque confortatos ad patiendum amore magni Dei nostri. Reversa sum postea ad cœlum, ubi erat Dominus; prostravi me ad sacratissimos ipsius pedes, cujus Majestas me univit cum suo Divino Esse tam arcto nexu, & tam sublimi modo, ut notitiæ, quas mihi tum communicavit de magnitudine ac majestate suæ Essentiæ, de perfectione suorum attributorum, fuerint tales, támq; eminentes, ut, quod hac vice cognovi (id autem accidit feriâ tertiâ, vigesimâ Junij, anno sexcentesimo vigesimo sexto) amplius, longéque clarius fuerit, quàm quidquid in mea vita eousq; intellexeram, cùm tamen mihi Deus similes gratias toties præstiterit. Finitâ hac Divinâ communicatione, comitantibus me his meis Dominis Angelis, descendi per latam, & pulcherrimam scalam, donec pervenirem ad meum angulum.

Laudetur Divina Majestas in æternum. Amen, amen.

# CAPUT XIV.

## Exponit ulteriùs curam, quam habuit de Catholicis Anglis.

POst elapsum paulò minus temporis, quàm unius & dimidij mensis, spatium, dum essem intenta orationi, abrepta à meis affectibus, cœpi voce, quam mihi mea concedit debilitas, canere illum versum Davidis: *Domine, nè in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Contemplabantur me hi mei Domini Angeli, acsi me libenter audi-

audirent, & Sanctus meus Angelus Custos mihi tum dixit: Optimè te gessisti, scias hunc tuum cantum fuisse gratissimũ Deo. Adivi deinde Dominum, ut illi gratias agerem pro hoc beneficio, quòd ipsi res tam exigua, & peracta à tam vili creatura placeret. Suscepit me Divina Majestas peramanter, dixítque mihi: Accipe, volo enim tibi aliquid dare propter bonũ opus, quod fecisti. Si namq; Domini terreni consveverunt donare vestem, aut quidpiam simile famulo, propter gratiosum, genio ipsorum accommodatum dictum, par est ut ego tibi aliquid donem, eò quòd fuerim recreatus tuo cantu: atque exempto velut ex sinu præstantissimo cimelio, quod referebat speciem aurei laterculi, dedit mihi illud, ac dixit: Distribue id tuis filijs. Accepi pretiosum donum, atque sicut mendici, dum ipsis larga datur eleemosyna, se non capiunt præ gaudio, eámq; exosculantes multa proloquuntur plena affectu, agendo gratias pro accepto beneficio, & exprimendo gaudium, quo affluũt, ità ego delectabar eo pretioso munere, & tanquam mihi erepta dicebam talia in doni, longéque ampliùs in donatoris commendationem, ut illa existimem magìs posse sentiri, quàm describi: neq; enim ea sciet comprehendere, qui non est expertus, quid anima soleat in hujusmodi jubilis dicere, ebria quodammodo gaudio. Profecta sum statim ad illum thesaurum distribuendum Catholicis Angliæ, mihi à Deo commendatis, quò me toties confero, ut putem à me jam optimè nosci ipsorum domos. Distribuebam eum quàm liberalissimè, atque licèt illis multum elargirer, aurum tamen quod ferebam, nihil mihi videbatur imminui. Communicabatur ipsis firmitas fidei, fortitudo ad patiendum ejus causâ, & desiderium bonorum cœlestium.

Quadam die Dominicâ, ultimâ Februarij, anno sexcentesimo vigesimo septimo, dum intensissimos elicerem & ardentissimos affectus amoris divini, postquam mihi alia magnis plena mysterijs cum Deo evenissent, Divina Majestas excitavit in meo corde vehemens desiderium, petendæ ab ea eleemosynæ, pro meis pauperibus filijs: sic enim soleo appellare Fideles in Mauritania captivos, & Catholicos in Anglia, qui licèt non sint captivi, ingentes tamen ab eo malo Rege hæretico patiuntur vexationes, sustinendo incredibilem persecutionem & afflictionem: atque per Divinam magni Dei nostri bonitatem & misericordiam frequenter in his duabus regionibus, unà cum meis Dominis Angelis, invisо modò illos captivos, modò hos Anglos Catholicos, consolando in Domino homines tam afflictos, & animando ipsos quantùm possùm. Cum hoc igitur desiderio invocabam Deum, ac dicebam illi: Ah Domine Deus Majestatis (quem titulum sæpe repetebam) en adest tua creatura, illa miserabilis, indigna, quæ coram Divino tuo conspectu compareat. Sum, Domine, illa mendica importuna: da mihi eleemosynam, per temetipsum te obsecro, & per tuam Sanctissimam Matrem, pro meis pauperibus & afflictis filijs Catholicis Angliæ, & pro ijs, qui sunt in Mauritania captivi, atq; affliguntur. Domine Majestatis, da mihi eleemosynam, cùm sis potens, dives, & misericors, pro his meis pauperculis, ac dilectis filijs.

Dum Dominus audiret clamores affectûs, quem ipse in me excitabat, respondit mihi modo quamvis svaviter gravi, attamen benignissimo, dicens: Quid habes Anima mea? quid habes? quid petis tanto affectu? Omnia tibi quàm promptissimè dabuntur, quiesce in me, & nunc cum mea benedictione conscende hos mysticos gradus, quos hîc vides; veni ad meam cœlestem aulam, ac sacrum palatium: ubi namque eò intraveris, videbis opiparam & mysticam mensam, cui assidet Beatissima Trinitas, & cibat deliciosissimè suos filios, sustentando illos alimento suæ gloriæ. Ingredieris, Anima, illuc, ubi instituitur istud convivium, & petes tuam eleemosynam ab eo magno Rege, & fortunatis ejusdem convivis. Mea anima fuit repleta stupore & solatio, cùm audiret hæc Divina verba, & sum passa profundam ecstasim. Quando ex ea ad me redivi, conspexi scalam, quæ habebat admirabilissi-

mos

mos gradus, & pertingebat à terra ad cœlum: tum subitò permota à Deo, non petitâ facultate, quam aliàs petere soleo à meis Dominis Angelis, cœpi ipsam conscendere cum ingenti fervore ac festinatione. Vix perveni ad portam illius supernì palatij, quando mihi occurrit quidam Angelus ex prorsus supremis, qui mihi gravissimè dixit: Quò venis Anima? quid vis? quis te adduxit huc, & quâ licentiâ audes ingredi sacrum palatium, ubi moratur Sacra Majestas magni Dei & Domini nostri? Puduit me vehementissimè, & valde erubui, præ reverentia ob præsentiam Angeli, & gravitatem ipsius verborum. Siquidem autem me Deus in hujusmodi eventibus solet probare, objiciendo mihi talia obstacula, ut me humiliem atque cognoscam, dixi illi quàm verecundissimè: Domine Angele, ego sum pauper anima, & creatura mei Dei, veníque huc ex Divino ipsius mandato ad petendam eleemosynam: habeo multos pauperes filios, petunt à me panem cœlestem, quo careo, ut illum ipsis tribuam. Permitte me ingredi Sancte Angele, per amorem Domini, cui servis. Misertus est mei iste beatus spiritus, & fecit, ut transirem absque ullo impedimento.

Ingressa sum illud mysticum cœnaculum, ubi magnus Deus noster, cum suis Sanctis convivis assidebat divinæ mensæ, & reperi omnia, quæ mihi Dominus priùs dixerat. Prostravi me multoties coram Deo, & inclinavi me profundissimè coram ipsius Sanctis, eum prorsus in modum, quo se mendicus gerere solet coram divitibus, ut illos suâ submissione flectat ad misericordiam. Cœpi postea petere meam eleemosynam, atque adivi cum magno affectu & aviditate singillatim illos beatos convivas, qui omnes mihi, singularem exhibendo charitatem, aliquid donabant. Magnum erat meum solatium & gaudium, quòd mihi darent tam multum pro meis filijs: nam pro me eâ vice nihil ab his Sanctis petebam. Cùm itaque jam plenum haberem sinum, & quandam velut manticam, quam gestabam, ostendens me velle discedere, inclinavi me profundè coram Deo, & ejus Sanctis, atque festinando ob ingens desiderium, quo ferebar ad distribuenda, quæ acceperam, progressa sum ad scalam, per quam ascenderam. Tum mihi Dominus cum benignissima charitate dixit: Revertere Anima, veni huc, nónne vides, quòd non auferas præcipuam eleemosynam, quæ est Regis & Domini hujus convivij? Veni, & accipies illam è manu nostra. Adverti meam incuriam, & confusa ac humiliata accessi ad Divinam Majestatem, atque accepi à singulis tribus Divinis Personis largam eleemosynam. Notabile est, quòd mihi quidam Sancti Angeli dixerint, dum colligerem eleemosynam à Sanctis: Quid tu hìc agis? quis te huc adduxit? & benignissimo Dominus ipsis, acsi me defenderet, respondent: Relinquite illam, etiamsi enim hìc non vivat, est tamen domestica. Hæc mysteria ità peraguntur, ut magnus ille Deus se accommodet mori humano. Voluit verò, quantùm ego sum assecuta, dicere, me esse domesticam eo modo, quo, exempli gratiâ, aliqua lotrix frequentat domũ viri nobilis, ut ibi det operam lotioni, & sæpissimè inserviat, quam ille habet quasi loco domesticæ suæ famulæ, tametsi soleat alibi pernoctare.

Tandem exivi dives, & plena millenis bonis, canendo hymnum: *Te Deum laudamus &c.* Habui obvium, quando sum egressa ex eo mystico cœnaculo, meum S. Angelum Custodem, & reliquos meos Dominos, cum quibus descendens per eas scalas deprehendi me ad ejusdem finem esse in Anglia, apud portam cujusdam domûs occlusæ, ubi multi Catholici anxij & afflicti convenerunt consultaturi de modo effugiendæ duræ vexationis illius mali Regis, & dicebant: Deseramus nostras domos, & nostras facultates, ac proficiscamur, prout poterimus, ad regiones Catholicas. Verùm graves illis continuò occurrerunt difficultates, ob uxores, proles, & alia. Dum ità angerentur, duo Angeli ex ijs, qui me comitabantur, pulsaverunt fores: qui erant intus responderunt, tristem quandam demonstrando perturbationẽ, ignorantes quis pulsaret. Sed Angeli lo-

quentes cum magna charitate & affabilitate obtinuerunt, ut ipsis aperiretur porta. Intravimus omnes, qui adveniebamus, & illa domus, quæ erat quodammodo obscura ac tenebricosa, fuit derepente quasi perfusa splendore, & multùm illuminata, atque ij Catholici fuerunt repleti ingenti spirituali gaudio, solatio, magnanimitate, & fortitudine, ut se ipsos, opinione suâ, non agnoscerent: jam volebant pati amore sui Domini JESU Christi, & crucifigi ab illo impio Rege, ac sacrilego hæretico. Iste fuit effectus eleemosynæ, quam ipsis per me miserant illi cœlestes convivæ. Magnus autem affectus, quo prosequebar hos meos dilectos filios, & afflictos Catholicos, me non sinebat quiescere, ut ijs tantummodo darem, quod petiveram, mihíq; pro ipsis fuerat datum, verùm etiam optabam illis dare, quod mihi magnus ille Triunus Deus pro me dederat, erátque novum donum amoris Dei, & applicatio novo modo facta pretiosissimi sangvinis JESU Christi Domini nostri, atque puritas animæ; dum verò illis vellem communicare quantum possem, impedivit me Sanctus meus Angelus Custos, dicendo: Istud tibi nunc solùm pro te datum est, & non, ut à te alijs communicetur. Eximus hinc, relictis ijs Catholicis valde animatis, non sinè magno animarum suarum emolumento.

Inde nos contulimus ad ergastula, & subterraneos carceres Africæ, ubi captivi illi Christiani patiebantur incredibiles afflictiones, ab eo barbaro & crudeli populo. His quoque meis filijs est distributa bona pars illius spiritualis eleemosynæ, ità ut fuerint illuminati, recreati, & corroborati ipsorum animi, qui erant vehementer fracti & prostrati, propter profundam tristitiam, ortam ex afflictionibus. Beneper Dei misericordiam sunt refocillati. Istinc me hi mei Domini Angeli duxerunt ad meum cubiculum. Magnum fuit lumen, quod mihi Deus durante hoc mysterio communicavit de Divina sua Essentia, & attributis. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

# CAPUT XV.

## Concludit, recensendo alios hujusmodi eventus.

*ARdens hujus Virginis charitas non restringebatur tantùm ad Anglos Catholicos, verùm extendebatur ad ipsos etiam ejusdem nationis hæreticos, siquidem exoptabat, instantérque petebat illorum reductionem ad fidem Catholicam, qui se ad tantum bonum erant disposituri, & abolitionem eorum, quos Deus cognoscebat morituros, propter sua peccata, in perfidia. Iste est spiritus, quo Ecclesia Romana, quæ sola est vera Christi Ecclesia, in Officio feriæ sextæ Majoris hebdomadæ, orat pro conversione hæreticorum, & in Collecta quotidianorum Sacrificiorum petit eorundem destructionem. Benignissima est, & prædita visceribus Dei, hæc magna Mater Fidelium, Sponsa Christi: neque absolutè optat videre perditos hæreticos, sed supposito quòd victuri sint solummodo in scandalum Fidei, carnifices Catholicorum, accumulantes magis peccata, & promerentes majorem infernum, quò tardiùs sunt in sua perfidia obituri. Hic non est detestari ipsos hæreticos, sed illorum hæresim. Eundem sanctissimum ac discretissimum zelum induebat Venerabilis Mater, quem admodum jam aliquantùm patuit, quando egi de rebus Hispaniæ, patebitque clarius ex eo, quod nunc à me scribetur, & ab ipsis sequentibus verbis refertur.*

Quidam Pater è Societate mihi recensuit martyrium nonnullorum Patrum sui Ordinis, & ex Ordinibus S. Dominici, atque S. Francisci, aliorúmque Fidelium, qui combusti vivi in Japonia fidei causâ obierunt, anno sexcentesimo vigesimo secundo, quod modò innotuit, decimâ quartâ Julij, anno sexcentesimo vigesimo quarto. Valde

Vehementissimè me afflixit perditio illius Regni, & quòd ad eam progrederetur crudelitatem, ut occideret sanctos Evangelij ministros. Angores meæ animæ tantopere invaluerunt, ut etiam dolores mei debilis corporis multùm fuerint aucti. Invocabam Deum, videbárque mihi confici postulando auxilium pro tot animabus, quæ ibi peribant. Maxima fuit ista afflictio, ità ut S. meus Angelus Custos, me cum magna commiseratione aspiceret, atq; affectuosâ charitate mihi diceret: Quiesce Anima, quiesce tantillùm. Vidi deinde Dominum summè irascentem illi populo, & dixit mihi: Quid vis, Anima, ut de illis statuam? Sunt filij diaboli, sunt serpentes, sunt viperæ: ego ipsis pro eorum bono mitto Ministros, vide quomodo mihi illos tractent. Conticui modicùm præ fatigatione, atque post tres circiter horas, crescente interim afflictione, jam penitus deficiebam viribus, disrumpebar præ dolore & compassione, ob damnationem tot hominum redemptorum sangvine mei Domini, & quòd in ipsis tantum pretium perderetur. Dominus mihi solitâ suâ benignitate denuò dixit: Quid tandem vis Anima? Mi Domine, ajebam, ut populus iste, & totus mundus salvetur. Anima, respondit Dominus, nónne vis majorem meam gloriam, & honorem? Adverte autem Anima, licèt semper antecedat mea misericordia, æqvum tamen esse etiam, ut servetur mea justitia. Dedi Japonibus auxilia requisita, misi illis præcones veritatis, & malè mihi ipsos tractaverunt, atque occiderunt. Anglum bene scis à me fuisse perductum ad hæc Regna, ut videret, quid agat Ecclesia Catholica, ubi posset proficere & agnoscere suos errores, quod non fecit: justitia mea clamat, & gloriæ meæ convenit, ut puniatur. Ego nihilominus suspirabam, ut omnib9 subveniretur. Tum Divina Majestas, quasi mihi indicendo silentium, dixit: Nunc veni mecum Anima, & quiesces. Nequaquam, Domine, nequaquam mi Deus, respondi ego. Quin imò ità, subjunxit Dominus, veni mecum: ergŏne mecum venire non vis? Non, mi Domine, reposui: quomodo possum ire ad fruendum tuâ quiete & misericordijs, dum oculis meis obversatur perditio animarum meorum proximorum & fratrum? Sanctus meus Angelus Custos mihi dicebat: Anima quiesce in Domino, es enim valde fatigata. Demum mihi Dominus ex immensa sua clementia dixit, consolando me: Jam est bene, præbebo illis nova auxilia, ut, si voluerint, ex ijs proficiant. Sic modicùm quievi in Divina Majestate, quæ sit in æternum benedicta. Amen.

*In præsenti scripto alluditur ad id, quòd paulò ante advenerit in Hispaniam Princeps Caleti, deinde infelicissimus Rex Angliæ, qui in sua perfidia obstinatus eodem anno, quo hoc scribo, inter vivos esse desijt, in publico theatro, suorum subditorum sententiâ condemnatus. Multos videre fuit Reges & Imperatores, quibus popularis tumultus, aut privata cujuspiam subditi rabies, etiam in cultissimis Provincijs, vitam eripuerit; non occurrit mihi tamen in his exemplum, ubi proprius populus pro tribunali tale audax facinus, contra suum Regem, fuerit executus. Vibravit Divina Justitia durissimum, spectatis hujus vitæ supplicijs, fulmen adversùs infaustum Carolum Stuardum, permittendo executionem justitiæ humanæ. Quamvis verò hæc Regiæ Majestati illata injuria usqueadeo consuetos excedat limites, ut illam nè quidem suspicando quisquam legitimus Princeps metuerit, est tamen umbra duntaxat confusionis, quâ suam in vita æterna deplorabit proterviam. Nescio quæ Venerabilis Marinæ de infortunato hoc Rege fuerit conjectura, ut, quanquam esset modestissima & moderatissima in suis verbis, semper illum nihilominus, prout vidimus, appellaverit crudelem & malum. Monuit Venerabilis Marina, ex Dei expresso mandato, ante triginta & plures annos, dum tempore pijssimi Regis nostri Philippi Tertij, rumor aliquis de nuptijs hujus Caroli in Hispania spargi incipieret, nè ullâ ratione contraheretur matrimonium, nisi ille converteretur ad fidem. Hoc S. P. Ludovicus de Ponte scripsit in prima parte hujus historiæ, qui in quodam suo chirographo, quod penes me habeo, asserit, à se monitam fuisse ea de re Catholicam Regiam Majestatem, & Ducem Lermæ, cum Aulæ Præfecto. Continuat hæc admir: Virgo suas relationes, & sic ait.*

A mul-

A multis jam diebus toto meæ animæ conatu, omnibúsque cordis mei affectibus supplex Deum in oratione rogabam, ut, si hic Rex Angliæ, & hæretici ipsius subditi, non essent convertendi, Divina ejusdē Majestas illos disperderet, tum nè tot, támque enormia peccata, ad majorem suam damnationem multiplicarent, tum etiam nè suâ potentiâ infestarent nostra Catholica Regna. Affectus iste quadam vice fuit vehementissimè auctus, cum quo me derepente reperi in cœlesti Jerosolyma coram Divina Majestate. Magnus hic Dominus conjecit in me oculos, dixítque mihi cum immensa quadam gravitate: Anima, quò progrederis tam festinanter? quid vis? quid petis? Ego, quia tota fervebam prædicto affectu, respondi sinè mora: Domine mi Deus Majestatis, venio petitura à te, & suppliciter rogatura, ut mihi des cohortem fortium & strenuorum Angelorum, ut ipsi, & ego proficiscamur ad pessumdandos, ac destruendos infernales illos hæreticos Angliæ. Intuitus me est Dominus, & dixit: Quid loqueris Anima? hócne verò tibi petendum est? Et conversus ad multos Angelos ibi præsentes, interrogavit illos: Angeli mei, quid vobis hac de videtur? intellexistísne talem Animæ affectum? Illi magna cum reverentia, quasi contrahendo humeros, gestu suo indicaverunt, sibi id mirum accidere. Aspexit me rursum Dominus, dixítque mihi: Revertere, Anima, ad tuum locellum, negotium enim tuum expendetur aliquantò diutiùs. Ego verò tanquam fervore meo ebria illi dixi: Quid dicis, mi Domine? quid hoc est, revertere? Hîc me oportet manere, ad te solum venire debeo, tantúmque ad te mihi revertendum est, & non aliò, aut quocunque demum. Verùm Divina Majestas subitò fecit, ut me statim deprehenderim in meo angulo.

Dum illic essem, cœpi ex ineluctabili meorum affectuum impetu, plena lachrymis & incredibili dolore, exclamare: Ah Domine Deus Majestatis, audi me clamantem ad te! Eheu, Deus, expulsa sum ex cœlesti Jerosolyma propter peccata mea, & propterea quòd nesciverim, quid peterem! O Deum! ô Regem! nomine Regis intelligebam Regem CHRISTUM Dominum nostrum: hæc verba, & hanc exclamationem sæpe iterabam. Divina Majestas, videns me ità comparatam, mei misérta est, & dixit meis Dominis Angelis: Jam est bene, adducite mihi huc istam Animam, quod ipsi fecerunt, & postquam perveni ad Divinum ipsius conspectum, idem Dominus mihi peramanter dixit: Veni huc Anima, quomodo vis à me fieri, quod petis? quomodo vis, ut me, & meam infinitam bonitatem adigam, ad tot animas unâ vice addicendas inferno? quomodo id à me vis fieri? Constituo te hujus causæ judicem; quid mihi ad hoc dicis? Silui modicum, ac deinde eadem obstinatione dixi denuò: Ità, mi Domine, ità, abripiant diabolitam malos homines, si hîc permanebunt non convertendi, ac tam graviter nocituri Catholicis. Tum fui abalienata à sensibus, & mei Domini Angeli me reduxerunt ad meum cubiculum. Hîc rem aliquantò meliùs considerans, quasi attonita propter opera hujus magni Dei, quódque taliter cum tam vili & miserabili creatura ageret, cogitabam, an id, quod modò acciderat, fortasse non esset aliqua mea imaginatio, orta ex vehementibus affectibus, quos his diebus experior, ut videam vel reductos ad fidem, vel extinctos, si futuri sunt pejores, Anglos hæreticos, & conversa ad Dominū ajebam: Estne fortè, mi Deus, imaginatio, aut quid est? Scis, me non velle, aut desiderare, vel ad quidquam aliud propendere, quàm ut me purè conformem cum tuis veritatibus, & sanctissima voluntate, nihílque aliud seu propter cœlum, seu propter terram cupere, quàm ut tibi serviam. In hac perplexitate, ac duranoleſtia mea anima diu perseveravit. Mei Domini Angeli me solabantur, dicendo mihi: Anima, Deus te nunquam permittet, neque permittet versari in tenebris. Rebam magìs anxia in ista confusa luctā Divinam Majestatem, iterabam frequenter preces, ut me illuminaret in meis bijs, atque tum audiebam mihi dicentem Anima, si non credis, me esse, qui tibi

quor, interroga tuum Confessarium, & adhibe illi fidem. Nihilominus me Dominus relinquebat in meis tenebris (ità tamẽ, ut priores affectus prorsus nihil imminuerentur) qui me sursum abripiens ad cœlestem patriam, dum me in sua constitutam haberet præsentia, mihi dixit: Veni huc Anima, erísne contenta, si malum illum populum hæreticum spoliavero viribus, nè noceat his Regnis Catholicis? Ego, ardenter optans videre illos simul ac semel consumptos, respondi: Ero contenta, cùm aliud obtinere nequeam. Erísne verò contenta, subjunxit Dominus, si ipsos adhuc debiliores reddidero? Respondi idem. Tertiò iterum dixit Div. Majestas: Et si illos magìs ac magìs disperdidero ac labefactavero, acquiescésne? Tum dixi: Mi Deus & mi Domine, fac quidquid volueris, & quidquid scis esse convenientius.

Post hoc me denuò inveni in meo cubiculo, & mei timores me rursus invaserunt, cum eadem obscuritate ac antea. Tum seria planè cum resignatione in voluntatem Dei, & intimo affectu illi dixi: Mi Deus & mi Domine, volo ex toto corde & affectu vivere in hac obscuritate, si tibi placet, quamdiu volueris, & prout jusseris, ità tamen, ut nè in minimo aberrem à tuis veritatibus, & sanctissima tua voluntate. Hunc actum elicui cum magno fervore. Divina Majestas autem mihi dixit: Verè, Anima, undecunq; te spectem, & qualitercunq; te probem, deprehendis me, & experior te fidelem, ideóq; tibi dico, me esse, qui te alloquor, tecúmq; versor: & in eo, quod petivisti, fiet à me, quidquid fuerit convenientiùs ad meam gloriam ac obsequium, & omnibus proficuum, ità ut habeas solatiũ, tibíq; satisfiat, cùm nihil melius & convenientius esse possit eo, quod faciam. His verbis sunt dissipata nubila meorũ dubiorum, anima fuit confortata, & acquievit, quòd Deus ipsius esset, qui eam alloqueretur, ac doceret tam admiranda mysteria. Ipse sit in æternum benedictus, propter tot misericordias. Amen, amen.

*Concludit Venerabilis Marina hanc de Anglis materiam gratiosissimâ visione, in qua obtinuit aliam eleemosynam, pro suis dilectis filijs Catholicis illius Regni. Recensetur ab ipsa his verbis.*

In vigilia Ascensionis, hoc anno sexcentesimo vigesimo septimo, solitæ meæ intenta orationi, vidi in cœlesti patria præparari, ut more nostro loquar, magnã solennitatem in diem sequentem: totum cœlũ mihi videbatur obtegi pretiosis peristromatibus, quæ exornabant mansiones, seu habitationes Angelorum, Sanctorum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, paritérq; cæterorum. Omnia hæc peristromata erant admirabilis elegantiæ, & in singulis ineffabili quodam ac divino modo mihi videbatur exprimi, qualiter Pater æternus ob merita sui unigeniti Filij incarnati præstiterit omnibus illis beatis gratiam, creando Angelos Filij causâ, & beatos reddendo Sanctos propter passionem ipsius ac mortem. Ista omnia vidit mea anima ex meo angulo. Fui recreata, quia existimabam, bonam fore occasionẽ acquirendæ eleemosynæ pro meis filijs, quod ipsum Domino dicebam: præsertim autem quando vidi instructam ibi pretiosam mensam, opulentissimam, & refertam Divinis cibis, quos nonnisi obiter discernebam, eò quòd essent cooperti. Vidi præterea ad pedem hujus mensæ tres grandes corbes splendidissimos, qui suas habebant ansas, & erant pleni segmentis candidissimi panis: singuli tegebantur singulis mappis, alia verò magna mappa tegebat omnes. Interea venerunt quidam S. Angeli, &, postquam se profundè coram Domino inclinavissent, arripuerunt dictos corbes, atque imposuerunt suis capitibus, & concinendo divinas laudes circumiverunt illã sacram mensam, donec se sisterent coram Divina Majestate. Ibi se prostraverunt, præsentando corbes, & Dominus dedit ijs panibus suam sanctissimam benedictionẽ. Resumpserunt illos S. Angeli, ac tulerunt ad priorem locum, statímque se rursum inclinaverunt, & magna cum reverentia adoraverunt Dominum.

Completo hoc mysterio audivi, quasi in remotissimo loco, pulsari tympanum bellicum, tribus tantumodo ictibus, quod fuit factum circiter decies, & quotiescun-

que id fiebat, audiebatur etiam ibi tanquam valde procul, & ex profundo resonans, maximus ejulatus tam lamentabilium vocum, ut disrumperent meum cor, méque ad tenerrimam commiserationem. Eram attonita, quando vidi, quòd sublimissimi Angeli egressi ex cœlo, velut constiterint super rotunditatem terræ, & circumspicientes quaquaversum gravissimo brachiorum gestu, quasi præparando rationales creaturas ad attendendum, simul altâ voce eruperint in hanc promulgationem: Attendite mortales, magnus Deus & Dominus Majestatis jam inde à sua æternitate decrevit in mundum mittere determinato tempore, ex sua bonitate, unigenitum Filium suum. Factus est homo, sustinuit tormenta mortis in cruce, spoliavit infernum, resurrexit, & ascendit in cœlum, aperiens viam Justis. Hæc est dies, quâ iste triumphus Domini solenniter celebratur. Qui habetis aures ad audiendum, audite, laudate & benedicite hunc Dominum, gratias ipsi agendo pro his misericordijs, quas vobis præstitit. Quisquis aures ad audiendum habuerit, audiat. Id ipsum promulgaverunt per quatuor mundi partes, ac deinde ascenderunt ad cœlum. Postea resonante eo tympano Angeli processerunt ordinibus geminatis, instar ornatissimorum militum, atque descendentes ad terram perambulaverunt universam, pellendo dæmones, qui (sicuti tum rescivi) ediderant tristes illos clamores, & lamentabiles gemitus, præ afflictione, indignatione, & rabie, ob suam damnationem. Rediverunt deinde ad suum locum ij sacri milites, cœlestem ingressi civitatem, intra quam ducta fuit alia solennior pompa omnium Angelorum Dei, qui splendidissimè ornati circumiverunt totum cœlum, & substiterunt coram Beatissima Trinitate, ubi omnes humiliter prostrati illam adoraverunt. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Spectabam hæc omnia ex meo angulo, atque tum temporis, jubente Divinâ Majestate, me Domini mei Angeli perduxerunt ad cœlum, prosternentes me coram eo Domino: & postquam illum adoravi, petivi eleemosynam pro meis filijs. Dominus mihi benignissimè respondit, jubitq; mihi dari prædictos illos tres corbes. Ego lætissima me converti ad S. meum Angelum Custodem, & dixi illi: Mi Domine Angele, quomodo ipsos portabo? Unum impone tuo capiti, ajebat ipse, reliquos autem singulos singulis brachijs. Ità feci, & non sensi ullum pondus. Profecta sum statim, ducta à meis Dominis Angelis in Angliam. Pervenimus ad fores Catholicorum, qui mihi videbantur fuisse quàm præmoniti de benedictione sibi obveniente: siquidem ipsimet prodierunt ad januâ, ut susciperent eleemosynam, quæ illis fuit data abundanter. Quod superfuit, mei Domini Angeli tulerunt ad captivos Africæ, quò ego istâ vice non ivi, sed hîc videbam, quomodo inviserẽt ergastula, quo peracto sunt ad me reversi, duxerúntq; me ad meũ angulum. Deus sit benedictus. Amen.

*Animadvertendum est, quòd non hac tantùm vice, quâ Ven: Marina nos adivit in Africam, sed etiam aliàs, quando se contulit ad utramq; regionem, semper prius pertexerit in Angliam, cæteris verò fuerit allatum residuum ex ijs, quæ dabantur Anglis Catholicis. Erant isti chariores filij primogeniti, videturque hæc Virgo advertisse, duriorem fuisse persecutionem toleratam Londini, quàm Algeri. Hîc sub potestate Mauri patiuntur sola corpora, cùm is nîl aliud curet, quàm ut obtineat à suis captivis litrum: ibi sub potestate Hæretici affliguntur unà animæ, quia afflicti Catholici non solùm patiuntur dispendium facultatum & vitæ, verùm etiam perpetuas tentationes contra suam fidem. In alio scripto, ubi Ven: Marina annotat nonnulla mysteria, quæ visa in Junio, anno sexcentesimo vigesimo secundo, narrat unum de adoratione Sanctissimi Sacramenti, quod mihi, cùm in illo quoq; eodem servore, quo in præcedentibus, prodat affectum, erga Anglos Catholicos, visum est ponere hoc loco. Refertur ab illa sequentem in modum.*

Præterlapsâ feriâ secundâ vidi in cælo magnam solennitatem, in qua omnes Angeli, & animæ beatæ specialem præ se ferebant hilaritatem & lætitiam. In altissimo & elegantissimo throno stabat quidam

cherrima hierotheca Sanctissimi Sacramenti, ubi mea anima nihil aliud videbat in figura imaginaria, quàm species sacramentales, quales hîc videntur oculis corporeis: per intellectualem autem & purissimam notitiam ibidem contemplabatur totum CHRISTUM Deum & Hominem verum, ac totam Beatissimam Trinitatem, unáq; diversum modum existendi, de quo aliâ occasione sum locuta. Hunc thronum circumdabant, adorantes Dominum, innumerabiles Angeli: alij non pauci aderant armati & ornatissimi, more militum, qui mihi videbantur formare cohortem, qualis hîc est prætoria, destinata ad defensionem Regiæ Personæ. Hi interdum explodebant suos sclopos, sicuti alias retuli. Mirata sum hujusmodi Custodes, & appropinquans primis interrogavi illos: Domini, quem custoditis? Neminem custodimus, responderunt ipsi, sed incutimus terrores, & interminamus minas mortis ijs, qui spernunt, & non credunt hoc Divinum Sacramentum. Vidi deinde procedentem solennissimam pompam, resonante tali musicâ suavissimarum vocum, tantâ instrumentorum harmoniâ, accedente eo ornatu & venustate illorum cœlestium Palatinorum, ut nequeat ullis verbis explicari.

Multi ipsorum gerebant habitum ecclesiasticum, tres tamen inter hos erant induti vestibus sacerdotalibus, supra modum pretiosis & pulchris. Non agnovi illos, quinam essent, intellexi nihilominus ipsos esse ex antiquissimis Sanctis Veteris Testamenti. Isti, profundissimè se inclinantes, conscenderunt gradus illius throni, & postquam unus ex stipantibus latera adolevisset thus, cum authoritate indicante majestatem, conjuncta licèt humili & profundæ veneration, statim is, qui ibat medius, accepit hierothecam, & cum illa sub pulcherrima umbella descendens, circumivit cum eo magnifico comitatu forum illius cœlestis civitatis, & post hoc redivit cum summa reverentia, ad reponendam hierothecam priore loco.

Magno affluebam solatio, dum spectarem tam sublimia mysteria, atque terra mihi interea videbatur respergi quadam pluviâ Divinorum donorum, & cœlestiũ divitiarum. Quia verò Deus mihi infundebat repentinum & ardentissimum desiderium, advocandi meos Catholicos Anglos, ut advenirent fruituri tam pretiosis thesauris, incepi celerrimè perrumpere illos S. Angelos, dicendo: Permittite me transire, Domini, permittite me transire. Ipsi me remorabantur, & interrogabant: quò vadis, Anima? quid vis? Ego abrepta à mea aviditate nihil aliud dicebam, tantúmque iteratò ajebam: Permittite me transire, Domini; donec meus S. Angelus Custos, detinendo me, diceret: Expecta Anima, non potes enim hinc descendere, nisi deducaris. Tum ex eo loco cœpi, prout potui, advocare illos Catholicos, quibus dicebam. Filij mei, filij mei, venite, venite. Ipsi mihi responderunt: Mater, Mater, juva nos, juva nos. Tum eos vidi inde à JESU Christo Domino nostro aspergi pretiosissimo liquore, quem suscipiebant magna cum devotione & voluptate. Ego gaudebam sumè, quòd viderem, quantopere diterentur gratijs, quas illis Deus præstabat. Eodem tempore fui recordata aliorum Fidelium viventiũ inter Paganos, quos pariter advocabam sicuti priores, & vidi suam etiam obtigisse portionem illi tantùm matronæ, de qua mihi alibi fuit sermo, quanquam degeret in tam remotis regionibus.

Interea fui velut abalienata à sensibus, & quando ad me ex hoc raptu redij, cœpi dicere: Me miseram, quæ nihil ex his bonis accepi, ut subvenirem meis filijs! Repetivi id tertiò, acsi affligerer objacturam, quam feciſſem: sed conspexi statim JESUM Christum Dominum nostrum, qui ad me accedens mihi dixit: Quiesce Anima, noli affligi, nihil enim perdidisti, atq; imponens manum dextram in sacrum vulnus sui lateris, eandémq; eximens suo sangvine tinctam, designavit illâ crucem in mea fronte, significando mihi, hanc esse partem, quæ mihi obveniret. Prostravi me ad sacros ejus pedes, quorum unum sum exosculata, in quo vidi vulnus, quod erat instar recentissimæ, & pulcherrimæ rosæ. Deus sit semper benedictus. Amen.

# CAPUT XVI.

## Charitas ipsius erga particulares proximos, & personas.

*Vidimus hujus Virginis charitatem quasi generatim, erga omnes animas mundi, ac deinde specialiùs erga nationes, Hispanicam & Anglicanam. Descendamus nunc in particulari ad ea, quæ præstitit in utilitatem quarundam familiarum, & nonnullarum personarum, quibus singillatim subvenit. Exordiamur autem ab ea matrona, de qua nobis postremò est locuta, quam agnoscebat esse famulam DEI, & participem ipsius gratiarum, in remotissima regione Paganorum. Quænam fuerit hæc magna mulier, non solùm fidelis, sed etiam adeò fervens, ut adjungeret Christo alios fideles, eosdémque protegeret, & quæreret Magistros, à quibus docerentur, noluit Deus Venerabili Marinæ manifestare, utì neq; qualis esset provincia Pagana, in qua vivebat: spectandam tamen illi exhibuit ipsius personam distinctissimè, fecitque ut eam alloqueretur, quò magis animaretur, ad habendam illius, & familiæ ejus curam in suis precibus. Sic porrò Ven. Marina incipit:*

Secundâ Junij, hoc anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, quæ fuit ultima festorum Pentecostalium, cùm in Oratorio diceretur Missa, audivi magnum strepitum in cœlo, & post hunc vidi copiosissimam inde cadentem pluviam, quæ tota constabat ex pulcherrimis velut margaritis, atque dum attingeret terram evanescebat, sicuti interdum evenit, quando decidunt non satis astricti frigore flocci nivium. Observavi tamen, in parvis quibusdam oppidis, ubi paucæ erant domus integræ, eæque paupertinæ, & multæ aliæ dirutæ, pluviam non colliquescere, & quòd homines prodeuntes ex ijs domunculis, qui omnes apparebant inopes, accumulaverint illas pretiosas margaritas, atque comportaverint in suas ædes, remanentibus cumulis tam integris, quàm fuerant antea. Significatum mihi est, hos esse Catholicos viventes inter hæreticos.

Vidi quoque multos (non possem dicere quot fuerint) vehementer optantes agnoscere veram legem & fidem, in qua homines salvantur. Eorum quasi Magistra ac Dux erat quædam mulier procera staturæ, fusca, oblongæ faciei, quam ã nunc viderem, optimè agnoscerem. Hæc matrona attollendo vocem me compellabat, dicebátque mihi: Mater, Mater, adjuva nos. Vidi Sacerdotem lineo indutũ amiculo, qui illos aspergebat aquâ benedictâ. Intellexi solummodo, hos homines esse ex quadam provincia Paganorum valde remota. Interea Pater, qui mihi dicebat Missam, ad me attulit Sanctissimum Sacramentum, & visio cessavit. Post paucos dies illam in spiritu vidi distinctiùs. Vivit ruri, ubi suam habet domum, quæ est instar villæ, quamvis ampla & capax, in qua degit ipsius familia, & qui administrant rem ejusdem familiatem. Duxit me velut manu apprehensam ad alium locũ, qui erat spatium campi totum sanguine consperſum, dixítque mihi: Scias Mater, quòd manipulus ille hominum, quos præterlapsis diebus vidisti à me instrui, tamopere desiderantes cognoscere viam salutis æternæ, totus fuerit per misericordiam Dei baptizatus: & quia omnes magno fervore sunt professi, se esse Christianos, hic sunt universi affecti martyrio, morientes magna cum constantia pro fide. Interrogavi illam, cur ipsa quoque non fuerit occisa? & respondit mihi: Ego in hac divisione sum prædita certâ authoritate & prærogativâ, ob quas me non sunt ausi interficere, sed neque audebunt afficere martyrio. Dixit mihi præterea, se jam pergere ad congregandum, & fidei principijs imbuendum alium manipulum, ut serviat magno Deo nostro, & Domino: atq; magnam ipsi Deus in hoc tam heroico opere adsit! Postea sub medium Augusti, cum mihi idem Dominus largitus fuisset magnam eleemosynam mystici aurei lar-

gnam

culi, & mei Domini Angeli me duxissent, ut illum distribuerem Catholicis Angliæ, duxerunt me inde ad invisendam hanc magnam matronam, & Fideles apud ipsâ commorantes, qui jam trigesimum circiter numerum attingunt. Vivunt quasi solitarij & occulti in eo rure, in Domicilio hujus Dominæ, quod, sicut dixi, non est sumptuosum palatium, sed humilis ædes, quanquam capax, seu quædam aggregatio tuguriorum, secretas tamen habens portas, per quas commeatur, fortasse ob cautelam contra Infideles, qui martyrio affecerunt alios hujus Dominæ operâ conversos. Ipsi, & illis sum liberaliter elargita partem ejus cœlestis thesauri, atque omnes fuerunt summè recreati. Deus sit benedictus. Amen.

*Hucusque loquitur Venerabilis Marina de magna hac matrona, cujus nomen, patriam, & reliquum vitæ institutum optarem nôsse, ut celebrem ipsius memoriam in hoc libro ad futura secula transmitterem. Sed cùm Deo placuerit hæc nobis occultare, acquiescamus, piè credentes, quòd illam habeat inscriptam æterno suo libro vitæ: forsan verò ejusdem historiam reservat, ut nobis ab aliquo Missionariorum Evangelicorum, qui illic versantur, copiosiùs referatur. Prosequamur nunc historiam nostræ admirabilis Virginis, quæ dum pergit recensere speciales casus, qui ipsi cum proximis evenerunt, sic ait.*

Ultimâ Januarij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, dum essem vehementer afflicta & fatigata meis doloribus, venit ad me Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, & dixit mihi: Soror, vísne mecum ire, & ducam te eò, quò DEUS jussit? Expavi notabiliter, & recurri ad Deum, petens ab ipso lumen, ut assequerer ejus voluntatem, id quod postulavi instanter. Videns me ità constitutam Sanctus Pater, velut subridendo ob meos timores, elevavit oculos, intuitus quendam Sanctum Angelum è sublimioribus, quem ibi subitò conspexi, & dixit illi: Hæc Anima non est disposita, ut à me ducatur, duc ipsam tu Sancte Angele, & ibit cum majore solatio. Sanctus ille Angelus accessit ad me, dixitq; mihi: Anima veni mecum, quò Deus jubet. Quò autem me vis ducere, Sancte Angele? respondi ego. Postquam ibi fueris, ajebat ipse, scies, & videbis. Neque sic me plenè determinabam, & revertebar ad Divinam Majestatem, petendo lumen. Tunc me Dominus benignissimè interrogavit: Anima, mecúmne non ibis? Omnino mi Domine, respondi, cum Tua Majestate ibo quocunque. Age igitur, procede prosperè, subjunxit ille, & iste meus Angelus te ducet, ità enim convenit. Duxit me itaque hic Sanctus Angelus, comitantibus me etiam meis Dominis, & Sancto Patre Ludovico de Ponte, quamvis ipse ambularet aliquantùm remotus, ad Regnum Siciliæ, ostendens mihi ex alto quodam loco omnia ipsius oppida, & urbes præcipuas. Descendi ad unam illarum, ubi vidi maxima palatia, & postquam me ille Sanctus Angelus (quem deinde intellexi fuisse Custodem & Protectorem ejus Regni) collocavit in medio spatioso cujusdam fori, dixit mihi: Soror flecte genua, & ora Deum pro hoc Regno, ac pete ab Ejus Majestate, ut illud conservet in fide, & suo obsequio. Feci quod ab eo eram jussa quàm optimè potui, & hoc peracto mihi mandavit, ut bene precarer Regno. Hæsi attonita, ignorando mysterium, atque tunc mihi idem Sanctus Angelus dixit: Ecce Soror, Deus mihi commisit custodiam hujus Regni, & propter beneficia, quæ tibi præstitit, ac præstat is, de quo agitur, ut se conferat ad illud gubernandum, fuit à te petitum, ut orares, quò melior sit status rerum, ubi ipse, vel fortasse alius advenerit. Post hoc fui reducta ad meum angulum.

*Non fuit Venerabili Marinæ certò manifestatum, an ille esset venturus, quia negotium eo tempore cœpit tractari, deinde autem id revera factum est. Erat autem, sicut ad marginem adnotavit P. Michael de Orenja, Marchio de Tabara, insignis benefactor nostræ Virginis, eique addictissimus, & Princeps religiosissimus. Nec minùs dilecta Venerabilis Marinæ filia fuit, ejusdem Domini uxor, Domina Marchionissa Elisabetha de Moscoso, Princeps tum sanguine, tum virtutibus suis illustris. Huic Venerabilis Marina multum in vita pro-*

*fuit suis consilijs, neque eam destituit post ipsius obitum. Tam gravem ista Marchionissa, integro propè hoc anno, morbum sustinuit, ut possim affirmare, me eâ visâ (dum curatura valetudinem Vallisoleti, quò advecta obijt, discedens ex suo oppido stitit quadam die Villæ Garciæ, ubi ego tunc degebam) in summam fuisse raptum admirationem. Videbatur mihi esse spirans cadaver, atque dolores pati gravissimos, & præbuit omnibus Patribus, qui illam invisimus, ipsique, tanquam speciali affectu prosequenti nostram Societatem, sumus conati inservire, non solùm optimum exemplum, sed etiam singularissimæ occasionem æmulationis, suâ invictâ tolerantiâ, & conformitate cum Deo, in tam florida ætate. Describit autem Ven. Marina, quid illi cum felici hac defuncta evenerit his verbis.*

Postquam è vita excessit Marchionissa de Tabara, Domina Elisabetha de Moscoso, feriâ sextâ, quæ fuit sacra Sancto Francisco, horâ noctis undecimâ, commendavi illam impensè Deo: valde enim eam amaveram, propter ipsius virtutem, & conscientiæ puritatem, quam in illa semper agnovi. Inter horam deinde secundam ac tertiam matutinam sequentis Sabbathi, Deus annuens meis miserabilibus precibus, mihi ipsam ostendit in Purgatorio. Vidi eam in hac specie. Pendebat quodammodo inter cœlum ac terram, ligatis pedibus & manibus, oculos habebat elevatos in cœlum, & vultum adeò tristem, tantæque præseferentem indicia anxietatis, ut hîc nihil sit reperibile, cui id possim comparare. Circumdabant illam nonnulli Angeli, & omnium viciniſſimus, ipsique proximus erat Angelus ejus Custos. Dixit mihi Dominus, ut huic animæ applicarem sacram illius diei Communionem. Non mi Deus, ajebam ego, non per temetipsum te obsecro, & per tuam infinitam misericordiam, tres enim propè sunt horæ, donec mihi dici possit Missa, & necesse est, ut tuam benignitatem demonstres, nè pœna hujus animæ tam diu duret. Ego in hunc effectum habeo corollam precatoriam Indulgentiarum, statim orabo, quidquid mihi mandaveris, & præstabis mihi gratiam, quam à te supplex peto. Esto ità, dixit Divina Majestas, recita tu orationem Dominicam, cum salutatione Angelica. Feci id, & absolutâ oratione vidi, quòd Sanctus ipsius Angelus Custos celerrimè solverit ligamina pedum ejus & manuum, atque in momento tam ille & ipsa, quàm reliqui Angeli evolaverunt ad cœlum. Videtur mihi, summam pœnam, quam paucis ijs horis sustinuit, fuisse privationem visionis Dei, & ardens desiderium ejus videndi. Ipse sit benedictus. Amen.

*Revelavit Marina hanc Dei misericordium arbitro suæ conscientiæ Patri Orenja, qui, re Deo commendatâ, prudentissimè illi injunxit, ut, ubi viderit Marchionem, ista illi felicissima nova referret, ad ipsum consolandum, dolentem ob jacturam adeò meritò dilectæ conjugis. Existimavit P. Michaël de Orenja, quid sic fieri conveniret ea de causa, quam nunc dicam. Habuerat Marchio præteritis annis, vivente Sancto Patre Ludovico de Ponte, pro manibus gravissimum quoddam negotium, & rogaverat Ven. Marinam, tantâ nempe sibi junctam familiaritate, ut bonum illius successum Deo commendaret, si ad majorem ipsius cessurum esset honorem. Magnum in eo progressum fecerat Marchio, videbaturque sui, exiguâ adhibitâ operâ, obtenturus optatum finem. Ven. Marina commendavit negotium Deo, qui respondit, non expedire id Marchioni. Sanctus Pater Ludovicus de Ponte ea de re monuit Marchionem, atque licèt cataplasma istud esset adeò duræ digestionis, ut quispiam alius in eo deglutiendo sese reluctantem exhiberet, Marchio tamen, utpote eximiâ præditus virtute, generosè Deo paruit, ac adhibendo solitam fidem admonitionibus Ven. Marinæ, eâ illud promptitudine suscepit, ut subito negotium deseruerit, nolueritque ultrà rei minimam, ad idem promovendum, impendere diligentiam. Hoc Patrem Orenja permovit, quemadmodum reperio scriptum in quadam ipsius scheda, ut illum Ven. Marina nuncupando isto nuntio solaretur, seu in præmium provoicæ resignationis, quâ prius illud advertum nuntium acceptaverat. Retuli hîc juxtim, quæ duobus istis Excellentissimis conjugibus evenerunt, ut possint Nobilitati Hispanæ, præsertim verò ijs, qui ortum ducunt ex illo-*

*ſtriſſima ipſorum familia, virtutis præbere exemplum. Concludamus præſens caput alio charitatis opere, exercito à Vener. Marina erga quandam perſonam, licèt non tam proſperum habuerit ſucceſſum, quàm præcedens. Refert ipſa eventum hunc in modum.*

In Novembri anni ſexcenteſimi vigeſimi quarti, paulò ante feſtum Præſentationis Beatiſſimæ Virginis, dum ordinario modo vacarem meæ orationi, Deus mihi in memoriam revocavit ingens periculũ, in quo nonnemo verſabatur, qui poſt multos in Ordine Religioſo exactos annos, eam deſeruerat, & judicio illorum, qui ipſum noverunt, perſpectáſque habuerunt cauſas, quibus ad illam deſerendam fuerat inductus, hæ parvi erant momenti. Cœperunt in mea anima ſubitò excitari vehementes affectus, & acſi illum alloquerer cum ingenti ſolicitudine atque deſiderio ejus juvandi, dicebam ipſi: Adverte ô homo, quòd ſis damnandus. Et bis, neſcio quali fervore, dixi: Si te ego liberavero, liberaberis. Augebantur deſideria, ut illum viderem ſalvum, & convertens me ad meos Dominos Angelos dixi ipſis: Mei Domini, quis veſtrûm mihi præſtabit gratiam, ut adeat illum hominem, détq; ei potentem inſpirationem, cum qua ſe convertat ad Deum, & redeat ad ſuam Religionem? Amore Dei eat aliquis, atque id faciat. Omnes me ſunt intuiti, & quaſi contrahendo humeros mihi reſponderunt: Soror, hoc nobis non eſt commiſſum à Deo, age hac de re cum Divina Majeſtate, & ſi à Deo nobis fuerit injunctum, continuò id exequemur. Invocavi rurſus Dominum magno affectu, & Divina Majeſtas mihi reſpondit: Quid habes Anima, quid vis? Mi Deus, ajebam, vehementer opto, ut ille homo evadat periculum, in quo vivit, & revertatur ad ſuam Religionem. Dominus mihi nihil reſpondit, imò, acſi recederet, ſeſe occultavit. Non ceſſabam tamen orare, dentóque ipſum invocabam, & reſpondebat mihi: quando autem illi propoſui hoc negotium, itèrum à me recedebat. Interea conſpexi coram me eum hominem, qui jacebat velut in longum protenſus, faciẽ habebat deformiſſimam, & oculos formidabiles, dicebátq; mihi, ut ſe commendarem Deo. Domine, dixi ego illi, humilia te, agnoſce tua peccata, & revertere ad Religionem. Facerem id omnino, reſpondit ipſe, verùm non poſſum. Vide quomodo ſim conſtitutus. Aſpexi illum ſinè mora, & vidi, quòd ligatas haberet manus ac pedes, totúſque eſſet multis conſtrictus vinculis, & quaſi impotens redditus ad ſe movendum. His omnibus ſignificabantur laquei & impedimenta, à quibus detinebatur in ſeculo. Dum id viderem incepi ipſum valde ſeriò exhortari, ut aſſumeret animum, & ex ſua parte faceret quantum poſſet, ad futurum enim illi Deum ſuo auxilio, méque hoc à Divina Majeſtate pro eo petituram. Quando illi id dicebam, diſparuit mihi, & viſio fuit finita, unde remanſi multùm ſolicita & afflicta, propter periculum ſalutis, in quo verſatur.

(✠)

# CAPUT XVII.

## Quomodo ſubvenerit quibuſdam animabus exiſtentibus in Purgatorio.

*EXtat bene longus & mirabilis de hac materia tractatus in prima parte iſtius hiſtoriæ, & quamvis idem argumentum etiam in hac altera jam fuerit perſtrictum, ſitque deinceps aliquoties attingendum, complectar nihilominus hoc ſpeciali capite nonnullos caſus, qui ipſi quoad id evenerunt, ex quibus non ſolùm ardens ejuſdem Virginis colligetur charitas erga animas Purgatorij, verùm etiam utiliſſima eruentur exempla, pro noſtra inſtructione. Recenſet verò illos, ùt ſequitur.*

Dum intenta eſſem meæ orationi, oſtendit mihi Divina Majeſtas animam cujuſdam perſonæ, ante complures dies defunctæ, quæ tam gravia & exquiſita patie-

batur

batur tormenta, ut omnem superent exaggerationem. Hinc, dum eam viderem, mihi in mentem venit, utrùm non fortasse esset damnata ad pœnas inferni: adeò similes mihi apparebant cruciatus ipsius illis, quos videram in eo infelicissimo loco. Sed statim fui ex hoc dubio expedita, siquidem illa pauper anima, se ad me convertens, me rogavit, ut ipsam commendarem Deo, quod festinantissimè, & quasi prorsus obiter petivit, quia eodem momento fuit velocissimè erepta ex meis oculis, quin intelligerem, quis illam abripuisset, aut ob quam causam id tam repentè fuisset factum. Remansi sola afflictissima, & vehementer ingemiscens ac dolens ob ea, quæ pauper illa anima in suis tormentis patiebatur. Erat specialis mea commiseratio, cum qua recurri ad Deum, ut pro ipsa deprecarer, ac dicerem quandam corollam, cui habeo attributas Indulgentias, quam etiam Divina Majestas benedixerat, certam me reddens, quòd essem liberatura qualemcunque animam ex Purgatorio, recitando eâ adhibitâ assignatas preces. Dum has vellem incipere, vidi Deum indicia exhibentem severitatis, & quodammodo nihil aliud spirantem, quàm Divinam suam justitiam, qui mihi dixit: Quid agis Anima? quid moliris? Noli me pro hac anima rogare, applicando illi preces Indulgentiarum, neq; eidem applica ullam Communionem, quâ ex meo privilegio consveviſti liberare animã ex Purgatorio, siquidem ista anima est justè ad eas pœnas damnata, quas vidisti, usque ad diem Judicij universalis: non fuit autem condemnata ad infernales, per meam magnam misericordiam, quia illam sum conatus disponere ad pœnitentiam, eò quòd pro ipsa interceſſerit Angelus ejus Custos, repræsentando mihi nonnulla opera, quæ, licèt exigua, provocaverunt meam benignitatem, quia fuerant præstita in bonum cujusdam personæ, quam multùm diligo. Et adverte quòd, etiamsi multa opera ex se bona fecerit, quia tamen illa magis peregit propter suum gustum, & fines humanos honoris atque æstimationis, quàm propter me, idcirco ipsi nihil profuerint, ac proinde salutem suam in magnum conjecerit discrimen. Hæc omnia mihi dixit Divina Majestas, quæ me affecerunt admiratione: non prohibuit mihi tamen, quò minùs pro ea oratem, ordinarias meas persolvendo preces, modò non essent illæ, quibus ipsius bonitas speciale attribuerat privilegium.

Post duas circiter ab hinc horas mihi Dominus spectandas exhibuit multas animas parvorum puerorum, quasi necdum septennium, qui mihi videbantur graves sustinere pœnas Purgatorij. Erant quasi in crucem actæ, extensis brachijs, & Divina Majestas mihi dixit: Istarum animarum gere curam, pro his me roga, sicut soles, & applica ijs Communiones. Quomodo verò, mi Domine, ajebam ego, isti pueri deveniunt ad Purgatorium, atque tam multum patiuntur? Sustinent pœnas, respondit Dominus, non sunt tamen tam graves, quàm tibi ex ipsorum conspectu afflictæ videntur sustinere. Scito, has animas esse puerorum exiguæ ætatis, qui sunt defuncti in levibus ac venialibus peccatis: necesse autem est, ut ea expient. Quia enim vos, dum tales moriuntur, ipsos vocatis Angelos, & existimatis subitò migrare ad cœlum, ideóque pro illis non offertis Missas, neque quidquam boni peragitis, nihil ipsi reliquum est aliud, quàm communia Ecclesiæ suffragia, & hærent in suis pœnis, quoadusque inde evadant, postquam pro rata sua parte satisfecerunt. Pro his itaque me roga, & ora. Feci quod jussa erant à Deo, fuitque mihi id insigni documento, ut agnoscerem, quàm exacta sit Divina Justitia, in purificandis animabus fruitura ejus conspectu.

Anno sexcentesimo vigesimo sexto, conspexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui adducebat alium Religiosum, jam etiam defunctum: iste veniebat tristissimus, & querebatur mihi, quòd sui filiæ essem oblita. Pater, respondi ego, certè existimavi, te post mortem abiisse ad cœlum: dic mihi nunc, quomodo adeò sis tristis? ubi moraris? Hac à me factâ interrogatione, prodijt aliunde è regione mea diabolus, & dixit mihi: Moratur in inferno,

no, atq; aufugit: Maledicte, ajebam ego, mentiris tuo more; & conversa ad Religiosum, interrogavi illum rursus: Ubi moraris, Pater? Tum ipse amarissimè plorans, & singularem demonstrans afflictionem ac desolationem, mihi dixit: Sum in Purgatorio, eò quòd fuerim immoderatè affectus erga meos consangvineos. Commenda me Deo, & cura pro me dici septem Missas, ut mihi Deus dignetur abbreviare meas pœnas. Post paucos deinde die, illum denuò vidi, qui mihi dixit, se jam frui Deo. Quia verò adverti, quòd exhiberet vultum severum, & non obtutum illum modestissimè jucundum, quem exhiberi video à Beatis, quæsivi ex eo hujus rei causam, & respondit mihi: Nota, non sum tristis, sed neque, per Dei misericordiam, in omnem æternitatem possum tristari. Voluit nihilominus Deus, ut me tibi sic spectandum præberem, quò tibi significarem, me, si forem capax tristitiæ, eam habiturum propter perditos tot gloriæ gradus, quos consequi potuissem, nisi me impediviſſet culpa, quam dixi, immoderati affectûs, erga mihi sangvine junctos.

Paucis diebus pòst, fuit ad me sæpiùs ab alio Religioso morti vicino missus, qui peteret, ut se commendarem Deo, quod ego accuratissimè feci: atque eadem horâ, quâ expiravit, est ingressus meum cubiculum lætissimus, dicendo: Sum victor, Mater, victor, quia tendo ad cœlum, postquam pertransivi Purgatorium, sicuti qui celerrimè transit quampiam flammam. Aliquot ante obitum diebus habui cor penitus avulsum ab omnibus rebus terrenis, & propterea mihi Deus tantam præstitit misericordiam. Aliâ vice, paulò pòst, dum mecum loqueretur Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, me visitaverunt prædicti duo Beati Religiosi, magnum exhibentes honorem Sancto Patri Ludovico, & cùm ego illos interrogarem, cur ipsum ità venerarentur, cùm æquè fuerint Sacerdotes, ac ille? responderunt mihi: Quia nos meritis & gloriâ multùm superat. Laudetur Deus in omnibus in æternum. Amen.

*Vita Mar. de Escob. Pars II.*

*Non reliquit nobis Venerabilis Marina scripta horum duorum Religiosorum nomina, qui, spectatis circumstantijs, & quia sunt comitati Sanctum Patrem Ludovicum, videntur fuisse ex nostra Societate. Sic etiam in scripto, quod nunc referam, non exprimit nomen cujusdam Dominæ, cui magnum præstitit auxilium, ut exiret ex Purgatorio: tantùm in illius margine, chirographo Patris Michaëlis de Orenja, reperio annotata ista verba: Hæc Domina fuit ex gynæceo Reginæ, interrogabo Dominam Marinam de nomine, quòd quidem ipse fecerit, non tamen adscripsit, neque ego amplius indagare potui. Est casus revera mirabilis, quem hæc Virgo sequentibus verbis recenset.*

Evocavit ad se Deus quandam personam magnæ authoritatis, quæ mihi fuerat impensè addicta, & magnâ charitate consueverat subvenire in meis necessitatibus. Quocirca illi obstricta, postquam rescivi ipsius mortem, toto corde obsecrabam Deum, ut eandem, si esset in Purgatorio, liberaret ex ijs pœnis, & perduceret ad æternam suam requiem. Huic petitioni impendi paucos dies, & Deus mihi manifestavit tandem pœnas, quas in Purgatorio sustinebat. Stabat hæc anima in quodam angulo, vultu ad parietem converso, eidemque quodammodo affixa. Indolui vehementissimè, quòd illam viderem in eo statu, & quia ipsam præterea sæpe similiter constitutam videbam, mea afflictio augebatur indies: clamabam magis ac magis orando pro ea Deum, semperque ipsius vivacissimè recordabar. Tum Divina Majestas mihi dixit: Marina, noli tantopere affligi vel angi, quòd videas pœnas illius animæ: nam tu in hoc lecto plura pateris, quàm ipsa sustineat in suo Purgatorio. Nihilominus, mi Deus & mi Domine, subjunxi ego, præsta mihi gratiam, per temetipsum te rogo, ut illam eruas ex ijs angustijs, ac deducas ad tuam gloriam. Bene est, respondit Dominus, tu modò quiesce. Sensi me subitò moveri à Deo, ut juberem pro ea anima dici quasdam Missas devotionis, de quibus alibi loquor: siquidem exploratum habeo, summè in hunc effectum esse proficuas. Adhibui

diligentiam, ut statim inchoarentur. Prima fuit dicta in festo Resurrectionis: verùm quia mihi Deus istam animam paulò pòst ostendit in eadem specie, ac antè, plurimùm angebar. Invocabam Deum internis & vehementibus clamoribus, dicendo: Ah mi Domine Deus Majestatis, obtestor te per sanctissimum mysterium hujus festi, ut liberes hanc animam à pœnis, quas patitur. Dominus dissimulabat, tacebat, nihilque mihi respondebat: ideóq; ampliùs augebatur meus fervor, & repetebam sæpe easdem preces prædictis verbis, ità ut illi nihil aliud dicere possem.

Dominus audiens clamorem mei spiritûs, vidénsque mei affectûs vehementiam, licèt illum ipse in meo corde excitaret, nihilominus modo quodam gravissimo, acsi se ostenderet pertæsum meæ importunitatis, mihi dixit: Quid vis Anima, quòd tantopere vocifereris? Ego idem iterabam, quod semper antea, quin possem addere vel immutare ullum verbum. Divina Majestas, exhibendo se mansvetiorẽ, mandavit cuidam Angelo, quid agere deberet, qui executurus mandatum intravit Purgatorium, & mutando situm illius animæ, reliquit ipsam quasi dorso acclinatam ad dictum parietem. Vidi statim attollentem oculos ad cœlum, ac deinde etiam manus junctas, ut indicaret magnam afflictionem, propterea quòd non videret Deum. Tum mihi Divina Majestas dixit: Creatura mea, jam illa anima patitur leviores pœnas, nónne modò es contenta? Ego, quòd ipsam viderem eo tam anxio teneri desiderio, respondi: Non, mi Domine, non sum contenta; atque cùm me non possem continere, denuò repetivi eandem orationem: Domine Deus Majestatis, per sanctissimum mysterium hujus festi te obtestor, ut liberes hanc animam à pœnis, quas sustinet: neq; poteram silere, seu intermittere frequentissimam istius petitionis iterationem. Tum, quod est mirum, Dominus, qui me ipse, sicut dixi movebat, ut illum rogarem, se ostendens quasi fatigatum meâ importunitate, surrexit ex mystica quadam sede, in qua ipsum videbam, & abivit cum comitatu multorum Angelorum. Quando mea anima vidit Ejus Majestatem abeuntem, ardentia ipsius desideria magìs invaluerunt, & quia sibi non poterat temperare, insecuta est illum currendo, clamans & assiduè iterans dictam orationem. Dominus mihi nihil respondebat, neq; Angeli, qui ipsum comitabantur. Pervenit Divina Majestas ad quandam elegantissimam portam, quæ videbatur esse pulcherrimi cujusdam castelli, aliquantùm distantis à sede, in qua illum videram, & illuc est ingressa, sequentibus Angelis, atque statim, velut et improviso, porta fuit clausa, me foris rejectâ, non sinè ingenti meo dolore & afflictione.

Attamen resumpsi animum, & exardescente, ob istam ipsam repulsam, ampliùs affectu, continuabam per quasdam, non rimas, sed fenestellas, quasi dedità operâ factas, quanquam perexiguas, quas in ea porta conspexi, meum clamorem, ac repetebam ea verba, quæ semper hucusq;. Ità angebar aliquamdiu, donec tandem Divina Majestas, ex infinita sua clementia, dixisset ijs Dominis Angelis: Aperite portam illi creaturæ, & adducite ipsam ad me, quod sinè mora fecerunt. Ingressa me provolvi in genua, junctis manibus, coram illo magno Deo ac Domino, qui me intuitus magnâ benignitate mihi peramanter dixit: Quid vis anima? quid petis tanto affectu & fervore? Domine Deus Majestatis, respondi, peto, ut per tuam misericordiam liberes eam animam à pœnis, quas patitur, post primam Missam devotionis, quæ in hac festivitate est dicta: statimque subjunxi, scio bene, quòd ex divino impulsu, cum mea tamen simplicitate, stylique mei ruditate, quanquam profecta ex amore: Quæso Domine, & per temetipsum te oro, noli cogitare, quod supersint dicendæ quinquaginta tres; nisi id curare, brevi namque dicentur. Obtinebat Dominus, sibi placere, quæ à me dicebantur, & dixit mihi: Optimè dicis Anima, optimè dicis. Volo te exhibere, & consolari in eo, quod à me petis. Vocavit subitò Angelum Custodem illius animæ, jussitque ipsum ut

unà cum Angelis meis Dominis, & ipsam educere ex Purgatorio. Omnes abiverunt celerrimè, & pertingentes, ut sic dicam, ad portam Purgatorij, intuiti sunt eam animam: illa quoque magno perfusa solatio ipsos aspexit, cui dixerunt: Veni nobiscum, quia Divina Majestas nobis mandavit, ut te perduceremus ad ejus conspectum. Ipsa lætissima quantocyus, modo quodam mirabili, venit ad Sanctos Angelos, & Custos illius sublatam in brachia, cæteris eum comitantibus, attulit ad Deum. Aspexit illam Divina Majestas amanter, & præcepit ijs Angelis, ut ipsam suo loco constituerent. Illi obediverunt cum magno gaudio, quod singulariter summum demonstrabat Sanctus ipsius Angelus Custos, & fecerunt, quod jussi fuerant à Deo. Ego spectabam has magni Dei nostri misericordias, non capiens me præ lætitia, & millenas illi gratias agens, pro beneficio præstito meæ amicæ & benefactrici. Abrepta sum in magnam ecstasim, & quando ex ea redivi, licèt fuerit finita visio, perseveravit tamen grande meum solatium, ob tam felicem successum: siquidem toto eo tempore, quo illam vidi in suis constitutam angustijs, summè dolebam, & affligebar. Deus sit millies benedictus. Amen.

*Multa in hoc eventu sunt obstupescenda, estque specialiter ponderanda charitas, & gratitudo Venerabilis Marinæ: verùm præcipuè attonitos reddet pios Lectores consideratio clementissimæ benignitatis magni Dei & Domini nostri, cujus admirabilis sapientia, & admirabilissima clementia tam gratiosas exquisivit vias, ut illa benedicta anima post hanc primam Missam egrederetur ex Purgatorio, quæ pro rata suorum peccatorum aliquot aliàs debuisset exspectare. Etiam Dominæ degentes in Aula possunt ac solent facere quædam bona opera, tam accepta Divinis oculis, ut idem Dominus, post illarum obitum, aliquem excitet, à quo juventur suffragijs & indulgentijs, ut illasis Divinæ ipsius Justitiæ legibus, suo perfungatur munere incomparabilis ejusdem Misericordia. Benedicant illum, laudentque in æternum ipsius Angeli, qui nobis dedit Sacratissimi Filij sui sanguinem, ex cujus thesauro eruimus tam inæstimabiles divitias. Similis tenoris est sequens casus, quo finiam præsens caput. Venerabilis Marina illum sic recenset.*

In Januario anni sexcentesimi vigesimi octavi, die octavâ Epiphaniæ, postquâ est defuncta Comitissa de Nueva, orabam commendando illam Deo, dicebámque Ejus Majestati: Mi Domine, ubi habes animam hujus meæ amicæ? Supersede hac interrogatione, Marina, dixit Dominus, noli mihi rursum facessere negotium. Verè, mi Domine, ajebam ego, bonâ tuâ veniâ, nolo ab ea desistere: sum enim ipsi multùm obstricta. Memento Domine, quòd me, & meas pauperes socias, multis sublevaverit eleemosynis. Quæso intermitte id, subjunxit Dominus, quia illam habeo in bono loco. Mi Domine, dixi ego, éstne in cœlo? Dum tantopere instarem, Divina Majestas mihi respondit: Est in Purgatorio, quid jam vis? Mi Domine, dixi, ut illam liberes. Dic autem mihi, mi Deus, quid faciam pro ipsa? Fuit mihi ostensa à Divina Majestate: non patiebatur graves pœnas, sed moderatas, eò quòd multa fuerit passa in suo diuturno morbo. Nihilominus Deus volebat rogari, qui mihi denique dixit: Quid faceres pro illa? Curabo, mi Domine, respondi, aliquot pro ipsa celebrari Sacrificia Missæ, & applicabo illi sacram Communionem. Fiat ità, dixit Dominus, cura pro ea dici tres Missas de Sanctissima Trinitate, & quartam de Maria Virgine, atque applica illi hodiernam Communionem, & statim liberabitur. Subitò ac sonuit horam sextam matutinam, procuravi, ut dicerentur quatuor Missæ, & paulò pòst communicavi: peractâ verò Communione vidi multos Angelos descendentes ad Purgatorium, quò solus ipsius Custos ingressus eam eduxit, atque ab omnibus concinentibus laudes Dei fuit perducta ad cœlum.

Deus sit benedictus.

Amen.

# CAPUT XVIII.

## Concluditur narratione huc spectantium eventuum.

*QUanquam sint longè plura prædictis exempla, quæ possemus adferre, charitatis Venerabilis Marinæ proximis singillatim exhibitæ, quia tamen in ijs attinguntur alia, quæ magis conveniunt alteri argumento, reservavi illa aliò, satis habens hìc pauca quædam addere, quibus materia, quam tractamus, concludatur. Prosequitur autem Virgo suam narrationem dicendo.*

Aliquando manè, post peractam Communionem sacram, priusquam à Deo aliquid postularem pro me, cœpi ab ipso petere magno affectu bonũ successum communium Reipublicæ negotiorum, præsertim autem ipsum rogavi, ut quibusdam specialiter personis subveniret, quæ se mihi commendaverant, & vivebant afflictæ, ac magnopere egebant solatio. Cœpi itaque ferventer & instantissimè dicere: Ah mi Deus! ah mi Deus! Divina Majestas mihi gravissimè respondit: Quis me vocat? quæ es tu, quæ sic loqueris? Ego non minùs erubescens, quàm timens, me prostravi ad ipsius pedes, ibíque mansi pudefacta, quasi petendo veniam. Inde fui ducta ad conspectum Beatissimæ Trinitatis, ubi denuò clamavi, & petij, ut subveniret tot necessitatibus, quas illi exposueram. Dominus mihi eadem gravitate ac priùs dixit: Quænam es tu? Mi Domine, respondi, sum missa ad te. Quis te mittit? subjunxit Dominus: Mi Deus & Domine, ajebam, mittit me necessitas: Tum Divina Majestas: Itáne, inquit, necessitas te mittit? Dic igitur istis personis constitutis in necessitate, me esse Deum Majestatis, Deum deorum, & Dominum dominantium, ipsósque suis peccatis provocavisse meam Justitiam, & nisi magna mea Misericordia illam moderata fuisset, atque cohibuisset, jam mandandas fuisse executioni terribiles pœnas. Humilient se, & submittant meæ voluntati, eidémque se conforment: petant à me veniam, & implorent meam clementiam: ità illam consequentur. Dic id ipsis, abi, & sic ijs loquere. Surrexi animo vehementer concitato, quasi abrumpens verba alloquentis me Dei, & visa mihi sum omnes adire in spiritu, qui expetiverant meas miserabiles preces, atque annuntiavi illis nomine Dei, quæ ab ipso audiveram, dicendo singulis seorsim; Anima humiliter te submitte voluntati Dei, pete ab eo misericordiam, & consequeris illam. Divina Majestas nos propter seipsam dignetur exaudire. Amen.

*Hactenus Venerabilis Marina in præsenti scheda, quæ in alia, scripta in Februario anni sexcentesimi vigesimi octavi, recenset casum, qui abunde manifestat, quomodo ipsam Deus in hoc mundo conservaret, pro remedio specialium necessitatum: quandoquidem illi revelabat etiam necessitates, quibus premebantur personæ ipsi ignotæ, atque injungebat, ut pro ijs intercederet. Describit visionem his verbis:*

Die Sabbathi, vigesimâ sextâ hujus, mihi cum Deo agenti Ejusdem Majestas dixit: Veni Anima, videbis quid agatur. Cœpi me excusare ob meos timores, dicendo: Quò me vis ducere, mi Domine? quæ te urget necessitas, mi Domine, ut mihi aliquid ostendas? Adjunxi multa alia hujus generis. Bene est, Marina, respondit Dominus, intermitte ista, veni nunc, & vide quid agatur. Exhibuit mihi Dominus spectandum comitatum splendidi cujusdam funeris. Portabatur ad sepulchrum magna quædam Domina, quæ mihi videbatur esse Regina. In hoc numeroso comitatu multorum hominum Nobilium aderant Catholici, alij hæretici. A Catholicis (id quod mihi per internum lumen indicatum) existimabatur esse Catholica & hæretici vice versâ sibi imaginabantur ipsam esse ex eorum secta. Procedebat pompa funebris, & omnes mœrebant ad lug-

fugebant, donec pervenirent ad radicem cujusdam montis. Hîc Catholici substiterunt, & cadaver, quod hæretici sequebantur, transivit prædictos Catholicos, usquedum perferretur ad verticem, unde tam hæretici, quàm cadaver, præcipiti lapsu ruerunt ad profundum inferni. Tum mihi Dominus dixit: Quid tibi videtur? adverte, quid agatur. atque unà mihi manifestavit, quænam esset illa magna Domina, quam vidi velut mortuam. Vehementissimè fui afflicta ob hanc visionem, & quia mihi eam Deus non explicuerat clariùs, conabar suspendere omne judicium, ità ut non propenderem ad quidquam decernendum, an illa Domina deseruisset fidem, esséteque damnata, néene. Dum ità essem perplexa, intellexi à Deo, non fuisse mihi in ista repræsentatione ostensum, quid reipsâ fieret, factúmq; fuisset, sed imminens periculum, nè quid tale eveniret. Dixit mihi, dictam personam versari in manifesto discrimine amittendæ fidei, aut vitæ; abnegandi Dei, & incurrendæ damnationis, aut subeundæ mortis: & fuisse mihi ipsam ostensam, ut illam sibi in meis orationibus commendarem, quod ab eo tempore sedulò facio, ídque agendo mihi videor sentire solatium. Deus ipsam per suam misericordiam corroboret, détque eidem potentia suæ gratiæ auxilia. Amen.

*Non potui inter scripta Venerabilis Marinæ reperire hujus successûs exitum, cujus tamen absque dubio saltèm prognostica sunt felicia. Divinus nempe Judex se cupiebat præstare faventem, qui non solùm admittebat, sed etiam exposcebat intercessiones. Et verò habent animæ sanctæ clarissimum bonæ expeditionis indicium, dum se advertunt perseveranter animari, & solatio affici in eo, quod petunt. Quia namque perdurum amantissimo magni DEI nostri cordi accidit, negare talibus quod optant, si illis id concedere non convenit, aufert ijs etiam animum perseverandi in petitione. Transit Venerabilis Marina ad alium eventum, & sic ait.*

Eodem anno, vigesimâ octavâ Aprilis, solicitissimè inter orandum desiderabam, ut bene esset meis proximis, præsertim illis, qui à Deo directi huc veniunt, ad exponendas mihi suas, tam spirituales, quàm temporales molestias. Cum hoc ardenti affectu invocavi Divinam Majestatem, dicendo ipsi: Ah mi Deus! ah mi Domine! vides hîc pauperem, laceram, miserabilem peccatricem: da mihi eleemosynam pro me, & meis filiolis, atque tot alijs in necessitate constitutis. Vidi Dominum tum prospicientem quasi ex quadam fenestra cœli, ac dicentem: Quis clamat? quis me vocat? Angeli mei, videte quis sit. His dictis recessit, & maximâ majestate, sed quàm celerrimè perambulabat cœlum, acsi se vellet subducere. Angeli deprehenderunt, me adesse, & abiverunt, tanquam currendo insequentes Dominum, dixerúntque illi: Domine, est illa, quæ solet clamare, est Marina: Verùm Dominus progrediebatur, & videbatur mihi subinde conscendere quosdam gradus, atque per alios descendere. Sancti Angeli non cessabant ipsum insequi, intercedentes pro me. Tandem Divina Majestas substitit. Sancti Angeli accesserunt, & instanter illum rogaverunt, ut me audiret. Adducite ipsam, dixit Dominus, ad meum conspectum, videamus, quid velit. Duxerunt me sinè mora ad cœlum, atque ad conspectum illius magni Dei, qui jam sedebat in throno immensæ majestatis. Prostravi me humiliter, & incepi implorare misericordiam pro peccatoribus. Quid vis Marina? ajebat Dominus, quo indigent isti peccatores? Mi Deus, respondi ego, aliqui jam agnoscunt sua peccata, & pœnitentes à te petunt eorum veniam. Ignosce illis, mi Domine, scis enim, quàm sint fragiles. Alij patiuntur necessitates temporales, sunt valde afflicti, petúntque à te auxilium, qui es Pater misericordiarum. Commotus fuit Dominus, & respondit mihi cum magna benignitate, se id facturum.

Exorta fuit subitò illa cœlestis pluvia, de qua soleo aliàs loqui, decidebant super me quædam velut margaritæ magni valoris, & pretiosissimæ gemmæ, repræsentantes dona & gratias, atque auxilia, quæ ipsis Divina Majestas submittebat. Puduit me

quodammodo, quòd non haberem, quò colligerem hunc thesaurum; expandi gremium togæ, eóque excepi quantum potui, ac deinde in illum conjeci multa ex ijs, quæ circa me ceciderant, donec viderem plenum. Tum contenta, & gestiens gaudio, non curando ut valedicerem Deo, aut illi gratias agerem pro tanto beneficio, discessi flagrans desiderio distribuendi, quæ acceperam, inter meos proximos. Eram progressa modicùm ad portam cœli, quando conspexi venientem mihi obviam Angelum indignabundum, qui mihi perquam iracundè dixit: Quò vadis Anima? Decètne te tua inurbanitas, & ingratitudo? Deus tibi præstitit tantum beneficium, & abis, quin illi egeris gratias, aut valedixeris. Redi hàc, unde discessisti, ac depone omnes has divitias ad ipsius Divinos pedes: atque ipso facto me reduxit ad Divinam Majestatem.

Abjeci coram Deo meum thesaurum, prostravi me, & petij ab eo humiliter veniam, tum quòd fuissem ingrata, tum etiam quòd tam inurbanè abivissem. Magnus ille Dominus me benignè est intuitus, dixitque mihi: Bene est, Anima, in neutro deliquisti, collige rursum tuas divitias, & accipe insuper istas, quas tibi dono. Dedit mihi Deus, qui sit benedictus, multas alias, quia videlicet me tantùm voluit ab eo Angelo reduci pudefactam, ut me dimitteret ditiorem. Omnibus onusta abivi, & egressa ex porta cœli incepi clamare dicendo: Venite Filij mei, qui estis in Anglia. Postea vocavi amicas Moniales, & Religiosos notos, unáq; omnes seculares, qui se commendaverant miserabilibus meis precibus, & omnibus, juxta cujusque indigentiam, sum aliquid impertita: licèt verò conditio ipsorum esset diversissima, adeóque variæ necessitates, unusquisque retulit suam partem, quin tamen meus thesaurus diminueretur. Inde fui ducta ad meum angulum.

*Non est tam mirum, quòd Venerabilis Marina fuerit compassa notis, qui se familiariter commendabant ejus precibus, quàm quòd illorum quoque commiseratione tangeretur, qui illam persequebantur, quæ est proprietas heroicæ virtutis. Præbuit Venerabilis Marina hujus rei præclara exempla, referam hoc loco unicum: quamvis enim ab ipsa fuerit breviter conscriptum, continet tamen circumstantias, quæ genuinè manifestant hujusmodi illius charitatem. Accidit primâ Aprilis, anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo sexto, quod ipsa his ediderit verbis, scribens suo Confessario.*

Fetiâ quartâ, die primâ hujus mensis, vidi quendam Sanctum Angelum, qui ad me veniebat festinanter, & vultu quasi inflammato præ indignatione. Adducebat animam manu apprehensam in specie parvi pueri, quem coram me constituens, seque ad eam animam convertens, dixit illi voce iracundâ, & vultu terribili: Flecte hîc genua (quod quidem cũ magno meo rubore dico, Sanctus tamen Angelus revera sic fecit) atque deprecare isti famulæ Dei hoc & illud, insinuando ipsi duo vel tria, quorum venia illi esset petenda. Anima respondit valde obfirmatè: Nolo quidquam tale petere, nolo; & cœpit vim adhibere, trahendo suam manum, ut eam ex manu Sancti Angeli eriperet, ac elaberetur. Detinebatur ab Angelo, & sicut hîc fieri consvevit, dum puer est obstinatus & refractarius, nolens obtemperare, Sanctus Angelus elevavit alterum brachium, atque impegit illi animæ colaphum, ut eam prostraverit ad terram, ac destituerit usu sensuum. Ego fui afflictissima, & intimè condolendo aspiciebam, quem iste casus esset habiturus exitum: vidi autem, quòd ipsam Sanctus Angelus vultu irato, sicut antea, violentè elevaverit, & brachio arreptam abduxerit, ità ut à me ultrà non fuerit conspecta. Hæc, Pater, est anima illius personæ, quam ego tuita instar scuti, ut imminentes ipsi Divinæ vindictæ ictus & plagæ in me derivarentur, atque ei non nocerent.

*Hoc scribit Venerabilis Marina, nec ipsi Confessarius de ista persona quidquam in margine annotat, eò quòd non esset conveniens magis exprimere illius delicta, cùm non ejus magis exprimere illius delicta, cùm non ejus publica. Finio alio scripto, quod attestatur claritatem hujus Virginis, quâ complacitum suos proximos, tametsi ob horum incertum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*male impensum fuerit donum, quod ipsis in tuitu illius orationum fuerat concessum. Evenit casus eodem anno sexcentesimo vigesimo sexto, quem sic refert.*

Feriâ secundâ, undecimâ Maij, sensi inter orandum vehementissimos affectus, & ardentissima desideria, ut Deus illuminaret quasdam personas, quo prudenter decernerent concernentia negotium maximi momenti. Abrepta ab hac solicitudine, invocabam ex intimo meo corde Deum, dicendo acsi ipsum vocarem: O Domine, ô mi Deus! Divina Majestas mihi respondit, interrogando me, quid vellem? Ut, mi Domine, ajebam, me eò conferam. Per me prorsus licèt, reposuit Dominus, aperiantur tibi statim portæ. Eodem momento me deprehendi intra cœlestem Jerosolymam. Vix eram ingressa, quando Divina Majestas illo secretissimo modo, quo alias, dum quasi submississimâ voce, sed tamen quàm clarissimè loquitur in aurem animæ, mihi dixit: Tali te celeritate oportet aperire januam proximis, qui te quærunt, & volunt alloqui, ut habeant in suis necessitatibus solatium. Post hoc Divinum consilium mihi cœpit loqui, magnam demonstrando affabilitatem & amorem. Quia verò mea anima tota erat immersa in eo, quod optabat consequi, & quasi tota occupata ab illo affectu, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, non venio nunc, ut audiam blanditias mihi faventes: & sinè mora me prostravi humiliter coram Sacratissima Persona Spiritûs Sancti, rogando ipsum ut illuminaret eas duas personas, pro quibus intercedebam. Quàm libentissimè, dixit iste benignissimus Dominus, veni mecum: volo enim, ut ipsamet videas, quomodo id exequar. Subitò adfui, ubi dictæ duæ personæ degebant, & audivi Dominum ipsis dicentem cum divina gravitate: Homines somnolenti & excæcati, cur non facitis, quod vobis dicitur ab ea, quæ vos nomine Dei commonefacit? Illi fuerunt vehementer turbati, séque mutuò intuentes cœperunt inter se conferre de divina inspiratione: sed statim ac ille primus fervor præterivit, ortus ex eo quod senserant, & prima illa consternatio, quæ ipsos turbaverat, fuerunt relapsi ad statum priorem, ac dictamina, quibus antea inhæserant, penitus immemores divinæ vocis. Interea me Deus abripuit in ecstasim, & quando ex ea sum reversa, finita erat visio. Benedicatur ac laudetur Deus in æternum. Amen.

*Demonstraverat Venerabilis Marina quibusdam Regijs Ministris, quàm cælestes essent ipsius admonitiones, eventibus miraculosis, quos illi habuerunt exploratos: debuissent proinde ob hanc experientiam admittere etiam alias, quas ijsdem in negotijs paris momenti curabat intimari, eóque amplius, quòd, spectatâ quoque prudentiâ humanâ, præberetur assensus ijs, quæ Venerabilis Virgo suadebat multis Ministris doctis, qui consilij utilitatem solidissimis comprobabant rationibus. Permisit autem Deus in pœnam nostrorum peccatorum, ut insisteretur consilio contrario, nonquòd esset magis fundatum, sed tale magis appareret, vel quia erant potentiores, à quibus suggerebatur. Quantopere id senserit Deus, scribit Venerabilis Marina in varijs notatis ab hoc anno usque ad trigesimum primum, sed cum ijs circumstantijs (quia nempe clarè & sincerè loquebatur cum arbitro suæ conscientiæ) ut visum fuerit illis hîc supersedere. Id solùm dico, minas concernentes bonum publicum, de jactura duarum urbium in Belgio, & unius classis Indicæ, ac de tumultu quorundam bellorum, & speciales de morituris nonnullis hæredibus aliquorum Ministrorum, juxta revelationem à Deo Venerabili Marinæ factam, omnes in pœnam obstinationis, quâ suas volebant sequi imaginationes, fuisse impletas ad literam. Transeamus nunc ad alteram hujus secundi libri partem, ubi admirabilis continetur instructio, quâ vivens suis proximis profuit, eadémque scriptis traditâ proderit (quod à Divina Misericordia spero) post suum obitum posteris.*

CAPUT

# CAPUT XIX.

## Quædam Venerabilis Marinæ visiones Divinæ, directæ ad morum nostrorum correctionem.

*Vix est reperire, inter omnia hactenus scripta in præsenti historia, visionem, ex qua attentus Lector, præter affectus admirationis & solatij, quos experietur, agnoscendo immensam Dei benignitatem agentis cum anima, seseque ad serviendum ipsi disponente, non possit unà elicere vehementes stimulos, quibus divinâ cooperante gratiâ incitetur, ad generosam vitæ suæ mutationem, & perfectam morum suorum emendationem. Nihilominus, cùm idem magnus Deus & Dominus noster admirabilem hanc Virginem elegerit, ut esset adeò rarum gloriæ ipsius instrumentum, pro communi animarum bono, voluerit que, ut non solùm continuis suis orationibus, verùm etiam singulari suâ doctrinâ, illis prodesset, disposuit pro sublimissima sua providentia, ut multæ ex his visionibus, specialissimam quoad hunc effectum vim haberent, relinquendo nobis in ijs admiranda quædam præterlapsi, & pleraque nostri temporis exempla, in quibus, tanquam in speculo, nosmet inspiciendo, actiones nostras accuratè componeremus, & quibus visis, nisi velimus rei esse protervia, ac ruere in præcipitium, effrenes nostros coërceremus affectus, solicitè insistendo securissimæ semitæ virtutum. Vult Divina Majestas, ut quemadmodum ista exempla ex se sunt efficacissima ad nostram emendationem, ità à duritie nostra non convellantur, neque cordium nostrorum adamas eam aciem obtundat, cui sustinendæ nè durissimus quidem chalybs resistendo sufficiet. Sic autem Venerabilis Marina exorditur.*

Die Dominicâ, nonâ Februarij, hujus anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, mihi comparuit quædam figura, quam per lumen mihi à Deo communicatum subitò agnovi, negligendo ipsam, nec esse divinam, neque diabolicam. Unde licet se continuè meis oculis ingereret, nolebam illam aspicere, abstrahendo me ad alia, dicebámq; intra me: Certum est, non esse Deum, ac proinde quidquid sit, nolo id videre. In hac molestia mansi circiter ad horam usque diei decimam, atq; tum, volente Deo, qui fecit, ut illuc animæ oculos conjicerem, vidi claré hominem fœdissimum, & vultu terribilem, qui ostendebat se pati crudelia tormenta. Pendebat iste miserabilis ex cruce, refixo uno brachio, quo stringebat fœminam, quæ ipsum magnâ rabie velut mordebat, ejulémque cor exsugebat, quod tormentum ille sustinebat, præbendo indicia ingentis afflictionis, atque idcirco eo ipso brachio, quod habebat solutum, illam dilacerabat, omnéque sibi possibili conatu ac vi nitebatur concidere in frusta. Postquam mihi lamentabile istud spectaculum fuisset vivaciter repræsentatum, disparuit. Obstupui considerans, quidnam hæc visio significaret, atque interea conspexi Dominum, qui mihi dixit: Bene processisti, Anima, & prudenter egisti, deprehendendo, illam figuram, licèt à te non fuerit plenè considerata, nec esse meam, neque diabolicam. Modò tibi, cùm illam bene videris, volo exponere ipsius significationem. Noveris, hominem illum esse malum latronem, qui juxta me pependit, quando sum in cruce mortuus, & eam fœminam esse illius concubinam: siquidem infelix plurimùm fuit addictus duobus istis vitijs, furto & luxuriæ. Audivi hæc verba Divinæ Majestatis, & dixi illi: Bene est, mi Domine: verùm quis rei tam novæ, ac tam alienæ à mea cogitatione, est finis? quid prodest, tales pœnas vidisse? Volui, respondit Dominus, eas à te videri, ut tibi sint incrementum, refricéntque memoriam, quo ores pro ijs, qui his vitijs sunt obnoxij: vix enim alia majus inferunt damnum animabus, neque est reperire peccata, quæ magis impleant infernum. Docuit me tum Dominus, partim quàm magna sit ipsius bonitas & misericordia, quia vicem dolens peccatorum, tot medijs procurat illorum

conversionem; partim quàm sit gravis & severa ejusdem justitia, quâ punit, puniétque in æternum animas, quæ spretis misericordiæ ipsius divitijs, se abripi permiserunt à suis cupiditatibus, transgrediendo illius præcepta, non convertentes se ad veram pœnitentiam. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Mirabile pro Reipublicæ gubernatoribus, nimiùm inhærentibus, quanquam non malâ intentione, suo proprio judicio, est exemplum, quod paulò post præcedens nobis hæc Virgo sequentibus verbis enarrat.*

Orabam, constituta more solito in Dei præsentia, dum vidi quendam virum gravem, & magnæ authoritatis, à quatuor vel quinq; dæmonibus circumdatum, qui multùm laborabant, ut illum abducerent ad solitudinem cujusdam campi: & quamvis ipsi Angelus ejus Custos adesset, atque illum egregiè defenderet, obsistendo dæmonibus, nè exequerentur suum perversum propositum, tandem hi, permittente Deo, vicerunt, duxerúntq; ipsum ad quoddam desertum. Sanctus ejusdem Angelus illi valde condolebat, Deóq; annuente est ipsum comitatus. Quandò pervenerunt ad eam solitudinem, imposuerunt dæmones dictum virum saxo, quod erat quasi in medio illius campi, ijdémque dæmones eminus contra ipsum, sese insequendo, currentes, pessimè illum tractaverunt, neque defendebatur à suo Angelo Custode. Tantas ibi sustinuit vexationes, ut cessante persecutione, & abeuntibus dæmonibus, miser homo illic remanserit instar mortui. Tum verò ad illum accedens ipsius S. Angelus, sublatum in sua brachia tulit ad locum, unde à dæmonibus fuerat abductus. Mea anima mirabatur, & erat afflictissima, videndo tam miserabile spectaculum. Converti me ad Deum, & oravi, ut misereretur illius creaturæ. Considerabam, qualésnam essent causæ, ob quas Deus permisisset, ut is homo tam acriter castigaretur. Ità exegi aliquot horas, conando excutere istam cogitationem: quia, quæ est Dei bonitas, nullâ ratione desidero quidquam de ullo scire, tantúmq; admitto, nec abſq; magnis timoribus, quod mihi Divina Majestas dignatur manifestare. Cùm sic essem comparata in conspectu Dei, dixit mihi eo secretissimo modo, quem aliàs annotavi: Adverte Anima, permitto illum hominem puniri, sicut vidisti, eò quòd in magni momenti, & gravissimis rebus, vehementer sit pronus ad sequendum proprium judicium, atq; cum hac obstinata, & quasi cæca propensione, desideret ac procuret, licèt sinè singulari malitia, ut omnes adhæreant cæcæ, & affectui ipsius conformi opinioni, quod in publicis personis, quales sunt Gubernatores & Judices, aliíq; hujusmodi magnâ pollentes authoritate, est summè noxium & pernicioſum: promissimum enim est, ut committant maximos errores, & gravissima inferant damna, excæcati à similibus passionibus, & naturalibus propensionibus, quamvis bona videantur habere desideria prudenter agendi. Iste, Anima, est casus: ora pro talibus, ut se disponant, semetipsis se exspoliando, ad percipiendum lumen, quod ipsis communicabitur, si ità fecerint. Nunc autem vale, & quiesce in me. Hæc ad verbum mihi sunt dicta à Deo, qui semper sit benedictus. Amen.

*Notandum est, propterea forsan Venerabilem Marinam vidisse, hunc hominem fuisse à dæmonibus, ut exequerentur suam animadversionem, abductum ad solitudinem, & superpositum saxo, quod tale durum & velut lapideum judicium se, etiam dum exquirit sensa Consiliariorum, suspiciat quasi constitutum in solitudine, adnitendo ut omnes amplectantur, quod illi soli placet: & quanquam idem sit judicium aliorum, semper tamen suam duntaxat sequitur opinionem, siquidem non tam alijs submisse assentitur, quàm suæ blanditur superbiæ, dum videt aliorum votis suam sententiam esse approbatam. Quodsi hoc exemplum est utile Gubernatoribus, non minùs prodest sequens, licèt universaliùs ad omnes spectet, quibus illudunt ambitiones Aulæ, prosperitates Palatij, & honores mundi. Refertur ab eadem magna DEI famula his verbis.*

Feriâ quintâ, die secundâ Aprilis, anno sex-

sexcentesimo vigesimo sexto, mihi Dominus dixit: Veni Anima, & videbis, quod tibi volo ostendere. Fui subitò, quin possem resistere, ducta in spiritu ad ripam fluminis, cujus aquæ erant similes crystallo, & pulchræ, longéque pellucidiores, quàm quidquid ishîc est videre. Interluebat amœnissimum campum, ubi in una ipsius parte, seu ripa vidi crescentes multas pulcherrimas arbores, quarum aliquæ erant ornatæ venustissimis & gratiosissimis floribus; aliæ unà cum talibus floribus præterea habebant elegantissimos & copiosissimos fructus. Licèt verò omnes istæ arbores essent speciosissimæ, multùm tamen discrepabant ab invicem, non solùm proceritate, sed etiam obstupescendâ elegantiâ. Conjeci deinde oculos in ripam alterius partis, & vidi ibi loco arborum esse infixos palos instar perticarum, non solùm siccos, carentes foliis, & omni virore, verùm etiam quodammodo exustos ac arefactos, ut nunquam ampliùs viderentur posse immutari, vel revirescere. Eram quasi attonita, considerando admirandam diversitatem tam dissimilium riparum ejusdem fluvij, & paulatim progrediens contemplabar ripam, in qua stabant pali aridi; notabam illorum formas, quæ plurimùm differebant. Aliqui erant vehementer alti, alij valde parvi, atque tandem alij mediocres: unum eorum specialiter consideravi, qui erat instar informis trunci, altissimus, multúmque crassus, & longè magis arefactus, quàm omnes reliqui. Substiti modicùm, contemplando illum, tanquam abrepta in ecstasim, atque tunc mihi Dominus dixit: Quid aspicis? iste est insignissimus titio inferni.

Interea vidi Marchionem septem Ecclesiarum, Dominum Rodericum Calderonium, in habitu glorioso pulcherrimum, qui aspectui animæ apparebat generosissimus, & magnis præditus viribus: ferebat in collo illud pretiosissimum monile, quo ipsum exornatum toties conspexi, & in manu baculum, qui speciem gerebat grallarum, qualibus uti consueverunt homines debiles ac delicati, & accedens ad illos aridos palos, nescio quid eo baculo circa ipsos fuerit molitus. Significatum mihi est, conatum fuisse, proficuam illis reddere irrigationem ejus crystallini fluvij, ut transformarentur in tam floridas & frugiferas arbores, quam erant illæ, quæ alteram ripam occupabant: sed quantumcunque laboraret, suámque impenderet diligentiam, ut id efficeret, permanebant nihilominus aridi & exsucci, sicut antea.

Omnia ista spectabam pari cum attentione & stupore, quando disparentibus mihi omnibus audivi Dominum, qui me interrogabat: Marina, intellexistine mysterium, quod tibi ostendi? Respondi: Mi Domine, aliquid mihi videor ex eo esse assecuta, non fuit tamen à me satis penetratum. Ego itaque tibi illud volo declarare, dixit Divina Majestas. Adverte autem, me non loqui de animabus vulgarium ac plebejorum hominum, neque etiam de animabus privatam vitam agentium, sed eorum tantummodo, qui funguntur officijs regijs, muneribus publicis, dominantur, & authoritate pollent in Republica Christiana. Omnes hæ animæ irriganturab Ecclesia, omnes fruuntur Sacramentis, sunque eorundem participes: quod tamen attinet ad ipsarum dispositionem, & opera, reperitur tanta inter has, interque alias differentia, quantam vidisti intercedere inter arbores unius ripæ, & ardos stipites alterius. Alij producunt flores bonorum desideriorum, & vix progrediuntur ulterius; alij his floribus adjungunt etiam fructus sanctorum operum, habéntque suas animas fertiles & exornatas; in alijs, propter malam illorum dispositionem, nihil penitus operatur, seu Sacramenta, seu Divinæ inspirationes, seu exempla, & non tantùm non progerminant fructus spirituales, sed nec etiam eorum producendorum desiderium. Per repræsentationem, quam vidisti, illa qui conabatur efficere, ut sacræ ejus impulsi fluminis aquæ prodessent illis aridis palis, eorundémq; sterilitatem redderent fertilē, tibi indicare volui, quòd ipsis, quamvis

ex multis antiquis exemplis possent ac deberent proficere, nihilominus istud recentius ob oculos ponam, ut illius memores ad se redeant, & non confidant falsæ præsentium temporum securitati, non metuendo futura, sed ut bene utantur meis misericordijs, & faciant fructus dignos pœnitentiæ. Etiamsi verò modernum hoc exemplum sit adeò efficax, ut detegat mundi & honorum ipsius fallaciam, nihil tamen ipsis prodest, quia nolunt aperire oculos, ut videant lumen, quod se illis ingerit. Hæc intellexi à Domino, cujus Majestas nos dignetur disponere, ut ex ejusdem misericordijs proficiamus. Amen.

*Quamvis Venerabilis Marina in sequenti, & mox referendo exemplo reticuerit nomina, quia sic esse faciendum ex debito respectu existimabat, talia tamen in una persona expressit indicia, ut clarè agnoscatur esse idem Marchio Dominus Rodericus Calderonius. Neque habenti harum rerum notitiam est difficile divinare, quæ sit altera, cui nulla videtur idcirco inferenda injuria: nam qui illam videt existentem in Purgatorio, jam eandem venerator constitutam in via ad cælestem gloriam. Certum est, hoc exemplum, dummodo eo uti velint, plurimùm valiturum tam pro Judicibus, quàm pro testibus, qui bonæ intentioni administrandæ justitiæ admiscent naturales quoque affectus, propensiores in rigorem, quàm clementiam, præsertim contra reos pœnitentes, ubi æquum est, valdéque non solùm Divinæ voluntati, sed etiam humanæ nostræ commiserationi consentaneum, ut priores tantum profundant lachrymarum, ad quantum sanguinis posteriorum profundendum se intelligunt esse obstrictos; utq, sicut se cogi vident ad exequendos rigores, ità appareat esse cupidos inveniendæ viæ, ad exhibendam lenitatem, ac doleant sibi nullam occurrere. Describit Vener: Marina eventum his verbis.*

Quadam die, sub finem Novembris hujus ipsius anni, mihi Deus ostendit duas animas ex Divina dispositione colloquentes. Una beata, & ad sublimes gloriæ provecta gradus, erat cujusdam Domini, quem videbam in specie magni Ducis, splendidè elegantissimo torque exornatum, pendente ex collo instar torquis, quo utuntur Equites aurei velleris: & hæc omnia mihi repræsentabant, quàm eminentem obtineret gradum in cœlo. Altera erat alterius personæ, nullatenus inferioris conditionis, quæ afflictissima degebat in Purgatorio. Vidi deinde hanc flexis genibus & junctis manibus, cum magna humilitate & submissione petentem ab anima glorioſa, ut pro ipsa apud Deum intercederet, quò eam dignaretur liberare ex pœnis, quas patiebatur. Anima glorioſa illam intuebatur perbenignè & benevolè, multùm ei condolendo, & dicebat ipsi: Faciam id omnino quàm libentissimè, & certò te scire velim, me, si possem reverti ad mundum, rursùmque pati quod sum passus, ac sustinere mortem, qualem sustinui, quamvis toleranda forent millena alia tormentorum genera, promptissimè omnia à me suscipienda, ut te in his pœnis sublevarem: quæ dubio procul fuerint gravissimæ, quas ibi hæc persona perferebat. Et cognovi illuminata à Deo, causam earum esse, quòd, cùm utraque anima degeret in hac vita mortali, ista, quæ nunc tantopere cruciatur, addiderit, licèt bonâ intentione, & existimans se bene agere, stimulos ad afflictiones & mortem, quam altera persona, tantâ nunc fruens gloriâ, fuerat perpessa: siquidem præter illam intentionem, quæ videbatur bona, aliquid, imò verò multum se admiscuerat naturalis propensionis, dum se abripi permisit à passionibus, quas debuisset moderari.

Convertit se postea hæc afflicta anima ad me, dixítque mihi, se esse damnatam ad septem annos illarum terribilium pœnarum, quas tum tolerabat, atque addidit: Famula Dei jube conscribi, quod vidisti & audivisti, ut homines, præsertim autem Judices, discant, quomodo suis proximis jus dicere, séque gerere debeant, dum eos videbunt pati, & sapiant meo exemplo. Iudolui supra modum ob afflictionem & angustias hujus personæ, quia illam impensè in Domino amaveram, multúmque ipsi eram obstricta, dum viveret. Itaque recurri ad Divinam Majestatem, rogavi instantissimè, ut ipsius misereretur, eámque liberaret à tam acerbis tormentis.

volui idcirco statim dicere coronam, cui attributas habeo Indulgentias, atque has ipsi applicare, verùm subitò vidi Dominum, qui mihi modo quodam gravissimo signum dedit, acsi (ut more nostro ruditer loquar) imponeret labijs digitum, indicando mihi, nè sic orarem, eò quòd nollet, ut tunc uterer Indulgentijs, sed tantùm illi animæ applicarem preces communes modo consveto Ecclesiæ.

Postea decimâ septimâ Decembris mihi, nihil tale cogitanti, hæc afflicta anima rursum comparuit, & quamvis illam internoverim, non tamen plenè, quia habebat faciem obfuscatam obscurâ quadam umbrâ, quasi vultum manu obtexisset. Allocuta me est, & interrogavi ipsam, quænam esset? Non me novisti? ajebat, & cùm eam velut umbram abstulisset è vultu, ut mihi totus appareret, respondi: Ità, Anima, jam te optimè nosco. Scito, dicebat illa, gravissimas esse pœnas, quas sustineo, & sententiam hactenus perseverare in suo vigore, ut durent septennio. Obsecro te per ipsum Deum, & per magnam meam æstimationem tui, ingénsque desiderium, quod in vita habui tibi gratificandi, ut me commendes eidem magno Domino, illúmque roges, ut mei misereatur, qui ideo quòd mea severitas nõ fuerit misserta peccatorum pœnitentium, neque ipsis sim compassus, justissimè patior hæc tormenta. Promisi ei prorsus ex animo, me id facturam, dixíq; illi: Anima, esto bono animo, & confortare in Domino, licèt enim sit verum, te nunc tam multum pati, finietur id tamen, & frueris Deo in æternũ. Locuta sum ipsi alia hujusmodi, quia mihi inde videbatur percipere solatium. Postquam abivit, confugi denuò ad Deum, & rogavi illum quàm optimè potui, ut misereretur animæ in tantis constitutæ angustijs. Divina Majestas autem, quasi interrumpendo meas preces, mihi dixit: Marina, judicia mea sunt altissima & arcanissima, atque Justitia mea non minùs suum obtinet locum, quàm Misericordia. Ora pro ipso more usitato, quo solet orari pro animabus Purgatorij. Ergòne, replicai ego, mi Domine, tot Missæ, quæ pro eo fuerunt dictæ, & sangvis tuus, qui illi fuit applicatus, non sufficiunt? Dico tibi, respondit Dominus, quòd longè graviores toleraret pœnas, nisi id factum fuisset. Hoc mihi evenit. Nihilominus spero, Deum miserturum hujus animæ. Atque per Dei misericordiam his festis Natalitijs, quibus pro illa oravi, intellexi, multùm esse mitigatas pœnas, quas patitur.

Deus ipsam penitus liberet.

Amen, amen.

(✠)

# CAPUT XX.

## Pergit recensere alios eventus, pro nostra instructione.

*BEne suspicor fore, ut lecturo primum eventum ex ijs, quos hoc capite refero, tam accidat difficile, intelligere modum peracti martyrij, de quo in eo agitur, quàm accidit nonnullis viris doctis, qui illum legerunt: neque est mirum, quia ipsimet Venerabili Marinæ, sicuti mox videbimus, hæc visio non videbatur tam facilis, quàm aliæ. Quia tamen eam Deus certam reddidit de illius veritate, & obligavit, ut ipsam cum reliquis recenseret, quamvis æternæ suæ sapientiæ reservaverit significationem eorum, quæ fuerunt symbolica, si quid hîc symbolicè est gestum, proposuit saltem exemplum, ex quo discerent placere Deo eos, qui zelo Catholico pugnant contra Anglos. Describitur à Venerabili hæc rina factum hoc modo.*

Undecimâ Octobris, anno sexcentesimo vigesimo septimo, dum consvetæ me vacarem orationi, fui spiritu præsens in tore cujusdam maris, ubi confligebant multi homines. Ex una parte pugnabant nonnulli Catholici, inter quos præcipue eminuerunt duo Juvenes Hispani, cum

centum propè extraneos, & hæreticos. Vicerunt Catholici, & interfecerunt omnes suos adversarios. Hæc visio me in summam rapuit admirationem: subitò enim vidi illos duos Juvenes prosiluisse strictis & cruentis ensibus, velut fugientes, & non videbam cur, aut quemnam fugerent. Progressi sunt intra continentem per præruptos montes, quærentes viam, quam non inveniebant. Paulò pòst inciderunt in eremitorium, quò ingressi salutaverunt quendam sanctum Eremitam ibi morantem. Ab isto acceperunt solatium, & rogaverunt illum, ut ipsis monstraret viam, quâ possent pervenire ad regionem habitatam. Sanctus Eremita ijs dixit, ut pergerent ad certum locum, quem illis indicavit, quódque in via essent reperturi duos Angelos Dei, futuros ipsorum duces. Juvenes obsequentes discessérunt, & obviaverunt duobus Angelis, qui illos duxerunt ad conspectum Divinæ Majestatis, à qua tum ipsis audivi dici: Strenui nationis Hispanicæ heroës, gessistis vos præclarissimè, & placet mihi factum vestrum; polliceor vobis, concedendam vobis à me in hac vita coronam martyrij, quòd tam egregiè pugnaveritis. Duo illi milites fuerunt ob gratiam promissam valde exhilarati, & magnas egerunt Deo gratias, atq; subitò cœperunt exardescere desiderijs subeundi martyrij pro suo Deo, & expectaverunt cum gaudio tyrannum, à quo se existimabant perimendos. Tum Angeli, qui illos eousque fuerant comitati, ipsos duxerunt per quendam montem, ubi inciderunt in alios duos Angelos sibi obviam venientes. Statim priores duo Angeli, suum singuli militem à tergo complexi, obversis vultibus ad Angelos de novo accedentes, eos detinuerunt. Isti svavissimè & subtilissimè, acsi inciderent venam, pupugerunt guttura Juvenum, eosdémq; jugulaverunt. Vidi animas ipsorum evolantes ad cœlum, & corpora ab Angelis fuisse in decenti quodam loco sepulta. Id mihi absque dubio fuit repræsentatum: quamvis autem mihi optimè essem præsens, prorsúsque vigil, venit mihi nihilominus in mentem, essétne somnium, an mea imaginatio, & existimo me concludisse, esse omnino imaginationem, ideóq; à me non debere æstimari, neque recenseri. Quando tamen meus Confessarius advenit, intellexi à Deo, esse verum, quod fuerat actum, eâ claritate, ut adverterem me teneri, ad id ipsi referendum. Quinam fuerint hi duo Juvenes Hispani, & ubinam fuissent terrarum, Deus mihi non explicuit. Ipse sit benedictus.

*Clariora, ideóque magis proficua sunt alia exempla, quæ modo referam, & Virgo nobis sequentem in modum descripta reliquit. Loquitur de mense Aprili anni millesimi sexcentesimi vigesimi octavi.*

Nuper, ex quibusdam mei morbi occasionibus, incepi naturaliter dolere, quòd carerem meâ sanctâ sociâ Marina de Hernandez, cujus vices non possunt supplere aliæ, quæ licèt magnâ sint præditæ charitate, non habent tamen ità exploratas meas miserias. Interea mihi ipsa comparuit, indicans vultu admirabilem gloriam, in qua illam aliàs vidi. Dum ad me valdè hilaris & læta veniret, dixit mihi: Mea Domina, & Mater mea, ecce me, impera mihi; quia omnia faciam. Bene habet, Anima sancta, respondi ego, sed tuus status jam est diversus, non potes facere, quod antehac faciebas. Flectebat penes me una sociarum ante lectũ, exhibens mihi quoddam officium charitatis, non videndo, neque audiendo, quid ego cum hac sancta Anima agerem, quæ tum subjunxit: Imò verò ego ad te accedo, quia non occupo locum, neque me quisquam potest impedire. Et appropinquans mihi, absque ullo impedimento, me est amplexata, ac apprehendit meas manus, sicut consveverat vivens, illásque attraxit, quemadmodum erat solita, dum cogerer tolerare contractionem nervorum, cum acri dolore, quã ipsam affectionem tum patiebar. Quando ità, magno affluens solatio & gaudio, cum ipsa conversabar, vidi truculentissimum dæmonem transeuntem per meum cubiculum (hæc autem sancta Anima, audito strepitu, vertit caput, tanquam visura, quid fieret) qui est ulteriùs, & celerimè progressus: vidi verò, quòd in quo-

dam campo occurrerit pauperi fœminæ, prolixum gerenti peplum, quam ego non agnovi. Invasit illam, ac impetivit calcibus, & raptavit pessimè eam tractando, statímque aufugit, & se præcipitavit in infernum. Verùm advenerunt derepentè alij multi diaboli, qui injicientes ipsius collo funem, eandem denuò raptaverunt, donec præcipitatam secum sepelirent in inferno. Intellexi esse quandam malam fœminam sagam. Tunc mihi sancta Anima, quæ apud me erat, dixit: Multa hoc tempore committuntur in mundo talia peccata: commenda id, mea Mater, Deo, ut medeatur tam gravi malo; & promittens mihi, quòd me frequenter esset visitatura, à me discessit.

Feriâ tertiâ, undecimâ die Aprilis, hoc eodem anno sexcentesimo vigesimo octavo, post mediam noctem indormivi, & cùm dormirem, inveni me admirabiliter præsentem in Conventu Sanctæ Crucis hujus urbis, in cella Dominæ Aloysiæ de Guzman moribundæ. Vidi cellam valde resplendentem, ut esset similis cœlo, & in ea multos Angelos, unáque duos elegantissimos currus pensiles, qui apparebant esse constructi ex lucidissimo auro. Interrogavi tum illos: Domini cur adestis cum his curribus? Ut vehamus, responderunt mihi, animam cujusdam personæ, quæ nunc moritur, ad conspectum Divinæ Majestatis. Intellexi, esse animam hujus Dominæ, famulæ Dei. Quare verò, instabam, adducitis duos currus? Uno, ajebant, vehetur ista anima, & alter non abibit vacuus, quia nos eo vehemur, comitantes ipsam. Tunc evigilavi, & finitum fuit spectaculum, quod mihi Dominus inter dormiendum exhibuerat. Quanquam autem non viderim avehi illam animam, saltèm tamen mihi firmissimè persvasi, probabilissimè salvandam.

Sequenti postea feriâ secundâ, decimâ septimâ ejusdem mensis, mihi Deus ostendit, quamvis vehementer repugnanti (invalescentibus enim meis timoribus, quidquid est extraordinarium illos auget, & refugio, quantum in me est, omnem visionem, donec me Dominus svaviter adigat) ostendit mihi, inquam, istam benedictam animam necdum esse in cœlo, sed in quodam Purgatorio, quod non erat aliud, quàm privatio visionis Dei. Compulit me Deus tribus quatuórve vicibus, ut huc animum adverterem, ac deinde mihi dixit: Nunc, Marina, nihil à me pete, quia inde non aliter exibit, quàm secundùm ordinarium cursum meæ divinæ dispositionis. Ex benignissimo illo modo, quo mihi Dominus hæc verba dixit, statim intellexi, nihil ipsum magis cupere, quàm ut illum pro ea rogarem. Sit benedictus! Unde ei dixi: Verè Domine debes mihi ignoscere, necesse enim est, ut ipsi subveniam. Atque ità eodem die pro illa obtuli meam sacram Communionem. Mansit per aliquot dies taliter constituta, & semper ipsam video in eadem specie: postea non fuit ampliùs à me visa, & existimo illam jam frui Deo. Intellexi ex Divina Majestate, causam talis Purgatorij fuisse, quòd optaverit obtinere facultatem proficiscendi ad aliquot dies Madritum, ut inviseret suos Dominos consangvineos. Licèt verò, petito consilio à personis spiritualibus, quid sibi hac in re agendum foret, atque accepto ab ijs responso, non adesse urgentem causam, ob quam ejusmodi persona egrederetur ex Conventu, etiam ad paucos dies, tametsi in eo, juxta ipsius institutum, non observetur tam stricta clausura, acquieverit consilio, & non fuerit illuc profecta; nihilominus natura munere suo functa est, permisitque se minùm abripi à dolore, quem propterea sensit. Intellexi præterea, quàm ægrè ferat Deus, quòd animæ Religiosæ, quæ se ipsi desponsaverunt, aspirent ad hujusmodi relaxationes, etiamsi ab illis absit gravis culpa.

In festo Resurrectionis manè, vigesimâ tertiâ dicti mensis, eodem anno, post-quàm mihi Deus præstitisset quandam gratiam, alibi à me relatam, dignati me sunt nonnisi alibi à me relatam, dignati me sunt nonnisi fere Sancti Patriarchæ Ordinum Religiosorum. Erant glorioſissimi Sanctus Benedictus, S. Augustinus, S. Dominicus, S. Franciscus Assisiensis, & S. Ignatius de Loyola. Beatus Sanctus Dominicus mihi nonnisi

nomine omnium est apprecatus felix Pascha, ac deinde S. Benedictus gravissimâ svavitate dixit: Ità; quasi approbando, quod alter Sanctus dixerat, & subjunxit: Precare quoque nomine nostro felix Pascha nostris filijs, & amicis, ac illis, quos tu novisti. Vidi etiam ibi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, quanquam longiùs distantem, qui me non est allocutus. Petivi ab his Sanctis gratiam, pro quibusdam ipsorum filijs, qui se mihi singulariter commendaverant; præsertim autem fui memor cujusdam Religiosi ex Ordine Sancti Francisci, qui ex vulnere læsum habet caput, & dixi Sancto: Sancte Pater, roga Deum, ut sanet tuum filium. Bene intellexit Sanctus, pro quo intercederem, & dixit mihi tanquam suboffensus: Quomodo? iste non est meus filius. Adverte; quosvis Religiosos, non perseverantes in prima sua vocatione, & mutantes habitū, non habeo pro filijs, neque ipsi sunt mei legitimi filij. Post hoc Sancti mihi valedixerunt. Semper à Deo intellexi, quàm malè agant, qui relictâ suâ primâ vocatione transeunt ad aliam Religionem: nam vel non evadunt meliores, vel dubiam reddunt suam salutem. Ægerrimè fert Divina Majestas has mutationes. Deus sit benedictus.

*Notetur hoc exemplum, & ponderentur verba hujus famulæ Dei. Quamvis enim ista regula universalis, non secùs ac aliæ, aliquam patiatur exceptionem, habeátque Seraphicus Pater inter charissimos, maximéque legitimos filios, S. Antonium de Padua, qui ex Ordine Canonicorum Regularium transivit ad ipsius Religionem; casus tamen hic est prorsus singularis, & inspiratus ab ipsomet Deo, quod comprobavit effectus, spectatis circumstantijs temporis & personæ, quæ ad majorem Dei gloriam prudentissimè quærebat suam majorem perfectionem. Mutationes, quæ modò communiter fiunt, omnium experientiâ constat, oriri ex tentationibus, & ab his vinci quasdam naturas vel vanè leves, vel occultè ambitiosas, aut nimis deditas commoditatibus, aut obnoxias immoderatæ cuidam melancholiæ. Ego saltèm neminem novi, qui non præbuerit indicia, quòd non abiverit, ut se spiritu in alia Religione renovaret, & qui mores mutaverit in melius, mutando habitum.*

*Visio, quam nunc adferam, etsi non contineat historiam, de ullis specialibus personis, continet nihilominus miram doctrinam moralem, pro morum generatim reformatione, plurimumque facit ad præsens argumentum. Describitur fusè à Venerabili Marina his verbis.*

Die Sabbathi, vigesimâ sextâ Octobris, hujus anni sexcentesimi vigesimi quinti, dum versarer, sicut aliàs, coram Deo, fuerunt in mea anima excitati varij affectus, quorum vi abrepta incepi conqueri, ac dicere: Eheu Domine, eheu Domine! quod frequenter iterabam; cúmque hunc in modum conquererer, dixi Divinæ Majestati multa profecta ex mei ipsius cognitione, quâ perspiciebam meos defectus, & miseriam, atque ex meis desiderijs ipsi placendi, & implendæ in omnibus sanctissimæ ejusdem voluntatis. Interrogavit me tum Dominus: Quid habes, Anima? quid vis? Tu id scis, mi Domine, respondi ego, tu id scis meliùs. Ego scio, non reperiri ullam in mundo animam pejorem meâ, néque ream esse multorum peccatorum, superbiæ, & aliorum, quæ omnia recensui, & concluſi: Ista sunt mea peccata, Domine, qui bene scis, me eorum esse ream. Divina Majestas magnam indicando benignitatem mihi dixit: Non est ità. Licèt verò mihi hoc dictum quadantenus attulerit solatium, aliunde tamen effecit, ut penitùs meipsam agnoscerem, & proprium meum nihilum adeò clarè, ut quodammodo disperirem. Dominus subjunxit: Veni nunc mecum, & quiesces. Nequaquam, mi Domine, respondi: non est enim tempus deliciarum. Sic me Divina Majestas modicùm reliquit, dum ego perseverarem in æstu meorum affectuum. Postea mihi rursum dixit: Veni mecum; ità ut non potuerim repugnare. Quando enim Divina Majestas vult, tum quod dicit, etiam facit, neque est in potestate animæ, ut illi resistat. Duxit me igitur secum, nec scio, quomodo id explicem, quia opinione meâ ibam in Deo, & Deus in me.

Con-

Conscendimus quasdam scalas, quæ habebant suos flexus & interstitia, atque per intervalla elegantissimas turres. Postquam autem quinque ex his præteriissemus, pervenimus ad pulcherrimam, cujus apex pertingebat ad altitudinem cœli. Hîc substitimus, & vidi ex medio hujus turris procedentem scalam altam, erectam, & arduam ascensu, multùm tamen speciosam, & colore præditam cœli, pertingentem usque ad portas cœlestis Patriæ. Per illam descendebant multi Angeli, qui ingredientes turrim, peragebant intra eandem sua negotia, ac deinde denuò ascendebant, ideóque dicta scala erat semper plena Angelis, quorum alij descendebant, & alij ascendebant.

Dum id spectarem, vidi exeuntes ex ea turri quatuor aut quinque animas, tam formosas & splendidas, ut singulæ reluce-rent pulchriùs, quàm duo simul juncti soles. Hæ cum comitatu multorum Angelorum in momento ascenderunt per illam scalam, & intraverunt cœlum. Vidi postea aliam scalam procedentem ex eodem loco, ac descendentem usque ad centrum terræ, ad quendam locum, unde erumpebant tam tremendi & luctuosi clamores, ut valde afflixerint meam animam. Audiebantur confusi ejulatus, mugitus, & ululatus tanquam furentium bestiarum, vivaciter significantes miseriam ac tormenta, quæ ibi sustinebantur. In alia parte dictæ turris vidi aliam scalam, quamvis non tam profundè porrectam, quàm fuit illa, de qua nunc sum locuta, pertingentem ad quendam locum, ex quo prodibant voces lugubres, anxia suspiria, quasi desiderantium egredi ex eo arcto & rigido carcere.

Hæc omnia contemplabar consistens ad infimum gradum scalæ, tendentis ex hac magna turri ad cœlum, atque tum mihi ij Sancti Angeli, qui per illam commeabant, dixerunt, an vellem eò ascendere? Non, Domini, respondi, non possum ascendere. Si vis, ajebant, nos te facilè ducemus. Non potero ascendere, replicui ego, quia illæ animæ, quæ ascenderunt, jam erant spoliatæ mortalitate, quâ ego sum vestita: hucusque enim dego in vita mortali. Nihil refert, dixerunt ipsi, dummodo velis, ducemus te sursum. Saltèm, respondi, si mihi ascendendum est, non potero in hoc indumento: necesse etit deponere vestes veteres, & induere novas. Simul ac id protuli, fui induta, sicut aliàs, albâ tunicâ, & cooperuerunt me velo cæruleo, ducentésq; me per scalam, introduxerunt in eam cœlestem Civitatem. Ibi me prostraverunt coram Beatissima Trinitate, & sentiebam me esse velut fatigatam, ac destitutam viribus, sustentantibus me Angelis, acsi essem fessa laboriosoquopiam exercitio. Tum Dominus me intuens se convertit ad Angelos, & interrogavit illos: Quæ est ista creatura? atque subitò rursus me aspiciens, accommodando se nostro loquendi modo, sic dixit: Jam illam novi. Ego adverti me habere signa in pedibus, manibus, ac latere, quæ mihi Dominus impresserat, & vidi in meo pectore vulnus mihi nuper inflictum à mystica sagitta, unáque rubram crucem, quâ me Divina Majestas sacratissimo suo digito signaverat, evehendo me quodammodo ad dignitatem Equestrem, ob fines, quos alibi adnotavi. Videbar mihi verè ibi tota cum corpore & anima existere, idémque mihi etiamnum videtur. Deus novit, an se ità res habuerit. Jussit me Dominus quiescere, & considerare ea, quæ reperiuntur in illa cœlesti Civitate. Mox mihi per speciale lumen, juxta meum modum, communicavit visionem sui Divini Esse. Post hoc statim Sacratissima Persona Christi Domini nostri mihi dixit: Contemplare nunc meam Sanctissimam Matrem. Converti oculos animæ ad contemplandam illam præcelsam Dominam, ex qua prodibant splendores tantæ gloriæ, ut viderentur superare millenos Soles, adeò ut diffundentibus se per totam eam beatitudinem, non potuerim videre cæteros Beatos, sicuti fit, dum præsente Sole occultantur stellæ. Deinde me jussit contemplari Angelos, & vidi illos gloriosos spiritus, qui erant velut infiniti numero, atque secundùm proportionem pleni ineffabili Bono. Tandem vidi animas be-

tas pulchertimas, & feliciſſimas, ultrà quàm dici poſſit.

Poſtquam ſum fruita tam ſublimi viſione, Dominus mandavit Angelis, ut me reducerent ad meum angulum, & cùm loquerentur cum Ejus Majeſtate, acſi ipſis, ùt mihi videbatur, accideret difficilis modus, quo me poſſent reducere, magnus ille Dominus inclinando ſuâ omnipotentiâ magnitudinem ejus cœli, quin vel minimam ſentirem agitationem, me repoſuit in meo loco. Ibi me jam conſtitutam iterum Divina Majeſtas eſt allocuta dicendo: Quid tibi videtur de ijs, quæ vidiſti? ſcísne quid ſignificent. Ego, licèt nonnihil intellexerim, expectavi, ut mihi à Deo clariùs explicarentur, qui mihi conſvetâ ſuâ benignitate dixit: Scalæ, per quas cœpiſti aſcendere, ſunt via, quâ ex hac vita tenditur ad æternam. Quinque turres, quas pertranſiviſti, ſunt quinque Sacramenta neceſſariò ſuſcipienda. Magna verò illa turris, quam poſtea vidiſti, eſt mea Eccleſia, ad quam Angeli deſcendunt, & in qua ſalutem procurant hominum, quorũ aliqui tam bene meâ gratiâ utuntur, atque directione mearum divinarum inſpirationum, ut excedentes ex hac vita ſubitò evolent ad cœlum, qui tamen ſunt pauci, utì vidiſti. Scala deſcendens ad locum, unde animæ anhelantes aſpirabant, ut liberarentur, quò fruerentur meo conſpectu, tibi repræſentabat ſtatum illarum, quæ ſunt in Purgatorio. Alter denique locus, quò deſcendebatur per ſcalam penetrantem centrum terræ, & ubi tot manent animæ, ſicut intelliexiſti, eſt infernus. Nihil mihi Divina Majeſtas dixit ampliùs, neque ego reſcivi, an eſſent plures animæ Chriſtianorum, quæ damnarentur, an verò quæ ſalvarentur: ſcivi tamen optimè ac vidi, eſſe pauciſſimas, quæ ſtatim aſcenderent ad cœlum, & multas morari in Purgatorio, plurimas autem cruciari in inferno.

Paulò poſt peractum hoc myſterium, conſpexi quendam taurum inſolitæ magnitudinis, prodeuntem cum terribili crudelitate & furia contra homines. Tantas, præter horribilem rabiem, oſtentabat vires & robur, ut videretur, quemadmodum meæ animæ repræſentabatur, unico calcium vel cornuum ictu everſurus mundum, ſi à Deo ſuam exercere permitteretur ferociam. Exhalabat per nares & os vapores venenatos, quibus inficiebat homines. Mea anima ipſum aſpiciens vehementer affligebatur, timendo, & plurimùm dolendo ob ſtragem, quam eſſet illaturus, quando repentè vidi magnam turmam Angelorum, qui illi obviàm procedebant armati, & prohibebant tranſitum. Fui valde recreata, dixíque intra me: Ah benedictus ſit Deus, qui huic malo providit de remedio! Nunc videbis infernalis taure, qualiter tecum ſit procedendum, atque ſi adeſt meus Dominus Archangelus Sanctus Michaël, ipſe te tractabit pro eo ac mereris. Interea illum ſunt aggreſſi Sancti Angeli, & is viciſſim ipſos, tantúmque potuit, ut denique perrumperet turmam, & elaberetur ex eorum manibus. Currebat notabili celeritate, horribiliter boando, majore furiâ & animoſitate, quàm initio; præferebat, quòd omnia abſque mora vellet peſſumdare. Tum prodivit alia turma Angelorum, qui erant prioribus fortiores & promptiores. Conſpecto hoc novo ſuccurſu videbatur mea anima exhilarari, & reſpirare. Hi itaque cinxerunt taurum, & cœperunt illum impetere, concidendo multis gladiorum ictibus ejus faciem, multáque ipſi alia vulnera toto corpore infligendo. Taurus exacerbabatur magis, & ſtrenuè ſe defendebat, magnóque animo utrinque confligebatur: tandem autem etiam hac vice taurus evaſit arma hujus cœleſtis turmæ. Benedicatur & laudetur Deus in æternum. Amen.

Progreſſus eſt ad quendam campum torviſſimè intuens, tremendè boans, & currens effuſiſſimè, donec pervenitet ad exiguum quoddam templum, quod ibi erat. Vidi intus Sacerdotem celebrantem Sacrificium Miſſæ, & hoc ſacram hoſtiam attollente introſpicientem per portam taurum, dum autem videret, quid ageretur, corruentem, quaſi violentè proſtratus eſſet: quod ego meditabunda conſiderabam, dicebámque in animo: Quid

fiet? Hæc maledicta bestia non adorat, neq; sponte veneratur meum Dominum. Quídsi verò exangvis corruerit, & expiraverit? Dum hoc dubium discuterem, conspexi ingentem catervam diabolorum, qui ad illum venerunt, millenis ipsum onerantes convicijs, & exprobrantes ei ipsius inertiam. Trahebant eundem alij hàc, alij illac raptando, usquedum omnes à terra absorpti disparuerunt.

Allocutus me est tum Dominus, & dixit mihi: Jam vidisti, quid agatur. Intellige verò hanc esse crudelitatem, quâ diabolus persequitur homines: ipsorum negligentia & mala dispositio facit, ut Sanctorum meorum Angelorum auxilium secundùm se potentissimum, quod ijs frequentiùs præsto, careat effectu, & hostis infernalis adversùs illorum animas prævaleat. Pro amoliendis his damnis nullum melius aut majus reperitur remedium, quàm usus Sacramentorum, præsertim sacræ Evchariſtiæ. Hoc tibi fuit significatum, quòd videris taurum coram ea prostratum. Sit idem Dominus millies benedictus. Amen.

# CAPUT XXI.

## Alia, quæ illi in diversis materijs, semper autem doctrinam moralem concernentibus, agenti cum Deo evenerunt.

*Ejusdem anni, sexcentesimi vigesimi quinti, sunt duo sequentia scripta. Prius pertinet ad sivem Octobris, & alterum ad medium Novembris. Adjungam alia non multò posteriora, tametsi certum tempus ignorem. Virgo sic ait.*

Considerabam coram Deo meam propriam miseriam, & fœtidum hoc lutum, ex quo sum compacta, atque audiebam Divinam Majestatem mihi dicentem, ut secum abirem ad amovendum in certo loco grandem terræ cumulum. Mea anima est mirata illud mandatum, & acsi à me non fuisset intellectum, resumpsi meum exercitium, dicens Deo: Hîc adest, mi Deus, anima mendax ac deceptrix. Proferebam id cum ingenti affectu, & interno gemitu, quia mihi mea vilitas in eo statu adeò vivaciter repræsentabatur, ut revera mihi viderer non solùm omnium esse expers bonorum, verùm etiam plena omnibus malis. Divina Majestas mihi respondit: Contingit tibi Anima, quod contingeret puero, qui transeundo profundũ & rapacem fluvium, incumbens humeris cujuspiam gigantis, dum perveniret ad summam undarum ipsius profunditatem, séque adverteret versari inter aquas impetuosè ruentes, & eas jam attingeret, periculi timore perculsus fieret, atque exclamaret dicendo: Submergor, submergor; cùm tamen certum esset, non periclitaturum ob vires gigantis, sed evasurum salvum ad ripam. Ità tibi accidit, quæ dum consideras id quod es ex tua natura, ac discrimina vitæ mortalis, te existimas versari in periculo, quanquam ab eo sis immunis: quandoquidem te ego fero in meis brachijs, in quibus es tam secura, ut non sis subitura periculum. Quapropter intermitte nunc ista, & veni mecum: amovebis illum cumulum terræ, de quo tibi sum locutus; & absque mora me duxit ad extremitatem maximi cumuli congesti è terra, dixítque mihi, ut eam terram inciperem auferre. Excusabam me, allegando meam debilitatem ac infirmitatem, quarum causâ mihi non suppeterent vires pro tanto opere. Nihilominus esto bono animo, subjunxit Dominus, atque aufer terram in corbem (conspexi decepente unum juxta me) istum injectam. Interea vidi quosdam Angelos, qui canentes, & jucundissimum exhibentes vultum, atque accincti ad aliquid agendum, se

se collocaverunt ad alterum cumuli latus, & cœperunt eam terram conjicere in corbes, ac transferre aliò: cúmque ipsos viderem, cœpi & ego animata pugnos illâ terrâ implere, ipsamque in meum corbem injicere, & paulò pòst vidi totum illum cumulum disparuisse. Tum Deus mihi dixit: Anima, volui tibi ostendere, quòd, etiamsi aliqua appareant difficilia, quæ animabus pro earum profectu facienda incumbunt, eædem tamen animatæ meâ gratiâ, ac adjuvantibus meis Angelis, dummodo ex sua quoque parte velint aliquantùm cooperari, deinde experiantur, illa à se facilè fuisse peracta. Defectus est in eo, quòd nolint bene uti meâ gratiâ, ut mortificent suam voluntatem, & superent vanos timores, qui ipsis obversantur, atque ità nec vincant suas adversitates, neq; proficiant in virtutibus. Hoc me Deus docuit, qui sit benedictus.

Eâ occasione, quam alibi descripsi, quando mihi in Novembri, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, Deus in cœlo manifestavit quædam sua arcana, vidi etiam crystallinum & vastum fluvium, qui proximè alluebat locum, in quo degebant animæ parvulorum, qui obierunt in prima gratia. Videbatur mihi iste fluvius esse quiddam prorsus cœleste ac divinum: atque sicuti hîc solent tempore hyemali in marginibus & ripis fluminum esse quidam tractus glaciei, ità in ijs hujus sacri fluvij ripis exporrigebantur in longum velut argenteæ, aureæ, & adamantinæ quædam laciniæ lucidissimæ. Dum hunc fluvium magno cum gaudio contemplarer, & pulchras ejusdem extremitates, audivi tanquam eminus dulcissimam ac svavissimam musicam Angelorum, unáque strepitum tunsionum, quales audiri consveverunt in lavatorijs, quando lavantur linei panni. Aspexi, & vidi, ab Angelis in utraque ripa elui quasdam quasi tunicas, & pannos lineos candidissimos, tametsi à quibusdam redderentur albiores & nitidiores, quàm ab alijs. Mirabar valde hoc spectaculum, dicebámque intra me: Bone Deus! quidnam id significabit, quòd Angeli obeant munus lotorum? Tum Angelus, à quo docebar, mihi dixit: Fluvius iste, Soror, est figura sangvinis Christi JESU Domini nostri, quem effudit pro hominibus, & qui communicatur animabus per Sacramentum Pœnitentiæ, quod administrant Sacerdotes, qui propter sublimitatem sui officij repræsentantur instar Angelorum Dei. Quidam reddunt animas magis candidas, quam alij, secundùm dispositionem, quam adferunt pœnitentes, & modum, quo ex hoc Sacramento proficiunt.

Viso hoc mysterio, mihi fuit dictum ab Angelo: Age Anima, abeamus, jam enim est tempus, & ducam te ad tuum angulum. Nullatenus, Domine Angele, ajebam ego, expecta tantillùm ob reverentiam Dei, permitte me has delicias videre. Per me licet, respondit Sanctus Angelus, contemplare illas pro tuo beneplacito. Perlustravi totum illum fluvium eò versus, quò aquæ ejus decurrebant, & videbantur mihi circumire totum mundum: conspexi quoque procul quosdam Paganos, homines fide destitutos, & ipsis immixtos nonnullos dæmones, quanquam paucos: cùm enim illos jam possideant, videntur de ijs non esse soliciti. Hi infideles se non lavabant in eo flumine, imò conabantur in illud injicere sordes. Verùm sicut radij Solis, licèt transeant loca immunda, manent nihilominus puri & splendidi, ità ijs aquis nihil oberat, quidquid in ipsas sordium injicerent, sed permanebant tam puræ & crystallinæ, quàm antè. Sic inde discessimus, etiamsi ego difficulter potuerim avertere oculos ab illis pulcherrimis lacinijs, quæ, ùt initio dixi, exporrigebantur secundùm longitudinem earum riparum: & Angelus mihi dixit, easdem esse figuram trium virtutum, fidei, spei, & charitatis. Laudetur tam bonus & potens Deus ab omnibus suis creaturis in æternum. Amen.

Post paucos deinde menses, dum essem intenta orationi, meóque usitatissimo exercitio, quod est cognitio meorum defectuum, & propriæ vilitatis, conjuncta intimis desiderijs conformandi me cum Divina voluntate, vidi quasi ex longinquo venientes quosdam Angelos (erant verò, meo

meo judicio, quinque) aliquantùm ab invicem distantes. Progrediebantur sancto quodam affluentes gaudio, & ferebant in humeris grandem ac plenum saccum: licèt autem fuerim mirata hoc spectaculũ, conabar tamen ab eo avertere oculos, & persistere apud Deum in meo exercitio. Sed quando Deus revera vult ostendere mysterium, quod repræsentat, nulla prodest humana industria. Unde quantumcunque fuerim conata me abstrahere, Divina Majestas tamen fecit, ut attenderem visioni, quæ mihi proponebatur. Advenit igitur primus ex ijs Angelis prope locum, in quo eram, & deponens mysticam eam speciem sacci, evacuavit illum humi, exhibendo mihi spectandum pretiosissimum thesaurum purissimi argenti, auri obryzi, pretiosarum margaritarum & gemmarum, quæ varias habebant figuras & colores, omnésque erant inæstimabilis valoris. Hoc facto recessit cantans hymnos & laudes divinas. Similiter advenerunt cæteri, singuli seorsim, qui etiam expositis suorum saccorum divitijs recedebant canentes. Ego eram velut attonita, videns illum grandem tot pretiosarum rerum cumulum, atque læta & plena solatio, quia à Deo illuminata intelligebam, illas esse figuram & significationem valoris operum virtuosorum, & heroicarum actionũ, quæ à Justis & veris Dei servis in honorem ipsius peraguntur. Habebam oculos meæ animæ quodammodo affixos tam pulchro & jucundo spectaculo, neque mihi videbar eos posse ab illo avellere, quando subitò vidi circa totum illum exquisitissimũ thesaurum, & quodammodo in ejusdem extremitatibus, assurgentem subtilem, indicibilis & svavissimi odoris fumum, prodeuntem ex igne æquè forti ac svavi, sensim sinè sensu comburente & consumente eum pretiosissimum cumulum. Sic ille delicatus fumus, & præstantissimus vapor magìs ac magìs augebatur, &, quanquam lenissimè, ascendebat adeò altè, ut mihi videretur pertingere quasi ad olfactum ipsiusmet Dei, atque idem Dominus summè sibi in eo complacere, & id cœlestibus suis Palatinis contestari. Spiritualis hic fumus, seu hic spiritus ascendebat velut magìs & magìs evaporando in ipsum Deum, donec in eodem Domino videretur evanescere ac disparere. Tandem totus thesaurus ità fuit absumptus, ut nullum propè sui reliquerit vestigium, aut indicium.

Non potero verbis meis explicare, quantopere fuerim mirata hanc visionem, eóque ampliùs, quò minùs illius intelligebam mysterium. Reliquit me Deus ità perplexam ac dubitantem de significatione eorum, quæ videram, ac deinde mihi dixit: Advertè Anima, bene scis, aurum obryzum produci in terræ fodinis, ibique conservari, unde postea eruitur, ac traditur perito artifici, à quo semel iterúmque debet purificari in ustrina, si opus fuerit, ut ex eo formetur vas elegans, aut pretiosum quodpiam monile, imponendum mensæ, aut appendendum collo Regis. Idem verò contingit in sanctis fidelium servorum meorum operibus. Aurum virtutum, quibus sunt prædìti, producitur, & conservatur in vili terra fragilis naturæ, à qua videtur tegi & abscondi: nam propter exiguos quasi naturales defectus, quos in sese deprehendunt, profundè descendunt in propriam suæ vilitatis cognitionem, & se demittunt usque in abyssum, quod singulariter prodest, ut virtutes proveniant puriores, & conserventur solidiores: eo quoq; modo, quo nix conservatur, & perseverat purior, magisque integra, intra aridum stramen. Scias velim præterea, hos æros ac defectus naturales meorum amicorum, esse in meo conspectu instar straminis vicini immenso igni: omnes enim isti defectus comburuntur, & consumuntur per actus humilitatis, & incendium divini amoris, quem ipsis communico, eorundemque virtutes evadere perfectiores, puriores, & magìs spirituales. Propterea videres, & magìs spirituales. Propterea videresti, omnes eas divitias, vi illius svavis & efficacis ignis, converti in illum spiritualissimum, & svaviſſimum fumum, qui ipse quoque postea altiùs ascendens, tanquam spiritualior redditus, evanuit ex tuis oculis, velut in me transformatus, quæ cibus prema animarum, mihi summopere placet,

eos,

cens, perfectio. Nunquid non intelligis, quòd ex diversis odoriferis floribus, injectis in vas distillatorium, dum ij vi ignis videntur destrui, prodeat unica aqua, quæ à vobis, propter pretiosum & svavem illius odorem, vocatur angelica? Sic ergo hîc agitur: nam dum anima multis & varijs est ditata virtutibus, ignis mei spiritûs producit simplicissimum, & unitivum affectum, quo summè delector. Bene olet pastillus odoratus, quando præstantissimè confectus applicatur integer naribus, major tamē absq; comparatione est ejusdem fragrantia, dum consumptus ab igne convertitur in fumum, qui est subtilior, ac magis spiritualis. Marina, hæc est significatio mysterij, quod tibi à me fuit monstratum, tèque adeò reddidit attonitam. Ostendi id tibi & explicui, ut intelligatur, semper aliquid expurgandum reperiri in sanctis operibus, & bonis affectibus meorum fidelium servorum, quanticunque appareant esse pretij, & hæc eorum opera atque affectus à me purificari per amorem, quo erga ipsos feror: illos verò semper debere aspirare ad majorem perfectionem in ijs, quæ agunt, cùm plurimi sint ejus gradus, ad quos progredi possunt, ac debent anhelare. Nunc vale, & quiesce in me. Postquam Dominus divinum suum finivit sermonem, fui mihi penitus erepta: reddita autem mihi non cessabam illi infinitas agere gratias, pro tam sublimi instructione. Oblita sum dicere, me illuminatam à Deo intellexisse, Angelos adfuisse æquè onustos, ac exhilaratos illis divitijs, ut mihi indicaretur, multum ab ipsis præstari, nósque adjuvari in negotio nostri profectûs. DEUS sit millies benedictus. Amen, amen.

*Omnes comparationes, quibus magnus Deus noster hoc mysterium Venerabili Marinæ explicuit, sunt non minùs admirabiles & aptæ, quam Divinæ. Gloria sit ipsi æterna, qui nobis adeò eminentem, adeòque claris explicatam terminis doctrinam dignatus est communicare, ut etiam ab ignorantissimis possit percipi. Observo solùm pro nostro solatio, & pro commendando spiritu, quo studium Sanctis Patribus, ac sacris Doctoribus est impendendum: siquidem omnes (nisi potiùs sit una) vel eædem, vel modicissimè discrepantes, in eorum scriptis reperiuntur, quod multis testimonijs clarissimè probarem, si id præsens locus exigeret. Unde colligitur, Deum loqui per suos amicos, & ab his scribi, quod ab ipso edocentur, nósque idem ab illis percepturos, quod à Deo, si à nobis legantur cum desiderio, ut eos intelligamus, & compendiemus in proximorum nostrorum utilitatem; non autem ex curiositate & aviditate excerpendi frivolas, atque interdum falsas subtilitates. Nivis tantùm in stramine conservatæ similitudinem, me in Sanctis Patribus legere non memini: est nihilominus idonea, & accommodata animæ Hispanicæ, quæ id sæpe viderit, ut perfectior ad propositum non posset excogitari. Faxit Deus, nè culpâ nostra minùs prosit tanti momenti, ac tam præclara doctrina. Pergit admirabilis nostra Virgo in alio scripto.*

Initio Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, conspexi aliquoties Dominum affixum cruci, præsertim verò semel vidi, quòd refigens brachium dextrum à cruce, arreptum suâ sacrâ manu flagellum, instar scuticæ, superposuerit brachio crucis. Conabar me, ob meum timorem, abstrahere, etiámque mihi persvadere, quòd possit esse magis mea imaginatio, quàm vera visio: siquidem non tam clarè proponebatur oculis animæ, neque tam fixè, quàm aliæ. Post aliquot tamen dies mihi Dominus dixit: Non fuit tua imaginatio, sed vera visio, quam habuisti. Non intellexisti tum mysterium, quod tibi nunc volo declarare. Veniat tibi in mentem, te eo tempore non exiguam sustinuisse afflictionem, ortam ex repugnante tuæ complexioni natura illius personæ, quam novisti, & à qua sinè intermissione exerceris. Volui tibi igitur per id, quod vidisti, duo significare, superimponendo meæ cruci scuticam. Unum est, quòd ex ea desumant valorem cruces, flagella, & afflictiones meorum servorum; quódque sint remunerandi, si istæ illi uniantur, nec non ab eadem etiam confortentur ad eas illâ æquanimitate tolerandas, quam ego tibi do. Alterum, quòd omnes afflictiones, quas sunt passi, patiuntur, & patientur mei

servi, susceperim in me, probando molestiam & amaritudinem, quæ ipsis inest. Hinc fit, ut tanquam in ijs versatus, magnâ illorum tangar commiseratione, eósque juvem in omnibus ipsorum tribulationibus. Mea anima fuit, ob hæc Domini sui verba, recreata, & repleta solatio. Ipse, propter dulcissimam amantissimi sui cordis benignitatem, sit benedictus.

Sub exordium deinde sequentis Februarij, dum affligerer ac dolerem, ob allatum nuntium, de inundationibus, quas est passa Hispalis, & Salmantica, déque tot facultatum & hominum jactura, tenerè proximis meis compatiens, totóque affectu illos Deo commendans, vidi Dominum, qui me benignissimè vocabat, dicendo: Anima, es multùm afflicta, veni mecum, & quiescès: Ah mi Domine, respondi ego, quorsum me vis abire, relictis meis proximis in tantis afflictionibus? Sunt filij tui, redempti pretioso sangvine mei Domini JESU Christi: volo, bonâ tuâ veniâ, apud illos manere, & cum ipsis pati. Veni, subjunxit Dominus, & videbis quædam hac ipsa in re tibi allatura solatium. Rogavi eum denuò, ut me relinqueret inter eos, qui patiebantur, quia commiseratio, quâ in hujusmodi occasionibus vices doleo meorum proximorum, & compassio ob id quod sustinent, me adeò abripit, ut pro ipsis tantillùm sublevandis libenter perderem, quidquid mihi temporalium bonorum in hac vita potest obtingere. Tandem Dominus, utens suâ potentiâ, me duxit ad cœlestem Jerosolymam, ostenditque mihi nonnullas animas, quæ paulò antè fuerant ingressæ in eam cœlestem Civitatem, & erant illorum, qui in prædictorum locorũ inundationibus fuerant submersi. Erant pulcherrimæ & contentissimæ, utpote fruentes eo summo Bono. Tunc mihi dixit Dominus: Ecce, noli cogitare, nihil aliud fuisse, quàm rigorem, siquidem etiam exercui clementiam. Animæ, quas hîc vides, fuerunt hac viâ salvatæ, & versatæ fuissent in gravi periculo damnationis, si diutiùs in mundo mansissent. Æterna mea Providentia juncta meæ Clementiæ prævenit hanc malam sortem, educendo illas ex vita mortali, constitutas in mea gratia. Quin & eorum sum quoq; misertus, qui sunt damnati: nam si vixissent diutiùs, multiplicavissent sua peccata, quibus fuissent promeriti majorem pœnam eâ, quam nunc patiuntur. Audivi, quod edocebar à Domino, & venerando altissima ipsius judicia, laudavi immensam ejusdem misericordiam.

Post decem abhinc circiter dies audivi strepitum tympanorum vocantium ad arma. Fui initio turbata, & afflicta: dum autem is paulatim appropinquaret loco, in quo eram, conquievi, quandoquidem adverti, sonum esse svavem: iste enim multùm differt à strepitu, quem edunt tympana diabolorum, quia prior est svavis, posterior autem horribilis, & incutiens terrorem. Vidi itaque adesse præclaram cohortem Angelorum, insigniter instructorum armis, & insequentium hostem. Pervenerunt eò, ubi erat alia cohors dæmonum, qui celerrimè aufugerunt. Occupabant ripas cujusdam loci, qui abundabat aquâ: non discrevi, essétne mare, an vastus aliquis & spatiosus lacus; vidi nihilominus, quòd dæmones sese immergentes dictis aquis, tantos, ac tanto tumultu suscitaverint fluctus, ut apparerent instar turrium. Sancti Angeli illos insequebantur in aëre super fluctus, donec ijdem cœlestes spiritus egressos in adversa ripa diabolos pellerent, atque ità fugarent, ut eos ultrà non viderim. Nihil aliud intellexi, præter id, quod retuli, per omnes tamen hos dies mihi Deus indicat, quantopere dæmones desiderent nocere hominibus. Divina Majestas nostri per suam clementiam misereatur, quam nostra peccata vehementer irritant: ideo enim his ipsis diebus, quocunq; verterem oculos meæ animæ, videbam JESUM Christum Delicium nostrum cruci affixum, & cùm ego id illicitiùs perpenderem, fuit mihi ab illo dictum: Taliter sum in cordibus hominum constitutus, qui me quodammodo configunt.

Vidi quoque his diebus in meo cubiculo tres personas, quæ mihi interdum videbantur esse duo homines, & unus dæmon; alias

aliàs verò duo dæmones, & unus homo: omnes proferebant, & perpetrabant abominabiles nequitias. Mirabar supra modũ, videndo tam maledictum spectaculum; optabam illud summo conatu evitare, sed non poteram, neque sciebam intelligere, quomodo fieri posset, ut essent homines simul & dæmones. Tum Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Soror, hunc in modum significatur & ostenditur, inveniri nonnullos homines adeò à diabolo possessos, ut tam gravia committant peccata, & cum tanta malitia, acsi forent diaboli; diabolos autem uti proterviâ & nequitiâ quorundam hominum, ad operandum ità per ipsos, ut hi non perdendo suam libertatem, quin potiùs augendo suam impudentiam, simul atque eadem cum diabolis scelera perpetrent. Et ecce, dum tales quidam homines reperiuntur in Republica, provocant graviter adversùm se iram Dei. Hoc mihi dixit Sanctus Angelus. Deus nobis propter semetipsum opituletur. Amen.

*Quod Sanctus iste Angelus docuit Venerabilem Marinam, idem docetur à Sanctis Patribus, & sacris interpretibus, super ea loca Evangelij, in quibus Christus Dominus Judæos vocavit filios diaboli, & Judam diabolum, de quo S. Joannes ait, quòd à diabolo, qui in cor ipsius introiverat, occupatus, Christum ausus fuerit vendere. Væ ijs, qui ad tam consummatam perveniunt malitiam, atque tam obstinatam proterviam, ità viventes, ut jam opera ipsorum & verba nihil differant ab illis, quæ dicunt & agunt ipsimet dæmones, quorum abominabiles effectus sunt tales, ut nihil in ijs unquam pejus, nullámque majorem Dei offensam designaverit spiritus infernalis, quàm cor humanum. Avertat ac impediat Dominus per suum pretiosissimum sanguinem, tam enormem præcipitij modum.*

# CAPUT XXII.

## Continuat idem argumentum.

IN Junio anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, die Sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli, vidi JESUM Christum Dominum nostrum, qui mihi dixit: Veni mecum, Anima, & quiesces modicùm; atque sinè mora me subitò duxit ad quandam pulcherrimam aulam, ubi cœpit deambulare, ducendo me juxta se. Perambulavit illam bis tèrve, præsentibus innumeris Angelis, qui circumquaque occupabant eam aulam. Ego pariter deambulabam cum Domino, valde erubescens & pudefacta, quamvis mihi Ejusdem Majestas svaviſſimum exhiberet vultum; útque meam excuteret verecundiam, imposuit meo humero bis suam sacram manum. Dominus se collocavit cũ magna majestate in quadam sella, & ego ad sacros ipsius pedes, cum eodem pudore & verecundia, ac priùs. Paulò pòst assurgens vidi crudelem diabolum procul distantem à loco, in quo eramus. Aspectus illius erat terribilis, habebat multa capita, quæ omnia prodibant ex uno collo. Loquebatur, petens aliquid à JESU Christo Domino nostro, verùm ego illum non intelligebam, quia videbatur loqui intra dentes, & non distingvendo verba. Ex eo loco, in quo à me fuerat visus, accessit à tergo ad eundem Dominum, & intellexi, peti ab ipso facultatem nocendi certis personis. Sed Dominus illi cum summa gravitate, & velut indignabundus dixit: Apage, sufficiat tibi, quòd alios, propter malam ipsorum dispositionem, & quia seducti à suis cupiditatibus obsurduerant ad meas voces, corripuerim igne cœlesti, & illorum animas addixerim inferno. Diabolus accepto hoc responso abivit in magnã actus rabiem. Ego perpendi, quomodo istud dictum Domini conveniret cum ea visione, quam præteritis diebus habueram de ijs, quos Divina Justitia punierat.

*Alludit Venerabilis Marina ad scriptum illud, quod retuli capite quinto hujus secundi libri.*

*libri, unde nos pro noſtra inſtructione colligamus, quàm ſit res indigna, quámque cæca deceptio, inire amicitiam cum hoc hoſte infernali, qui dum blandiendo nos inducit in peccatum, terribili poſtea crudelitate urget accelerationem pœnæ, ut præveniat remedium emendationis. Habuit eadem Virgo aliam viſionem (quam, quantùm ex computatione chartarum arguitur, conjicio accidiſſe poſtremo ſanctæ ipſius vitæ anno) ubi ipſi fuit in figura ſymbolica, multùm ſimili ei, quam diabolus in antecedente viſione aſſumpſerat, repræſentatus infernalis ſpiritus ſuperbiæ, cum vitijs inde provenientibus, unáque auxilium, quod ad illum vincendum Deus præſtat ſuis amicis. Advertendum autem eſt, diabolum apparuiſſe transformatum in beſtiam, quæ hîc deſcribitur, prout colligitur ex ipſa Virginis relatione, & expreſsè annotatur in margine à P. Michaële Orenja, cujusmodi annotationes ipſe ſemper cum illa conferebat. Proderit nobis plurimùm viſio, ad agnoſcendam, & cavendam contagionem hujus affectûs, atque ad amandum Deum, eique ſerviendum, qui tam ſolicitè ſuis ſervis, per ſuos Angelos, ſuccurrit: pro his enim omnibus præclarum hîc reperiemus documentum. Refert Venerabilis Marina eventum hoc modo.*

Dum aliquando his diebus manè vacarem meæ uſitatæ orationi, invaleſcebat præter morem in mea anima affectus vilipenſionis mei ipſius, propter ingens lumen cognitionis propriæ, quod mihi Deus dabat. Iſti cognitioni ſe illa magìs & magìs immergebat, cum qua eouſque eſt progreſſa, ut exiſtimarem, mihi ſoli ineſſe omnes defectus & peccata, quæ poſſent in univerſis reperiri creaturis. Quando namque mea anima huc devenit, cùm tota feratur ad ſeſe deſpiciendam, non videtur quidquam videre oculis rationis, ſed affectûs, creditq; facilè, quidquid illi in mentem venit tendens ad ſui contemptum. Perſcrutabar ſpecialiter materiam ſuperbiæ, ac dicebam: Non eſt poſſibile, ut non inhæreat fundo meæ animæ illa prava & perverſa radix ſuperbiæ, quæ tam malos progerminat ramos, & pejores producit fructus, útque in hoc genere non committam graviſſima peccata, & defectus; atque adjunxi: Iſtud, opinione meâ, mi Deus, eſt certiſſimum; quia verò tu, dilecte mi, es meus medicus, & mea ſalus, cura me Domine, & ſana ab hac lepra & peſte. Ità eram comparata, quando oculis animæ circumſpiciens vidi aliquantùm à me diſtantem quandam malam, magnâ, & crudeliſſimam beſtiam. Habebat illa in unico collo ſeptem capita, & in ſingulis ſuum abominabilem vultum, atque licèt hi vultus ſibi aliquatenus eſſent ſimiles, plurimùm nihilominus diſcrepabant, quoad formas & configurationes. Hæc infernalis beſtia variè agitabat ea ſeptem capita, horrendúmque in modum contorquebat. Uno triſtiſſimè gemebat, alio plorabat; uno videbatur velle gaudere, alio terribiliter vociferabatur; paritérque erat omnium reliquorum formidabilis affectuum, & figurarum diverſitas.

Cognovi internè illuminata, per eam beſtiam repræſentari ſuperbiam, & omnia vitia ac peccata, quæ illam comitantur. Quia verò mea anima occupabatur prædicto exercitio, & coramme videbam iſtâ infernalem beſtiam, non eſt explicabile, qualis mihi ab ipſa fuerit ineuſſus terror. Gemebam ex intimo corde meo, & exclamabam in animo, dicens Deo: Mi Deus, & mi Domine, adverte, per temetipſum te obſecro, quòd hæc beſtia me velit devorare. Veni citò, mi Deus, & libera me ab illa. Deinde converſa ad meos Dominos Angelos, præſertim meum Cuſtodem, omnes invocabam, dicebámque ipſis: Venite mei Domini, venite quàm celerrimè, per amorem Domini Majeſtatis, aſpicite illam infernalem beſtiam, nolite morari; alioquin me devorabit: deſtruite ipſam, mei Domini, & interficite in nomine Dei, atque divinâ illius virtute. Hunc in modum timendo ac trepidando, nè ab ea bedum timendo ac trepidando, nè ab ea bedum timendo ac trepidando, nè ab ea devorarer, explicabam meam formidinem, nè me invaderet ſpiritus ſuperbiæ, & præcipitaret in quodpiam peccatum arrogantiæ, adversùs fidelitatem, quam debeo amabiliſſimo Deo & Domino meo. Mei Domini Angeli videntes ingentem moleſtiam & affectionem meæ miſerabilis animæ, valde properanter omnes de-

ſi

ad me venerunt, & undequaque me circumdantes, peramanter mihi dixerunt: Quid habes, Anima? quid habes? Noli ullatenus affligi, aut metuere, nihil enim est, quod metuas, quia Deus est defensor tuus, & nemo te poterit aggredi, aut offendere, noli timere: adsumus namque, ut te custodiamus, nec unquam deseramus. Propositum malæ istius bestiæ aliud non est, quàm ut te perterrefaciat, téque affligat: siquidem scis, Deum pro sua bonitate non permissurum, ut te occupet affectus, vel cogitatio superbiæ.

Mea anima magnum cepit solatium ex verbis meorum Dominorum, & singulariter Angeli Custodis, qui me paulò pòst alloquens: Aspice, inquit, eò, ubi est bestia, & vide, quid agatur. Feci id, ac vidi descendentem ex cœlo pulcherrimam & fortissimam cohortem Angelorum, qui omnes erant armati. Alij ferebant in humero scelopos, alij in manu lanceas; illi jaculantes ipsam impetiverunt, hi deinde illam circumdantes eidem appropinquaverunt, & comprehensam confoderunt lanceis, ac mactaverunt, atq; disperdiderunt. Hac tam insigni obtentâ victoriâ, rediverunt ad cœlestem Jerosolymam, ubi adorantes Divinam Majestatem, profitebantur se ab hoc magno Domino accepisse suum robur & fortitudinem. Tum ad me conversi Angeli mei Domini, mihi dixerunt: Nónne nunc affluis solatio? nónne, Anima, es contenta? Ecce noveris, quòd Deus ità liberet ac abstrahat à peccatis, præservétq; illos, qui ipsum timent & amant ex corde; sic destruat & confundat eos, qui alios incitant ad malè agendum. Ipse sit in æternum benedictus, & tu Anima, modò in tuo Domino quiesce. Post hoc singuli isti mei Domini recesserunt ad suum locũ, & ego habui ingens solatium, fuíq; confortata in meo Deo, qui propter sua opera & misericordias laudetur in æternum. Amen.

In Augusto anni sexcentesimi vigesimi sexti, in vigilia S. Laurenti;, vidi thronum magnæ majestatis, in quo sedebat Deus, & coram ipso, quasi ad unum latus stabat copiosa pauperum multitudo, ad alterum verò ingens numerus divitum. Utrique expectabant, ut à Deo quidpiam postularent. In spatio, quod intercedebat inter hos homines, & illum cœlestem thronum, deambulabat Angelus sublimissimus, & magnâ conspicuus authoritate, qui accedens ad pauperes, dixit illis: Quid petitis? Domine, responderunt, petimus cibum, vestitum, & reliqua necessaria ad transigendam vitam. Sanctus Angelus, quantumvis vultu severo, voce tamen blandâ, ijs dixit: Quomodo verò non petitis, quod est præcipuum? Deinde transiens illuc, ubi erant divites, interrogavit ipsos asperiùs. Et vos quid petitis? Hi fuerunt turbati, & cœperunt timere, ostendentes, se velle, dummodo possent, aufugere, sed non poterant. Tandem, urgente eos Angelo ad respondendum, dixerunt: Desideramus intimam cum Principibus familiaritatem, officia, dignitates, & opes, talia petimus. Sanctus Angelus ipsis nihil respondit, sed Dominus majestatis vehementer iratus, illos ex suo throno est intuitus, & dixit: Perpendite, quid agatis: si enim non petitis, & quæritis bonum vestrarum animarum, maledicam vobis in æternum. Convertit se deinde ad pauperes vultu minùs severo, & quasi ipsorum ignorantiæ ac miseriæ compateretur, dixit illis: Quærite Deum, & observate legem ipsius, dabitúrque vobis abundanter, quod petitis, non tanquam præcipua merces, sed instar auctarij. Tum mihi visum disparuit.

*Addit Venerabilis Marina in eadem charta aliam visionem, quam habuit postridie ipso festo S. Laurenty, & judicavi subjungendam esse præcedenti, cùm sit quædam confirmatio promissionis, quâ Deus pauperibus est pollicitus, fore, si ipsum inprimis quæsiverint, ut illis temporalia, quibus egent, adjiciantur. Pauper, & verò multùm, fuit Ven: Marina, Deus autem illi non solùm submisit eleemosynas, ad sublevandam propriam indigentiam, verùm etiam eam constituit veluti depositariam, ut multis alijs subveniretur. Fuerunt innumeri, quibus illa succurrit. Collocavit aliquot Virgines in honorato matrimonio, longè plures promovit ad Ordinem Religiosum, datâ omnibus competenti dote. Tempore famis & publicarum necessitatum ipsi Deus providit de*

*abundantibus eleemosynis, ut per illam, tanquam canalem, derivarentur ad populum egentem. O altam & occultissimam providentiam magni Dei nostri, utentis operâ pauperis aniculæ, ad opem ferendam tot pauperibus, & quodammodo idcirco investigantis modos atque industrias, qui facile millenos potest condere mundos, & locupletare! Jam sumus hac de re fusiùs alibi locuti, hic solùm pro nostra instructione prædictam brevem appono visionem, quæ ab illa sic refertur.*

In festo S. Laurentij rogabam ardentibus affectibus Deum, ut me redigeret ad magnam paupertatem, & nõ tot mihi submitteret eleemosynas. Quanquam enim per Divinam misericordiam bene impendantur, non patior tamen eas necessitates, in quibus alias fui constituta. Continuavi meam orationem cum varijs alijs affectibus, & concluſi dicendo: Desidero, mi Domine, ut, quemadmodum serpens se dicitur, transeundo per angustum petræ foramen, renovare, depositis veteribus exuvijs, ità & ego me renovem, ut mea anima coram te evadat quàm purissima, retento sincerissimo tui amore, absque ullius rei terrenæ admixtione. Dum isti exercitio essem intenta, Deus mihi talem exhibuit spectandam meam animam, qualis est in se ipsa, acsi penetrato angustissimo quopiam loco, remansisset sola, ac deposuisset quidquid est corporeum, omnésque suos terrenos affectus, purum tantummodo secum auferens affectum placendi, & serviendi in omnibus, & per omnia suo Deo. Qualiter id fiat, equidem ignoro, quia, licèt viderem meam animam ità puram, sicut alibi retuli, videns tamen, quòd quidam Sanctus Angelus ipsam suis manibus apprehenderet, dixi ei, nihil contramentem proferendo: Sancte Angele, noli id facere, noli illam tangere, noli re tam malâ tuas puras manus maculare. Nequaquam me maculabo, respondit Angelus. Cùm autem eam sic teneret, fuit conversa in candidissimam columbam, quam statim deposuit in manibus Dei, cujus Majestas ipsam mulcebat, plurimúmque sibi illam placere ostendebat. Convertit se tum magnus hic Dominus ad me, & dixit mihi: Accepta eleemosynas, quæ afferuntur, & maneant istìc: ego enim scio, cur eas habere velim, & quare ab ijs fiant, à quibus offeruntur. Fui subitò arctissimè unita eidem Domino, donec finitâ illâ unione me adverterem esse in meo angulo. Benedicatur, & laudetur Divina Majestas. Amen.

*Etiamsi Venerabilis Marina dicat, se ignoraviſſe, qualiter fieret, ut, licèt se videret tam puram in manibus Angeli, aliunde tamen tam sordidam agnosceret, ut verè timeret, Angelum posse ab ipsa maculari; bene nihilominus intelligebat, quomodo hæc se compaterentur. Quandoquidem enim sciebat, omnem animæ suæ puritatem & pulchritudinem esse donum acceptum à DEO, considerabat illud tanquam alienum, tantúmque suas existimabat esse imperfectiones & fœditates, quas ex se, & sibi ipsi relicta, proferret sua natura. Peccatores, quia, ut ait Apostolus, virunt in tenebris, præposterè hac in re judicant, & non videntes fœtorem suarum sordium, attribuunt sibi ipsis, qualecumque bonum, quod obtinent à Divinis manibus. In quali versetur caligine mundus, quod hos materias, ipsa nobis descripsit in quadam scheda, anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, decimâ nonâ Februarij, ubi sic ait.*

Hodie manè fui in meo cubiculo quasi sola, & in tenebris, atque dixi: Ah Deus! versor in tenebris, & sum sola. Statim audivi Majestatem JESU CHRISTI Domini nostri mihi respondentem: Non es sola, ego enim hîc sum apud te. Mi Domine, ajebam, non video te bene propter hanc obscuritatem. Statim me videbis, dixit Dominus. Eodem autem momento circumdedit Ejusdem Majestatem pulcherrima lux, quasi radiosa, páritérque Sanctos Angelos, qui unà adierant, quâ luce cubiculum evasit clarissimum, potuíque Dominum optimè videre, & Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui erat penes me, cui dixi: Benedicte Sancte, túne adfuisti, & ego te non videbam? A Domino verò mihi dictum est: Soror, non erat hîc Ludovicus, quia nunc advenit.

Dum

Duxit me Dominus per densam quandam caliginem, donec pervenirem ad cœlum, ubi, postquam me univisset suo Divino spiritui, mihi contulit, per suam misericordiam, sublimes cognitiones de suo Divino Esse, atque de modo, quo cœlestes Palatinos reddit beatos, sicut aliàs dixi. Ego postea quasi mirabar novitatem illius obscurissimæ viæ, quâ hac vice fui ducta, atque tum mihi Dominus dixit: Volui tibi repræsentare præsentem mundi statum, ubi omnia sunt caligo ac tenebræ. Benedicta sit Ipsius Majestas, détque nobis suum lumen. Amen.

# Caput XXIII.

## Nonnulla hujus admirandæ Virginis monita, quæ conscripsit, ad bene progrediendum in via virtutis.

*Post descriptas visiones, quas Venerabilis Marina à Deo habuit, concernentes doctrinam moralem, visum mihi est, referre hoc loco quædam monita, ac documenta, ad eundem directa finem, quæ dedit diversis personis, & sunt plena cœlesti sapientiâ, tanquam hausta ex pectore, cui Divina Majestas tantum communicabat lumen, erúntque instar singularis stimuli, ad insistendum viæ virtutis, & in ea proficiendum, omnibus, à quibus legentur, præsertim verò sanctis ipsius filiabus, in sacro Divæ Birgittæ, & reliquis religiosissimis ejusdem Ordinis Conventibus, quos, divinâ opitulante gratiâ, fundandos speramus. In quodam itaque suo scripto, ad devotas filias & socias, quas tum apud se habebat, & conabatur ad altissimam dirigere perfectionem, ità Venerabilis Virgo loquitur.*

Charissimæ Sorores meæ in Domino Deo nostro, ut animæ nostræ dignum hujus magni Dei & Domini fiant habitaculum, sintque in ijs ejusdem deliciæ, quemadmodum ipsemet ait, demissè vos & instanter nomine illius rogo, ut puram ei exhibeatis habitationem, & præparetis penetrale cordium vestrorum, ubi idem Dominus Majestatis est hospitio excipiendus. Animadvertite, ipsum quidem amore flagrare, attamen etiam zelare, ut purum sit cor, ac mundum. Ad fundandum autem, cum divina illius gratia sublime ædificium solidarum & perfectarum virtutum, quæ sunt felicis hujus thalami ornamentum, in quo cœlestis Sponsus requiescit, inchoandum erit à fossa, si egeramus terram malorum affectuum, & passionum animæ nostræ, ejúsque loco imponamus fundamentales & solidos lapides cognitionis propriæ, humilitatis, & contemptûs nostri ipsarum, adjunctâ fide, & vivâ confidentiâ in Deum & Dominum nostrum, qui consummabit & perficiet in nostris animabus opus, quod ex mera sua infinita bonitate & misericordia cœpit. Ipse sit benedictus.

Hoc facto, id est quasi jacto fundamento, laborare vos oportet, Charissimæ Sorores, & velut manibus vestris operari, quàm optimè sciveritis, ac poteritis, extirpando malas radices, & inserendo generosas plantas, quæ producant fructum placentem Divinis oculis. Animarum autem vestrarum oculi semper sint, quoad vobis fuerit possibile, intenti clarissimo illi Soli Divini Esse, & in ipsum defixi: quia ad lumen cœlestium ejus radiorum laborabitis cum singulari solatio, celeritate, & profectu. Nolite unquam filiæ meæ dimittere ex oculis Divinum hunc Dominum, existimare illum esse stellam lucidã, divinum polum, à quo nos duci est necesse, sinè quo procul dubio aberraremus à via. Navigamus, filiæ, per procellosum mare mundi, ubi tot sunt, & tam terribiles fluctus, impetentes navem animæ nostræ. Hoc autem tantùm duce poterimus appellere ad portum securum cœlestis illius Patriæ, quæ est terra semper viventium in Domino Deo Majestatis, qui illuminat, & beatam efficit eam supernam Civitatem, ubi, ô utinam, per infinitam

ipsius bonitatem & misericordiam, omnes conveniamus! Expendite hoc, Sorores meæ charissimæ, atq; sic agite: istud enim exercitium præcipuè prodest animæ, summéque Deo placet. Ipse sit millies, iterúmque millies benedictus. Amen.

*In alio scripto proponit admirabili spiritu tria puncta, quorum consideratio multùm promovet animam, ad consequendam optatam perfectionem. Addit quoque deinde tria efficacissima media, ut istud exercitium debito peragatur fervore, & curâ.*

Sit ità in nomine JESU Christi Domini nostri, & Sanctissimæ ipsius Matris. Rogaverunt me sociæ meæ instantissimè, ut ijs dicerem, & loquerer aliquid de Deo, ad suarum animarum profectum, judicantes id sibi, eò quòd mihi sint familiares, habeámq; ipsas perspectas, magnopere profuturum. Multùm tergiversabar, méque excusabam, quia mihi videbantur extare sufficientes libri, ex quibus meliùs possent discere, quod optabant. Hoc illis dixi, & subjunxi, nec esse meæ conforme propensioni, neque conveniens, eas alloqui in modum spiritualis exhortationis, cùm sim fœmina, & exiguo prædita spiritu. Confessarius meus id rescivit, & mandavit mihi, ut concederem meis sociabus, quod tantâ à me petebant animi demissione, & bono spiritu, sive jam hoc exequerer verbo, sive scripto, quod haberent ad manũ, & unde magis proficerent. Sic fui compulsa, paucas istas scribere lineas. Utinam res hæc cedat ad gloriam Dei, & Sanctissimæ ipsius Matris, cui sit laus æterna.

Charissimæ Sorores & amicæ meæ in Domino, ut animæ vestræ, ad gloriam magni Dei nostri, progrediantur, & crescant celeriùs in suo profectu, rogo vos per Deum Dominum nostrum, quem cor vestrũ amare desiderat, & serviendo honorare, considerate attentè, sempérque præ oculis tres habete res, seu puncta, ex quibus magnam capietis utilitatem, ad finem vobis à me propositum.

Primum est, considerando penetrare miseriam, & nihilum, ex quo sumus conditæ, & quàm nihil valeamus absque auxilijs Divinæ gratiæ; contemnere nos ipsas ob hanc veritatem, & humiliare usque ad pulverem terræ, proprium locum nostrũ, quò nobis est revertendum.

Secundum punctum est, attentè expendere æternum & infinitum amorem, quo nos Deus & Dominus noster est à sua æternitate prosecutus: jam enim tum nos creare decrevit, ut faceret animas nostras ad imaginem & similitudinem suam, nósque per suam misericordiam collocaret in Sancta Romana Catholica Ecclesia, conferendo nobis lumen Evangelij. Extraxit nos ex abyssо nostræ miseriæ & nihili, ad tam excelsum finem, quàm est, ut ipsum possemus videre, eóque frui in æternum, nisi illo culpâ nostrâ excidamus. Quandoquidem pro hoc fine obtinendo nobis tot, ac tanta præstat auxilia, & tam magna confert beneficia, adeóq; singulares gratias, sicut novimus, præter multas alias, quas nunc non videmus, neque cognitione nostrâ assequi possumus.

Tertium erit, considerare specialissimè immensum illum amorem, quo nobis hic Dominus noster dedit unigenitum Filium suum, ut esset Redemptor, Magister, Dux, & exemplar, atque omne bonum nostrum & solatium. Deinde verò pondetare amorem, qui idem Dei Filius se nobis totum donavit, jam inde à præsepio usq; ad crucem, & quomodo ardentissimæ ipsius charitati non fuerit satis, quòd nobis dederit suam sanctissimam vitam, totúmque suum pretiosissimum sangvinem, sed voluerit nobiscum permanere usque ad finem mundi, sub velo sacramentalium specierum, quam ob causam etiam protulit illa amabilissima verba: *Si illos dimisero jejunos, deficient in via, quia aliqui venerunt à longè.* & alio loco dixit amicis suis: *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum.* manifestando sic sui amoris ardores, quasi illi serò videretur advenire hora, ut se pro redemptione nostra traderet in manus peccatorum.

Quò hæc præcipua tria puncta vobis magis sint proficua, & efficaciùs vos pervenant ad finem, in quem tendimus, vehementer opto, charissimæ Sorores, ut illis adjungatis tria alia puncta, seu media, quæ erunt

erunt potentissima pro consequendo bono, ad quod anhelamus.

Primum est, assumere in protectorem, dominum, atque moderatorem hujus spiritualis operis Dominũ Deum Trinum & Unum, orando humiliter Patrem æternum, ut vobis communicet suam potentiam, pro perficiendo hoc profectûs vestri negotio, ad majorem ipsius gloriam & honorem. Sanctissimum autem Filium, ut vobis concedat suam virtutem, ad concipiendum affectum & fervorem, qui requiritur, ut animosè consecutionem tam sublimis finis aggrediamur. Spiritum quoque Sanctum, ut vobis eapropter impertiatur lumen, fortitudinem, & impigram diligentiam.

Secundum, & potentissimum medium, ad fundandam spem nostram, est, assumere in advocatam & patronam vestram, Sacratissimam Virginem & Dominam nostram, quam Divina Majestas adeò benignis, & benevolis respicit oculis, ut nihil non sit impetratura ab ejus bonitate & misericordia.

Tertium inprimis utile, & proficuum ad hoc obtinendum est, humili affectu rogare Sanctum Angelum vestrum Custodem, ut vos adjuvet ac tueatur, roget, atque obsecret Divinam Majestatem, quò vobis largiatur spiritum & perseverantiam, ad consummandum perfectè hoc opus, & perficiendam fabricam solidarum, ac perfectarum virtutum, directis omnibus ad ardentissimum amorem divinum, qui est clavis, quâ clauditur istud tam admirandum ædificium.

Hac viâ, charissimæ Sorores, affectuum & considerationis, consequemur, opitulante divinâ gratiâ, à magno Deo nostro & Domino, quod optamus. In his punctis desidero, ut vos sedulò exerceatis, quia confido in Dei bonitate, ingentem vos ex illis hausturas fructum, & utilitatem pro vestris animabus. Ille id propter semetipsum præstet, milliésque & millies benedicatur ac laudetur. Amen.

*Ad demonstrandam veram virtutis viam, & proficiendum in exercitijs, quæ spiritum solide corroborant, multùm refert, ponderare monita, quæ hæc Virgo scribit in epistola ad quendam Religiosum, qui ad ipsam direxerat certam personam, ut eam examinaret, ferrétq; judicium de ejusdem spiritu. Epistola ad verbum transumpta hæc est.*

Hactenus non retuli Paternitati tuæ; quæ mea fuerit sententia, de famula Dei, quam tua Paternitas ad me misit, donec bene expenderem casum, Deóque illum commendarem. Dico autem, mi Pater, plurimùm mihi placuisse ipsius virtutem, probitatem, & candorem, nec non ferventem ejusdem spiritum, & ardentes affectus divini amoris, quibus anima illius est prædita. Quia tamen hæ spirituales materiæ sunt tam profundæ, ac difficulter penetrantur & intelliguntur, opúsque est illas magnopere explorare & considerare, invenio hîc nonnulla laudabilia, & alia, quæ indigent ponderatione. Optima siquidem, & perfectissima conditio spiritûs est, quòd affectus, & ferventes motus amoris Dei, maneant in intimo recessu, seu suprema parte animæ, atque ità operentur, & radices agant, ut non perstrepant, ac tumultuentur in parte ipsius inferiore, aut in sensibus externis, privando illos suis naturalibus operationibus. Si namque permittamus, ut affectus suum, quod ajunt, attingant scopum, arrogant sibi dominium nostræ animæ, & ejus potentiarum; cùm tamen contrarium fieri oporteat, eò quòd illis debeat dominari anima, ut meliùs exequatur, ut exerceat virtutes. Hæc Dei famula, multum de eo, quod ad rem præsentem attinet, meâ opinione, habet: quandoquidem, ùt est adeò simplex, sincera, & bonâ ducitur intentione, omnia amplectitur tanquam profecta à Deo, non considerans, unde exteriores ij proveniant tumultus & strepitus, quos tua Paternitas in ea advertit, qua ex re ingens potest percipere damnum, nõ solùm quoad actiones naturales, sed ipsum quoque spiritum: omnis enim naturalis passio, quæ deviat à regulis prudentiæ (hæc verò est, quæ omnes virtutes & affectus perducit ad maturitatem) adfert perniciem & nocumentum.

Frequentissimè nobis, Pater, accidit,

quod Paternitas tua meliùs novit, ut ſpiritui, licèt ſit bonus, ſe admiſceat natura cũ ſuis propenſionibus, ſuum ſequens genium. Unde fit, ut, niſi magna adhibeatur cura, iſte ſpiritus, tum propter novitatem, & exiguam hujuſmodi rerum experientiam, tum etiam ob grandia diaboli ſtratagemata, abducatur in errores, malíſque innitatur fundamentis. Magni verò refert, bene illum fundare in principio, ut evadat robuſtus, generoſus, liber, & dominus ſuorum affectuum, ità ut in operando ac judicando poſſit eſſe ambidexter: volo dicere, ut poſſit prodeſſe vitæ activæ & contemplativæ; ut non inebrietur & ſatietur modico vino divini amoris, verùm ſit aptus ac animoſus ad plura & plura à Deo accipienda, quin ſtatim anima proſternatur, & fiat inſtar trunci, quâ ratione ſe deprehendit propè ad omnia eſſe inhabilem.

Remedium, pro conſolidandis hujuſmodi ſpiritibus eſt, quod adhibere ſolemus in fabricis, ac proinde dicimus: Non exſtruitur ædificium ſolidum, quia debilia habet fundamenta; ideóque, priuſquam altiùs aſſurgat, neceſſè eſt ut diruatur, & nova illi bona fundamenta ſubſtruantur. Idem hîc dico. Applicemus denuò hanc famulam Dei orationi ſolidæ & ordinatiæ, qualis docetur à Sanctis, & quando illam occupant ij vehementes affectus, à quibus extra ſe rapitur, reprimat ipſos, ſeque inde abſtrahat, &, ſi fuerit opus, intermittat tunc orationem, conferátque ſe ad externa opera charitatis, & officia humilitatis. Quamvis etiam ſibi videatur eſſe abalienata à ſenſibus, & non poſſe reſiſtere, perſeveret, ac inferat ſibi vim: plerumque enim iſtæ ſunt naturales fragilitates ſpiritûs, ubi inſuper ſecretiſſimè conſvevit ſubingredi diabolus. Quodſi hæc famula Dei id ſeriò & promptè egerit, conſequetur paulatim cum divina gratia, quod optat. Licèt autem ipſa ex ſua parte conatum hunc adhibere debeat pacatè ac ſvaviter, & confidendo in Deo; Paternitas tua nihilominus ſe ei exhibeat aliquantùm aſperam, acſi talia, & exteriores ſtrepitus, atque extraordinarios, parvi, vel nihili faceret; adeò tamen diſcretè; ut illam rigor non nimiùm contriſtet ac affligat: nam in his rebus extraordinarijs crediderim, non intervenire culpam, ſed naturales hujus perſonæ defectus, quos ipſa, quia eſt inexperta, neſcit agnoſcere. Hunc in modum oportet Paternitatem tuam perſeverare, in regenda iſta anima. Si enim in ea operatur Deus, polliceor illi, non perdituram propterea ipſius favores, imò cumulatiores conſecuturam.

Advertendum eſt, ſi hâc induſtriâ utendo non obtinuerimus victoriam, quam exoptamus, atque illa in dictis externis ſtrepitibus permanſerit, exiſtimandum eſſe, quòd ſint permiſſiones Dei, & altiſſima ipſius judicia: toleranda erit & adjuvanda, ſicut infirmus, qui patitur invitus. Deus ſit benedictus, juvétque nos omnes per ſuam miſericordiam, doceat, ac illuminet, prout indigemus. Deo gratias, &c.

*In alia epiſtola non ſolùm docet rejicere exteriores motiones, ſed etiam omne rerum ſingularium, & revelationum deponere deſiderium in oratione, commendans eam quæ eſt ſolida, proficua ad eradicanda vitia, & inſerendas virtutes, verſatúrque in expendenda vita Chriſti Domini. Scripſit illam epiſtolam ad quoddam Monaſterium Hiſpaniæ, quod multa fuit paſſum, propter commiſſos in hac materia errores. Quamvis autem complures extent hujus famulæ Dei epiſtolæ ad predictum Monaſterium, in quibus nomine Dei præmonet Moniales, de vitandis occaſionibus, & competenter inſtruit, nè incidant in lacunam, quod poſtea evenit; quia tamen attingunt materias ſcabroſas, & exprimunt perſonas, meritò judicavi eſſe reticendas, tantumque hanc referendam, quæ nullum ſpeciale adfert incommodum, & communem, atque omnibus utilem continet inſtructionem. Ità verò in ea Ven: Marina loquitur.*

Deus ſit in anima Reverentiarum Veſtrarum, & largiatur vobis ſuum ſanctiſſimum, atque divinum amorem. Dominæ & Matres meæ chariſſimæ, plurimúmque in Domino Deo noſtro dilectæ, Abbatiſſa & Prioriſſa &c. Significo Reverentijs Veſtris, totíque iſti ſancto Conventui, quòd mihi Majeſtas Domini Dei noſtri in-

indiderit affectum & efficax desiderium, alloquendi nomine ipsius hisce lineis Charitates Vestras, ut per hoc alloquium, conferente illi eodem Domino virtutem, animæ nostræ perficiantur, divinóque ejusdem accendantur amore, & idem Dominus ac Deus noster honoretur, & glorificetur in nobis suis pauperibus creaturis.

Dico autem, Matres & Dominæ meæ, ad gloriam Dei, & confusionem meam (cùm ex omnibus mihi concessis gratijs tam parum & malè sciverim proficere) animam meam per primos triginta ætatis meæ annos, semper fuisse à suo Deo ductam ad pedem crucis JESU Christi Domini nostri, in ea pro salute nostra & remedio affixi. Ibi mea anima diligentissimè attendebat, & oculos suos fixissimè dirigebat ad illum Dominum & Deum suum, cujus Majestas ipsam ex hac sublimi & divina cathedra perpetuò imbuebat istâ admirabili, summéq; proficuâ doctrinâ: Qui se humiliaverit, exaltabitur à suo Deo, & qui se exaltabit, humiliabitur. Idem Dominus plurimas agebat gratias æterno suo Patri, quia sua altissima arcana & mysteria revelavisset, ac manifestavisset humilibus, atque ea abscondisset à sapientibus & potentibus, exiguâ præditis humilitate. Ruminando hanc tam præclaram doctrinam, méque ei per considerationem, & divinam illuminationem, quodammodo totam immergendo, inveniebam tria principalissima, & admodum utilia animæ.

Primum est, magnus ille & inæstimabilis pretij thesaurus, sub terra humilitatis, & in profunditate cognitionis sui ipsius, latens & clausus, ubi aperitur fossa, ac jaciuntur solida & firma fundamenta, pro ædificio excellentium, solidarum, & perfectarum virtutum, unde gradatim ascenditur, ad perfectum amorem divinum, & familiarem animæ cum Deo consvetudinem, quæ est clavis claudens hoc divinum ædificium. Alterum erat, quod meæ animæ suggerebatur ab exilio, in quo homo degit, ac est tantopere à Deo remotus, dum eget, atque caret hoc prædicto thesauro: quàm facilè videlicet, atque occultè occupetur à tinea vanitatis ac superbiæ, & alijs hujusmodi defectibus; quantùm Deus ab hac mala vermium colluvie abhorreat, eámque aversetur, avertendo ab homine suos oculos, privando ipsum suâ familiaritate & consortio, quod est summum omnium malorum, quæ anima patitur. Tertium denique, quod mihi in ista consideratione occurrebat, erat sinceritas amoris, quo animam ferri necesse est erga suum Deum, purè propter ipsum, ità ut in quibuscunque suis rebus, magnis & parvis, semper pro suo fine & scopo habere debeat majorem gloriam hujus Domini, eíque soli mori & vivere, quærendo in omnibus ejusdem beneplacitum, absque admixtione ullius, seu terreni, seu cœlestis commodi, adeò ut sit instar aquæ, quam omnis esse oportet expertem saporis, ac talem, ut se solâ satisfaciat, & sitim sedet.

Hoc in vita spirituali considerare, & quàm accuratissimè observare, plurimùm refert, ità ut nemo in alloquijs internis, revelationibus, & visionibus mysteriorum quidquam velit, ac revera aliud quærat, ulli rei afficiatur, aliquid ampliùs optando, quàm majorem suæ animæ profectum, ad gloriam sui magni Dei. Conetur sese quisque immergere in profundam miseriæ & sterquilinij sui abyssum, radendo suam lepram testâ suæ vilis terræ. Timeat ac trepidet audire extraordinaria alloquia, videre & intelligere supernaturalia, quæ exiguæ ipsius & limitatæ non conveniunt capacitati. Quodsi Deus cuipiam similia obtulerit, petat ab eo veniam ac facultatem, adeátque ordinariâ viâ suum Deum, roget illum sincero affectu, nihil aliud admiscendo, ut ipsi impertiatur suum divinũ lumen ad bene procedendum, ut cognoscat illius veritates, & in omnibus exequatur sanctissimam ejusdem voluntatem. Nec verò metuat anima, ut hac ratione perdat suum Deum: quin imò vel maximè illum adipiscetur, siquidem iste Dominus novit, pro sua infinita sapientia, quomodo, & quando debeat animæ præstare gratias, ipsâ penitus nihil se ingerente, neminéque alio, quàm solo Deo agente, qui in ea vult operari suas misericordias, & sua illi conferre dona.

Ità

Ità se res habet. Si aliâ viâ processerit, proxima erit errori, ac deceptioni. Observet anima silentium, versetur sola cum suo Deo; non affectet notitiam mysteriorum, non loquatur de revelationibus. Nam, quod ad me attinet, si quis est facilis in ijs referendis, vehementer timeo, nè illas non habeat veras: Deus enim Dominus noster est spiritus, & plerumque ingenerat animæ affectus spirituales, qui sunt secretissimi. Fugiat anima, quantùm ipsi fuerit possibile, extrema, singularia, & nova, quærátque Deum perfectè, sed viâ usitatâ, quam docemur à Sanctis, & ejus Ecclesia, hac enim illum, & ipsius veritates reperiemus. Ipse sit in æternum benedictus, qui tantam nobis in ista sua Ecclesia, & in suis Sanctis reliquit doctrinam, idémque nos illuminet, adjuvet ac edoceat, ut in omnibus assequamur sanctissimam ejus voluntatem, sinè qua, & divina ipsius gratia, nihil sumus, nihil possumus, nihil valemus: atque Reverentijs Vestris, Matres meæ charissimæ, det suum divinum spiritum, adjectis magnis gratiæ suæ augmentis, & sit Charitatum vestrarum animabus vita æterna. Vallisoleti, decimâ quintâ Maij.

Humilis serva Reverentiarum
Vestrarum &c.

*Hactenus Venerabilis Marina in prima sua, ad illud Monasterium, scripta epistola, cui utinam fuisset fides adhibita!*

# CAPUT XXIV.

## Aliquot visiones, & monita, quibus continetur instructio conducens ad regimen publicum.

*NOn solùm Dominus DEUS noster hanc Virginem erudivit doctrinâ morali, quam vidimus, directâ ad reformationem morum, & profectum in particularibus virtutibus; verùm dedit illi etiam monita cœlestis Politiæ, spectantia ad Respublicas Catholicas, earúmque regimen. Quamvis autem multa hujus generis lecta fuerint suprà, referam nihilominus præsenti capite nonnulla insigniora, & singularem ad idem propositum continentia instructionem. In quodam scripto, sextâ Aprilis, anno sexcentesimo vigesimo sexto, sic inquit.*

Feriâ secundâ, sextâ hujus, vidi infinitos Angelos, qui circumire videbantur omnia Regna Fidelium, omnes erant quasi in cohortes validissimas dispositi, & elegantissimè exornati, non minorem exhibentes generositatẽ, quàm venustatem. Observavi, explodi ab ipsis specialissimâ dexteritate sclopos adversùs Infideles. Ostensum quoque mihi fuit, confinia Provinciarum, quas hæretici incolunt, & alij infideles, occupari à copiosis dæmonum turmis, qui suis etiam jaculabantur bombardis, sed longè diverso modo: dæmonum namque machinæ incutiebant terrorem, ac tremendum edebant strepitum, Angelorum autem resonabant svavissimè, videbaturque is sonus exhilarare aures. Interea illæ cohortes Sanctorum Angelorum efformaverunt quandam veluti crucem, distributi in duos ordines, & cœperunt me versùs proficisci, pulsantes sua tympana, cancteísque fistulis, ac honestissimè & gravissimè gradientes. Antecedebant Sancti Archangeli, S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphaël, & cùm propè infinita horum cœlestium militum multitudo pertransivisset, adverti post omnes procedentem JESUM Christum Dominum nostrum, quem etenus non videram. Comitabantur Eius Majestatem nonnulli Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ, & Fundatores Ordinum Religiosorum, ex alijs autem Sanctis veniebant paucissimi, quos inter erat S. Pater Ludovicus de Ponte. Postquam mihi Dominus appropinquavisset, substitit, impertiens mihi, omnibúsque ibus, quæ erant in meo cubiculo, sanctam benedictionem, & progressus ulteriùs ascendit cũ toto eo sacro comitatu ad

ad cœlestem Jerosolymam, ubi sese universi, etiámque ipse Dominus quà homo, prostraverunt coram Patre æterno. Magnus hic Deus & Pater dedit omnibus suam sanctissimam benedictionem, & Filium suum Christum JESUM præterea est amplexatus, summóque cum amore ac majestate illi dixit: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Circumspexi deinde (prout tum Divina Majestas disponit) & vidi, omnes eas catervas diabolorum se infrà moventes ad proficiscendum, quemadmodum fecerant Sancti Angeli, sed movebant se, alij alios sequendo, instar damnatorum ad triremes, vinctorum suâ catenâ: cúmque multùm conarentur progredi, nihil proficiebant. Licèt enim ad aliquot passus procederent, totidem passibus regrediebantur. Cùm autem adverterent suam imbecillitatem, ad exequendum suum propositum, tanta erat ipsorum indignatio & rabies, ut se mutuò invaderent, mordendo se more canum. Anteriores, qui erant instar ducum, & specie externâ magìs proceri, robustiores, & crudeliores, conquerebantur de cæteris, asperrimè illos objurgando, tanquam pusillanimes, & ignavos; hi verò quærebantur de illis, déq; eorum inertiâ, eò quòd primum obtinentes locum, non aggrederentur strenuè & generosè suos hostes. Tandem postquam acti in furias fuissent aliquamdiu hunc in modum rixati, ijdem diaboli, sicut fieri solet, dum aliquid grave magno impetu cadit ex alto, non valentes subsistere, ruerunt in regiones infidelium, quæ, ut intellexi, erant in Imperio Turcico, ubi videbantur quiescere, cùm ibi nemo reperiretur, qui nefandis ipsorum repugnaret conatibus.

Postea conversa ad Deum (quia animadverti, quòd mihi vellet ostensa mysteria declarare) audivi illum hæc dicentem: Scito, omnium istorum hæreticorum, & infidelium propositum tendere, ad eliminandam ex mundo fidem Incarnationis mei Filij, ejusdémque conceptionis peractæ operâ Spiritûs Sancti, & veritatem realis præsentiæ in Sacramento Altaris, ac propterea illos conspirare, & inire fœdera, contra Catholicos. Itaque, mi Domine, ajebam ego, cùm sic se res habeat, bene fiet, si Principes Catholici collegerint copias, & formaverint exercitus, ut eos aggrediantur. Dic mihi, respondit Dominus, si quis in foro videret duos tauros feroces, posséque se recipere in theatrum, quid illi esset agendum? Prodesséne eos invadere, ut subnervarentur; an verò se constituere extra periculum? Mi Domine, reposui, clarum est, temerariè acturum, qui hos tauros aggrederetur, tam manifesto se exponens periculo perdendæ vitæ. Sic autem se hîc res habet, dixit Divina Majestas: cùm hostes sint adeò potentes, meliùs fiet, si sua defenderint confinia, & fuerint quieti. Bene est, subjunxi; attamen quis contra te potest prævalere? Contra me, respondit Dominus, nemo: verùm non sunt ea apud me Fidelium merita, ut eorum causâ invertam communem rerum cursum, vel ut inter me & inter ipsos interponam quampiam aniculam, quæ illos protegat à mea indignatione. Domine, dixi tum ego, necesse profectò est, ut, pace tuâ, agam apud te advocatam, nè castiges tua Catholica Regna, sed ut illa defendas à suis hostibus. Quod ego faciam, respondit Dominus, erit, ut te auferam ex mundo, nè id agas.

Hoc mihi cum Deo agenti evenit, à quo intellexi, sicut aliàs præterlapsis diebus dixeram, non expedire Regi Hispaniæ, ut invadat Angliam, sed ut sua tueatur confinia, atque defendat, & sit quietus. DEUS nobis impertiatur lumen, ut nos conformemus cum ipsius voluntate.

*Quæ sequuntur, scripta sunt anno sexcentesimo trigesimo secundo, initio Julij, undecim mensibus, antequam hæc Virgo migraret ad meliorem vitam. Pater Michaël de Orenja apponit suâ manu in margine hæc verba: Istud scriptum continet ea, qua Ve-*

*nerabili Marinæ acciderunt versanti cum DEO, quando Rex Sveciæ gerebat bellum in Germania, & Hollandi invaserant Trajectum. Hactenus illius Confessarius, qui cum ipsa coràm conferebat de omnibus specialibus circumstantijs, quas illa in suis scriptis non exprimebat. Dicit porrò Virgo taliter.*

Dum anima mea versaretur in Dei præsentia, vehementer dolens, tenereque Deo conquerens, quòd permitteret, tametsi gravissima essent nostra peccata, ut hæretici tantâ pollerent potentiâ adversùs Fideles ipsius Ecclesiæ, addidi cum magno sensu ac dolore: Tot urbes, tot munitiones & regiones, mi Deus & mi Domine, perdidisti, quas inimici nostri occupaverunt. Verè, Domine, ignoro quomodo id facias, tantâ nos exercendo afflictione & angustiâ. Non potest sic esse, neque ità fieri oportet: per infinitam bonitatem tuam & misericordiam miserere populi tui Catholici. Hæc & similia verba repetebam, atque cum ardenti affectu, quem ipsemet Deus in meo corde excitabat, concluſi dicendo: Necesse est me illuc, Domine, cum tua venia, pergere, necesse est me eò ire, & interficere ac dispergere illos hæreticos, ità ut hac in re præstem, quidquid tuâ, adjuvante gratiâ, potero. His dictis, mea anima videbatur jam velle abire à conspectu sui Dei, ut se conferret ad eas ditiones. Videns me Deus ità comparatam, dixit mihi graviter: Quid dicis Anima? videris non esse tui compos. Nullo modo perges ad istas regiones, atque de hoc esto certa. Omnino, Domine, ajebat mea pauper anima, permitte me pergere. Non perges, Anima, subjunxit Dominus, neque tua profectio quidquam prodesset; noli mihi nunc esse importuna: verè enim tibi dico, incolas illarum urbium rescituros, quem lacessant, & meæ justitiæ suum esse debere locum. Scito, me in ijs urbibus fuisse graviter offensum peccatis illorum, quos vocatis Catholicos. Non sunt enim omnes mihi ità fideles, sicut existimatis, ideóque nè mihi hac de re loquaris. Necesse est, ut comburam & consumam paleam, purum autem triticũ claudam in horreis meis: & nemo attinget electos meos, quia etiam capillos capitis ipsorum dinumeravi, & nullus peribit; Angelis quoque meis mandavi, ut illos portent in volis manuum suarum, nè cespitent pedes eorum. Noveris præterea, esse valde necessarium, etiámque incumbere Regibus Catholicis, & Principibus Fidelibus, ut constituerint, & jam constituant Gubernatores quàm fidelissimos suo DEO, suóque Regi: alioquin enim hinc summa oriuntur damna. Et quamvis mihi esset gratum, si id intimares; tace tamen: quia nihil prosunt, neque profuerunt, quæcunque ipsis nomine meo sunt dicta, quanquam sufficientes haberent rationes, ad ea credenda, tum quia non aliter senserunt in suo corde, tum quòd sint experti, quid ipsis propterea evenerit: unde tantæ fuerunt ortæ desolationes, paupertas, & ruina populi Christiani.

Mea anima audivit omnes hos DEI sui, gravissimè, ac tam divinè, adeóque patheticè prolatos sermones, ut fuerit attonita, summéque obstupuerit, & idcirco se prostraverit ad pedes sui Domini. Quantumvis autem anima mea nihilominus retinuerit occultam confidentiam, erga bonitatem illius magni Domini, à quo confortabatur, animadvertens tamen, quòd Dominum initio, ut mihi videbatur, fuissem audacter, & incautè allocuta, rogavi illum, ut mihi ignosceret inurbanitatem. Bene est Anima, ajebat Dominus, bene est: non tam sola fuisti locuta, quàm tibi videbatur: Sis in æternum benedictus, dixit tum mea anima, quia hoc tuo dicto me es consolatus. Existimo certè, quòd propter tantam tuam bonitatem, plumbeos habeas pedes ad nos castigandos, neque te possis vincere, ut id facias, & quòd te geras instar amantis cujuspiam patris, dum is, filio peccante ut castigetur, tantam ea in re commerente difficultatem, ut dicat famulis accipijs: Volo hunc puerum terrefacere, & quamvis illum possem punire, utar nihilominus benignitate, ideóque tantum simulabo correptionem; vos autem abs-

advenietis, ut concilietis pacem, ipsúmq; è meis manibus eripietis. Hanc firmam confidentiam, mi Deus & Domine, quavis occasione erga te semper habere cogito, & nomine omnium dicere illud Jobi: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Interim mea anima est passa profundam ecstasim, & postea sibi restituta non cessabat agere Deo suo gratias, illúmq; benedicere propter omnia ipsius opera, & misericordias. Amen.

*Huic scripto invenio adjunctum aliud, ejusdem anni & mensis, ubi P. Michaël de Orenja adnotat, quid Venerabili Marinæ quoad dicta bella evenerit. Licèt verò minus contineat instructionis (quod nostrum nunc est peculiare argumentum) quia tamen concernit præmissa, volui illud hìc apponere, ut appareat, quantùm hæc Virgo suis precibus juverit, ut furor Suecicus cohiberetur. Sic itaque suâ manu scribit Pater Orenja. Die S. Annæ, anno sexcentesimo trigesimo secundo, quo id scribitur, Venerabilis Marina mihi dixit, se ante octiduum vidisse, quòd grandis armatorum Angelorum exercitus fuerit egressus è cælo, cum vehementi tympanorum, tubarum, ac fistularum strepitu & pulchro ordine proficiscens processerit ad eam regionem, in qua manent exercitus Catholici & hostiles, quódque isto Angelorum exercitu conspecto, innumerabilis ibidem existens cohors diabolorum deseruerit suas stationes, ijdémque diaboli incredibili celeritate fugientes, se præcipitaverint ad mare, ac descenderint sub aquas, ità ut illos tum ultrà non conspexerit: Sancti verò Angeli, postquam feciſſent quendam circuitum, veluti ostentantes suam potentiam, rediverint ad cælum. Altâ die vidit eos dæmones, qui se immerserant aquis, prodiviſſe ad terram, verùm tanquam contusos, afflictos, & viribus fractos. Dixit præterea Venerabilis Marina, se nudiustertiùs, in vigilia S. Jacobi, vidisse prodeuntem ex cælo eundem exercitum Angelorum eodem, quo dictum fuit, modo. Non conspexit tunc dæmones, vidit tamen, multos ex innumerabili eo exercitu cælesti, remansisse inter milites Catholicorum exercituum. Contemplabatur ipsos, factáque suâ supputatione, prout illi id hìc repræsentabatur, videbantur ei contra quaternos hostes mansisse singuli Angeli. Cateri regressi sunt ad cælum. Hucusq; ipsius Confessarius P. Michaël de Orenja, ego verò revertor ad materiam nostræ instructionis, & concludo præsens caput epistolá hujus Virginis ad virum illustrem ex Proceribus Hispaniæ, ac Ministrum Regis Catholici Domini nostri, absentem, optantémque redire ad agendam vitam privatam, relictis officijs publicis. Monet illum, non semper convenire, ut honorifica deserantur ministeria ab eo, quem Deus requisitis dotibus instruit, & liberat ab ambitione, sed ut ea obeat ad Dei gloriam, & in obsequium sui Regis. Sic autem loquitur Venerabilis Marina.*

Deus sit in anima Tuæ Dominationis, largiatúrque tibi suum sanctissimum & divinum amorem. Mi Domine, accepi binas Tuæ Dominationis, & gratiæ loco habeo, quòd me certiorem reddas de tua valetudine, quanquã doleam, illam non esse tam integram, quàm desidero. Spero in Deo, te, ubi rediveris in Hispaniam, meliùs habiturum. Deus Dominationem Tuam deducat ità prosperè, ac ego in miserabilibus precibus meis ipsum supplex oro: magno enim mihi in Domino est solatio, quòd mihi Tua Dominatio scribat, te brevi discessurum, multóque magìs quòd mihi significes, quis tuus sit spiritus, & quæ bona animæ tuæ desideria, quibus summè optas, ut quietè, & absque negotijs Deo quàm ferventissimè possis servire. Verumtamen, prout Dominatio Tua dicit, tandem unumquemque oportet in suis rebus exequi, quod decreverit, ac disposuerit Deus. Quandoquidem, mi Domine, talenta, quæ magnus iste Deus cuivis impertitur & committit, non sunt sepelienda, neque lucerna ponenda est sub modio, sed necesse est ijs uti, & impendi debent, quemadmodum exigit major honor & gloria, amor ac obsequium ejusdem Domini, atque ad majus beneplacitum sanctissimæ ipsius voluntatis, defixis semper oculis in hoc felici ac divino scopo, in quo unicum animæ nostræ consistit bonum, & æterna ejusdem beatitudo. Ego, mi Domine, soleo dicere, quòd sanctæ occupationes, officia utilia ac necessaria, quæ habent Reges, & in suis Rebuspublicis injungunt clien-

clientibus, homines non reddant malos aut imperfectos, sed malus illorum usus, dum non exequuntur Divinam voluntatem, & leges ac præcepta Dei Domini nostri, ità ut impleantur & perficiantur ad literam, ùt ajunt, atque sinè glossa. Cùm autem credam & confidam in Deo, Tuam Dominationem progredi, & progressuram hac viâ regiâ & securâ Divinæ voluntatis, & observantiæ sanctissimorum ipsius præceptorum, non magnopere solicitor, aut doleo, quòd te videam occupatam obsequio Regis, cui servire debemus, tanquam naturali Domino, cùm talem nobis ipsum dederit supremus Rex Regum, & Dominus dominantium. Benedicta sit Ejus Majestas in æternum, dèque Tuæ Dominationi suum sanctissimum spiritum, ac divinum amorem. Magnæ mihi curæ est, & erit, ut faciam, quod à Dominatione Tua jubeor, in meis miseris orationibus. Singulari affecta sum solatio, quòd Domina mea Agnes, & parvuli Domini eâ fruantur valetudine, quam ipsis exopto. Deo gratias, qui Dominationem Tuam conservet. &c.

# CAPUT XXV.

## Docet, quantum boni reperiatur in tolerantia adversorum.

*Cùm hæc Virgo tantas, adéoque exquisitas adversitates, tam asperos & inusitatos cruciatus amore sui Dei sustinuerit, dignata est illi Divina Majestas, ad animandam ipsam, ostendere in nonnullis visionibus thesaurum absconditum, qui inest cruci, & quomodo afflictiones patienter toleratæ, sint fodinæ, ex quibus magìs quàm undecunque, suas anima eruit spirituales divitias. Quamvis autem multa hac de re fuerint dicta, recensebo tamen brevi isto capite quædam specialia exempla hujus veritatis, quibus excitemur & instruamur, ad gloriosè audendum aliquid, ut cum Christo Domino, amabilissimo Servatore nostro, patiamur, ad quod nos animare debemus metu incurrendæ pœnæ, ut nè primum quidem in via perfectionis gressum faciamus. Sic verò Ven: Marina loquens de eo, quod evenit in Novembri anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, ait.*

Transegi ultra quindecim dies in magnis doloribus & cruciatibus corporis, ità ut noctu diúq; nè momento possem quiescere. Videbar mihi deponi ex meo paupere lecto, & collocari supra quiddam, quod erat durissimum. Adfuit festum S. Andreæ Apostoli, & Deus mihi tum explicuit causam hujus afflictionis. Conspexi grandem crucem, tam altam, ut adæquaret altitudinem hujus mei cubiculi: erat gravissima, quia stabat erecta, atque tota meo pectori incumbebat. Angeli mei Domini ad me venerunt, & ità in longum exporrectam, ùt jacebam, cruce prædicto modo pectori insistente, me tulerunt ad cœlestem Jerosolymam, quò pervenientes, abstulerunt ex me crucem, eámq; reliquerunt foris, & introduxerunt me in eam beatam civitatem, ac præsentarunt Deo, cujus Majestas me perbenignè & amanter excepit dicendo: Bene venerit amica mea, dedítque mihi suam sanctissimam benedictionem, & mea anima quasi evolavit instar columbæ, ac introivit inillud Divinum Esse, ubi diu fuit fruita ineffabilibus bonis. Postea sum ducta à meis Dominis Angelis ad meũ angulum. Cùm illos interrogarem, cur non fuisse ingressa in cœlum cum cruce, quam usque ad ejus portam tuleram, respondérunt mihi, in cœlo non reperiri, neq; illuc ingredi crucem, eò quòd ibi nihil aliud reperiatur, quàm quies, crucem verò ferendam ac tolerandam esse in hac vita.

Post paucos abhinc dies, perseverantibus semper molestijs & cruciatibus meæ miserabilis corporis, vidi me in meo lecto jacere extensam super crucem, ubi acerbissimos dorsi, humerorum, & brachiorum patiebar dolores, meósque pedes su-

cùm

ctim esse positos supra pedem crucis. Videbam præterea crucem sustentari à quatuor Angelis, in quatuor ejusdem extremitatibus, quasi illam aliquantùm elevarent, nè contingeret lectum. Hoc modo constitutam me secundò tulerunt ad cœlestem Patriam: ferebant me tamen per amœnissimos velut campos, abundantes delicijs & gloriâ, ubi tanquam ex occasione, magnâ sum fruita svavitate, ob quam vehementer respiravi, & spirituali fui affecta voluptate. Ibi crux remansit, & Angeli ingressi cœlum me præsentaverunt Majestati Dei Domini nostri, qui me benevolentissimè suscipiens, & quodammodo simulans se nescire, quid mecum actum fuisset, mihi valde amanter dixit: Unde venis Anima? quomodo venis? Ego magnâ sinceritate & simplicitate Domino recensebam, qualiter me Sancti Angeli tulerint super eam crucem, per illos deliciosos campos; quanto cum gaudio, & consolatione, ac pace hos pertransiverim.

Nunc te, Anima, plurimùm salvere jubeo, dixit Dominus; responde autem mihi præterea ad hanc meam interrogationem: Quid malles? patine crucem, quam his diebus sustinuisti, an frui delicijs, quas in ijs tam jucundis campis percepisti? elige quidquid volueris, dabo tibi, quod tibi magis placuerit, in eóque satisfaciam, & promitto, me tibi id daturum: adverte verò, quidcunque horum duorum elegeris, futurum conforme voluntati meæ, nè te hoc dubium reddat solicitam. Audivi, quod mihi à Domino proponebatur, & respondi illi quàm maximo potui meæ animæ affectu, atque ex toto prorsus corde: Mi Domine, hæc vita mortalis non est tempus, aut locus quietis; malo sinè comparatione pati crucem mihi à te impositã, quàm frui illis delicijs & gloriâ, quæ mihi à te fuit ostensa. Tum mihi Divina Majestas amabilissimè dixit: Fiat, quod elegisti, éstq; meliùs & acceptiùs oculis meis. Polliceor autem tibi per memetipsum, quòd tibi pro isto actu, quem elicuisti, dũ maluisti pati, tot sim daturus gloriæ gradus, quot modò assequi non potes cogitando. Jussit me Dominus deinde reduci ad meum angulum, priùs tamen circumduci per illam cœlestem civitatem, ut recrearer ijs, quæ illic reperiuntur. Quantumvis verò tales, ac tam stupendæ essent illius visionis deliciæ, desiderabam nihilominus, ut abbreviarentur, propterea quòd ardenter optarem tolerare meam crucem: atque ità reversa ad meum cubiculum, me deprehendi in ea cruce extensam, & sustinui priores dolores, eodémque modo in ipsa permaneo, dum id scribitur, secundâ nempe Decembris. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*In fine prolixi scripti, quod jam alibi retuli, ubi Ven: Marina enarrat visionem, quam à Deo habuit quadam die Dominicâ, vigesimâ quartâ Januarij anni sexcentesimi vigesimi septimi, dicit ad præsens propositum hæc verba.*

Eâdem die, horâ secundâ prometidianâ, post modici temporis somnum evigilavi, sentiens, præter consveta meorum morborum symptomata, gravissimos stomachi dolores, atque tam graves pectoris ardores & dorsi, quàm sentirem, si intrando in materialem hunc ignem, quem videmus, in eo ustularer. Sustinui hanc afflictionem integrâ illâ nocte, pérque eam totam non vidi meos istos Sanctos Angelos, usque ad sequentem diem. Tum ipsis dixi: Ubi fuistis mei Domini, quòd vos non viderim in vehementi hac afflictione? Respondit mihi nomine omnium Sanctus meus Angelus Custos: Hîc omnes fuimus præsentes, dum patereris. Quid ergo agebatis? subjunxi ego. Plurimùm gaudebamus, dixit ille, & recreabamur, videntes te cum tuis cruciatibus certantem; quemadmodum hîc recreantur, qui spectant in foro tauros, dum felicem vident certaminis succesſum.

*Hæc in scheda ista loquitur, cujus doctrina multùm est conformis ijs, quæ scribit Apostolus, & Sancti Patres, dum ajunt, Justos in suis tribulationibus esse spectaculum, & velut ludum festivum, Deo & Angelis ejus. Nec ea, quæ tolerantur, opus est semper esse tam gravia, hominum opinione, quàm sunt illa, quæ retulimus. Ex rebus, quæ in se spectatæ existimari possent modicæ, Deus novit graves pro*

*ſuis amicis cruces elicere, ipsíſque occaſionem præbere inæſtimabilis meriti in eo, quod hîc exigui eſſe momenti judicaremus. Vidimus ſuprà, adeò fuiſſe naturalem cujuſdam perſonæ agendi rationem Venerabili Marinæ toleratu difficilem (quamvis ab ipſa toleraretur cum magna patientia) ut illam Deus ei ſpectandam exhibuerit in ſpecie aſperi flagelli. De eadem loquitur in fine ſequentis viſionis, quam his verbis refert.*

Feriâ tertiâ, die decimâ quintâ Junij, anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, mihi Deus dixit: Anima veni mecum, & quieſces. Duxit me Divina Majeſtas ſecum ad cœlum, ibíque me conſtituit in altiſſimo loco, unde vidi Dominum, & Divinum ipſius Eſſe quaſi ſolum & ſejunctum ab univerſis cœleſtibus Palatinis, ubi mihi per claram ac diſtinctam notitiam manifeſtavit, quod nos docet fides, & in alijs hujus generis viſionibus dixi, quàm ſit Deus independens à ſuis amicis, & quomodo per ſe ipſum, séque ſolo ſit infinitè beatus, atque ex mera ſua immenſa bonitate & liberalitate talibus pretioſiſſimum ſuæ gratiæ & gloriæ communicet theſaurum. Vidi inſuper, qualiter ex Divino hoc fonte ſinguli hauritent, juxta ſuum meritum ac ſtatum, & quamvis id, quo ipſos replebat, eſſet tam multum, ille tamen æquè maneret plenus & abundans, ac antea. Prodivit ſubitò ex eo ſummo Eſſe quædam lux & ſplendor Divini ignis, qui me corripuit, & occupatam inflammavit, totámque incendit inſtar ferri, quod impoſitum in uſtrinam totum apparet igneum. Videbar mihi ego ipſa eſſe fornax ardens amore mei Dei, & interea tam ſtupendis ac divinis fruebar bonis, ut nequeant ab ulla lingva explicari. Poſt hoc vidi Majeſtatem JESU Chriſti Domini noſtri, in cujus ſacroſanctas manus corrui quaſi exanimis, & quando mihi fui reddita, deprehendi me in meo cubiculo. Dum ad illud perveni, quidam Sanctus Angelus ex ſupremis mihi oſtendit maximam crucem, quæ mihi viſa fuit graviſſima. Natura ſuo officio non defuit, & exhorruit, exiſtimans mihi ab ea, more ſolito, intentari gravem quampiam afflictionem. Tum Angelus mihi dixit: Anima, nè timeas; licèt enim tibi appareat tam gravis, non erit tibi multùm moleſta. Significavit mihi Dominus, eſſe eam crucem, quam plerumque ſuſtineo, dum tolero naturalem indolem cujuſdam perſonæ. Ipſe ſit benedictus, & laudetur. Amen.

*Cùm magnus iſte Deus & Dominus agnoſcat, ac æſtimet tantopere valorem fructuum, quos animæ ipſum amantes eliciunt ex tolerantia adverſorum, benigniſſimè inquirit modos, quibus, dum nihil habent tolerandum actu, patiantur affectu, & quando differt afflictiones, quibus ſuſtinendis par non eſſet debilis natura, confortantur à gratia, ut eas deſiderent, atque animæ hac ratione idem referant lucrum, quod ex actuali patientia exercitio poſſent percipere. Id apparebit ex eo, quod Venerabili Marinæ, poſtremo propè felicis & arumnoſæ ipſius vitæ anno, evenit cum Deo, nobiſq; ab ea eſt deſcriptum, ut ſequitur.*

Die Sabbathi, tertiâ Martij, hoc anno ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, horâ circiter duodecimâ noctis, mihi fuit à Deo oſtenſa terribilis crux, quæ me vehementer terruit, & conſternavit, non propter ſuam magnitudinem, ſiquidem tanta ſolummodo erat, ut ei poſſet ſuperponi corpus humanum juſtæ ſtaturæ; ſed quòd mihi Divina Majeſtas in illa repræſentaret multas calamitates & afflictiones. Verſabam me inter meas curas & affectus in omnem partem, offerendo me, ac reſignando in divinum beneplacitum, quàm optimè poteram. Quanquam verò ſe anima ab hac viſione abſtraheret, ſtatim tamen ad ipſam revertebatur, cum gravi naturæ dolore, ac mæſtitia. Dum igitur quodammodo luctarer cum his timoribus & anxietatibus, vidi illam crucem ſe inclinantem ad me: appropinquavit autem mihi paulatim ità, ut eā poſſem amplecti. Tum mihi Deus indidit ingentem animi & promptitudinem; quâ ſum eandem crucem amplexata, offerens me ad patiendū, quidquid Divinæ Majeſtati placeret, fiat ipſa crux ſe derepente elevavit, cum admirandis radijs & luminibus reſplendere, atq; circumdata ab Angelis aſcendit ad cœlum, donec mihi penitus diſpareret.

In-

Interea me Deus est allocutus, & dixit mihi: Noli cogitare Anima, id quod vidisti esse prænuntium magnæ cujuspiam afflictionis, quam à te nunc velim speciali-ter tolerari, sed fuisse tantùm dispositionem ac inventionem meam, ut offerendo te, prout fecisti, ad patiendum cum omni resignatione, crescas in eodem amore, & merito ampliorum spiritualium emolumentorum. Atque ut videas, quid sis modò assecuta, veni mecum. Duxit me sinè mora Divina Majestas ad patriam cœlestem, & immensam quandam altitudinem, ubi, quidquid mihi Deus exhibebat, nihil erat aliud, quàm Ejusdem Majestas, & ipsius perfectiones, manifestatæ per quasdam ineffabiles notitias: & postquam, ignoro quamdiu, hoc spectaculo sum fruita, reduxit me Dominus, per quosdam velut gradus, donec tandem redirem ad meum angulum. Ipse sit benedictus. Amen.

# CAPUT XXVI.

## Utilissimæ quædam devotiones & preces, quas ex cœlo haustas, nos hæc admirabilis Virgo docuit.

*Antequam ad alios sublimiores, magisque reconditos, tum dogmaticæ, tum mysticæ doctrinæ, modos progrediamur, quam nobis hæc magna, tantopere à Deo illuminata mulier conscripsit, atq; deinceps ad ingens animarum commodum pertractabimus, visum mihi fuit, exemplis & monitis moralibus, quæ commemorata sunt, subjungere pias praxes & preces, quas Dominus, & benedicta ejus Mater, hanc Virginem docuerunt, tanquam efficacissimas ad placandam Divinam indignationem, atq; ità obtinendum ab immensa Dei misericordia, conveniens omnium nostrarum necessitatum remedium. Placeat ejusdem Majestati propter semetipsam nos confortare, ac disponere, ut eas exerceamus, dicamúsq; eâ præparatione ac dispositione, quæ ex parte nostra requiritur: hoc enim modo, sicut prudenti & debitâ pietate credimus, fuisse ad communem utilitatem dictatas à cælo, ità à Divina Majestate sperare possumus, fore, ut ea, quæ illis fuerunt promissa, videamus completa in effectibus prosperrimis, pro nostris animabus. Exorditur autem Venerabilis Marina hoc argumentum dicendo.*

Dum mea anima eliceret vehementes affectus, & ardentia desideria, conformandi se in omnibus rebus, magnis & parvis, cujuscunque modi essent & conditionis, cum Dei voluntate, offerendo ipsi quidquid poteram, meam vitam, meam animam, & quæcunq; à Divina bonitate acceperam, dixi meo Domino: Quid faciam, mi Deus, ut à tua misericordia obtineam tantum bonum, quod omnibus viribus, & toto corde tantopere exopto? Volo, mi Domine, bonâ tuâ veniâ, adire tuam Sanctissimam Matrem, rogatura ipsam & obsecratura, quantùm potero, ut mihi dicat, méque doceat, quomodo id mihi sit faciendum, qualiter petendum, quod pro me tanti est momenti, & cor meum tam impensè desiderat. Perge feliciter, dixit mihi tum Dominus, magna cum benevolentia, & benignitate. Hoc audito me quantocyus, & ferventi affectu contuli ad Celsissimam Reginam Dominam nostram, atque coram ea me prosternens dixi illi quàm humillimè: Sacratissima Domina mea, Mater Dei, supplex te oro, ut me doceas, quâ ratione, qualiter, per quem, & quibus verbis mihi à meo Deo sit petendum, quod mea anima tam vehementer cupit, & est, ut me in omnibus conformem cum Divina voluntate. Summa illa Domina audivit, hilari & benigno vultu, meas preces ac petitionem, dixitq; mihi amantissimè: Expecta, Anima, expecta nunc modicùm, es enim quodammodo absorpta à tuo affectu. Conticuit paululùm, & mihi, quia adeò à meis desideriis impellebar, videbatur tempus longum, quo Celsissima hæc Regina differebat responsum. Deinde, postquam,

ut

ùt existimo, illud negotium contulisset cũ Deo, sic mihi cum tenerrimo amore dixit: Anima, audivi tuas ardentes preces & petitionem, cui respondens, dico tibi, te, dum magnus Deus noster & Dominus in tuo corde excitabit desideria, quæ nunc habes, debere eorum impletionem petere his verbis:

Domine mi Deus,, humiliter te obsecro, per illum admirabilem, & excellentissimum actum charitatis, quem hominis causâ eo ipso momento elicuisti, quo in visceribus Mariæ Virginis assumpsisti carnẽ humanam, ut mihi concedas hanc misericordiam, quam à te peto, & suppliciter flagito, ut tibi cum ea placeam, serviam, téque ex corde amem.

Hæc est oratio, quam me docuit ista magna Domina; hoc medium, quod mihi dedit tanquam efficacissimum, ad consequendum complementum desideriorum, quibus anhelamus ad magnum lumen & cognitionem, ut intelligamus, quidquid est conforme sanctissimæ Dei voluntati, & cedit ad majorem ipsius gloriam ac beneplacitum, quibúsque optamus gratiam, ad exequendum & opere præstandum, quod nobis divinum istud lumen dictaverit, nósque docuerit. Licèt verò ista admirabilis devotio & oratio peculiarem suam vim habeat, ad prædictos favores & gratias obtinendas, in gravibus & abstrusis, ac singularibus materijs spiritualibus earum animarum, quæ à Deo ducuntur viâ extraordinariâ; dixit mihi nihilominus eadem magna Domina, fore etiam efficacem, & miros habituram effectus, in qualicunq; persona, quæ eam adhibuerit, ad petendum à Deo, quidquid concernit salutem, & majorem profectum animæ, atque pro necessitatibus, & specialibus periculis animæ & corporis; ac denique pro omnibus rebus temporalibus, quæ non sint futuræ contrariæ divino obsequio. Deus sit in æternum benedictus; qui sicut nobis ex sua infinita bonitate tam libenter confert beneficia. ità quoque nos docet varios modos, ut ea ex liberali ejusdem manu accipiamus. Deo gratias. Amen.

*Hactenus Venerabilis Marina. Ut autem piæ animæ, quæ hanc devotionem voluerint exercere, possint excitari ad fervorem, per cognitionem hujus heroici actûs, quem Christus Dominus noster & Servator, in primo suæ Incarnationis instanti elicuit, explicabo illum breviter, imbuendo simplices, & literarum expertes personas, notitiâ accommodatâ earum captui, de sublimissimo medio, quod assumunt, ad impetrandum à Deo, quod desiderant.*

*Eo ipso momento, quo in purissimis visceribus Virginis Dominæ nostræ, Verbum Divinum, æternus Dei Filius, induit naturam nostram, & est formatus Christus verus Deus & homo, statim illa anima hujus Divini Redemptoris nostri fuit tam illuminata ac beata, quàm est modò, & erit per totam æternitatem. Cognovit, licèt quoad naturalia esset opus sui Patris æterni, ex mera tamen ejusdem infinita bonitate, esse hominis uniri cum Esse Dei, & existere in sua persona Hominem atq; Deum. Vidit quantum ob hoc beneficium esset obligata Deo, & pari admiratione, demissione, ac amore satisfecit pro omnibus, quæ se accepisse agnoscebat. Nunquam fuit factum, neque fieri potuit, ut Dominus Deus noster perfectè ab ulla creatura honoraretur: quandoquidem etiam supremus omnium Seraphinus, etsi millies mille vicibus evaderet excellentior, semper tanquam pura creatura manet limitatus, minimèque sufficiens ad honorandum perfectè Creatorem, qui est infinitus. Solus Homo-Deus, utì est amabilissimus Dominus noster Christus Jesus, potuit exolvere omnium creaturarum debitum, & plenè honorare Divinam Majestatem, quia illi inserviebat tanquam dotibus præditus infinita ac Divina dignitatis.*

*Inter has notitias, & affectus ineffabiles Christi Domini Delicij nostri, vidit simul idem Dominus, summum istud mysterium fuisse peractum, ut obediendo suo Patri æterno, quemadmodum erat Princeps generis humani, esset quoque Redemptor. Cognovit peccatum Adami, ad nos omnes derivatum, excepta sanctissimâ Genitrice, & omnia cætera peccata, quæ sunt commissa, & committentur, quæ durabit mundus. Vidit, à Divina Justitia fulminari communis damnationis sententiam, quam tantùm pretiosissimus ipsius cohibeam, quam tantùm pretiosissimus ipsius cohibere poterat, & innocentissimus sanguis, pro*

*nobis peccatoribus effusus: atque eadem charitate, quâ amabat suum Patrem, amavit nos omnes simul, & singulos divisim, adeò ut ex intimo affectu pro redimendis nobis obtulerit, quidquid ab eodem instanti egit & sustinuit, usquedum expiraret in cruce. Hæc est summa eorum, quæ ille actus continet. Idem Dominus nobis det lumen, ut ex infinitis, quæ includit, vel unam atomum aliquatenus assequamur: subitò namque nobis facile creditu erit, nihil nobis ab ipsius benignitate negandum esse, si quid per illum cum debita præparatione petamus, & postulemus. Gloria sit in æternum tam amanti Redemptori, atque æterno ejusdem Patri, à quo nobis est datus. Pergit nostra Virgo referre aliam hujus generis devotionem, magisque gratiosas, tametsi breviores, commemorat circumstantias.*

Colliquescebam inter ardentissimos affectus, ortos ex profunda meæ vilitatis cognitione, quam Deus meæ animæ suggerebat, & quâ habitâ agnoscebam, millenas mihi inesse imperfectiones, dicebámque Deo: Mi Deus, vides hîc peccatricem, perditam, ingratam, omnibus refertam defectibus ac miserijs, indignam, quæ coram divino tuo compareat conspectu. Obsecro te per. Et postquam huc perveni, nescio quomodo, subsistebam, ut non auderem ulteriùs progredi. Tandem sum conata prosequi meam orationem, ac dixi: Obsecro te per illam horam, quâ, pendens in cruce, tradidisti tuum spiritum in manus Patris tui æterni, ut. Tùm Dominus quodam gestu, summam indicante majestatem & charitatem, interrupit mea verba, dicendo: Tace, Anima, tace. Hoc tibi soli servo. Verè enim tibi dico, te hac viâ assecuturam, quidquid volueris, & nihil esse, quod istâ petitione non obtineatur: usquèadeò est efficax, & auribus meis accepta. Id mihi Dominus dixit; qui benedicatur & laudetur. Amen.

*Quanquam primus ille actus charitatis, de quo suprà diximus, per quem se dilectissimus Dominus noster, pro tanta sui Patris æterni gloria, cum tanto suo impendio, pro tanta nostra utilitate, obtulit ad crucem, ut nos redimeret, fuerit tam admirabilis & stupendus, quàm à nobis est expositus; non fuit tamen inferior postremus iste actus vitæ mortalis, quo in eadem cruce, completo jam negotio redemptionis nostræ, in manus æterni sui Patris suum spiritum commendavit. Nam Divinus hic Servator noster magis acquiescens, quòd summâ, quâ fieri potuit, perfectione glorificaverit suum Patrem, quàm propter finita sua tormenta; magis, quòd viderit satisfactum esse Divinæ Justitiæ, quàm ob completam suam passionem; tradidit suum spiritum, & vitam terminavit mortalem, cum tali resignatione in sui Patris voluntatem; cum tanto amore erga homines, quos redimebat, ut, si ad gloriam Dei, vel ad majus emolumentum nostrum, necesse fuisset perseverare in agonia illius passionis, per totam æternitatem, aut repetere millies, iterúmque millies millenis vicibus suas ærumnas, pro quolibet nostrum, charitas ipsius prompta fuerit, & constans ad id exequendum. Benedicta sit suavissima bonitas viscerum Agni nostri JESU CHRISTI, qui tam sublimi eloquentiæ modo videtur Venerabili Marinæ indixisse silentium, nè prorumperet in hanc divinam Conjurationis formam, ut ipsi meliùs ejusdem efficaciam explicaret. Licet verò hic illi dicat, ut taceat, sibique soli servet petitionem, cui nihil negare novit, nihilominus millies aliàs ei mandat, nè intermittat scribere, quod ipsi cum illo agenti contingit, ut omnibus innotescat, ideòque omnes intelligant, qualiter possint diripere thesaurum ipsius misericordiarum. Transeamus ad aliam devotionem, quam hæc Virgo aliâ occasione à Divina Majestate didicit. Refert ipsa factum hoc modo.*

Cùm ex jussu & mandato DEI, atque consilio meorum Confessariorum scripsissem Madritum, ad quosdam Magnates, aliquot epistolas, concernentes reformationem morum, & alias admonitiones, quas mihi Deus manifestavit, méque intimare jussit, perlatas ad Aulam à Patre Michaële de Orenja, Rectore Collegij Sancti Ambrosij ex Societate JESU; cúmque magnum hunc DEUM rogarem, ut ista monita, quandoquidem ab ipso essent profecta, acceptarentur, petivi unà, ut me doceret, quid Ejusdem

Majestas etiam à me fieri vellet; atque jussa fui ab eadem Majestate, applicare pro bono successu, quidquid novem dierum spatio agerem ac paterer, & per eosdem omnes quotidie septies orationem, quam me eadem Divina Majestas docuit, dicere loco septem Horarum Canonicarum, quas recitat Ecclesia. Oratio ad verbum fuit ista:

Domine mi Omnipotens, & misericors DEUS, rogo te quàm demississimè possum, per temetipsum, & per pretiosum sanguinem, profusum ab unigenito Filio tuo, per excellentissima ejusdem merita, unaque Sanctissimæ ipsius Genitricis; ut misereatis, sisque propitius populo Christiano, ac disponas & dirigas omnia opera nostra ad majorem gloriam & obsequium tuum, ac bonum animarum, meque adjuves, doceas, & illumines, propter tuam bonitatem. Amen. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Post hoc mea paupercula anima, loquens cum Divina Majestate, ei dixit: Quid autem, mi Domine, dabis illi, qui hanc orationem quotidie septies dixerit, prout jubes? Dominus mihi respondit quam gravissimè, dicendo: Tu facis, quod olim fecit Petrus, qui relictis laceris retibus, statim petivit præmium. His dictis Divina Majestas diu tacuit, ego verò summè eram pudefacta. Deinde Dominus subjunxit: Dabo ijs, qui illam recitabunt, quod do bonis Religiosis recitantibus septem Horas Canonicas: cùm enim à me doceantur, quid illis à me sit petendum, non debeo esse mihi ipsi contrarius, negando ijs, quod in ea à me petunt. Nónne autem, mi Deus, replicui, hoc est commune omnibus orationibus, quæ peraguntur, sicut oportet? Ità quidem est, respondit Dominus: sed nunquid non vidisti Patremfamilias, qui suis filijs & famulis perpetuò præbet omnia necessaria, pro illorum sustentatione; in festivitatibus tamen atque diebus solemnibus ipsis dat aliquid extraordinarij; tale itaque extraordinarium illis dabo, qui hanc orationem prædicto modo dixerint. Ista fuit mea cum DEO conversatio, qui sit benedictus in æternum. Id autem accidit in Septembri, anno sexcentesimo vigesimo quinto.

*Sequentem devotionem, licèt sit nota, & usitata à multis annis in Hispania, sævo majori fervore assumendam, tanquam approbatam à cælo: ideo namque nobis ipsam deseripsit Ven. Marina, quæ recenset, quid sibi quod illam cum Deo evenerit, his verbis.*

In Februario ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti, postquam alia cum Domino contulissem, quæ alibi perscripsi, præcepissétque mihi Ejusdem Majestas, ut sibi commendarem eos, qui miserabiliter vivunt in peccato, addidit: In præsenti tuo statu, atque tot morbis, paucas potes dicere preces. Consuevisti exercere quandam devotionem, dicendo quinquies Orationem Dominicam, cum quinque Salutationibus Angelicis, in honorem quinq; meorum vulnerum, quod utique meministi. Dico tibi, multùm à te boni fuisse præstitum per illam animabus tuorum proximorum. Ex his Domini verbis intellexi, quòd etiamsi oratio mentalis soleat esse prolixior, majoresq; habere effectus, quæcunq; tamen oratio vocalis, si debito modo dicatur, sit quoque acceptissima divinis ipsius oculis. Ut verò præfata devotio aliquibus, forsan eam ignorantibus, communicetur, volo illam hic referre, prout ego ipsam exercui, jam inde à juventute, ac didici ab Arbitro meæ conscientiæ. Prima oratio Dominica dicitur, cum sua Salutatione Angelica, ad pectus cum vulnus manûs dextræ, offerendo illum vulnus manûs dextræ, offerendo illum Deo, pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ. Secunda ad manum sinistram, efficiatur pro animabus Purgatorij. Tertia ad vulnus pedis dextri, pro capitibus Reipublicæ, Judicibus Ecclesiasticis, & secularibus, orando DEUM, ut eos illuminet, quò satisfaciant obligationibus suorum statuum, & officiorum. Quarta ad vulnus pedis sinistri, pro exulibus in peccato mortali, rogando DEUM, ut illis concedat efficacia auxilia, ad emergendum ex illo. Quinta ad latus sanctissimum vulnus lateris, pro justis & sanc-

existentibus in gratia Dei, petendo ab Ejus Majestate, ut ipsos in ea conservet, largiatúrq; illis præstantissimum donum perseverantiæ. Glorificetur iste Dominus in suis creaturis. Amen.

*Alias devotiones certi numeri Sacrificiorum Missæ Dominus, & benedicta ipsius Mater docuit Venerabilem Marinam, quas ipsa nobis descripsit in quibusdam suprà relatis chartis. Faxit Divina Majestas, ut sicut earum usus erit summè proficuus, ità quoque sit pijs animabus frequens, quem ob finem illas hic appono ipsis hujus Virginis verbis, quæ sic ait.*

Majestas Domini Dei nostri docuit meam animam, ex infinita sua bonitate, hanc sanctam devotionem, quam nunc referam, dicendo, eam esse magni momenti, & multùm utilem ad majorem animarum profectum.

Dicenda est una Missa, de Incarnatione Domini & Redemptoris nostri Christi Jesu, atque novem in honorem novem mensium, quibus Ejusdem Domini Majestas delituit in visceribus Sacratissimæ Virginis Matris suæ, ac Dominæ nostræ. Alia præterea Missa, de Sanctissima Nativitate ejusdem Domini & Salvatoris nostri. Sunt universim undecim.

In prima Missa debemus à magno nostro Triuno Deo, per merita Christi Jesu, & per sublimissimum ipsius Incarnationis mysterium petere, ut dignetur animabus nostris, ex sua gratia & misericordia, largiri nova, ferventia, & efficacia desideria meundæ, & inchoandæ novæ vitæ, quæ sit eximiæ virtutis & perfectionis, atque obtinendi incensi & ardentis spiritùs, in divino ejus amore.

In novem sequentibus Missis petere oportet, per novem illos menses, quibus Sacratissima Ipsius Majestas, pro nostra salute & remedio, est dignata coarctari & includi in Virgineis visceribus suæ purissimæ Matris, ut nobis concedat novam gratiam ac dispositionem, ad amplectendam in rebus omnibus, & implendam sanctissimam ejus voluntatem, observando non solùm præcepta legis ipsius, verùm etiam consilia Evangelica.

*Vita Mar. de Escob. Pars II.*

In ultima Missa, quæ est de Nativitate, orandus est Deus, per mysterium hujus recèns nati Domini, ut nobis, pro omnium suarum misericordiarum complemento, concedat felicem mortem, initium veræ vitæ, & beatitudinis æternæ, ubi nostra anima incipiat vivere in solo suo Deo, ipsóque frui, per infinitam ejusdem bonitatẽ, qui sit benedictus. Amen.

*Advertendum est, non designari à Venerabili Marina in novem intermedijs Missis materiam, quod facit in prima & ultima, ideóque videntur posse dici occurrentes ijs diebus, aut votivæ, quas cujuslibet devotio delegerit. Secundam devotionem triginta quatuor Missarum, quam ipsa in summis angustijs & necessitatibus usurpabat, jubendo eas dici, vel audiendo in suo Oratorio, refert sequentibus verbis.*

Inspiravit Majestas Dei Domini nostri meæ animæ aliam devotionem triginta quatuor Missarum, atque deinde dixit, eam sibi placere, & se illi sanctissimam suam impertiri benedictionem, ac velle præstare magnas gratias & misericordias ijs, qui ipsam usurparent, favorémque ejus ità postularent. Praxis devotionis est hæc.

Tres Missæ in honorẽ Incarnationis Jesu Christi Domini & Redemptoris nostri. Tres de sanctiss: ejusdem Nativitate. Tres de sacrosancta Circumcisione. Tres de adoratione Regum. Tres de eodem à benedicta ipsius Matre præsentato in templo, post quadraginta dies. Tres de fuga in Ægyptum. Tres de festo perditi pueri, quando fuit à sua Matre inventus inter Doctores. Tres de baptismo ejusdem Domini. Tres de passo, & mortuo in cruce. Tres de gloriosa ipsius resurrectione. Tres de admirabili ejus ascensione. Una de triumphali assumptione ipsius Sanctissimæ Matris Virginis Mariæ.

Priores hæ triginta tres Missæ offerri debent in honorem triginta trium annorum, quibus Divinus Redemptor noster est versatus inter homines, & vixit in hac vita mortali, operando salutem nostram: atque Beatissima Trinitas est humiliter roganda, per merita ejusdem Servatoris

nostri Domini JESU Christi, & pretiosum ipsius sangvinem effusum pro nostra salute, ut nobis concedat vitam sanctam, adeóque virtutibus plenam, ut sit quàm gratissima divinis ejus oculis; & sanctissimam ac felicissimam mortem, per sanctissimam mortem Christi amabilissimi Domini nostri, liberétque nos per omnia hæc sanctissima mysteria à pœnis Purgatorij, quas nostris peccatis promeremur, & eas nobis condonet. Postrema Missa de assumptione est offerenda Deo in honorem hujus Dominæ, ut agat nostram Patronam apud Divinam Majestatem, pro consequendis omnibus istis misericordijs.

Dicta devotio est efficacissima non solùm ad obtinendum, quod annotavimus, verùm etiam quamcunq; aliam rem temporalem, quam optamus, dummodo non impediat majorem Dei gloriam, & bonum animæ, quæ eam petit.

Dixit mihi insuper idem magnus Dominus noster, satis fore ad assequendos hos favores, ei qui non posset Missas dicere, si illas eadem intentione, & ad eundem finem audiret: quodsi quis neq; hoc præstare posset, propter legitimum impedimentum, idem obtenturum, recitando trigesies ac ter orationem Dominicam, totidémq; vicibus Angelicam Salutationem, loco triginta trium Missarum, servato ordine dictorum mysteriorum; loco ultimæ verò Missæ ter Salve Regina in honorem Sanctissimæ ipsius Matris. Benedictus sit magnus iste Dominus, qui se tam liberalem exhibet in præstandis nobis gratijs. Amen, amen.

*Tandem ipsam Virgo Domina nostra docuit aliam devotionem quatuor Missarum, quam nobis eadem Venerab: Marina, tanquam utilissimam, ad impetranda magna dona, ità descripsit.*

Feriâ quintâ, die decimâ octavâ Decembris, anno sexcentesimo vigesimo quinto, antequam illucesceret, dum loquerer cum duabus meis sociabus de rebus spiritualibus, & proficuis animæ, ipsæque mihi referrent, quantum quædam personæ profecissent, eò quòd audivissent, vel curavissent dici Missas, de quibus alibi sum locuta, vidi Virginem Dominam nostram, quæ me peramanter compellavit, & post alia mihi dixit, quòd me esset doctura aliam brevem devotionem Missarum, atque tam utilem animabus, ut mihi significaret, esse longè efficaciorem, quàm ego hic possim exprimere, non solùm quoad fructus spirituales, sed etiam bona temporalia, & sanitatem corporis, si non adversentur spiritui, & honori Dei. Devotio consistit in quatuor Missis, si tres dicantur ad Sanctissimam Trinitatem, singulæ in honorem singularum Personarum, & quarta Missa de ipsa Sanctissima Virgine, in honorem Sacrosancti Mysterij Incarnationis Filij Dei, in purissimis ejus visceribus. Mea Domina, & Celsissima Regina cœli, dixi tum ego; quomodo hæ Missæ sunt offerendæ, quæ sunt tam admirandæ efficaciæ? Sufficiétne, si tres primæ Missæ dicantur in honorem trium Divinarum Personarum suo ordine, ac deinde in quarta, quæ dicitur in honorem illius Sacrosancti Mysterij, quando concepisti Filium Dei, omnes reponantur in tuis sacratissimis manibus, ut illas præsentes Deo, ad intentionem, & pro necessitatibus illius, qui eas dicit, aut curat dici? In nomine Domini, respondit hæc magna Domina, bene ità fiet: Deus enim mihi dignatur omnia manifestare, ut intercedam pro ijs, qui se mihi commendant. Hoc mihi dictum fuit à Celsissima Regina Cœli. Benedicta sit ipsa, & benedictus sit fructus ventris ejus. Amen.

*Concludo præsens caput, monendo Lectorem, quòd Sanctissima Virgo magni fecerit obsequium sibi, & Sanctissimo ipsius Filio præstitum, in promovendis hujusmodi devotionibus, pro eoque egerit Venerabili Marinæ gratias. Patebit id ex uno exemplo & evento, qui illi contigit cum Sacratissima Regina cœli, concerniente corollas precatorias beneditas, de quibus in hac historia est toties sermo, & per quas Vener: Marina in nonnullis animabus excitabat devotionem Rosarij. Narrat ipsa his verbis.*

Die Dominicâ, septimâ Martij, hoc anno sexcentesimo trigesimo secundo, antevi loquentem Virginem Dominam nostram

ſtram, & ſtatim agnovi ipſius vocem. Poſt hoc eam vidi cum multis Angelis, quæ mihi ſvaviſſimo vultu dixit: Amica, venio, ut tibi gratias agam pro obſequio, quod præſtas Deo, & mihi, dum promoves devotionem Roſarij per eas corollas, quas das tuis proximis. In præmium hujus obſequij tibi fero cœleſte cimelium, per quod tibi communicabitur lúmen, ut ad gloriam Dei bene procedas in dicendis & agendis rebus ſpectantibus ad ipſius honorem. Ego audiens hæc verba aſpexi, quid haberet in ſuis ſacris manibus, & vidi in ijs quandam veluti patenam, cui erat ſuperpoſita hoſtia ſplendens inſtar Solis: & cùm illa præcelſa Domina ſuam manum admoveret meo pectori, aperuit illud abſque ullo dolore aut moleſtia mea, acſi diffibularet quempiam thoracem, poſitóque intus dicto cœleſti cimelio, rurſum eadem facilitate clauſit. Tum mihi cum magna ſvavitate, & indicijs amoris dixit: Nunc vale amica; & comitantibus ipſam omnibus ijs beatis ſpiritibus, hi reverſi ſunt ad cœlum, & illa deſijt à me videri. Laudetur in æternum Deus, qui eſt tam liberalis in ſuis miſericordijs.

Amen.

# CAPUT XXVII.

## Viſiones & doctrina, quibus ipſi DEUS expoſuit modum, quo Ejuſdem Majeſtas conſvevit ducere animas.

*POſt doctrinam moralem, & piiſſimas devotiones, quibus Venerabilis Marina nobis poteſt prodeſſe, etiam qui fuerimus ſegnes in cognitione, & frigidi in affectu, incipiemus agere de alio ſublimiore genere eruditionis, quam Deus huic ſuæ ſponſæ, per viſiones & verba manifeſtavit. Erit utiliſſima ſerio incipientibus inſiſtere viæ perfectionis, quin & Magiſtris eorundem directoribus: ſolatium namque habebunt, dum hic uſu comprobata videbunt documenta, quæ de iſto argumento Sancti Patres, & Eccleſiæ Lumina nobis conſcripta reliquerunt. Prima hujus generis charta, in quam incido, eſt, ubi ſic ait.*

Dixerat quiſpiam Religioſus, ſervus Dei, Confeſſarius cujuſdam perſonæ virtuoſæ, vivere eam internè multis à Deo præditam gratijs & favoribus, cum magnis affectibus & motibus ſuæ animæ, tenera devotione, atque amore ſui Dei, & rebus hujuſmodi, ità ut ſe vix inde poſſet abſtrahere, aut ulli alteri rei impendere. Suſtentabat ipſam Deus in hoc ſtatu ſuis impenſis, ideóque in adverſitatibus & afflictionibus, quæ in hac vita nequeunt deeſſe, erat valde reſignata in divinam voluntatem, exercendo facilè, & cum ſolatio virtutes. Placuérunt mihi principia ſpiritualia hujus animæ, in qua Deus pedem priùs fixit amoris, ſvavitatis, ac dulcedinis, quàm timoris, ac difficultatum in exercitio perfectionis; id quòd denotabat indigentiam iſtius animæ debilis ac tenellæ, atque adjutæ à ſua natura. Expendenti hoc mihi coram Deo, dixit Ejuſdem Majeſtas.

Adverte, Marina, cum hac, & quavis alia anima, quam in ſimili habeo ſtatu, me eo modo gero, quem tibi nunc dicam. Æternâ meâ ſapientiâ cognoſco ex una parte naturam, propenſiones, imbecillitatem; ex altera verò bonam diſpoſitionem talis creaturæ. Incipio igitur illam educare inſtar matris ad ubera mea, ſuſtento eam dulci lacte, geſto in meis ulnis, nè pedes ipſius ceſpitent; blandior illi, méque exhibeo benevolum, & omnia ad virtutem ſpectantia reddo facilia: atq; ità progreditur ſinè defatigatione, & acſi portaretur lecticâ, omnem in me collocans ſuam confidentiam. Taliter ipſam educo, donec videam eſſe ſolidatam, ac radicatam in meo amore. Tum illam ſenſim ſinè ſenſu incipio ablactare, & evolvere è faſcijs, ut jam comedat panem cũ cruſta,

suísque incedat pedibus, tametsi eam manuducam, non absque sustentaculo ambulatorio, ac dispono, ut se in tentatione difficultatum, afflictionum, obscuritatum, meæ absentiæ, sic sciat gerere, ut non exorbitet, aut perdat firmam in me fiduciam, audendo aliquid quasi proprijs viribus, & laborando, me ipsi præbente auxilium, quod ei non potest deesse, quando terunciam sui liberi arbitrij dirigit ad omnia meæ voluntati conformia, mearúmq; legum observationi, non volendo, vel desiderando, quamvis à me profecta solatia.

Postquam anima jam ad hunc statum pervenit, incipio illam aliter tractare, utpote quæ talem à me acceperit virtutem & generositatem, ut jam æquis possit luctari viribus cum suis hostibus, quantumvis sint fortes & feroces, eósque subjugare, & sibi subjicere, referendo de ipsis felicem victoriam, & stupenda ac mira in obsequium meum operari. Quia namque me sibi scivit devincire, bene respondendo meis vocationibus, adeò ut se mihi totam submittat, ad exercenda opera charitatis, & procurandum bonum animarum, constituit se quodam modo murum fortem inter me, & meum populum, ut avertat indignationem, & pœnas à mea Justitia irrogandas, dicendo mihi pari demissione, ac animositate: Hoc non fiat, mi Deus, non fiat; mihi sunt priùs infligendi ictus tuæ iræ, quàm populo tuo Christiano. Dum pertingit ad istum statum, laudat me & benedicit ex corde, contestando seriò, meam esse, & non suam, omnem virtutem & generositatem, quam ipsi largior ex infinita mea bonitate. Agnoscit, & absque omni dubio credit, quòd ex seipsa nõ sit ad quidquam utilis ac idonea, quódque illius miseria, fragilitas, inopia, & mala dispositio ad accipienda mea dona, sit velut infinita, atque puteus carens fundo, ubi nunquam potuerit figere pedem. Hunc in modum, & in hoc statu ascendit gradatim, & crescit in admirandis virtutibus, donec perveniat ad culmen altissimæ perfectionis & amoris divini, in eo gradu, quem ipsi à mea æternitate decrevi.

Tales sunt, Marina, viæ & status, quibus communiter duco animas, donec eas constituam in apice perfectionis, si me norunt sequi, séque mihi integrè offerre, ità ut nè minimam retineant atomum propriæ voluntatis, semper adhærentes perfectæ observationi, non modò meorum præceptorum, sed omnium quoq; Evangelicorum meorum consiliorum. Quamquam verò hæ sint meæ viæ consuetæ, in perducendis animabus ad dictam perfectionem; pro mea nihilominus summa sapientia multas habeo extraordinarias, tametsi omnes ab hac dependentes regula (nullam autem extra ipsam) quòd in omnibus, & per omnia debeant deserere, in modicis & magnis, suam propriam voluntatem, ut meam perfectissimè sequantur. Nunc vale.

*Qui perspectum habuerit, quod docet Scriptura, & Sancti hac de re scribunt, clarè videbit, dictatum hîc à DEO fuisse Venerabili Marinæ admirabile compendium omnium, quæ reperiuntur in sacris libris, profectum ad institutionem, pro tanti momenti materia. Simili doctrinâ ipsam Divina Majestas aliàs erudivit, non solùm per verba, verùm etiam symbola, quæ sic recenset.*

Decimâ tertiâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo quinto, Deus me in quadam visione docuit vias, quibus pas animas ducit ad perfectionem, & fuit hujusmodi. Dum Ejus Majestati exponerem affectus meæ animæ, cum magna meæ miseriæ agnitione, & eorum, quæ ex me ipsa habeo (unde oriebantur illa vehementia desideria, quibus anima æstuans solet suavem quandam sentire afflictionem & molestiam, quæ malè verbis explicatur, quamvis bene ab ijs intelligatur, qui hac viâ progrediuntur) vidi Personam JESU Christi Domini nostri, qui mihi dixit: Anima, si fatigata, veni mecum, & quiesces; atque sinè mora fui ducta ab ejusdem Majestate ad ripam lati & profundi fluvij, licèt illius aquæ rapacissimè currerent. Hic mihi dixit, ut transirem, se enim velle videre veritatem, quâ eos fluctus essem transiturus, incedendo sola; útque figerem pedes in luminibus, quæ essem vitura, & quod

securè ad alteram ripæ partem possim transire.

Accinxi me ad transitum, & quamprimum elevavi pedem, ut eum ponerem in aqua, conspexi lumen instar stellæ, quam calcavi, & illa me sustentavit, nè mergeret. Deinde verò alterum fixura pedem, vidi aliud lumen simile priori, atque taliter per totam magni illius fluvij superficiem figebam pedes in luminibus, eum in modum, quo in parvis rivis poni consveverunt lapides, ut transeantur, & comitante me Sancto Angelo meo Custode perveni usque ad extremitatem fluvij in parte adversa.

Quando egrediebar, vidi in ripa arduum, ac difficilem ascensu clivum montis, & ignorans, quà illum deberem conscendere, verti me ad meum Sanctum Angelum Custodem, ut me dirigeret. Ipse mihi ostendit, quà esset ascendendum, & vidi in ea parte arbusculas floridas, aspectu jucundissimas, quarum ramis adhærendo ascendi usque ad verticem montis. Ibi rursus conspexi JESUM Christum Dominum nostrum, qui me duxit viâ planâ & brevi, quam deinde subsequebatur descensus ad aliud flumen, quod facillimè pertransivi, quia me ipsemet Dominus ex sua bonitate est comitatus. Ex eo egressa perveni ad pulcherrimum & amœnissimum pratum, ad quod se contulit ingens multitudo Angelorum ex cœlo, & animarum beatarum, quæ omnes erant speciosissimæ, ac plenæ gaudio & gloriâ; atque multi ex ijs Angelis, assumptis instrumentis musicis, cœperunt illis personare, & canere melodiâ verè cœlesti. Mea anima replebatur ineffabili solatio, voluissétque cum Sancto Petro dicere, ut ibi maneremus, in tam felici loco. Verùm, postquam longo tempore (nescio quamdiu) fui fruita eâ musicâ, & sanctâ societate, ducta sum ad cœlestem Jerosolymam, ad illum locum, in quo ante paucos dies singularem acceperam gratiam, de qua alibi disserui, & in cœlestibus quibusdam gradibus, in Sanctorum Angelorum brachijs constituta, fui in magnam rapta ecstasim. Interea super me cœpit cadere copiosa & svavissima pluvia margaritarum, unionum & gemmarum, quibus tota cooperiebar, atque in eo quasi somno spirituali & raptu Divina Majestas mihi contulit altissimam cognitionem bonorum, quæ reposita habemus in Christo Domino Redemptore nostro, & quomodo propter ipsius merita ducamur per viam hujus mortalis vitæ, ut transeamus ad æternam, qualitérque cum gratia, quam ille nobis est promeritus, vincamus difficultates viæ, donec adeamus possessionem beatitudinis.

Post hunc raptum mihi Deus dignatus est significationem cæterorum omnium, quæ videram & pertransiveram, distinctiùs explicare, sequentibus verbis: Primus fluvius erat symbolum tentationum & molestiarum hujus vitæ, lumina verò in eo apparentia, per quæ ille firmabatur, sunt ea, quæ Deus animæ communicat, tam interna, quàm externa scripturarum, Magistrorum, & Confessariorum, quibus habitis anima cautè & solicitè procedens, quamvis difficulter ac periculosè, adjuta à suo Sancto Angelo Custode, pertransit omnes illos fluctus, quin submergatur.

Mons arduus post hunc fluvium, sunt graves difficultates, quas pia anima sentit, ut ascendat ad perfectionem, etiam post perpessas varias tentationes, & corporales ac visibiles afflictiones. Arbusculæ floridæ sunt veritates, quibus anima inhærens confortatur ad ascendendum, accedente insuper spe consequendorum bonorum, quæ desiderat: & hæc spes significabatur floribus dictarum arbusculorum.

Via plana, est quies spiritualis, quam anima interdum experitur, quando visitatur à Deo, & quæ brevi solet durare tempore, quemadmodum etiam exiguum fuit spatium viæ planæ, quâ sum ducta.

Descensus, & alter fluvius significabat, quòd in hoc statu, etiamsi anima aliquam patiatur afflictionem, hæc tamen sit similis illi, quam sentit is, qui descendit ex monte, quod fit cum modica molestia & fatigatione; omnésque internarum, aut visibilium tribulationum fluctus concitari solitos, Deus complanet, qui securam reddit, atque comitatur animam.

Amœ-

Amœnissimum pratum, cœlestis musica, & beata cœlestium Palatinorum societas, significabant conversationem, quam animæ, quæ pertingunt ad hunc statum, habere consveverunt cum incolis cœlestis civitatis, familiariter cum ipsis agendo, affluentes in hoc fortunato consortio svavissimis delicijs, & aliquid de eo percipientes, quo ipsi perfruuntur, ex præsentia, & clara visione Dei.

Ascensus ad cœlum, & ille somnus spiritualis, quo ibi fui consopita, denotabat effectus remanentes in anima ex ea familiaritate: quia ascendendo per contemplationem ad cœlum, cognoscit ejusdem bona, & authorem, à quo obtinentur, qui est Christus Dominus noster: unde oritur æstimatio, gratiarum actio & amor, cæteríque affectus, quos inter anima conquiescit in unico desiderio, magìs ac magìs sese uniendi suo Deo, absque inquietudine ac turbatione, quam curæ humanæ solent afferre. Laudetur Divina Majestas in æternum. Amen, amen.

*Alijs duabus occasionibus Deus ipsam docuit regiam, & veram viam, quâ ascenditur ad contemplandam Divinitatem, esse considerationem pretiosissimæ humanitatis Christi Jesu delicij nostri. Refert Ven: Marina, quæ evenerunt, hunc in modum.*

Sextâ Martij, anno sexcentesimo vigesimo septimo, vidi Sacratissimam Personam JESU Christi, qui me perbenevolè vocabat, dicendo: Veni Anima, veni huc, & quiesces. Mi Domine, ajebam ego, apud tuos pedes per omnem vitam meam volo manere. Fui derepente ducta ad locum, in quo Ejusdem Majestas sedebat, & flexis genibus acclinavi caput ad genua illius summi Domini, obdormiens somno spirituali, in quo (ità id meæ animæ vivaciter repræsentabatur) me sensi concidere quasi mortuam ad pedes Divinæ Majestatis: videbar mihi esse tota ibi, corpore & animâ. Tum Dominus præcepit meis Dominis Angelis, ut me erigerent, quod cùm illi facerent, idem Dominus imposuit suam sacratissimam manum meo capiti, & sic mihi fui restituta. Postea in momento sum ducta ad immensam altitudinem, ubi mihi fuit data tanta notitia Essentiæ, attributorum, & magnitudinis Dei, ut nullam eâ majorem meâ vitâ habuerim. Redivi deinde ad me, & reperi me in meo angulo: ubi, dum considerarem illud mysterium, & quid posset significare, quia id non poteram intelligere, Divina Majestas, quæ mihi per suam misericordiam non negat lumen in his dubijs, mihi dixit: Ecce, svaves considerationes, & deliciosæ cognitiones meæ humanitatis, comparatæ cum ijs, quibus cognoscitur mea Divinitas, sunt tam imperfectæ, quàm ea, quæ carent vitâ, comparata cum illis, quæ hac sunt prædita. Ex cognitione tamen humanitatis ascenditur, ad cognoscendam meam Divinitatem, ità ut illa tunc veluti sopiatur ac emoriatur, hæc verò quasi vigilet ac vivat. Hoc te volui docere. Id mihi fuit dictum à Domino, qui sit benedictus. Amen.

Aliâ vice, 6. Maij, anno sexcentesimo vigesimo octavo, dū graviter affligerer, ob vehementes affectus, & ardentia desideria, quæ mihi dantur à Deo, ut procurem bonum meorum proximorum, præsertim tam calamitosis temporibus, ducta fui à meis Dominis Angelis, ut me (ajebant ipsi) aliquantùm refocillarent, ad magnū fluvium, qui, contrà quàm hìc fieri videmus, videbatur sursum versùs fluere. Aqua illius erat clarissima & admirabilis, profunditas exigua, quæ, judicio meo, non superabat mediam ulnam, & fundum, quod percurrebat, totum constabat quasi ex auro, margaritis, & pretiosissimis lapidibus. Ego ibam nudipes, & mei Domini Angeli me duxerunt per hunc fluvium, modò intrà aquam, modò supra illam: succèt autem sequens aquam ambulatem sursum, magnam nihilominus sentiebam svavitatem, & facilitatem. Taliter me duxerunt usque ad portam cœli, & thronum Agni JESU Christi delicij nostri, ex qua egrediebatur, & ubi suam ille pretiosus fluvius habebat originem. Postquam ibi perveni, Dominus mihi dixit: Bene veneris, Anima, veni, & respirabis à tuis molestijs ac afflictionibus. Eodem autem momento idem Dominus Omnipotens me

sibi animam univit, omnésque ipsius potentias quàm arctissimè: ubi diu sum fruita bonis & notitijs ineffabilibus, quæ nec enarrari possunt, neque concipi; & remanente ibi superiore parte meæ animæ, quando mihi postea fui reddita, me inveni in meo angulo. Interrogavi deinde, mota ab eodem Domino, Ejus Majestatem, quidnam illud mysterium significaret, respondítque mihi ità: Fluvius ille tam pellucidus & gloriosus, per quem ascendisti, est sangvis Agni CHRISTI JESU, veri Dei & Hominis, stupendæ verò divitiæ, quas in eo vidisti, sunt virtus, ac thesauri illius pretiosissimi sangvinis. Venisti per fluvium, quia qui in solida & vera contemplatione frui voluerint unione Divinitatis, debent intrare per considerationem passionis ejus ac mortis, & sangvinis effusi pro ipsorum redemptione. Benedictus sit iste Redemptor noster, qui est vita, veritas, & via, quâ securè ascendimus ad Divinitatem. Amen.

*Ex omnibus, quæ in præsenti capite, & multis antecedentibus vidimus, clarè cognoscitur, quomodo Deus Dominus noster sensim sinè sensu elevet animas ad majorem ac majorem perfectionem, non limitando suas misericordias, nisi ipsæ terminum sibi præfigant sui conatûs, ad se disponendas, & suâ pigritiâ ac socordiâ obicem ponant influxui liberalitatis Dei, à quo sunt creatæ capaces, ut immensos possint consequi thesauros. Clariùs tamen idem patebit ex eo, quod huic Virgini cum Deo evenit feriâ secundâ, septimâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo sexto. Narrat eventum taliter.*

Feriâ secundâ abrepta ab ijsdem affectibus, quemadmodum toties aliàs, quibus exopto solidè adhærere Deo, absque impedimento creaturarum, petebam id quàm vehementissimè ab ejusdem Majestate, dicebámque illi inter alia: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Quia motivum horum desideriorum erat, ut totum cor meum traderem Deo, nihílque creatum ipsi adhæresceret, ideo subjungebam: Utinam, Domine, me duceres ad remotissimum quempiam montem! Interea audivi Dominum, qui mihi respondebat dicendo. Fiat ità, per me vel maximè licet, veni mecum, & hoc ipso momento me duxit ad montem altissimum, ubi dum versarer cum DEO in summo gaudio, & quiete verè divina, vidi derepente illic fuisse accensum ingentem ignem, qui eum montem undequaque circumdabat, & invalescens appropinquabat loco, in quo eram cum DEO. Hoc viso cœpi exclamare ac dixi: Libera me, mi Domine, ab hoc discrimine, ecce enim comburar. Divina Majestas id dissimulavit, & ille ignis me undique correptam vi quàm potente & efficaci, tam svavi & jucundâ, totam penetravit, atque visa mihi sum fuisse ab eo immutata, & penitus purgata, sicut si hîc injiceretur in ignem vas rubiginosum, cujus flammâ purificaretur. Videns me taliter constitutam, conversa ad Dominum dixi: Verè, mi DEUS, necesse est, ut valde sim mala, cùm tanto sit opus igne, ad expurgandam & mundandam fœditatem meorum peccatorum. Divina Majestas, quæ meam animam, dum hæc fierent, habebat in suis brachijs, mihi respondit: Anima, tantum perfectionis, atque donorum meorum potest creatura rationalis obtinere, ut, licèt plura ac plura assequatur, semper tamen sit capax majorum augmentorum, sempérque majores illi possim conferre gratias, dummodo ipsa magis ac magis se disponat, bene utendo acceptis. Et verò hoc in te nunc sum executus, non ut te purificarem ac mundarem à tuis peccatis, cùm jam sis munda, sed ut ampliùs perficerem dona, quæ tibi contuli, & auctiora redderem beneficia tibi à me præstita.

His verbis dictis, me Dominus ità comparatam tulit in suis brachijs ad meum cubiculum, collocánsque me ibi, præsetulit acsi rediturus esset ad cœlum. Ego videns me ab eo deseri, cœpi illum ardentibus affectibus rogare, nè abiret, dicebámque ipsi: Ah, nè me deseras, mi Domine, nè me deseras; nè discedas, per temetipsum te oro. Divina Majestas simulabat, se velle abire, & ego perseverabam obsecrando, nè abiret. Dominus videns meam

perseverantiam dixit mihi: Quamdiu ergo me vis hîc manere? Tum eo affectu, quem mea anima, ex divina bonitate, habet adeò radicatum, ut nihil aliud velit, quàm quod vult Deus, ipsi respondi: Mi Domine, quamdiu volueris. Divina Majestas autem mihi dixit: Polliceor tibi quòd propter hanc resignationem in meam voluntatem, nunquam sim à te recessurus. Ità cessavit mysterium. Sit hic Dominus in æternum benedictus. Amen.

# CAPUT XXVIII.

## De cura, quâ tales animæ à DEO ducuntur.

*VIdimus vias, quibus Divina Majestas ducit animas, donec eas collocet in culmine perfectionis: videamus nunc, quàm solicitè ac attentè ducat, & quasi ex ipso ventre matris specialissimo affectu observet illas, quas destinavit ad conscendendum tam altum gradum; ac deinde multò amabiliore & vigilantiore circumspectione provehat, quàm ullus amantissimus pater, deducendo charissimos filios ad portum. Id intelliget ex modo, quo curam gessit hujus Virginis, qualem ipsa nobis descripsit in prolixa visione, quam habuit mense Novembri, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, ubi recenset sequentia.*

Dum consvetæ meæ vacarem orationi, valde mihi metuens ob meos defectus, abrepta à vehementi affectu, dixi Divinæ Majestati: Mi DEUS, & mi Domine, propter quod peccatorum meorum, quæ adversùs te commisi, mereor infernum? & quali tuæ bonitatis impulsu me ab eo liberavisti? Divina Majestas mihi statim gravissimâ affabilitate respondit, dicendo: Veni mecum, Anima, & videbis. Extimui nonnihil ob hoc responsum, & aliunde magnam concepi confidentiam erga Divinam bonitatem. Hunc meum, nescio qualem, timorem à me DEUS abstulit, duxítque me in spiritu, & ostendit mihi quendam locum inferni, unà cum ijs, quæ ibi aguntur. Constiti ad crepidinem magni ac profundi putei, ubi vidi maximam copiam damnatorum, atque dæmonum; audivi planctus, tristissimos ejulatus, terribiles desperationes, erántque formidabilia & indicibilia tormenta, quæ ibi sustinebantur. Fundum illius putei pertransibat rapax fluvius, vehens pestilentes aquas, à quo gravissimè cruciabantur. Tam multa ibidem mala audivi ac vidi, & adeò fui perterrefacta, ut nisi fuissem à DEO confortata, ea visio mihi plurimùm nocuisset. Duxit me postea Dominus ad videndum prorsus obiter Purgatorium, quod tamen optimè agnovi, quia mihi aliàs fuerat ab Ejusdem Majestate ostensum. Inde transivi ad limbum parvulorum, qui obierunt absque gratia, ante usum rationis. Fuerunt multi, & commoverunt me ad commiserationem: vidi ipsos in loco obscuro, vehementer attonitos, & velut stupidulos, sinè pœna, aut gloria.

Hinc fui à Domino ducta ad planitiem campestrem, ubi conspexi congregatos multos homines & dæmones. Campus erat figura mundi, omnes erant concatenati, sicuti dum damnati ad tartara ducuntur compediti, uni catenæ affixi. Miserabiles illi homines trahebantur à dæmonibus, quasi raptati. Inter alia scelera, tot ibi erant fallaciæ, nequitiæ, fraudes, confusiones, & prædationes, ut summopere dolerem, videndo tantam perversitatem. Tum Dominus mihi dixit: Vidésne Anima, quid agatur? vidésne. Et hæc fiunt in mundo. Pervenimus deinde ad alium locum, ad quem descendebatur per latus, & procul ab invicem distantes gradus; per illos fui à DIVINA MAJESTATE jussa descendere. Mi Domine, dixi, non

non potero, eò quòd sint vehementer incommodi. Mecum, subjunxit Dominus, omnino poteris. Duxit me secum, & nihilominus ipsos difficulter transivi.

Descendentes postea ex præruptissimo monte, in quo fui plurimùm fessa, pervenimus ad grandem campum, qui erat juxta ripam vasti fluvij. Ibi commeabant navibus Angeli DEI personantes, & canentes admirabiliter divinas laudes. Induxerunt me in unam navim, atque cum magna svavitate, & musica transvexerunt ad ripam adversam: inter navigandum tamen assurrexerunt maximi fluctus, venientes ex parte contraria, & quasi obruturi navem, quæ mihi videbatur submergenda. Ego vehementer timebam, verùm Sancti Angeli non mutabantur, neq; turbabantur, sed prosequebantur iter cum magna pace ac lætitia, continuantes suam musicam. Irruentibus ijs fluctibus, vidi illos transeuntes super navem, eâ salvâ & nullo illato damno. Applicuimus tandem ad portum, cum ingenti meo solatio, & inde sum reducta ad meum angulum.

Post captam modicam quietem, vidi in cœlo præparari magnam solennitatem. Pulsabantur mysticæ quædam campanæ singulari consonantiâ, & harmoniâ; audiebatur sonora musica; Angeli se aptabant, & exornabant elegantissimo vestitu, in quo comparebant pulcherrimi. Et quamvis ex dispositione ac revelatione divina scirent, celebrandum esse festum; ignorabant tamen, in cujus honorem, ideòque colloquentes mutuò se interrogabant: Quænam erit ista Anima tam felix, pro qua tantam Divina Majestas apparat solennitatem? atque alijs mirantibus, alij dicebant: Quid miramur? Cùm DEUS Dominus noster dederit suũ Filium mundo, pro hominum commodo, quid eorundem gratiâ non faciet? Hæc omnia, licèt sint tanta, multò sunt minora, quàm sit, Deum mori pro homine. Talia inter se conferebant illi superni spiritus. Vidi ipsos deinde omnes descendentes ad meum cubiculum, comitantes Personam Spiritûs Sancti, qui adveniebat, non in specie humana, sed modo quodam spiritualissimo, sub pretioso conopeo, seu tentorio, quod mihi repræsentabatur tam magnũ, quàm est universus mundus. Ingens erat majestas & pompa, cum qua hic Dominus procedebat, & postquam ad me pervenit, dixit mihi: Veni Anima, ad gaudium Domini tui, atque exspolia te veste veteris Adami, & indue novam vestem gratiæ. Duxit me Dominus juxta se sub eo tentorio ad cœlestem Jerosolymam, & cùm illuc perveniſſet, univit me Ipsius Majestas sibi arctissimè, introducendo me in immensam abyssum sui Divini Esse, tantâ vehementiâ, ut mihi cor videretur disrumpi. Hic subitò, possibili mihi modo, divino tamen, ac admirabili, cognovi ineffabiles illius Domini excellentias. Observabam optimè quod videbam, & acsi in medio tantæ plenitudinis adverterem, quid deesset, dicebam: Ostende mihi jam, Domine, hoc magnum arcanum, & bene mihi illud jam manifesta. Hac intimâ unione sum diu fruita, quâ finitâ, mea anima sensit, atque etiamnum sentit, se aliter esse constitutam, velut abalienatã in suo Deo, desiderando ipsum, & intelligendo, sesèque Ejusdem Majestate oblectando, eum in modum, quo aliquis habens pretiosum cimelium summi valoris, recrearetur cognoscendo illius pretium, eò quòd ab ipso videretur ac possideretur tanquam proprium, atque idcirco nunquam cessaret ab eo aspiciendo & lustrando. Absoluto hoc mysterio, rursus à Domino fui ducta ad meum angulum.

Ibi mihi Divina Majestas explicuit, quid significarent ea, quæ in præterito mysterio videram, sic mihi dicendo: Exhibui tibi spectandas pœnas inferni, ut agnoscceres gratiam, quam tibi præstiti, dum te protexi, præservando te, nè caderes in peccata, ob quæ eæ pœnæ incurruntur.

Ostendi tibi limbum parvulorum, quibus multùm es compassa, ut te admonerem, quòd te liberaverim ex gravi periculo intra uterum tuæ mãtris, ubi te diabolus voluit enecare, conando te suffocare, quò devenires ad eum locum; útq; mihi gra-

gratias ageres, pro præstita tibi tunc à me gratia. Quando mihi id à Domino fuit dictum, venit mihi in mentem, quod mihi mea mater sæpe narraverat, se dum me pariebat, in summo versatam fuisse discrimine, tantúmque non extinctam.

Dicebat præterea Dominus: Illi quasi gradus tam ardui, per quos descendisti, sunt alia pericula, non minora eo, quod commemoravi, ex quibus à me per præterlapsam vitam fuisti liberata. Primum jam intellexisti: alterum fuit, quòd te in tua infantia dæmon voluerit ex sat alto loco præcipitem agere, & ego illum cohibuerim, nè id exequeretur. Tertium accidit paulò pòst, quòd tibi diabolus voluerit persvadere, ut desilires ex fenestra, dicendo tibi, esse ibi vicinissimam terram, téque non lædendam. Quartum, quando propè Conventum S. Pauli, quidam equus refractarius te erat prostraturus, & absque dubio interfecturus, nisi meus Angelus, in specie hominis, arrepto fortiter tuo brachio, te amovisset. Quintum huic simile, ex quo te aliàs liberavi. Per id, quòd fueris cum meis Angelis introducta in navim, & fluctus tibi incusserint timorem, quin tibi nocerent, significatur status, in quo eras, dum prædicta evenerunt: vivebas enim inter fluctus hujus mundi, sed comitantibus te meis Angelis, à quibus defendebaris, nè tibi pericula nocerent. Hoc mihi dixit Dominus, qui propter suas misericordias semper sit benedictus.

*Nescio, quâ ratione diabolus jam inde à ventre matris videatur agnovisse, aut saltèm fuisse suspicatus, inferendum sibi bellum à Venerabili Marina, ut eam ex illo tempore fuerit conatus persequi. Certum est, paucas hujusmodi grandes animas repertum iri, quæ nobis, si ipsis Deus oculos aperiret, ad perspicienda pericula, ex quibus à Deo erutæ fuerunt, non possent similes millenos enarrare eventus. Etiam quæ nihili facimus, videbimus in æternitate, non solùm animæ, verùm & corporis pericula, ex quibus nos Deus, & Sancti ejus Angeli liberaverunt. In alia quoque visione, quam Venerabilis Marina habuit in festo Ascensionis, anno sexcentesimo vigesimo quinto, cognoscitur cura, quam Deus gerit de suorum servorum animabus, tum in solicitandis præcipuis suis amicis, ut pro illis intercedant; tum in disponendis beneficijs, quæ ipsis est exhibiturus, quando etiam minimè advertunt, ea à se obtineri. Refert factum, ut sequitur.*

Aliquot diebus ante festum Ascensionis Dominus mihi significaverat, quòd me esset ducturus ad locum ex quo Ejusdem Majestas ascenderat ad cœlos: postea verò me interrogavit, cum quo vellem ire, & quem mihi unà ducere placeret, præstiturum enim se mihi eam gratiam, ut non pergerem sola. Ego dixi Divinæ Majestati, gratias ipsi agendo pro favore, quòd essem adducturа meam sociam Marinam Hernandez, & quandam Monialem, insignem Dei famulam, meam amicam, & cui multùm sum obstricta. Per me licet, respondit Dominus: quem autem præterea vis ducere? Nominavi nonnullas alias amicas, & socias meas domesticas. Dominus mihi dixit, ituras etiam ipsas, quanquam diverso modo, eò quòd essent subsecuturæ aliquantò remotiùs. Rogavi illum quoque, ut adducerem duos Patres, quibus sum specialiter obligata, & Ejus Majestas mihi respondit, hos pariter perrecturos cum Patre Ludovico de Ponte. Post hoc, & cùm hujus rei penitus essem immemor, in festo Ascensionis, horâ circiter decimâ, conspexi in meo cubiculo eam Monialem devotissimè ac humillimè provolutam in genua, & quasi præstolantem tempus. Averti, quantùm potui, ab hoc spectaculo oculos animæ: deinde verò inter duodecimam & primam diei horam, vidi meos Dominos Angelos elegantissimè ornatos, & resplendentes, qui ad me accedendo mihi dixerunt: Jam est tempus, veni nobiscum, & ducemus te ut videas Dominum ascendentem ad cœlos. Duxerunt me ad spatiosissimum campum, unáque meam sociam Marinam, ac prædictam Monialem: & postquam illuc perveni, vicinissima fui Domino, ita ut duæ sociæ retrò nonnihil distantes, duæ amicæ, cum cæteris domesticis remanseres. Vidi obiter Sanctos Discipulos, & Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte,

pos

penes quem erant suprà dicti duo Religiosi.

Dominus noster JESUS Christus habuit ad omnes devotissimum sermonem, quo finito cœpit ascendere ad cœlos, cum comitatu millenorum Angelorum, qui ipsi obviàm descenderant, & Sanctorum Patrum, quos liberaverat ex limbo, ducens me, & totam illam societatem post se, mirum in modum exultantibus, & concinentibus ijs beatis Spiritibus. Cùm jam fuissemus valde procul progressi, interposuit se nubes inter Dominum & Apostolos ac Discipulos, qui manserunt infrà, atque ità ab his non fuit amplùs conspectus. Postea, nube instar nebulæ dissipatâ, patuerunt cœli, & hic Dominus intravit triumphans, summóque cum gaudio est susceptus à suo Patre æterno, dicente ipsi: *Sede à dextris meis, donec &c.* Omnibus quoque suis Angelis mandavit, ut eum adorarent. Hi statim se prosternentes ipsum adoraverunt, tanquam suum Deum ac Dominum, egerunt illi gratias pro beneficio, quod præstiterat mundo, & pro mysterijs, quæ in remedium animarum erat operatus. Hoc ibi in summa fuit actum, non enim suppetunt verba, ad exponendam majestatem, quâ illic singula animæ repræsentabantur, & admirationem, quâ ab ipsa spectantur. Peractâ istâ adoratione Dominus mihi dixit: Anima vade in pace: modò namque hîc non manebis, sed aliàs, quod brevi fiet: & postquam fuisset impertitus suam sanctissimâ benedictionem mihi, Patribus, & meis sociabus, quæ me comitabantur, reversa sum ad meum angulum. Diu post me Dominus secum univit, denuóque duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi mansi per hanc totam octavam, sicut à Domino dictum fuerat.

Deinde agens cum Sancto Patre Ludovico de Ponte, interrogavi illum. Sancte Pater, si ij Religiosi, & meæ sociæ non viderunt, neque perceperunt quod ego, quid illis profuit, quòd ibi adfuerint? Sanctus autem respondit: Quamvis non viderint, nec intellexerint quod tu, licétque eo tempore fuissent distenti & occupati alijs rebus (quod tamen nunc de ipsis non assero) multùm illis profuit, quia fuerunt participes benedictionis, quam ijs Divina Majestas est elargita. Adverte, nunquid nõ vidisti Patrem habentem filios sibi valde charos, de quibus, dum sunt parvuli, dormientibus, omnísque expertibus curæ, Pater ipsorum solicitatur, procurando ijs omnia bona, & solerter cogitando, quid illis sit daturus, in quo eos vitæ genere collocaturus, ubi adoleverint? Ità verò agit Deus, qui vobis nec advertentibus benefacit, ac tanquam amantissimus Pater est solicitus de vestris progressibus, & quomodo majores vobis conferre possit gratias. Benedictus sit tam benignus Dominus, ac tam dignus amari. Amen.

*Quâ ratione idem Dominus permittat, ut in hujusmodi animabus reperiantur levissimi, & quasi naturales defectus, pro majore earundem humilitate, atque ad elicienda inde magna alia bona, & quàm gratiosè ac amabiliter, more suavissimæ matris solicitetur de ijs purgandis ab hu exiguis nævis, indies ipsas magis exornando & expoliendo, docuit Divina Majestas Venerabilem Marinam paucis mensibus post præcedentem eventum, in quadam visione, quam illa his verbis descripsit.*

Decimâ Julij, illucescente die, hoc eodẽ anno sexcentesimo vigesimo quinto, dum vacarẽ meæ consvetæ orationi, exercendo ferventes actus, ut me in omnibus divinæ subjicerem voluntati, sentiebam me cum divina gratia promptam, ut descenderem ad pœnas inferni, si id Deo placeret, fierétque sinè mea culpa. Tum mihi Deus repræsentavit pulcherrimum puteum, duplo latiorem nostratibus, qui prodiens ex terra tam altum habebat tegmen, ut protenderetur ultra cœlum. Aqua illius erat purissima, cujus claritati nulla hujus mundi est comparabilis crystallus. Abstraxi me ab hoc spectaculo quantùm potui: verùm mei Sancti Angeli me apprehenderunt, & infernè induxerunt in eum puteum, sursúmque per ejusdem aquas promoverunt, donec pervenirem ad ipsius crepidinem, quæ extabat in cœlesti Jerosolyma. Ibi comparui coram Beatissima Trinitate, in pulcherrima veste, candida

instar nivis, & resplendente instar Solis; atque ipsemet Trinus & Unus Dominus me alloquens, magnum erga me præseferendo amorem, mihi dixit: Veni columba mea, amica mea, quàm pulchra es, & quàm places oculis meis. Mi Deus & mi Domine, ajebam ego, nihil sum; si quid habeo, tuum est, & hanc vestem tu mihi dedisti. Ità est, dixit Dominus, & si quis vitæ mortalis tibi pulvis adhæserit, millies te mundabo, reddámque puriorem ac pulchriorem. Fui quidem repleta solatio, nihilominus etiam summè erubui, & respondi Domino: Mi Deus, grande malum est, quòd, cùm tu adeò sis bonus, adeò misericors & liberalis erga animas, tam singularia ipsis præstando beneficia, svaviterq; eas tractando, tam magna tamen sit incuria nostra, ut nostræ culpæ commaculent ac defœdent pulchritudinem, quâ illas per tuam adornas gratiam & charitatem. Tu, mi Domine, me abluis ac dealbas in flumine tuarum gratiarum, & ego me denuò coinquino. Videor mihi esse similis infanti, qui à matre comitur atque exornatur, & postquam permittitur abire, revertitur ad suas infantiles nugas, humique reptando se inficit pulvere, aut replet luto. Talis namque sum ego, mi Deus. Etiamsi verò millies, dixit Dominus, fueris reversa ad pulverem & sordes, ùt ais, millies te rursus mundabo; & sicut mater non fatigatur comendo suum filiolum, ità nec ego fatigabor te exornando. Ecce, Marina, hæ parvæ maculæ, de quibus loqueris, hi defectus naturales, atque inadvertenter scaturientes ex anima, & quodammodo connexi cum mortalitate, non commaculant, neque defœdant animam, ità ut mihi displiceat: quin imò ex his nævulis ego magna elicio bona humilitatis, & propriæ agnitionis pro eadem anima, quâ ratione animæ potiùs proficiunt, & perficiuntur, quàm ut aliquam patiantur jacturam. Quando is, qui versatur in fodinis metallicis, eruit aurum mixtum terræ, non propterea ipsi displicet: mundat illud in igne, redditque purum. Pictor, qui elegantissimam pinxit imaginem, non spernit illam, quia relicta in conclavi obsita fuit pulvere, sed facillimè & libentissimè abstergit, ut sit qualis priùs fuerat, etiámque politior. Idem contingit in hoc negotio, quod tibi expono.

Post hæc verba à Domino prolata, adverti me esse indutam alio, & pretiosissimis distincto gemmis vestitu, atq; Divina Majestas conversa ad suos S. Angelos, ijs dixit: Ducite hanc animam per totam illâ cœlestem civitatem, ut exhilaretur ac recreetur, & aliquid percipiat ex bonis, quæ hîc reperiuntur. Fecerunt id ij Sancti Palatini, ducentésque me per illa cœlestia forá, ostenderunt mihi summam magnificentiam, cõmunicante mihi interim Deo sublimissimas notitias sui infiniti Esse, illarúmque immensarum perfectionum, & gloriæ Sanctorum ipsius. Et sicut hîc, dum quispiam prospicit è fenestra tendente ad forum, die solenni nundinarum, videt confusè, quid in eo prostet, quid in illa hominum, bestiarum, officinarum & merciũm confusione agatur; ità me ij Sancti Angeli constituerunt in quadam velut specula illius magnæ civitatis, & exhibuerunt mihi spectandum totum hujus mundi grande forum, plenum confusione & negotiatione hominum, vanas operas, & malè impensas occupationes mortalium. Inde me rursus duxerunt ad conspectum magni Dei nostri & Domini, qui me sibi arctissimè univit: quando autem mihi fui restituta, inveni me in meo angulo, & in consveta oratione, quam fueram exorta.

Elapsâ deinde unâ circiter horâ, vidi descendentem ex cœlo JESUM Christum Dominum nostrum, cum comitatu innumerabilis multitudinis Angelorum, magnâ conspicuum majestate: appropinquabat meo cubiculo, & ego eram perplexa atque confusissima, voluissémq; me quodammodo abscondere, si potuissem: sed nec potui, neque sum permissa hanc visionem rejicere. Dominus se collocavit in splendida ac admirabili sede, & omnes illi cœlestes Aulici se coram eo prostravere, dixítque mihi: Conquiesce Anima, & attende, quid in te velim operari. Adverti me tunc indutam veste, quali olim me consveveram, priusquam ægrota decum-

bere

berem in hoc paupere lecto, cúmque me proſtraviſſem coram eo magno Domino, Divina ejuſdem Majeſtas deſcendit quaſi per duos vel tres gradus ad locum, in quo eram. Vidi, quòd ferret in manu quoddam cimelium inſtar ſacri reliquiarij, ſeu ornatæ hierothecæ, ubi erant velut inſculpta omnia ſacra vitæ ipſius myſteria, licèt mihi idemmet Dominus etiam ibi videretur exiſtere, séque ipſum portare in ſuis manibus, ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Acceſſit igitur ad me, ac diducens in pectore meam veſtem, impoſuit eò illud Divinum reliquiarium, dúmque me puriſſimâ ſuâ manu tangeret, viſa mihi ſum ſinè dubio experiri, quòd manus verè eſſet carnea: ſiquidem eſt omnino diverſus, ſatíſq; dignoſcitur alius tactus uſitatus Divinarum Perſonarum, aut Sanctorum Angelorum, quando aſſúmunt corpora apparentia. Dominus iterum ſedit, demittens quaſi pendula ſua ſacratiſſima brachia ſuper latera ſellæ. Tum elevata à Sanctis Angelis, corámque eo flexis genibus collocata, oſculata ſum, eâ animoſitate & licentiâ, quam mihi dedit, unum è ſacris ejus pedibus, & mox alterum, eodémque modo ſum diſſvaviata ſanctas ipſius manus.

His peractis ſe Ejuſdem Majeſtas movit, quaſi vellet abire, id quod vehementer ſenſi, & abrepta à ferventi mei amoris affectu, ac velut cæcis oculis, ut non adverterem meam vilitatem, dixi illi: Ergóne, mi Domine tam citò abis? Tum Ipſius Majeſtas, quodammodo vices meas dolens, mandavit Sanctis Angelis, ut me denuò ſecum ducerent ad cœlum, quod factum eſt. Et cùm me proſtraviſſem coram Beatiſſima Trinitate, Chriſtus Dominus noſter à me abſtulit illam hierothecam, quam intra me poſuerat, atque Triunus Dominus me ſecundò univit cum ſuo Divino Eſſe, unde ad me reverſa, me reperi in meo angulo.

Dubitabam de ſignificatione illius hierothecæ, & qua ex cauſa illam à me Chriſtus Dominus in cœlo abſtuliſſet, dúmque id conſiderarem, vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui me ex hoc dubio expedivit dicendo, quòd ſignificaverit, quando mihi fuit impoſita, applicari mihi merita Chriſti Domini, per quæ jus habemus, ac aditum ad cœleſtem patriam, ideóque dum in ea exiſtimus, ceſſare hanc applicationem, quæ fit per ſancta Sacramenta, quorum uſus non eſt in cœlo, dum fruimur præmio, quod nobis ea merita attulerunt. Benedictus ſit ſemper DEUS. Amen.

*Paulò poſt hanc viſionem, Divina Majeſtas aliud Venerabili Marinæ myſterium oſtendit, ubi illam edocuit de ſuaviſſimo modo, quo non tantùm bona ſpiritualia, ſed etiam vires naturales in ſuis amicis conſervat. Hoc evenit decimâ nonâ dicti menſis Julij, & eodem anno, quod ſic refert.*

Feriâ quintâ, die decimâ nonâ hujus, Dominus mihi dixit, quòd me vellet ad ſe invitare, & excipere convivio. Extimui vehementer, & recurri ad Divinam Majeſtatem ſolitâ viâ, & modo meæ orationis; rogavi ut me illuminaret, multóſque in hunc finem actus elicui. Dum me ijs occuparem, non poteram non videre, inſtrui juxta meum lectulum admirabiliſſimam menſam, tametſi parvam. Conſederunt ad illam Domini Angeli mei contubernales. Angelus *Parvulus* quaſi ſtabat, tanquam ſerviturus ad menſam, & meus Cuſtos adhærebat meo lateri. Ad caput menſæ accubuit, qui meâ opinione tum videbatur eſſe ſummus Angelorum. Ego petebam obnixè lumen à Deo, dicebámque in corde meo, ipſum ſolùm à me amari & quæri. Ille verò, quem exiſtimabam eſſe ſupremum Angelorum, cùm interim eſſet Chriſtus Dominus, mihi dixit. Quieſce Anima, ego enim ipſe ſum, quem quæris; etiámque meus Sanctus Angelus Cuſtos mihi innuebat, ut quieſcerem. Ità penitus acquievi, & vidi in menſa patinas cujuſdam cibi myſtici: in una erant quaſi fructus, & in alia quaſi herbæ. Licèt autem mihi tales apparerent, videbam tamẽ clarè, nec eſſe herbas, neque fructus. Dominus accepit unam buccellam ex herbis, deditque meo Angelo Cuſtodi, à quo fui, impoſita in os meum. Ego eam guſtavit deglutivi, & ſenſi in ſtomacho. Deinde

mihi

mihi eundem in modum est data alia buccella è fructibus, utque post hoc illa patina cum reliquis fructibus fuit tradita Angelo *Parvo*, qui ministrabat, & ipse abivit, tanquam eam esset, nescio cui, oblaturus. Data mihi est & tertia buccella, è quadam re, quæ summè resplendebat. Nolebam illam suscipere, tandem tamen sumere debui, & sic fuit finitum convivium, atque mensa sublata. Adhibitis mox instrumentis musicis, canebatur is versus Davidis: *Domine labia mea aperies* &c. ac deinde: *Gloria Patri, & Filio*, &c. Et postquam audivissem hanc musicam, adverti, me versari in mea ordinaria oratione, atque in consveta mihi præsentia Dei.

Præterierunt septem vel octo horæ, & cogitavi de prædicto mysterio, quod licèt optarem, non poteram tamen intelligere. Interea conspexi juxta me Sanctum Patrē Ludovicum de Ponte, qui mihi dixit. Noveris velim, Soror, datas tibi fuisse has buccellas, ut tum debilis tua natura confortaretur, tum etiam tibi conferretur augmentum gratiæ, & ea, quam habes, conservaretur. Visa mihi sum hoc audito aliquantùm affligi, & dixi ipsi: Si ità est, Sancte Pater, oportet me esse valde improbam, cùm sit necesse, me tam extraordinariè sustentari, ut conserver in gratia. Certè Soror, respondit ille, nimia es, ac terribilis in tuis timoribus. Num ignoras, pro augmento, & conservatione gratiæ esse necessaria auxilia Dei, & nos dependere omnes ab amabili ipsius providentia? Interrogavi ipsum postea, cuinam Sanctus Angelus *Parvus* tulisset eam patinam? & respondit mihi: Tulit ipsam illi, quæ tibi singulari fervore & charitate sæpe mittit cibum, quo in tuo morbo reficeris; & propter hanc eleemosynam, quam tibi facit, Deus illam voluit remunerari. Ipse sit benedictus in æternum.

# CAPUT XXIX.

## Dispositio animæ ad contemplationem, & consequendos in ea singulares favores.

*AMabilissima Dei cura, quâ has animas duci vidimus, adfert de Lege ordinaria dispositionem, quâ se illæ præparant, aptando se ad gratiam Divinæ vocationis, ipsas invitantis, ac dirigentis ad tam insuetam viam, à tam paucis tritam, atque ad correspondendum perpetuò acceptis beneficijs. Verùm quidem est, multas reperiri sanctas & puras animas, servientes ex toto corde, & placentes Deo, quin tamen unquam cœlestis mensæ delibent micas, delicias suavissimas, quæ plerumque in perfecta contemplatione percipiuntur. Occultissima sunt magni Dei nostri judicia, qui novit ejusmodi animas confortare ad laborandum, absque mercede stipendij, reservando ipsis vel ideo pro æternitate cumulatiorem immortalium præmiorum superabundantiam. Attamen quamvis animæ purissimæ inveniantur absque contemplatione, nunquam est contemplationem stabilem reperire, & perseverantem intimam cum Deo familiaritatem, nisi in mundissimis animabus. Dixi, stabilem, & perseverantem: siquidem infinita magni hujus Domini bonitas, utpote prodiga in præstandis suis misericordijs, solet quidem interdum incipientem & imperfectam animā derepente elevare, ad perfectam contemplationem, adhibendo hoc medium tanquam efficacissimum, ad illam subitò abstrahendam ab omni eo, quod terrenos redolet affectus. Nihilominus certa sit talis anima, se brevi tam præclaro privandam bono, si illo abutatur, si non incipiat eâ cooperari generositate, quam exigit accepti beneficij magnitudo. Istam dispositionem, quæ in eo consistit, ut anima omnibus abrenuntiet, quæ sapiunt gustum proprium, docuit Divina Majestas Venerabilē Marinam, inter alia, quæ ipsi revelavit in Julio anni sexcentesimi vigesimi quarti, quod ab ipsa sic recensetur.*

Dignatus est mihi Deus manifestare ineffabile mysterium Beatissimæ Trinitatis, & osten-

& ostensis mihi tribus magnis gradibus, qui erant in terra, vocavit me dicendo: Veni huc, Anima, & conscende hos gradus. Mi Deus, respondi, non potero. Accede, subjunxit Dominus, poteris enim me adjuvante. Accessi, & primus gradus erat tam altus, ut pertingeret ad meum pectus, videbatúrque mihi impossibile ascendere, & idcirco id dixeram. Sed ille Triunus Dominus, inclinans suam majestatem & magnitudinem, me adjuvit. Pater æternus mihi porrexit manum, & conscendi hunc primum gradum. Deinde mihi eam porrexit Filius, & conscendi secundum; ac tandem porrigente mihi manum Spiritu Sancto potui conscendere tertium. Hîc fui perfectissimè unita Divino isti Spiritui, ubi vidi, quomodo gloria communicaretur animabus, essentque hæ beatæ, intuendo illud Divinum Esse. In horum mirabilium contemplatione mihi, velut absorptæ, dixit DEUS: Veni mecum, Anima, volo namque tibi alia maxima ostendere, & ducens me secum, attigit suâ sacrosanctâ manu unam meam aurem, cúmque id mirarer, ac more meo timerem, quòd esset actio extraordinaria, Divina Majestas hoc dissimulavit, & progrediens ulteriùs me rursus attigit, uti priùs, dixítque mihi: *Audi filia, vide, inclina aurem tuam, obliviscere domum Patris tui.* Auditis his verbis, incepi metuere, & suspicari, utrùm non aliquid retinuissem, quod non dedissem DEO, & humiliando me interrogavi ipsum, quidnam deberem oblivisci, denuóque offerre Ejus Majestati. Respondit, me hunc in modum à se doceri, quòd animæ, ut ad perfectam perveniant contemplationem, non solùm debeant dare omnia terrena, & affectus erga ea exuere, verùm etiam omnes delicias & gustus spirituales, perfectissimè se resignando in divinam voluntatem, ut nihil aliud velint, quàm beneplacitum, & gustum hujus Domini in omnibus rebus.

Deinde mihi Divina Majestas ostendit hierarchias, atque choros Angelorum, & quomodo omnes fruantur ipsius gloriâ, sintque beati, contemplando illam Divinam Substantiam; & obstupui præter morem, quòd, etsi omnes essent dissimiles ac differentes, admirabilis nihilominus esset eorundem consonantia & harmonia, in ea gloria, & visione DEI, quam ipsis Divina Majestas communicabat, juxta singulorum capacitatem, eo modo, quo hîc ex differentibus vocibus resultat svavis & consonans musica. Ibi singulariter agnovi meum Sanctum Angelum Custodem, & alios Sanctos Angelos, cum quibus sum interdum versata, fuítque mihi id præcipuo solatio, sicuti qui peragrans extera Regna, in ijs agnoscit aliquos suos conterraneos. Postquam ista vidi, & illis fui fruita, quæ mihi Divina Majestas voluit manifestare, dignatus est me idem Dominus eâdem viâ, quâ veneram, reducere ad meum angulum. Quia verò mirabar hanc specialem gratiam, eò quòd esset minùs usitata, quæsivi ex eo causam, & respondit mihi, se ità volùisse docere, quòd, sicut est impossibile, animam absque singulari ipsius auxilio & favore ascendere, ad videnda ac percipienda adeò stupenda bona; ità quoque fieri nequeat, ut revertatur ad statum hujus vitæ mortalis, absque speciali favore, sinè quo natura deficeret. Ipse sit benedictus. Amen.

*Quod attinet ad fidelem & perpetuam Ejusdem Majestati debitam, ab animabus incipientibus obtinere à DEO hos favores, correspondentiam, quâ se reddunt habiles ad alios novos consequendos, quamvis ea de re nonnihil sit dictum in primo libro hujus secundæ partis, apponam hîc tamen unam hujus admirabilis Virginis schedam, spectantem ad præsens propositum, quæ summatim omnia complectitur, & scripta fuit (prout computo, dum certum tempus non reperio) postremis vitæ ipsius diebus, ubi ità ait.*

Excitavit DEUS in mea anima incensum, & ardentem affectum amoris sui, quem multi alij comitabantur variarum virtutum, præsertim verò unus vehementissimus despicientiæ mei ipsius, ortus ex cognitione propriæ vilitatis, qui per divinam misericordiam, in me stabilissi-

mè perseverat, mihíque per omnem propè vitam adhæsit. Hinc fit, quòd plerumque in hujusmodi occasionibus sentire soleo, éstque ecstatica quædam admiratio infinitæ bonitatis & sapientiæ, atque altissimorum ipsius & occultorum judiciorum, in agendo tam familiariter cum adeò vili creatura, & abrepta ab hoc affectu dixi DEO: Quomodo, mi DEUS, est possibile, ut in me opereris tam mira, mecúmque tot, ac tam diversis modis familiariter agas, per totum vitæ tam longævæ decursum, manifestando mihi altissima tua arcana, cùm sim tam sordidum & abominabile sterquilinium, atque vas ex rudi formatum limo, & malè excoctum, non valens retinere liquorem, qui ei infunditur; cisterna rupta, dimittens aquam puram & limpidam, quâ repletur? Hoc, mi Domine, est ineffabiliter verum: quid igitur significat, te, tametsi sim talis, ità mecum agere? Jam tunc mea anima erat quasi ebria, magis sequens ductum affectûs, quàm capax rationis, ut vix dignoscceret, quid loqueretur, ac proinde, quasi DEUS posset affici tædio & fatigari, perrexi dicendo: Dic mihi, dilecte mi, & Domine mi, per temetipsum te obsecro, & per infinitam bonitatem tuam, dic mihi tandem, nè te fatigem ac tædio afficiam, quam ob causam sic dispergas ac dilapides tuas misericordias, eásque tam prodigè profundas in animam tam vilem, miserabilem & incapacem ullius boni, tam indignam, ut accipiat hæc beneficia? Dic mihi demum, mi DEVS, quod te interrogo, per te ipsum te oro.

Audivit Dominus DEVS Majestatis, summa cum voluptate & affabilitate, quod illi mea pauper anima, accensa & abrepta à suis affectibus, dicebat, atque cum eodem amore sic ipsi respondit: Anima mea, magna profectò est tua interrogatio; sciendum namque tibi est, quòd Divina mea judicia sint altissima, & secretissima, quódque ego solus, meâ æternâ sapientiâ, possim meipsum comprehendere. Nihilominus respiciens ingentem tuum purum, candidum, ac sincerum affectum, & amorem, quo erga te feror, volo te consolari, tibíq; ad tuam interrogationem respondere, quantum à tua capacitate potest percipi. Vocavi te à principio tuæ primæ ætatis, & simul ac audivisti meam vocem ac vocationem, verè & efficaciter mihi respondisti, sicut scis; atque postquam te ad id disposueram, ac dotibus non modò spiritualibus, sed etiam naturalibus instruxeram, téque juvabam, illuminabam, ac docebam per totum vitæ tuæ cursum, semper fuisti cooperata, progrediendo gradatim in fidelitate & solicitudine, quæ tot meis debebatur misericordijs. Sic, Anima, pervenisti ad statum aptissimum, ut in te mea mirabilia operarer, tibíq; mea dona communicarem, quemadmodum tibi constat, & constabit deinde mundo. Ego te diligo, mihíque in te complaceo. Istud, Anima, est responsum ad tuum quæsitum. Nunc vale, & quiesce in me. Hoc dixit Dominus. Magna inde fuit in me derivata serenitas & consolatio, atque reddita mihi post hunc raptum non cessabam, humiliando me, & obstupescendo, agere gratias huic magno Domino, pro excellentia ipsius operum, & admirandis divinæ ejus misericordiæ effectibus. Benedictus sit ob id, quod est in semetipso, & quod infinitus ejusdem amor agit in suis pauperculis creaturis. Amen, amen.

*Quantumvis fidelis cooperatio, quam animæ contemplativæ debent, & exhibent suo DEO, se ad omnes extendat occurrentes materias; quia tamen hæc via unitiva tota est amoris, atque iste tunc solum legitimè exploratur, quando adversitates constanter sustinentur DEI causâ; frequentior modus, & occasiones magis continuæ, quibus Divina Majestas easdem animas probat ac perficit, sunt, dum animosè internum, aut externum tormentum toleratur pro dilecto. Ista est via regia horum Justorum, hæc ipsa est illa, quam per omnem vitam suam, per diversa & incredibilia afflictionum & molestiarum genera, trivit Venerabilis Marina, prout in toto hujus fusa historiæ decursu toties apparuit.*

Veri-

*Veritatem ejusdem vie, & securitatem illi aliquando Divina Majestas, inter alia, exposuit. Rem gestam nobis pro nostro exemplo hic conceptis verbis ipsa describpsit.*

Feriâ sextâ, die trigesimâ Maij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, vidi scalam, quæ unâ extremitate erat defixa in terra, & alterâ non solùm pertingebat ad cœlum, sed etiam procul sursum intra illud porrigebatur, donec inniteretur pectori ipsius Dei. Adhibui omnem mihi possibilem diligentiam, ut oculos animæ ab hoc spectaculo averterem, sicuti facere soleo, quotiescunque mihi id in hujusmodi occasionibus conceditur, quod mihi in hac præsenti non fuit concessum, tametsi solito vehementiùs, abrepta à meis timoribus & pusillanimitate, conarer obsistere, optando adire Deum per meam consvetam orationem. Tandem me hi mei Domini Angeli, & alij, apprehensam cœperunt ducere per eam scalam, quanquam renitentem: siquidem non omni prorsus eram destituta facultate, ad aliqualiter saltèm repugnandum. Ità incepi ascendere, adjuvantibus me Sanctis Angelis, & continuò vidi sub dicta scala plurimos feroces molossos, qui contra me consurgentes, me conabantur impedire, nè progrederer. Exiliebant sursum terribilem in modum, ut me arriperent, cum impetu, quo me optabant ac volebant discerpere, quod cùm non possent, mordebant gradus scalæ, ac nihilominus præ rabie furentes attentabant me dilaniare.

Processi ascendendo usque ad summitatem scalæ, etiámque ulteriùs, donec essem ingressa in Deum, non intra profunditatem hujus Divini Esse (sic id animæ repræsentabatur) sed quodammodo in extimam superficiem: & videntur mihi isti modi existendi intra Deum, in his occasionibus, posse aliqualiter hoc exemplo explicari. Habet quæpiam mater parvulum filium, quem impensè amat, cuique est tenerè addicta. Talem illi affectum ac teneritudinem uno è tribus modis exhibet, vel manu eum ducendo, incedente puero suis penes ipsam pedibus; vel attollendo ad suum sinum, ut ibi quiescat; vel admovendo suis uberibus, sustentando illum suamet substantiâ. Ità, quando anima has à Deo gratias accipit, quæ sunt effectus divini ipsius amoris, quamvis illam apud se habeat, videtur tamen eam aliquando velut manu tenere, tanquam dilectam & gratiosam filiam, ibíque ipsi loqui, & cum illa conversari: aliàs eandem sibi propiùs admovet, exhibendo illi per arctos amplexus majorem affectum, replendo ipsam majoribus, & purissimis solatijs, communicando ei clariores notitias de suo Divino Esse, atque attributis interdum verò illam quodammodo inducit intra suum Divinum Esse, ipsúmque suum cor, ubi omnia prædicta sunt longè perfectiora, ac tam alta & sublimia, dum multa cognoscit & percipit de immensa ea abysso gloriæ, ut anima nullatenus sciat, quomodo ab ipsa possint explicari: & quamvis anima multis annis cogitaret de modo exponendi vel atomum, ex ijs quæ ibi aguntur, non tamen posset.

Per hos tres gradus me hac vice Deus duxit, quando ex ista antedicta quasi superficie sum progressa ad interiora, atque hinc ad centrum ipsius Divinitatis, quod nec est centrum, neque superficies: sed ego ignoro alium modum me explicandi. Quando ad me redij, desiderabam scire significationem illius mysterij, quia mihi necdum fuerat declaratum. Quapropter rogavi Deum, & Divina ipsius Majestas mihi solitâ benignitate dixit duo. Primũ erat, viam crucis esse certissimam & securissimam, quâ ad illum pervenitur, innuendo mihi, id, quod patior, ac difficultatem, quam experior in procedendo per has vias extraordinarias, esse dispositiones, ut Ejusdem Majestas mihi has præstet misericordias. Secundum, vias, quibus animæ ascendunt ad Deum, tanquam per scalas, esse dona ipsius & misericordias, quæ suum habent fundamentum in amabili Dei pectore & corde, unde derivantur ac descendunt ad animas, & cum ijsdem ad eundem Deum revertuntur. Atque istud fuerit eo significatum, quòd illam scalam, per quam descendebatur & ascendebatur, habuerit suo pectori innitentem.

tentem. Hac vice non vidi Deum in ulla ſpecie corporea, ſed per viſionem merè intellectualem, abſque omni figura imaginaria, quantùm ad ipſum attinet; verumtamen adeò clarè ac diſtinctè, ut quæcunque exteriorum oculorum viſio, omníſq; repræſentatio phantaſiæ ſit cæca, ſi cum iſto modo videndi comparetur. Benedictus ſit idem Dominus in æternum. Amen.

*In alia charta narrat Venerabilis Marina modum, quo Deus viam contemplativorum diſtinguit crucibus, & ſpiritualibus delicijs, quaſi ex illis ſpinis hi flores naſcantur, dentúrque hæc cœleſtia analecta, ad confortandam, & refocillandam animam, ut libenter ſumat aloë afflictionis, quâ eam probat, reddítque robuſtiorem, & fideliorem in ſuo obſequio. Sic verò ait in libello conſcripto menſe Junio, anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto.*

Paulò ante feſtum S. Joannis vidi unũ Angelum ex *Parvis*, qui habebat in manibus crucem, cujus brachia erant æqualia, & ab unius extremitate ad extremitatem alterius protendebatur faſcia, quâ per totam crucem efformabatur rotundus arcus: in junctura duorum brachiorum habebat crux acutiſſimam cuſpidem ferream, & unâ circiter ſpithamâ longam. Averti oculos animæ ab hoc ſpectaculo, recurrendo ad Deum, ſicut aliàs. Tum conſpexi Sanctũ Patrem Ludovicum de Ponte, qui alloquens illum Sanctum Angelũ, dixit ipſi: Iſta cuſpis reddet vehementer attonitam, ac terrefaciet animam hujus creaturæ; & meus Dominus Angelus Cuſtos, auditis his verbis, ſtatim ad me acceſſit, animando me atque conſolando, ac dixit mihi: Hæc tibi cuſpis non poterit nocere, ſi meis manibus fuerit contrectata. Et hoc dicto, convenit alterum Sanctum Angelum *Parvum*, ac pertentavit manibus cuſpidem, acſi eam permulceret atque emolliret. Mea anima audiens illa verba, & videns quod ab ipſo fuerat factum, conquievit, & repleta fuit ſolatio. Tum is Angelus, qui ferebat crucem, mihi appropinquavit (compellente me Domino, ut viderem ac attenderem, quid ageretur) & cùm diſcooperiret ſuum pectus, conſpexi in eo pulcherrimum hiatũ, ſeu vulnus, quod referebat ſpeciem elegantiſſimarum roſarum, & relucebat inſtar ſolis. Poſtquam ad me pervenit, applicuit illam crucem meo pectori, transfixítque prædictâ cuſpide meum pectus & cor, ità ut ad alteram dorſi partem pertranſiret. Deinde eam exemit, atque ubi fuerat ingreſſum & egreſſum lumen, remanſerunt tam in pectore, quàm in dorſo, duo venuſtiſſima ſigna ſplendidiſſimi luminis. Signum pectoris erat majus ac pulchrius, & ſimile illi, quod vidi in pectore Angeli, alterum autem dorſi erat inſtar ſtellæ. Hoc peracto Sanctus ille Angelus diſparuit, neque ipſum ampliùs vidi.

Admirata ſum iſtud myſterium, & alloquens Deum, dixi illi: Quid eſt hoc, mi Deus, & quorſum talia agendo collimas, cùm mi Domine noveris, me ijs teddi valde perplexam? Tum Sanctus Pater Ludovicus de Ponte mihi dixit: Scias velim, Soror, tantum eſſe amorem, quo Deus fertur erga animam, quæ ipſum amat, & ei ſervit, ut ſe eo modo cum illa gerat, quo mater cum filia, quam teneræ amat, ut, quamvis ſit infans, & in eo ſtatu, eáq; ætate incapax multorum ornamentorum, quæ illi aſſervat, nihilominus minimè intermittat diverſis exornare crepundijs modò ipſius caput, modò manus, jam aures, jam veſtes, non alio fine, quàm ut ſuâ ſe oblectet pupâ, & recreet. Ità magnus Deus noſter & Dominus, cujus delicię ſunt verſari cum filijs hominum, hujuſmodi illis præſtat ſpeciales favores, per quos ipſis demonſtrat Divinam ſuam complacentiam, ac tenerrimum amorem, quo ijs afficitur. Præterea tamen te hac occaſione duo voluit docere: Primum eſt, ut ex vulnere, quod vidiſti in pectore Angeli, éſtque ſignum proprium corporis humani, intelligeres parentelam & unionem, quâ Angeli ſunt in Deo juncti hominibus. In eo verò, quòd tuum cor fuerit attactum ac transfixum illâ cuſpide, oſtenſum tibi eſt, quomodo animæ per divinam gratiam, Deíque favorem, & vim ipſius amoris, eleventur ad contemplationem, quæ

est propria Angelorum: ut agnosceres, quòd Verbum Divinum, sicuti est author Angelorum & hominum, ità quoque faciat, ut Angeli descendant ad conversandum cum hominibus, & ab his per charitatem quadantenus reddantur participes eorum, quæ sunt ipsis propria, quemadmodum homines ascendunt ad percipiendum aliquid ex ijs, quibus fruuntur Angeli. Alterum, quod hîc discis, est id, quod tu ipsa experiris, quomodo in hac vita pari passu procedant, tolerantia adversitatum, & gaudium, ità ut ab invicem non separentur: quandoquidem nunquã deest crux inter Dei favores ac dona, neque crux, quam Deus immittit animabus, unquam advenit tam solitaria, ut non temperetur ejusdem Domini svavitate ac dulcedine. Id mihi dixit Sanctus Pater, quo me plurimùm est consolatus. Benedictus sit idem Dominus millies. Amen.

*Posterius hoc punctum, quod Sanctus Pater Venerabili Marinæ dixit, satis clarè repræsentatur in eodem mysterio. Quid namq; aliud erat, crucem circumcinctam fuisse fasciâ, & subtili velo, quàm quòd à Deo fuerit ostensum, sagittam, quâ Deus suos ferit, non esse duram, quantumvis talis appareat, cùm eam emittat ex mollissimo arcu, insupérque ipsam deliniant manus Angeli ejus? Et quid esse potuit, vulnus fuisse veluti rosaceum, ac habuisse speciem cœlestis luminis, nisi ut ostenderetur, suavissimam esse dulcedinem, quæ provenienti ab ipso inest cruciatui? Laudetur charitas Dei sic tractantis animas, ab Angelis ipsius, eidem servientibus.*

# CAPUT XXX.

## Diversi favores, & modi, quibus animæ contemplativæ tractantur à Deo.

POstquam *in præcedentibus Capitibus vidimus vias & curam DEI, ducentis anhelantes ad perfectionem animas, atque dispositionem, quam ab illis requirit, qui in via unitiva ad ipsum contemplandum aspirant; referemus favores, & modos, quibus Divina Majestas ijsdem delibandas præbet cœlestes gratias, quas continet hoc manna absconditum, quod pro intimis amicis reservat, & ijs, qui omnia propter suum Deum dereliquerunt, amando illum ex toto corde, ipsique soli quàm diligentissimè serviendo. Etiamsi autem sit verum, animam, quamvis eò teneatur tendere, idque desiderare, ut se per puram contemplationem suo Deo uniat (qui omnium nostrarum ordinariarum meditationum est finis) nullatenus tamen debere affectare, vel exoptare hos singulares visionum, allocutionum, revelationum, & similium rerum favores; quandoquidem hoc desiderio præsentem demonstraret arrogantiam, & in futurum se insuperabilibus exponeret periculis deceptionum, & illusionum diabolicarum, perderètque donum veræ contemplationis, quod assecuta fuisset: necesse nihilominus est, ut intelligat, non debere ipsam, postquam potiores jam pervicit difficultates, ac pervenit ad cognoscendum, per dulcem istum saporem, & amandum suum Deum, remittere arcum, aut negligere, ut se disponat ad omnia, quæ Deus in illa vult operari. Aliud namque est, temerariè hos speciales Dei sui favores ambire, quibus ex se ipsa nunquam esse potest digna; aliud, velle ex proposito, & ex mala sua dispositione, se ijs reddere indignam. Magnum verò ea animæ, quibus Deus exhibet, atque exhibebit similes gratias, percipient solatium, ubi legerint ea, quæ in tota hac historia fuère scripta, & præsertim quæ scribentur in sequentibus capitibus: videbunt enim soluta sua dubia, discussos suos timores, & usu comprobatos modos, quibus se Deus puris cordibus communicat. Nam dubio procul magnus Deus noster & Dominus voluit, in hac mirabili & prodigiosa Virgine, singularem nobis exhibere ideam, & miraculosum exemplar, unde copiosiùs, quàm ex alijs, multos cognoscamus modos, qui in mystica Dei cum anima familiaritate solent*

*reperiri. Incipit porrò Venerabilis Marina, proponendo nobis visionem, per quam illi ostensæ fuerunt deliciosissimæ micæ (in quibus, durante hac mortali vitâ, vera consistit satietas spiritûs) quas animæ contemplativæ obtinent ex mensa cœlesti; atque sic ait in quodam scripto anni sexcentesimi vigesimi quinti.*

Die Sabbathi, in vigilia Pentecostes, pertransivit unam partem mei cubiculi magna diabolorum cohors, qui in unam inserti catenam se subsequebantur, & quidam ex ijs, quotquot illud spatium cubiculi capiebat, ibi remanserunt, tanquam intercluſi & affixi. Mei Domini Angeli illos aspiciebant, & nec ijs quidquam dicebant, neque se movebant. Diaboli exhibebant torvos vultus, transfigurando se jam in pannosos & impudentes scurras, jam in canes & bestias, mutuò sese cum rabie mordentes, donec tandem transirent, indéque discederent. Ego recurri ad Deum, atque cùm affectus meæ animæ inciperent vehementer commoveri, abrepta ab illis, & ardens amore Divinæ Majestatis, dixi ipsi: Certè, Domine, si totus mundus esset meus, totum cœlum, ac omnis gloria, & quidquid ampliùs est reperibile, universa tibi darem. Hæc mea oblatio magnopere placuit ipsius benignitati, & respondit mihi: Dixisti, Anima, quidquid dici potest; veni mecum, volo enim te ducere ad meum convivium. Et non concessâ mihi morâ ulteriore, fui subitò ducta ad cœlestem Jerosolymam, ubi vidi instructas fuisse à Sanctis Angelis, mirâ celeritate, & singulari dexteritate, elegantes mensas, nitidissimè apparatas, ultrà quàm nobis possimus imaginari. Assederunt ijs electi Dei, & vidi spiritualissimè ac secretissimè, ipsummet Deum esse cibum in eo convivio appositum, quo infinitus ille numerus spirituum, & animarum beatarum ineffabiliter oblectabatur, & sustentabatur. Observavi præterea millenas res alias, quæ me omnes rapiebant in admirationem.

Specialiter tamen vidi discursantia sub ijs sacris mensis quædam animalcula, quasi catellos, mirum in modùm venustos & gratiosos, qui omnes gerebant quasdam inscriptiones, indicantes cujùsnam essent: sicuti si gratiosissimus, plurimúmque à quapiam magna Principe æstimatus catellus melitæus, ornatus esset parvulâ epigraphe, significante, ipsum spectare ad Reginam. Hi formosissimi catelli colligebant solicitissimè & velocissimè, cum ingenti voluptate, decidentes ex ea sacra mensa micas: & agnovi optimè, ipsummet Deum esse, qui se quodammodo dejiciebat comminutum in micas, pro horum animalculorum alimento, atque cupedius. Absolutâ eâ repræsentatione convivij, prodijt Angelus festinantissimè, volens eos catellos inde clàm abigere: verùm Divina Majestas illi dixit: Desiste, mi Angele, & noli ipsos pellere, aut urgere ad abitum, ut discedant cum solatio. Angelus obtemperavit quàm libentissimè, & exornavit singulos catellos quodam quasi parvo torque, & corollâ, quâ ratione illis fuit satisfactum, & evaserunt pulchriores. Continuò advenerunt multi Angeli Dei, & magno cum gaudio, ac solatio singuli sustulerunt suum catellum in ulnas: atque vidi, quomodo ipsis blandientes, eosdem deferrent ad terram.

Considerabam ista omnia obstupescens pariter & gaudens, bene verò intelligebam, non potuisse veras esse bestiolas, quibus Deus cessisset in alimentum: non poteram tamen sufficienter agnoscere, qualésnam forent animæ, aut quale mihi eo modo repræsentaretur mysterium. Tunc mihi id Deus per suam misericordiam manifestavit, instruendo me, ostensas mihi ab ipso fuisse in ea specie animas contemplativas, degentes in hoc mundo, quæ magnâ curâ & vigilantiâ conantur placare suo Deo, à quo sustentantur cœlesti cibo, cùm non sit alia ipsarum fames, quàm ut cognoscant Divinam ejus Majestatem, & nauseent quæcunque illis bona & oblectamenta terra potest præbere. Deus autem, qui pro summa sua misericordia, se à quolibet, à quo tam fideliter quæritur, facilè invenirì, impertitur illis in hoc exilio nonnullas micas solatiorum ac deliciarum, quibus Beati abundanter in patria perfruuntur, ad quam hæ animæ contemplativæ

suo modo per contemplationem ascendunt, & unde rursus videntur descendere ad terram, quando, deductæ à suis Angelis Custodibus, revertuntur ad opera externa, concernentia divinum ipsius obsequium, & sic se disponunt, atque consequuntur majora merita, ut frequentiùs & gloriosiùs ascendant. Benedicta sit Divina Majestas in æternum. Amen.

*Post duos ab hac visione menses, idem Magnus Dominus manifestavit Venerabili Marinæ modum, quo immensa ipsius liberalitas exquirit vias, quibus, contrahendo & restringendo sua beneficia, efficiat, ut exigua nostra capacitas illis amplius frui possit, docuitque eam, cur sese tam sæpe ardentissimâ charitate puris animabus communicet. Hoc scriptum est plenum cœlesti sapientiâ, in quo Venerabilis Marina sic loquitur.*

Intenta eram orationi usitato meo modo, & constituta in consveta mihi semper præsentia Dei. Quanquam autem sereno essem & pacato corde, anima tamen non carebat suis solitis timoribus, dum ex una parte se considerarem, quàm esset indigna, & ex alia, quàm admirandas à suo Domino obtineret gratias. Abrepta igitur ab affectibus inde provenientibus, dixi Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, quomodo me permittis occupari à timoribus, quibus angor? Anima mea, respondit mihi benignissimè Dominus, noveris, non esse conveniens, ut hæc vita mortalis transigatur absque aliquo timore. Sufficiat tibi, Marina, omnia quæ in te peraguntur, esse meas veritates, sicut tibi constat. Omnino, subjunxi ego, cum humili & amoris plena gratiarum actione, hoc mihi, mi Deus ac Domine, sufficit, & quidem abunde, neque à te aliud peto, quàm ut cognoscam tuas veritates, atque id assequar, ut tibi placeam, adimplendo in omnibus tuam sanctissimam voluntatem, etiamsi vivam afflicta, quod est verum: considera tamen, mi Domine, posse videri incredibile mundo, me ex tua manu hujusmodi consequi favores & gratias. Noli propterea affligi, dixit Divina Majestas: scis enim, quid tibi aliàs hac de re dixerim; permitte me respondere, quia mihi id incumbit facere, & hujus rei rationem reddere.

Mea anima est mirata hoc dictum, & eodem amoris affectu flagrans, quo antea, replicui: Quid dicis, mi Domine, quid dicis? Habésne forsan, aut habere potes superiorem, cùm sis Deus immensæ majestatis, infinitè sapiens & potens, à quo dependent, & ad quem summo feruntur desiderio omnia? non profectò. Quandoquidem ergo hæc æterna est, & infallibilis veritas, quid significat, quòd, mi Deus, dicas, à te reddendam esse rationem? Ità Marina, dixit Dominus, ità reddam rationem, verumtamen non alteri, quàm mihi ipsi. Scias velim, à mea infinita bonitate taliter puris & mundis animabus præstari beneficia, ut, dummodo ipsæ cooperentur, æstimando acceptas gratias, proficiendo & crescendo in virtutibus, quærendo in omnibus meum Divinum beneplacitum, & intensis affectibus suspirando ad assequendam meam voluntatem, & cognoscendas meas veritates, nè errent in meo obsequio, jam illas eadem bonitas reddat habiles, ut possint coram mea Divinitate, & me Justitia, à me certâ ratione exigere, ut respondeam pro veritatibus, quibus ipsas instruxi, & pro gratijs, quas illis præstiti, quò credantur ad majorem meam gloriam, ac approbentur à mundo; atque nè favores, quos ijsdem specialiter directos ad communem proximorum utilitatem exhibui, ullatenus scandalum pariant.

Post hæc verba dicta à Divina Majestate, vidi quòd eo ipso in loco, in quo idem magnus Dominus erat, cœperit coruscare grandis stella, instar pulcherrimi Phosphori, evibrans lucidissimos radios, qui ferientes suis extremitatibus totam meam animam, & pectus, manus ac pedes miserabilis corporis, me inceperunt divinâ suâ virtute pertrahere ad se, ducentes me paulatim, donec superior pars meæ animæ quasi intimè penetraret illam venustissimam stellam, quæ mihi genuinè videbatur repræsentare magnitudinem Divinæ Essentiæ. In hoc raptu anima penitus suspensa, fruebatur ineffabilibus bonis.

Quando

Quando ad me redij, postquam demissis & amantibus affectibus rogavissem Deum, ut cohiberet tam prodigiosarum gratiarum in me hîc viventem profluentium torrentem, quæsivi ex Ejus Majestate: Dic mihi, mi Deus & Domine per temetipsũ, quomodo, cùm sis infinitus & immensus, te hac vice volueris demittere & restringere in formam stellæ? cur id feciſti, mi Domine? Anima, respondit Divina Majestas, hoc facio, ut me possis complecti, totúmque tuum sinum implere & vacuitatem, secundùm tuam capacitatem. Dũ anima me suo modo in propria mea magnitudine & majestate cognoscit, ideóque intensis affectibus me stringere ac amplecti desiderat, & non potest, vehementer paupercula angitur & affligitur: unde mea immensa charitas interdum facit, ut me ipsum contraham & coarctem, quasi me adaptando ad mensuram animæ, quo facto ipsa deludit suam aviditatem, sitímq; suam fallit, acsi me quodammodo totum complecteretur.

Hoc Domini responsum magnâ meam animam affecit admiratione, multóque ampliùs svaviſſimus modus familiaritatis, quâ mihi id dicebat: & cùm ipsum rogavissem, nè suos pretiosissimos thesauros tantopere erga me, adeò illis indignam, prodigeret, subjunxi: Domine mi Deus, scísne forsan, cui loquaris? Novi equidem bene, id te, mi Domine scire. Cùm igitur cognoscas, qualis sim, quomodo mecum tam amanter agis? dic mihi id per tuam bonitatem. Tum Dominus eadem gravissimâ benignitate, quâ priùs, mihi denuò respondit: Ecce Anima, quidam è meis Teologis dicunt, animam, dum existit in gratia, satis esse dispositam, ad me sumendum quotidie in Sacramento, & dicunt bene, loquendo indistinctè & genericè, nam si particularis quispiam casus spectetur, id nequaquam convenit fieri: gravis enim est irreverentia, impudentia, ac temeritas, quòd anima non gerens seriam majoris sui profectûs curam, neque habens passiones suas mortificatas, cum cæteris requisitis præparationibus, velit ad me tam frequenter accedere. Quo tamen non obstante illi suam rationem existimant esse sufficientem, ad concedendam quotidianam Comunionem sacram. Quapropter quantò rationabilius, meæq; bonitati conformius erit, ut ego me mundæ & puræ animæ, semper versanti in mea præsentia, & exoptanti ac desideranti efficaciter mihi placere, qui omnium ipsius cogitationum est finis & scopus, tam familiariter communicem, eam illuminem & instruam, meásque ipsi manifestem veritates? Profectò non excedo modum, spectatâ meâ bonitate, & amore, quo similes animas diligo, nec non eo, quo illæ mihi respondent, cùm sint mihi tam fideles. Hæc est responsio ad tuum dubium. Nunc vale, & quiesce in me. Humiliavi me, & fui delibuta solatio, dum audirem hunc magnum Dominum, qui in æternum laudetur. Amen.

*Modum illum, quo se Deus communicat animæ, coarctando se, ut se ejus capacitati attemperet, Divina Majestas alias Venerabilem Marinam docuit, quem ita exposui.*

Decimâ sextâ Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto, quæ fuit Dominica prima Quadragesimæ, dum meditarer mysteria Evangelij ejus dici, & multùm mirarer, voluisse Divinam bonitatem, pro nostro exemplo, ut Filius Dei post tam diuturnum jejunium pateretur famẽ, atque tentationes diaboli, quò docerẽmur contra ipsum pugnare, eundémque vincere, fui abrepta ad eum statum, in quo mea anima his diebus plerumq; versatur, & perpendit immensitatem ac magnitudinem infinitam Dei, ità ut agnoscat, semper superesse infinities plura intelligenda, unde indicibilibus exardescit desiderijs, ut plura percipiat. Interea mihi fuit à Domino dictum: Adverte, quòd bonum sit eum, qui friget, accedere in propinqua nata distantia ad ignem, ut calefaciat corpus, & visum pulchritudine flammæ exhilaret; si verò ingrederetur in ignem, illa commoda perderet, atque aduretur. Consistens in litore maris, fruitur suavi jucundâ aurâ, & amœno aquæ aspectu; sed si illud vellet intrare, submergeretur. Hæc contingit animabus in statu hujus vitæ.

Ejus-

Expecta autem modicùm, & videbis aliquid. Conspexi mox Angelum eximiæ excellentiæ, majestatis ac potentiæ, & significabatur mihi, ipsum esse, atque vocari magni consilij Angelum. Juxta eundem erat alius Angelus speciosissimus, priore tamen longè inferior. Vidi quoque immensum mare limpidissimarum aquarum cœlestium, & quasi inauratarum, quarum species erat pulcherrima, & supra modum jucunda. Apprehendit me ille summus Angelus, demersítque in eas aquas, & quantocyus extraxit, ac elevavit ad quandam lucem, quæ apparebat quasi naturalis, quanquam inaccessibilis: dum verò eam contemplarer, demersit me secundò, statímque eadem celeritate extraxit, elevando me ad aliud, non materiale, sed intellectuale lumen, ubi me Deus absque figuris multa de seipso & stupenda edocuit: deinde tertiò me demersam extraxit, sicut prioribus duabus vicibus, ad aliud lumen pariter intellectuale, quamvis multò superius ac subtilius, in quo mihi tot, atque talia manifestavit, ut sicut parvum vas impletur, si in illud infundatur magna copia aquæ, & potior ejusdem pars effluit, ità etiam non potuerim capere tantum lumen, fuerímque in eo quodammodo submersa & perdita, tametsi non sinè cognitione earundem rerum, quamquam ità, ut ego illam nesciam explicare. DEUS, qui novit, qualiter id fiat, nobis largiatur gratiam, ut æstimemus ipsius dona, iísque bene utamur. Finitâ hac visione me reperi juxta Divinam Personam JESU CHRISTI Domini nostri, qui me magnâ svavitate reduxit ad meum angulum, mihíque manifestavit, se fuisse eum supremum Angelum, qui mihi illa admirabilia monstraverat.

Ante paucos dies mihi aliâ occasione, de hoc eodem argumento, quòd se videlicet Deus coarctet, atque non totum animabus, ob ipsarum incapacitatem, communicet, cogitanti dixerat hæc verba, ut solaretur mea ardentia desideria: Marina, nè te affligas: Si enim cuipiam, qui debili esset ac brevi præditus visu, daretur grandis thesaurus omnium divitiarum mundi, ut totius fieret dominus, ac tanquam talis ab eo posslideretur, quamvis ipsum totum non posset tam clarè videre, quàm alius, qui polleret acuto visu & claro, non propterea tamen minùs esset illius dominus: ità hîc, etiamsi non videas, neque percipias omnia bona, quæ tuæ animæ proponuntur, non ideo illa minùs possides. Benedictus sit tam bonus Dominus, qui tantâ familiaritate agit cum suis pauperibus creaturis. Amen.

Eodem anno, octavâ Maij, mihi Dominus dixit: Veni mecum Soror, & ostendam tibi hortum, quo meliorem tuâ vitâ non vidisti, ibíque tibi instruam deliciosissimum convivium. Fui statim à Divina Majestate ducta ad cœlum, & collocata in pulcherrimo ac amœnissimo horto, qualem nec imaginatione possumus assequi: ubi mihi Dominus spectanda exhibuit tam grandia, adeò plena majestate & gloriâ, ut præ magna admiratione & gaudio ipsi dixerim: Isténe, mi Domine, est hortus? hæc est consummata beatitudo. Angeli subitò instruxerunt in medio illius glorioli horti mensam parvam, sed plenam splendoribus gloriæ, superpositâ mappâ, & elegantissimis mantilibus. Ad unam mensæ partem assedit Sacratissima Persona Spiritus Sancti, in figura humana: sed illa imago mihi statim disparuit, atque idem Dominus, ibi spiritualissimè existens, mihi repræsentavit suum Divinum Esse, ad quam repræsentationem explicandam, licèt eam anima cognoscat, clarissimèque intelligat, impossibile est verba reperire. Allata deinde fuerunt spiritualissima fercula, ex quibus mihi idem Divinus Spiritus porrexit tres buccellas, proferendo nonnulla verba, quæ ego non intellexi, & interponendo moram inter unam & alteram buccellam, acsi expectaret, ut una priùs stomacho incorporaretur, quàm altera. Quâ ratione id fiat, dicere nescio: constat mihi tamen certò, quòd mea anima in una buccella percepit saporem Dei, in altera luminis & cognitionis ejusdem Dei, atque tertia fuerit talis, tanquam si mihi integrè fuisset datus totus Deus. Tum mihi Dominus di-

xit: Confertur tibi denuò magnum donum sapientiæ, & cognitionis divinæ. Eo ipso momento fui correpta illo svavissimo somno spirituali, de quo sum toties locuta, ubi anima quievit, & cum magna pace ac serenitate est fruita ineffabilibus bonis: postea verò me sibi DEVS univit arctissimâ unione, in qua aliquamdiu permansi, donec mihi reddita me reperi in meo cubiculo. Benedictus sit hic magnus DEVS. Amen.

# CAPUT XXXI.

## Prosequitur eandem materiam.

FEriâ quintâ, decimâ quintâ die Maij, & in Octava Ascensionis, dum gravissimè affligerer doloribus pectoris & stomachi, venerunt ad me ijdem isti Domini Angeli, dixerúntque mihi cum svavi quodam imperio: Soror, veni nobiscum; & statim me, quin id possem evitare, duxerunt ad cœlestem Jerosolymam, ac præsentaverunt Divinæ Majestati, quæ ipsis dixit, ut me circumducerent per eam beatam patriam, quò modicum illius aspectu exhilararer, ac refocillarer. Ità factum est. Duxerunt me per plateas, & fora pulcherrima cœlestis civitatis, ubi quid videatur gloriæ & pulchritudinis prorsus diversæ ab omni eo, quod potest concipere imaginatio, impossibile est recensere. Postquam autem in id fuisset impensum nonnihil temporis, rursus me deduxerunt ad meum angulum.

Ibi captâ modicâ quiete, audivi hos meos Dominos Angelos dicentes: Divinus Sponsus venit; quo audito elevavi oculos animæ, & vidi (prout id tunc repræsentatur) in cœlo Dominatorem Dei Spiritum sese movere, & cœlos, ob reverentiam illius immensæ Majestatis concuti, tantúmque in tota ea aula fieri motum, & quasi strepitum, significativum adorationis & venerationis, ut non suppetant verba, quibus id declaretur. Eo ipso tempore conspexi pulcherrimum ex cœlo descendentem, atque me versùs motu lento & gravissimo venientem Solem, quem comitabatur innumerabilis exercitus glorioforum spirituum, quorum multi inserviebant illi Divino Soli, quasi vice umbellæ, alij loco throni, & alij fungebantur quodammodo munere stipatorum ac asseclarum hujus Domini, omnésque summa cũ reverentia protestabantur, se ipsius esse servos. Illuminata cœlitus bene intellexi, hunc Dominum non esse Sacratissimam Personam Spiritûs Sancti; non agnovi tamen tum, quænam alia Persona esse posset. Idem Divinus Sol mihi appropinquavit, atque evibrando lucidissimum & acutissimum radium, tantâ vi corripuit meum pectus & cor, ut ipsa quoque natura sustinuerit dolorem. Prodierunt deinde alij quatuor radij, qui perstrinxerunt meos pedes & manus, ubi gero sacra stigmata, eundem mihi imprimentes dolorem & cruciatum, quo prior radius affecerat cor, ità ut retinerem in omnibus ijs partibus quandam veluti dolorificam palpitationem, quæ aliquamdiu duravit. Tunc denique cognovi esse secundam Personam Beatissimæ Trinitatis, quæ mihi specialiter hanc præstiterat gratiam, & in ea figura Solis sese occultando comparebat. Cùm eadem verò majestate & comitatu, ac descenderat, redivit ad cœlum.

Remansi sola, semper tamen in illa mea solita præsentia Dei, & sic orando me ad ipsum converti, dixíque illi: Quid est hoc mi Deus? Profectò gratiæ, quas mihi præstas, sunt adeò frequentes, ut dubitari possit, an tu illarum sis author. Respondit mihi tum Dominus quàm benignissimè: Dic Anima, quis propter omnes homines in virgineis MARIÆ visceribus homo factus est. Filius Dei, Domine, dixi-

Bene

Bene est, subjunxit Divina Majestas; & quis, cùm tantus esset ipsius amor, est natus in paupere præsepio, quis fugit in Ægyptum, totámque vitam egit in summa rerum necessariarum penuria? Respondi etiam celeriter: Filius Dei, mi Domine. Hunc in modum me interrogabat, percurrendo omnia vitæ ac mortis ipsius mysteria, & ego eodem tenore respondebam. Post hoc Divina Majestas concluſit dicendo: Cùm igitur Dei Filius tantum egerit, passúsque fuerit pro hominibus, & si necesse fuisset, idem pro singulis egisset ac passus fuisset, quid est mirum, ab eodem ob animam, quam singulariſſimè amat, eas præstari gratias, quas experiris? Hoc tibi do signum, me esse, à quo hæc in te peraguntur mirabilia, quod nunquam sis caritura meo sancto timore. His dictis Dominus conticuit.

Audivi deinde in cœlo alium, similem præcedenti, motum, cum eo strepitu & concussione omnium columnarum illius cœlestis civitatis, atque, prout apparebat, totius mundi, quo significabatur majestas & magnitudo Dei descendentis, & vidi Sacratiſſimam Personam Spiritûs Sancti, utì mei Domini Angeli initio hujus visionis dixerant, venientem ad meum cubiculum, cum comitatu infinitæ multitudinis cœlestium Aulicorum. Non exhibuit se mihi tum summus iste Dominus spectandum in ulla specie corporea, per visionem imaginariam, sed in visione intellectuali. Ingressus est autem meum cubiculum, me plurimùm erubescente & metuente, atque alludens ad id, quod paulò antè in me fuerat operatus Filius Dei, dixit mihi: Nunc bene es dispositа pro eo, quod in te operabor. Conspexi statim duos tantùm digitos divinæ manûs, qui me modo spiritualiſſimo ac decentiſſimo, qualis est Dei, vestiebant & adornabant, pretiosis ac mysticis ornamentis, de quibus in alijs chartis loquor, atque hac ratione exornatam me Divina Majestas secum univit ac duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi in eo Divino Esse quievi, & fruita sum bonis, quæ nec potest, neque scit lingva humana explicare. Reversa deinde ad me ex hoc raptu, me reperi in meo loco. Deus sit benedictus. Amen.

*Dum Venerabilis Marina loquitur de gratijs, quas ex liberaliſſima DEI manu susceptt mense Septembri, ejusdem anni sexcentesimi vigesimi quinti, refert novum gradum contemplationis, sibi à DEO communicatum, qualem nunquam, per tot intimæ cum DEO familiaritatis annos, fuerat experta. Est valde notabile, quod in ea charta his verbis describit.*

Per hos dies multæ occurrerunt occupationes, ex conversatione cum proximis, quæ me, etiamsi omnia, de quibus agitur, concernant honorem Dei, sive jam sint temporalia, sive spiritualia, nihilominus aliquantùm impediunt in meis exercitijs, & affectus animæ interim velut coërcentur: cessante autem occupatione prosiliunt cum impetu, majorique vi prorumpunt, ut præ eorum vehementia mihi videar dissumpenda. Dum itaque sic essem comparata, Dominus mihi dixit: Anima, es fatigata propter violentiam tuorum affectuum, provenientium ex agnitione tuæ vilitatis, & ardenti desiderio assequendi majus meæ voluntatis beneplacitum. Veni modicùm mecum, & quiesces. Derepentè me Dominus secum duxit in arcta unione, & videbar mihi velut sedere ad pedes Domini in oratione quieta, ac somno spirituali, capite acclinato ad sacrum ipsius genu, cognoscendo in hoc modo contemplationis multa de Divina Essentia, & Divinis attributis, quiescentibus, & quasi sopitis omnibus sensibus externis, atque suspensis in profundo silentio omnibus inquietudinibus imaginationis, occlusis animæ portis, prohibito in eam ingressu omnibus hujus vitæ mortalis rebus, ut hunc in modum nunquam aliàs plura possint videri.

Ità me magno affluentem solatio Deus elevavit ad alium altiorem gradum contemplationis, cujus mihi modus fuit visus mirabilis, eò quòd illum nunquam fuerim experta. Res ità se habet. Sicut hîc, dum quispiam quietè dormit, svavia interdum habet somnia, in quibus se videre existimat sibi jucunda; ità prorsus (quantùm uti

possumus exemplo) mea anima sopita in prædicta quiete, alium inivit modum cognitionum, acsi revera somniaret. Somniabam autem, me esse mortuam, & animam separatam à corpore jam frui Deo in beatitudine, réque ipsâ mihi videbar in ista contemplatione oblectari bonis æternis, sicut illis oblectantur Beati, & mea anima erat plena, satur, atque contenta Deo. Ità fui diu constituta, verùm optimo tempore evigilavi ex his, ut sic dicamus, somnijs, & deprehendi me in eo primo gradu contemplationis, in quo inchoaveram orationem: erat autem, nostro more loquendi, somnus spiritualis, & quies in Deo, quin tamen somniarem de sublimiore quopiam bono. Tum svavibus animæ affectibus incitata dixi Divinæ Majestati: Ah mi Domine, & mi Deus! Cæcus somniabat, se videre, & somniabat, id quod optabat. Bene nunc agnosco, me adhuc degere in vita mortali: quòd essem mortua, & beata te fruerer, fuerunt somnia. Nequaquam, Soror, dixit Dominus: omnia certo modo fuerunt vera. Auscultа: si quæpiam Princeps in remotis degens terris, jámque per Procuratores magno Regi desponsata, dum proficiscitur ad capiendam possessionem suæ coronæ, somniaret, se jam in regio sedere throno, & sui palatij frui splendoribus, possidendo gloriam & opulentiam sui statûs, nónne diceretur, istud somnium non fuisse omnino sterile; neque gaudium, quod dormiendo perceperat, extitisse prorsus irritum & inane? siquidem revera intra paucos dies esset repertura, quidquid somniaverat, eóque fruitura. Idem verò tibi suo modo evenit in his, quæ tu sic vocas, somnijs, cùm fuerint veritates. Ostensa tibi fuit gloria cœlestis non inaniter, sed ut illâ exhilarareris, eámque experireris, quam es quantocyus possessura, dum non quasi sopita, & abalienata à sensibus, sed vigil in lumine immortali ingredieris, ad potiendum regno, quod tibi præparavi. Summo mihi hæc Domini verba fuerunt solatio, & quando sum ad me plenè reversa, deprehendi me in meo angulo. Benedictus sit millies tam benignus Deus. Amen.

*Sequenti capite denuò attingitur hic modus contemplationis. In alio ejusdem anni scripto, ubi, etsi non notaverimus diem, colligere est, rem gestam esse paulò post præcedentem visionem, sic ait.*

In eo statu, in quo Deus meam animam conservat, prout aliàs dixi, ingens est ipsius aviditas ac desiderium, magis magísque cognoscendi hujus summi Boni, quod est Deus, ut ipsum tantò ampliùs possit amare. Licèt namque anima hoc Bonum contempletur, quantumcunque tamen illud agnoscat & amet, semper intelligit, infinita sibi deesse cognoscenda, & amanda in suo Domino. Idcirco crescit intimum desiderium progrediendi ulteriùs, quantóque plura ipsi ex eo Divino Esse manifestantur, tantò magis augetur ejusdem fames, ut plura cognoscat. Et verò mirum est, animam in hac tam ardentium desideriorũ constitutam ustrina, ut ijs videatur consumi, dum illa nequit cohibere, aut adimplere, nihilominus aliunde reipsa esse, nescio quomodo, ità in voluntatem & beneplacitum sui Domini resignatam, ut, acsi nihil aliud desideraret, nihil velit ampliùs, quàm id quod à Deo fuerit constitutum.

Cùm idem Dominus sit adeò benignus, ac tantopere vices illorum doleat, qui ipsius tantummodo causâ affliguntur, ut me consolaretur, multis me & variis modis docuit, impossibile esse, spectatâ hujus mortalis vitæ capacitate, ut pauper anima perfectam assequatur suorum desideriorum impletionem. Quadam itaque vice, inter alias, id ipsum abeo fui sic edocta. Vidi JESUM Christum Dominum nostrum in specie sublimissimi Angeli, quem, per lumen mihi ab ipso communicatum, non aliter agnovi, quàm quòd esset Angelus magni consilij, & dixit mihi: Veni mecum Anima, volo tibi ostendere quiddam mirabile. Reluctata sum quantùm potui, donec tandem eò rediguus, ubi anima ultrà nequit resistere. Duxit me Ipsius Majestas per vias insuetas, per montium clivos, ac deinde per valles, decidentibus interea ex cœlo tam copiosis ac densis folijs rosarum, quàm cadere so-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lent flocci nivium. Multa ex illis cadebant super me, à quibus contegebar in facie, & alibi, ut mea anima magnam inde perciperet svavitatem & consolationem. Ambulavimus, donec perveniremus ad litus vasti maris, cujus aquas aspiciebam, non extendendo visum ulteriùs, quàm ad spatium, quod solet occupare magnus fluvius. Apparebant mihi aquæ tanquam inauratæ, sed ità ut transformarentur in varios colores, similes ijs, quibus colluceat iris. Dominus autem mihi significabat, illud immensum mare esse symbolum Divinæ Essentiæ, atque varijs coloribus repræsentari Divina attributa. Tum ille sublimissimus Angelus videns me esse ità constitutam, & quòd non attollerem oculos, neque exporrigerem visum, ultra illud breve spatium, de quo dixi, me jussit oculos elevare, totúmque mare perlustrare. Aspexi, & vidi obiter mare quaquaversus extensum, adeò per infinita spatia diffusum, ut mihi videretur interminatum. Miranti mihi tam singulare spectaculum, dixit ille magnus Angelus: Visne transire istud mare? audésne illud transmeare? Nequaquã, Domine, respondi. Age, subjunxit ipse, & ingredere has aquas. Non, non, dicebam, quia ibi submergerer, ac suffocarer; & sinè mora me ad ipsum converti, atque interrogavi: Audebísne verò tu Sanctissime Angele, illas omnes pertransire? Respondit mihi eo modo, quem nescirem explicare, ità nihilominus, ut clarè intelligerem, mihi id ab illo partim affirmari, partim negari; unde ipsi statim dixi: Itaque, Domine, si tu non audes, quâ ratione vis, ut audeam ego?

Interim vidi decidentem ex cœlo infinitam copiam earum rosarum, quæ per viam pluerant; dum autem caderent super illud mare, acsi essent ineffabili modo præditæ intellectu, adorabant ipsum & venerabantur. Tum intellexi, sublimissimum illum Angelum, à quo fueram ducta, esse Christum Dominum, qui ùt est Deus poterat immensum mare Divinitatis omnimodè pertransire, non verò æquè ùt est homo. Intellexi præterea, illis rosis significari Angelos Dei, ipsum adorantes, qui nos in montibus ac vallibus, repræsentantibus varietatem viarum, & eventuum hujus mortalis vitæ adjuvant, confortant, & solantur, tanquam ministri hujus magni Dei, quem animæ possunt quasi ex litore magis minúsve contemplari, prout illas Divina Misericordia disposuerit: ingredi verò in ejusdem profunditatem, eámque penitus pertransire est impossibile. Redivi ad me ditata, & recreata tam divinâ instructione, reperíque me in meo angulo. Benedicta sit Divina Majestas. Amen.

*In prima parte hujus historiæ habetur alia visio, in qua Venerabilis Marina indicat, à Christo Domino, in quantum est homo, licèt omnia cognoscat, quæ Deus cognovit, non tamen cognosci adæquatè, aut eadem perfectione, quod ipsum hoc loco dicit. Non poterat Christus Dominus, quà homo est, mare Divinitatis totaliter pertransire: quamvis enim illud aliquatenus totum pertranseat, non eâ tamen perfectione & comprehensione totali, quâ id potest ùt Deus. In alia charta recenset, quod illi agenti cum Deo evenit anno sexcentesimo vigesimo sexto, in Augusto, atque describit sequentibus verbis.*

Multùm fui fatigata conversando cum proximis, quibuscum multa, ex beneplacito Dei, & jussu mei Confessarij his diebus contuli, pro quarundam spiritualium ac temporalium necessitatum remedio. Et quia desiderabam, quanquam cum magna resignatione, ut sola cum Deo agerem, dicebam illi: Ah mi Domine, utinam me duceres ad quampiam solitudinem, ubi absq; strepitu creaturarum solate possem alloqui! Eodem momento conspexi Divinam Majestatem, quæ mihi dixit. Fiat licet, Anima, promisi namque me ducturum animas mei cupidas ad solitudinem, ubi secretò, & sinè tumultu mecum loqui possint. Vidi subitò multos Angelos Dei, qui in immensa altitudine ædificabant incredibili celeritate tabernaculũ, quo absoluto illud eadem velocitate aptaverunt & adornaverunt, ut esset quàm elegantissimè concinnatum, atque non aliter resplenderet, quàm si ex cœlesti igne esset constructum. Intrà idem erat positus magnificentissimus thronus, in quo se

collocavit Majestas Domini Dei nostri, qui me vocavit, & ad se pertraxit, inclusitq; in suum sacrum pectus, ubi mea anima innatabat Deo, secretissimâ perfruens pace, & ineffabili gaudio. Dum autem huic svavissimæ quieti divini otij indulgerem, quod quidem nequit explicari, dixit mihi Dominus: Anima, hæc est solitudo, ad quam potes ascendere, & quâ frui poteris, ubi, & quandocunque volueris. quibus verbis dictis fuit illud mysterium finitum.

Aliâ die, quæ fuit trigesima Augusti, alloquens in oratione Deum, dicebam illi: Mi Deus, & mi Domine, en adest pauper mendica, infirma, & vulnerata; atq; alia hujusmodi verba, quibus Ipsius Majestati repræsentabam omnes meas miserias, & quid de me sentirem. Deinde me converti ad meos Sanctos Angelos, dixíque ipsis: Mei Domini, dicite id Deo, quia hoc ipsũ scietis melùs exponere. Bene loqueris, respondérunt illi, bene potes in tuo proposito progredi. Tum vidi Christum Dominum nostrum, qui mihi peramanter dixit: Quid habes Anima? quid tibi est? Cui ego: Tu mi Domine es omnipotens, poterísque me à meis infirmitatibus liberare. Adfuit Ejusdem Majestas in vestitu, quem gerere solebat, dum viveret in mundo, tametsi is totus esset splendidus atque glorioſus, & dixit mihi: Sum Deus omnipotens, & tuus Dominus, tuus Magister, tuus Medicus, & dico tibi, te non laborare morbo, à quo cureris, sed indigere, ut confirmeris in sanitate; & constituens me subitò in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, atque coram eo divino throno, bene mihi precatus est, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, te confirmo in sanitate & vita. Observavi specialiter illud dictum: & in vita; videtúrque me illa benedictio totam penetravisse, & confortavisse animam cum omnibus ipsius potentijs, quin etiam corpus videtur novum sensisse vigorem.

Interea mihi in mentem venit, respondendum mihi esse dubio, quod mihi à quodam Religioso fuerat propositum, concernens directionem animæ, cujus illi cura incumbebat; unáque mihi occurrit responsum, quod ipsi deberem dare. Ista cogitatio me afflixit, & conabar eam excutere. Advertebam autem etiam, à summo illo Domino, præbitis indicijs attentionis, observari has meas solicitudines. Tum ego ipsi non sinè verecundia dixi: Pudet me, mi Domine, quòd, cùm coram te versor, de alijs rebus cogitem, quàm de eo solùm, quod mihi à te dicitur. Non agis hac in re malè, respondit Dominus; quin imò istæ cogitationes mihi magnopere placent. Sicut enim aliqua magistra gaudet, dum videt puellam, suam à principijs discipulam, usqueadeo profeciſſe in arte præstanter tractandæ acus, ut jam aliarum possit magistram agere; ità ego recreor, quando video in tuis cogitationibus hanc doctrinam, quam es traditura illi, qui te interrogavit, eò quòd ego te eam docuerim, ipsámque à me didicetis. Benedictus sit hic Dominus. Amen.

*Concludamus præsens caput aliâ visione, quam hæc mirabilis Virgo habuit sextâ Maij, anno sexcentesimo vigesimo octavo, ubi clarè cognoscitur benignitas amantissimorum vi-scerum magni Dei nostri & Domini, qui se communicat puris animabus. Refert illam, ut sequitur.*

Orabam eliciendo vehementes affectus, ortos ex notitia mei, & à me agnita veritate meæ vilitatis: accedebant desideria conformitatis cum divina voluntate, & celeris ad perfectionem progressus, modo ordinario, qui communiter usurpatur ab alijs animabus. Conspexi statim Jesum Christum Dominum nostrum, qui mihi dixit: Quid habes, Anima, quid vis? Mi Domine, respondi, nihil præter te. Quando quidem non vis aliud, subjunxit Dominus, veni ad me, & quiesces. Idem Dominus tulit in suis manibus meam animã (quam videbam in specie splendidissimi luminis spiritualis) ad cœlestem Jerosolymam: præsentavit me suo Patri æterno, quem prostrata adoravi, ac deinde suscepi. Christus Dominus, amabilissimus noster Servator, me posuit in brachijs sui æterni Patris, qui me sibi univit, & elevavit ad immensam altitudinem sui Esse, ubi

fui prorsus perdita, & quasi submersa in pelago tam sublimis cognitionis. Paulò pòst ad me redivi, & agnoscens acceptam gratiam dixi illum sacrum versum: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari suo.* Christus Dominus noster me denuò reposuit in brachijs sui æterni Patris, qui me quàm benignissimè suscipiens mihi dixit: O Anima, quantùm me exhilaravisti cantico, quod dixisti! & conversus ad suum Sanctissimum Filium: Accipe, ajebat, mi Fili, hanc animam, & gere ipsius curam, protege eam, donec illam in æternæ constituas vitæ securitate. JESUS CHRISTUS Dominus noster, quà homo, se prostravit, adorando suum Patrem æternum, atque libentissimè acceptavit injunctū sibi præceptum; suscepit me in suas ulnas, & collocavit ad suam manum dextram, dicendo mihi: *Sede à dextris meis.*

Mox fui à quibusdam Sanctis Angelis pretiosissimo exornata torque, & alijs cimelijs, quemadmodum à Deo jussi fuerant; imposuerunt capiti meo coronam, & in unam manum sceptrum, in alteram autem auream clavim. Eram velut attonita, dum tantas res considerarem, ac dicebam Divinæ Majestati: Mi Domine, quale est hoc mysterium? Scito Anima, respondit Dominus, omnes cœli incolas esse Reges, deberíque ipsis sceptrum & coronam, ut tanquam tales inserviant Regi Regum. Ista ergo regia insignia, quibus te nunc vides ornatam, denotant, te capere possessionem regni, quo in æternum suo tempore frueris. Et ista clavis, mi Domine, replicui ego, ad quid proderit? Bene est Anima, dixit Dominus, scies id postea. Tunc ter fui depressa, & quasi immersa in solum illius cœli, totidémque vicibus elevata sursum; & Dominus mihi dixit: Age Anima, jam est tempus, ut revertaris ad tuum angellum. Hoc mandatum audivi dolens, ac invita, nec me potui continere, quin Ejus Majestati dicerem: Ah mi Domine, noli me amplius sursum ducere, iterúmq; deducere ad meum angulum! quando tandem tecum in perpetuum manebo? Bene id fiet, Anima, dixit Dominus, suo tempore, nunc vade in pace. Nónne verò, mi Domine, ajebam ego, mihi aliquid donas? Quid tibi à me vis fieri, respondit Ipsius Majestas, quid à me petis? Mi Domine, dicebam, multa à te peto, quæ non facis. Quomodo id dicis, Anima? reposuit Dominus; concedo tibi omnia quæ petis à me. Audi: nunquid non, dum aliquid à me petis, semper unà desideras, ut faciam, quod sit conforme meæ sanctissimæ voluntati, cedátque ad majorem meam gloriam? Quando itaque non facio quod petis, ideo fit, quia non conducit ad meum honorem; atque dum non exaudio tuam petitionem, nihil fit, quod non sit prorsus conforme tuo potiori desiderio. Postea mihi Dominus explicuit significationem clavis, quòd nempe esset donum, ut possem ascendere ad arcana, & sublimitatem cognitionis Dei, quandocunque vellem: siquidem sinè ista clavi, quæ est divina concessio, nemo potest eò conscendere. Ità valedixi Domino, & inveni me in meo angulo.

Restituta meis sensibus adverti eandem clavim in mea manu, & dixi meis Dominis Angelis: Cui usui mihi erit hæc clavis, mei Domini? quis mihi illam servabit? Illi me diutissimè sunt intuiti, & inceperunt præclarâ melodiâ canere Laudes DEI, gratias ipsi agendo, pro eo quod est in semetipso, & pro præstitis mihi beneficijs. Sanctus autem meus Angelus Custos mihi deinde dixit: Applica tibi istam clavim, hîc enim potest asservari. Applicui illam mihi, & sensi, ab ea intimè penetrari meā animam. Benedictus sit hic magnus Dominus, propter tam mira opera. Amen.

*Quòd Ven: Marina dicat, datam sibi fuisse à Deo facultatem, ascendendi ad cognitionem Dei, quoties cunq; vellet, intelligendum est instar aliorum donorum, & promissionum universalium, quæ à Deo fieri solent hujusmodi animabus: ut nempe posset, quandocunq; vellet, ascendere ad has altissimas notitias: nunquam autem volebat, nisi ad id à Divina Majestate efficaciter vocaretur. Et quia tam frequenter, quàm videmus, à Deo vocabatur ad communicationem hujus luminis, dici optimè potest, quòd habuerit clavim sacri istius conclavis, ad ingrediendum pro suo libitu.*

CA-

# CAPUT XXXII.

## Alij arcaniſſimi modi, quibus ſe DEUS ſanctis animabus communicat.

*VIſiones, quas hoc Capite commemorabo, ſunt prorſus miræ & ſingulares: quamvis autem certum earum tempus determinare non potuerim, probabiliter tamen conjicio, illas eſſe anni circiter ſexcenteſimi vigeſimi ſexti. Primam Ven: Marina ità exorditur.*

Magnus Deus & Dominus noſter tantus eſt Magiſter, tam Divinus Artifex ſublimium ædificiorum, ut infinitâ ſuâ ſapientiâ, ſciat, ac poſſit tam diverſas conjungere maſſas, quàm ſunt aurum & argilla, atque ex ijs tam ſolidam ac pretioſam,& undequaq; adeò admirabilem & perfectam conſtruere fabricam, ut, quiſquis illam conſideraverit, poſſit exiſtimare, omnia eſſe perfectiſſimum aurum,eò quòd argilla tam artificioſè ac dextrè ſit adaptata,ut non diſconveniat ab auro, neque ab ea offuſcetur aut diminuatur pretium erecti ædificij, aut ſolidorum ejus fundamentorũ, imò exornetur & illuſtretur, ſicut cimelium pretioſiſſimi metalli illuſtratur ab encauſto. Benedictus ſit millies, iterúmque millies propter talia opera, quæ ſunt manifeſti bonitatis ipſius, potentiæ, & ſapientiæ effectus. Ità videlicet planè Divina Majeſtas videtur operari in pauperum ſuarum creaturarum animabus, dum ex infinita ſua clementia, & amore quo ipſis afficitur, eas vocat, ac diſponit ſuâ pretioſiſſimâ gratiâ, & illæ reſpondent, impendendo ex ſua parte vilem ſui liberi arbitrij terunciolum. Sit rurſum millies ac millies benedictus.

Verſabar in Divina præſentia, continuis meis oppreſſa doloribus, ac diuturnis vexata inſomnijs, præter tot annorum ægritudinem; atq; inde tantùm capiebam ſolatium, quòd Divinæ Majeſtati placeat, ut ità ſim conſtituta. Tum humili, & ex amore orto affectu, illi dixi. Mi Deus, & mi Domine, víſne mihi indulgere, ut per hujus noctis ſpatium proſtrata jaceam ad januam tui cœleſtis domicilij? Tacebo,mi Domine, nè verbum proferendo, & præſtolabor eleemoſynam, quam mihi tuâ liberali ac divite manu impertieris,inſtar ulceroſi mendici, qui ſe proſternit ad portam palatij, & expectat, donec Rex egrediatur, ut videns illum tam morbidum, miſereatur ipſius paupertatis,jubeátque ei ſubveniri. Ecce, mi Deus,anima mea eſt infirmiſſima,pauperrima,omnibus bonis deſtituta. Dominus Majeſtatis audivit, quod ab ipſo tantis deſiderijs & affectibus petebam, reſpiciénſque me ſuis benigniſſimis oculis, amantiſſimè mihi dixit: Omnino, Anima,omnino do tibi facultatẽ,ut facias, quod poſtulas. Hæc verba Deus protulit modo quodam adeò ſublimi, ut ſe partim oſtenderet eſſe omnipotentẽ Deum, partim autem exhiberet Patrem tam amantem, tenerum, & compatientem meis miſerijs, ut, etiamſi id mea anima neſciat explicare, optimè tamen ſciverit experiri, & quidem tam potenter,ut in intenſos erumpens affectus amoris, erga hanc ſummam bonitatem, fuerim modicum ſuſpenſa, & abrepta in illum magnum Deum. Brevi ex hoc raptu ſum reverſa, ac dixi Divinæ Majeſtati: Mi Deus & Domine, bene ſcis, me eſſe compoſitam ex terra, & miſerabilem, neque poſſe meis viribus ità aſcendere: ſinè te penitus aberrabo, cùm ex me nihil valeam: ſed nec etiam quàdquam volo, quàm tantummodo aſſequi tuam ſanctiſſimam voluntatem, tanquam tua licet indigniſſima, ancilla. Bene eſt, Anima, dixit Dominus; bene cognoſco tuum affectus: veni nunc ad locum, de quo locuta, meus enim Angelus, tuus Custos meo nomine & juſſu te in eo conſtituet.

Aſpexit deinde Divina Majeſtas meum Sanctum Angelum, acſi ei mandaret quid illi eſſet agendum, qui me ſolitariter,ſed modeſtiſſimè elevavit ex meo pauper lecto, & in ipſius brachijs fui corporis

somno spirituali altissimæ contemplationis. In momento autem me sustulit ad fores cœlestis Jerosolymæ, ad quarum limen me collocavit. Quamvis essem sopita eo somno mystico, bene cognovi, quòd Angelus suo se sacro spoliaverit pallio, illúdq; instar cervicalis supposuerit meo capiti. Hîc aliquamdiu continuavi illam orationem quietis, & somni spiritualis. Verùm paulò pòst (eo modo, quem alibi descripsi) huic velut somno & quieti supervenit alius altior gradus contemplationis, qui est arcanissimus modus somniandi. Somniabam igitur, nec enim id aliter possum explicare, idem quod priori vice, cum majore advertentia & claritate, meam animam jam migravisse ex mortali corpore, conclusisse hanc vitam, frui jam in perpetuum Deo in beatitudine, atque hoc jam seriò fieri, & me sinè dubio experiri. Videbatur mihi interea multum temporis effluxisse, quamvis nequeam dicere, quàm longum fuerit.

Tum sicut hîc quispiam, facto magno strepitu, expergiscitur ex somno, in quo quievit, & abrumpit sua jucunda somnia, plenè evigilavi, personantibus svavissimis vocibus cœlestis musicæ, quâ Angeli Deo canebant, atque dulcissima tractabant instrumenta, laudando illum & benedicendo, propter infinitam ipsius bonitatem & potentiam. Surrexi subitò, & contuli me quàm celerrimè eò, ubi illa Divina melodia resonabat: licèt autem essem tam pannosa, & malè vestita, esséteque ingens pudor & verecundia, quam patiebar, dum me viderem inter eos Dominos Angelos, tam splendidè vestitos & ornatos; aliunde tamen tanta erat aviditas & affectus laudandi cum ipsis Deum cantu, ut me non potuerim cohibere, quin ad ipsos accederem. Retrahebat me vilitas vestium, quibus eram induta, atq; ampliùs ruditas absonæ vocis, sed non poteram me quodammodo continere; quantóq; majorem mihi vim inferebam, ut me refrenarem, tantò majore impetu me impellebat meus affectus, ad laudandum magnum Deum nostrum & Dominum. Tentavi ergo aliquoties, ut id facerem, totidémq; vicibus abstinui, donec tandem veniret quidam Sanctus Angelus, & me duceret, atque collocaret in medio illorum sacrorũ musicorum, & cœlestis chori, qui erat quasi è regione Divini throni.

Divina Majestas tunc huic Sancto Angelo, & mihi mandavit, ut soli, & simul caneremus: *Gloria in excelsis Deo*; quod factum est, & nescio quomodo acciderit, ut mea vox admirabiliter consonaret voci Angeli. Deinde totus ille cœlestis chorus perrexit, donec perveniret ad illum versum, cujus verba sunt: *Quoniam tu solus sanctus.* Atque tum se omnes prostraverunt coram Divina Majestate, rursúmque surgentes finiverunt psalmum. Dominus eundem Sanctum Angelum, & me denuò jussit cantare alium versum, qui fuit: *Sit nomen Domini benedictum.* Cui universi responderunt: *Ex hoc nunc, & usque in sæculum.* Tertiâ vice intonando diximus: *Benedicat nos omnipotens DEUS, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* & omnes responderunt: *Amen.* Iterum se omnes prostraverunt, atque Dominus Majestatis ipsis est bene precatus: optimè verò intelligebam, fuisse tres benedictiones trium Divinarum Personarum, quæ, nescio quâ ratione, unam solam, & unius solius Dei benedictionem componebant.

Mirabar summopere, videndo tam admiranda Dei opera, neque parum stupebam me ipsam, observans, me non habere ampliùs laceram & vilem vestem, in qua adveneram, sed esse eleganter ac splendidè indutam. Videbar mihi absque dubio ibi tota existere cum anima & corpore: nam optimè adverti, superiorem partem animæ fuisse raptam in ecstasim, & arctissimè unitam suo Deo, tanquam esset submersa, penitúsque perdita, ut ipsi videretur impossibile inde exire; partem tamen inferiorem cum natura lutea, quantumvis tum exornata & resplendente, fuisse aliunde tam debilem & prostratam, ut eam necesse fuerit, à Domino Deo, & à meo Sancto Angelo Custode, tanquam blanditijs refocillari, confortantibus me, donec reponerer in meo paupere angello, ubi me præter morem sentio naturæ

viribus destitutam, acsi quodammodo carerem meliore me vivificante parte animæ.

Taliter sum his diebus constituta. Benedictus sit Deus, qui id vult. Unâ harum noctium vidi duos dæmones, qui, velut afflicti ac desperati, millenos edebant gestus capitibus, brachijs, & reliquo corpore, séque in omnem partem versantes dicebant: Quid nobis est agendum? quid infelices faciemus? Deus hanc animam eò abripit, quò nos facultatem non habemus, neque permittimur pervenire. Deus illam apud se detinet, nec dimittet: væ nobis, quia nihil possumus efficere. Dum hoc dicerent, quasi terrefacti, quòd se unus è meis Dominis Angelis moveret, aufugerunt, & ruerunt præcipites usque ad internum. Ego, quæ Dei est bonitas, cùm illos jam noverim, sciámq; non posse ampliùs, quàm velit Deus, ipsos minimi facio. Egi autem millenas eidem Domino gratias, qui sit benedictus. Amen.

*Advertendum est, canticum, sive hymnum ecclesiasticum Missæ, qui incipit ab ijs verbis*: Gloria in excelsis Deo. *vocari hoc loco à Vener: Marina psalmum. Pariter Sancta Mater Teresia, referens quandam visionem, quam habuit de Beatissima Trinitate, dicit sibi illam evenisse, dum recitaret psalmum*: Quicunque vult &c. *cùm tamen fuerit symbolum S. Athanasij; ut erubescant docti, qui tantâ præditi eruditione ac doctrinâ, intelligunt, quid recitent, neque tamen promerentur spiritum, qui communicatur rudibus animabus, etiam nomina ignorantibus eorum, quæ tanto fervore exequuntur. Nam plus in oculis DEI valet una drachma humilitatis, quàm multi centenarij scientiæ. Pergit nostra Virgo in alia visione, quam ità enarrat.*

Agens cum Deo in mea consveta oratione, vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui mihi, postquam me salutavisset, dixit amœnè: Anima, scias velim, Dominum Majestatis tibi velle magnam exhibere gratiam, dispone te, & præpara, ad illam suscipiendam. Quamvis autem Sanctus id dixerit vultu hilari, nescio tamen quâ ratione, ex modo loquendi, meæ animæ visum fuerit, gratiam, quam mihi DEVS esset præstiturus, esse quidpiam adversum & molestum naturæ, ideóque ista se cœpit exerere, ac timere. Sanctus Pater agnovit meam suspicionem, & solatus est me, atque animavit, dicendo: Noli timere creatura Dei, noli timere; quod enim DEUS tuus operabitur, cedet ad majus tuum bonum, neque crux hæc erit portatu gravis, sed levis ac svavis. His verbis, & præsentiâ Sancti fui animata, vidíque subitò descendentem ex cœlo innumerabilem exercitum Angelorum, qui comitabantur Sacratissimam Personam Patris æterni, & Sanctissimi ipsius Filij, CHRISTI Domini nostri. Ità venerunt ad meum cubiculum. Ego timens, perplexa, ac tremens petivi, meo more orando, à Divina Majestate magno affectu, ut me illuminaret, ac non permitteret errare, in cognoscendis suis veritatibus, aut etiam in minimo recedere à sacratissima sua voluntate. Tum mihi magnus iste Dominus, singulari amore & benignitate, dixit: Bene, creatura mea, bene dicis; multùm mihi placuit iste tuus affectus, & petitio. Sed nunc attende ad id, quod tibi volo monstrare, & in te operari.

Hoc audito, defixi oculos in eo sacro mysterio, ità ut illos nè uno momento inde potuerim avertere, atque vidi æternum & summum Patrem in humana, sed subtilissima ac spiritualissima specie, qui habens ad dexteram suam unigenitum suum Filium JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, deposuit quàm gravissimè ex sacro ejus capite aureum elegantissimum diadema, splendidius Sole, & eadem gravitate illum exuit pretiosissimâ quasi regiâ veste, quâ erat indutus, relictâ ipsi aliâ tunicâ incensore, quæ erat pretiosissima, & candidior niye. Vidi deinde, quòd idem Dominus noster JESUS CHRISTUS incœperit sudare à suo sacro capite, usque ad sacratissimos suos pedes, guttas sanguineas, decurrentes usque ad solum, cui Ejus Majestas insistebat, quod solum mihi videbatur referre pulcherrimum colorem cœli. Sic illa alba ita myste-

mystica vestis tota fuit velut conspersa ac tincta guttis illius pretiosissimi sangvinis. Taliter iste amabilissimus ac Divinus Salvator noster aliquamdiu vivacissimè repræsentabat meæ animæ dolorem, angustiam, ac derelictionem toleratam eâ nocte, quâ in horto Oliveti oravit suum Patrem æternum, & sudavit.

Postea Divinus hic Pater, exuit istâ sangvinolentâ veste suum dilectum Filium, relictâ illi aliâ, cujus candor & splendor erat ineffabiliter glorioſus, & mandavit nonnullis Sanctis Angelis, quibus eam tradiderat, ut me vestirent illâ sacrosanctâ tunicâ, tinctâ pretiosissimo sangvine sui Filij; quod ipsi fecerunt, & nulla hominis lingva potest explicare effectus, quos mea anima sensit ob eam vestem, aut modum, quo intelligebat, sibi applicari virtutem pretiosissimi sangvinis nostri Dei & Salvatoris JESU Christi, atque cumulatissimum fructum ipsius meritorum. Fuit verò mirum, naturam, dum anima tanto ditaretur thesauro, sensisse, disponente id sic Deo, quendam quasi dolorem, cruciatū, & afflictionem. Retinui hanc vestem aliquo tempore, nescio, quamdiu, & ijdem Sancti Angeli, qui me eâ induerant, me deinde illâ exuerunt, ac deposuerunt, ignoro ubi, quia Deus hoc à me videri noluit. Deinde abstersérunt quodam quasi linteo mystico, quod mihi adhæserat ex eo divino sangvine, & cum magna reverentia dederunt dictum linteum S. P. Ludovico de Ponte, à quo pariter fuit acceptum ad manus, & ostensum reliquis Sanctis illic præsentibus Angelis, quod ipsi sunt venerati tanquam sacras reliquias, ubi cognoscebant immaculatum sangvinem Divini Agni. Sanctus Pater reddidit linteum Angelo, à quo ei fuerat traditum, & iste illud abstulit, atque DEO similiter non placuit, ut viderem, ubi ab ipso reponeretur.

Post aliquod temporis intervallum, quo cum profunda admiratione spectaveram Divina mysteria, visio desijt, & accedentes ad me duo Angeli Dei, induentésque me splendidissimâ veste, me duxerunt, suum singuli occupantes latus, ad cœlestem Jerosolymam, & præsentaverunt Divinæ Majestati. Deus me aspexit cum magna complacentia, dixítque mihi: Bene veneris, creatura mea, bene veneris. quid vis pro tuo solatio & gustu? dic mihi. Non scivi, neque potui respondere svavissimis verbis illius immensæ Majestatis; sensi tantùm, excitato in me vehementissimo divini amoris affectu, me totam ardere, ac deinde perfectè & arctissimè unitam huic magno Deo, in quem superior pars meæ animæ immigravit, séque penitus immersit, dum pars inferior maneret in priore statu: nescio autem, nec, licèt scirem, ullo modo explicare possem, qualiter hæ duæ partes animæ appareant, tanquam ab invicem separatæ. Mox ijdem duo Sancti Angeli me duxerunt ad quendam admirabilissimum locum cœli, ubi conspexi quasi sculptam effigiem & figuram meam, quam aliàs videram (quod quidem magis miror, & minùs intelligere scio, quàm quæcunque mihi Deus, præter se, in eo cœlesti palatio ostendit) & cum hanc meam imaginem contemplarer, cognoscebam unà, superiorem partem meæ animæ nihilominus esse absconditam in Deo.

Postquam sum aliquamdiu in magna ecstasi immorata huic visioni, ducta fui ab ijsdem duobus Angelis ad meum angellum, ubi tantopere stupeo tam magna opera, ut existimem, quòd nec vellem de tali mysterio loqui, neque ipsius meminisse. Verecundor coram magno DEO nostro, veneror altissima, & arcanissima ejus judicia, ago illi gratias quas possum, pro eo quod est in semetipso, & quod est erga suas pauperes creaturas. Sit ipse millies benedictus.

Amen.

# CAPUT XXXIII.

## Concluditur hoc argumentum, commemoratis admirabilioribus modis, quibus se DEUS sanctæ animæ communicat.

*SI admirabiles sunt modi, quibus magnus Deus noster & Dominus se communicat sanctis animabus, quos hactenus vidimus; admirabilissimus procul dubio est favor, quo Divina Majestas egit cum Venerabili Marina in visione, quam ipsi diu durantem exhibuit, dum, hac perpetuò oculis illius obversante, interim etiam alias haberet visitationes Beatorum, atque novos modos arctissimæ cum suo Deo unionis. Videtur id juxta meam supputationem, & spectatis quibusdam aliis circumstantijs, evenisse sub dimidium anni sexcentesimi vigesimi sexti. Recenset ipsa suo Confessario omnia, sic dicendo.*

In nomine Domini nostri, & Sanctissimæ ejus Matris. Amen. Postquam, præter meam diuturnam infirmitatem, sustinui terribiles cruciatus & symptomata, redacta sum ad confinia mortis, visumque mihi fuit, advenire horam transitûs ex hoc exilio. Divinâ autem Majestate ità ex altis & arcanis judicijs res disponente, ut, licèt inter tot afflictiones ac dolores non perderem ordinariam præsentiam Dei, carerem nihilominus deliciosis visitationibus & gratijs, quibus me, sua mihi manifestando mysteria, solebat continuè animare, atque si quem hujusmodi favorem præstaret, is tamen esset brevissimus & prorsus transitorius, eò quòd videlicet adverteret, vires naturæ esse prostratas, ut tum non posset in rebus majoribus servire, ac opem ferre spiritui; accidit, ut, cùm aliquando manè sic essem constituta, ùt dico, mea anima viderit descendentem summa cum pompa ex cœlo Majestatem magni Dei nostri, non in alia specie aut figura, quàm constante ex spirituali & subtilissima materia, instar transparentis speculi, cui quodammodo inerat lucidissimus Sol, ex cujus Divinis radijs oriebatur purissimum, & inaccessibile lumen. Hoc mysterium tegebatur aliquantùm à spirituallissimo velo, quod partim attemperabat, & accommodabat meo capturi dictū lumen; partim verò confortabat visum meæ animæ, ut illud possem sustinere, atque cognoscere. Comitabatur hunc magnum Dominum & Deum nostrum quidam, qui mihi videbatur esse quàm eminentissimus Angelus, tanto præditus splendore & majestate, ut mea anima caligaret, neque ipsum tunc ullo modo potuerim agnoscere. Eundem summum Dominū, & supremum Angelorum, quem secum adducebat, sequebatur innumerabilis exercitus Beatorum Spirituum, & Sancti Patriarchæ Religiosorum Ordinum, de quibus mihi Divina Majestas ante paucos dies dixerat, quòd me jam hi, jam alij essent frequentiùs visitaturi.

Accessit verò istud magnum spectaculum, prædicto modo, quàm proximè ad locum, in quo eram. Dominus se constituit è regione mei, & is supremus Angelus ad meum latus sinistrum, cum incredibili mea admiratione ac verecundia. Divina Majestas me derepentè secum univit, per quendam præsentiæ sui Divini Esse tam vivacem, tam arcanum, & penetrativum modum, ut multò magis existerem in eo immenso Esse, quàm in me ipsa, adeò ut me nec imbecillitas naturæ, neque acerbi dolores, qui ex mira Dei dispositione in omni suo perseverabant vigore, possent ab hac arctissima unione separare, ipsamve ullatenus impedire. Hæc tantoperè interdum invalescebat, néque stringebat, ut me absque dubio existimarem mori-am, & meam animam esse in manibus Dei. Quando autem aliquantùm ad me revertebar, fiebat id modo tam extraordinario, ut reverà possem judicare, me resuscitari. Ista visio duravit diu, atque dum hoc tem-

pus

pore loquerer, manifestissimè advertebam, lingvam ab alio intra me existente moveri, & mea verba formari, cùm id à natura debili nequaquam posset præstari. Quia hoc nunquam fueram experta, tota eram propterea cogitabunda, & meus Sanctus Angelus Custos mihi tum, Deo jubente, dixit, quòd ipse meam lingvam moveat, & per me loquatur. Mirabar vehementer, crucis rigorem, & acerbitatem dolorum, quos patiebar, nullâ ratione mitigari, tametsi conspectus magni Dei, & eminentissimi illius Angeli, qui stabat ad meum latus, me summopere consolaretur atque recrearet, ità ut evidenter agnoscerem, meam prostratam naturam confortari à Deo, cui eram unita, & vitam miraculosè conservari, qui modus miraculi perseveravit tribus circiter mensibus.

Quadam vice, hoc ipso tempore, Divina Majestas me, ineffabili modo unitam dicto mysterio, abripuit ad cœlestem Jerosolymam, ubi mihi manifestavit inenarrabilem suæ Divinæ Essentiæ magnitudinem, & gloriæ, quâ Beati fruuntur, præbendo meæ animæ delibandam unâ quasi guttam illius Divini liquoris, quo ij cœlestes Palatini replentur & satiantur. Hoc non diu duravit, quia statim fui à Domino reducta ad meum angulum, ubi ex quodam gestu Divinæ Majestatis, unáque illius supremi Angeli, intellexi, quòd vellent abire, méque privare visione mysterij, quo tam diu fueram fruita, dixerunt enim mihi: Vale Anima; acsi abiturirent. Ego à vehementissimo affectu incitata, mihiq; vim inferens, surrexi, & intimè afflicta exclamavi. Nequaquam, mi Domine, nequaquam te oportet abire, mi DEVS, non debeo te deserere. Necesse est, ut vel me abducas, vel mecum maneas; perpende mi Deus, quid tibi ex his duobus magis placeat; quia alterutrum est faciendum. Hoc indicibili æstuans desiderio sum amplexata pedes illius supremi Angeli, & cùm tam propè accesserim, conspexi in ijs, unáque in manibus & latere vulnera, atque agnovi ipsum esse Redemptorem nostrum ac Dominum JESUM Christum. Tum, acsi non essem mei compos, cœpi ardentissimè dicere: Túne es mi Deus, & mi Domine? Túne es ô JESU, dilecte meæ animæ? Et quomodo latuisti, aliámq; præ te personam tot diebus tulisti? Verè quædam mihi apparebant indicia, te esse meum JESUM, meum Deum, & meum Dominum; atque hæc dicendo stringebam fortiùs illos sacratissimos pedes. Ipsius Majestas autem mihi dixit: Surge, Anima, & quiesce in me; quia nec tu me deseres, neque ego discedam. Interea anima mea fuit rapta in profundissimam ecstasim, penitúsque in Domino abalienata. Quando verò sum ad me reversa, idem mysterium denuò obversabatur meis oculis, sicut antea.

Per hoc tempus Sancti Patriarchæ Ordinum Religiosorum sæpe invisebant meum cubiculum, modò hi, modò alij; semper tamen singulariter honorantes, atque admirabiliter venerantes præsentem ibi Divinam Majestatem: præsertim autem quadam die, quando me visitavit S. Benedictus, Dominus ipsum jussit sedere, & me consolari brevi spirituali sermone, animámque meam recreare. Prostravit se benedictus Sanctus coram Domino, & accepta divina ejusdem benedictione surrexit, atque ad me accedens, & sedens ità locutus est: Anima, & creatura Dei, Divina Majestas te tot exercet doloribus, te suâmet manu excruciat, ut natura videatur penitus deficere. Verùm hac viâ in te admirabilissimos accumulat gratiæ thesauros, qui tibi parem promereantur gloriam, ut ità, divino ipsius aspirante favore, consequaris illum eminentem statum, quem tibi jam inde ab æterno destinavit. Esto igitur bono animo, & habeto solatium in tuo Deo: breves enim sunt dolores, requies verò æterna. Redde infinitas Domino Deo tuo gratias, pro eo statu, in quo te modò constituit, ubi hoc magno & cœlesti frueris mysterio, quod tibi cum tam specialibus repræsentatur circumstantijs, & mira magnificentia, ad majus tuæ animæ emolumentum, ut ijs explicandis nulla sit par lingva, quæ dicere possit, quomodo id fiat, ac proinde manet soli Deo reservatum, à quo infinitâ sapientiâ & omnipo-

nipotentiâ peragitur. Tantùm tibi dico, Anima, te per ſublimem & ineffabilem unionem in Deo, & ipſum in te exiſtere, tam arcto vinculo, quod à tuo Deo procedit, ut nunquam ſit diſſolvendum, aut ceſſaturum. Nunc vale, ac mane in tuo Deo. Finivit Sanctus ſermonem, iterúmque coram Deo proſtratus illum rogavit, ut mihi impertiretur ſuam divinam benedictionem, quam Ejuſdem Majeſtas Sancto & mihi benigniſſimè dedit. Ità Sanctus Patriarcha abivit, cum comitatu multorum Angelorum gaudentium, acſi ei gratias agerent, pro divino ſpiritu, quo me fuerat allocutus, & ſolatus.

Aliàs manè, dum hujus cœleſtis myſterij viſione eſſem occupata, fuit in anima exciratus ille affectus, qui ſemper in fundo mei cordis perſeverat, ut quàm perfectiſſimè placeam huic magno Deo: atque cum eodem deſidetio, quod tum erat ferventiſſimum, cœpi dicere quoſdam verſus, exprimentes meum ardorem, & cùm illos proferrem, abripiebar in ecſtaſim. Subitò mihi ſum viſa flexis genibus canere meos verſus, méque per intervalla, coram ea Divina Majeſtate, ad certa verba procumbere. Vltimâ autem vice poſt has proſtrationes aſſurgens vidi, conſcriptos fuiſſe ab Angelo Dei verſus, quos internè canebam. Multùm id ſum mirata, & fui magis abalienata. Poſtquam ad me redij, deprehendi me decumbentem in meo lectulo, prout ſemper facio.

Deinde, præterlapſo plus quàm unius horæ ſpatio, mihi ille ſummus Dominus, qui præſentiſſimus cum magna benignitate aderat, dixit: Dic age, Anima, videríſne tibi poſſe hoc Divinum myſterium, quod oculis tuis obverſatur, penetrare? Reſpondi eâ celeritate, quâ ſolet ardentiſſimus affectus: Omnino, mi Domine, omnino mi Deus, potero. Itaque veni, Anima, inſtabat Dominus, & præſta quod dicis. Tunc modicùm hæſi, quia mea anima iterum iterúmque in novam abrepta admirationem, conſiderabat illud ſacrum myſterium, eidémque ſenſim ſinè ſenſu, ità Deo diſponente, appropinquabat in ſpecie ſpiritualiſſima, inſtar exigui vaporis, acſi foret delicatus ſvaviter olens fumus. In hac figura mea anima adivit ac penetravit iſtud ſacrum myſterium, quaſi totum pertranseundo, & eodem momento fuit ducta ad cœleſtem Jeroſolymam, diſparente ipſi tum eodem ſacro myſterio, quod pertranſiverat. Quamprimum pervenit ad illum ſacroſanctum locum, quidam Sancti Angeli ipſam proſtraverunt coram Beatiſſima Trinitate, & exhibuerunt chartam, cui erant inſcripti verſus, quos ego cecineram, atque alius Angelus annotaverat. Et Deus ſibi in ijs complacuit, deditq; meæ animæ ſuam benedictionem, ac dixit illi: Anima, aſcende ulteriùs ad immenſam altitudinem, ubi me invenies, & alio modo videbis.

Mea anima, quæ ſe, dum coram Sanctiſſima Trinitate procumberet, humanâ viderat præditam figurâ, fuit ſtatim in ſpecie illius ſpiritualis vaporis ducta ad ſublimiſſimam altitudinem, quò perveniens conſpexi ipſam rurſus in humana ſpecie. Ibi illi Deus manifeſtavit res altiſſimas, & ſpecialiſſimas contulit notitias ſuæ Divinæ Eſſentiæ, ac perfectionum, & poſtea ei dixit: Progredere, Anima, adhuc enim tibi eſt altiùs aſcendendum, & ibi videbis myſteria, quæ tibi oſtendam. Dictum, factũ. Duxit illam Divina Majeſtas ad immenſam aliam, & ſummam altitudinem, quæ cujuſmodi ſit, nulla poteſt eloqui lingva. Hîc ſe anima deprehendit in ſecretiſſima quadam ſolitudine, & in ſuo Deo, ità ut in eo loco nihil aliud eſſe videretur, quàm Deus & mea anima, quæ in tam ſublimi gradu unionis tantummodo quaquaverſum circumſpiciebat, nihil videns præter Deum, & ampliùs Deum. Poſtea in eo editiſſimo loco apparuit admirabiliſſimũ ac divinum cœlum, plenum pulcherrimis & fulgentibus ſtellis, quæ ſuis radijs petingebant ad terram, ac feriebant pectora & corda multorum famulorum, atque famularum Dei, degentium in diverſis regionibus. In medio hujus ſtellati cœli (quod inſtar tentorij tegebat illam miram ſolitudinem) erat ſingulariter quædam tam grandis, ac adeò coruſcans ſtella, ut videretur eſſe Sol. Ex hac myſtica ſtella, ſa

seu Divino Sole, prodivit eo impetu evibratum, quo solet emitti sagitta, divinum lumen, quod attingens pectus & cor meæ animæ (quæ, ùt dixi, jam induerat speciem humanam) illam prostravit, privando ipsam quodammodo vitâ. Advenerunt continuò quidam Sancti Angeli, méque mystico tectam velo sustulerunt in sua brachia, ubi abivi in ecstasim, & me penitus perdidi: reversa autem ex hoc raptu me reperi in meo angulo, verùm sentiens vehementem dolorem, & habens pectus impetu spiritûs elevatum. Interea mihi objiciebatur, & à me spectabatur mysterium, quod mihi Deus à tot jam diebus repræsentat, qui mihi dixit, me fuisse ab Angelis ex ea altitudine per eosdem deductam gradus, per quos me ipse sursum duxerat; præterquam quòd in reditu non pertransivissem illud mysterium, sicut in abitu.

Tot denique sunt res, támque mirabiles & novæ, quas contemplando hoc cœleste mysterium experior, ut, quamvis illud declarare, ac distinctiùs exponere summè optaverim, quò à capacibus nonnullis ingenijs intelligeretur, & inde perciperetur fructus, adverterim tamen, id prorsùs esse impossibile meæ capacitati: qua de re mihi varia animo revolventi, quin possem meo desiderio satisfacere, Deus, qui hoc agnovit, dixit: Animadverte, Anima, ego sum omnipotens, & clementissimus, atque habeo infinitos modos, quibus me communicem animabus, diversissima ipsis manifestando. Quia illarum salutem ardentissimè desideravi, factum est, ut manerem in Sacramento sub accidentibus panis & vini, totus existens in toto, & totus in qualibet ejus particula, ut me sic latentem, & hoc velo coopertum, anima, quæ me vivâ fide cognoscit, possit suscipere, se mihi unire, fieriq; particeps mearum gratiarũ ac spiritûs. Quodsi meus amor, potentia ac sapientia istud, & alia fecerunt opera, quæ omnem humanũ excedunt intellectum; éstne multum, denuò à me, cùm in scientia, potentia, & amandis meis creaturis, semper sim idem, plura alia fieri, quæ ob sublimitatem & mysterium sint me digna? Tale est mysterium, quod coram te habes, & modus, quo illud pertransivisti. Quandoquidem enim sum immensus, infinitus, & omnipotens Deus, sicut existo in cœlo, ità etiam ubivis alibi, & in quocunque sum loco: atque juxta mensuram meæ gratiæ, ac dispositionis, quam anima habet, cui me volo communicare, eidem arcano modo me manifesto, ut me possit complecti, attemperando me ipsius captui, & reddo illam spiritualem, atque ità conforto, ut me suo modo possit comprehendere, séque totam replere. Et sicut tu taliter transformata, penetrando mysterium, quod vides, te mecum univisti, variásque conscendisti altitudines, donec pervenires ad eam mysticam solitudinem, & observando illam figuram cœli stellati, quâ me communico meis amicis, percepisti aliquos meæ communicationis modos, multósque alios per totum vitæ tuæ decursum es experta, ità infiniti alij in mea omnipotentia supersunt modi, & gradus diversissimi, quibus me dilectis meis animabus communicem, ut omnes & singulos ego solus possim perfectè comprehendere. Istud tuo dubio, Anima, reddo responsum, quo potes desiderio tuo satisfacere. Benedictus sit Deus in æternum propter tanta ac tam rara, quæ admirabiliter operatur. Amen, amen.

*Concludamus præsens caput, & argumentum, quod pertractamus, raro favore, quem Christus Dominus Venerabili Marinæ exhibuit, scribendo, & subsignando quandam schedam, pro ejusdem Virginis solatio. Quamvis enim hac de re fusè in primo libro hujus secundæ partis scripserim, reservavi tamen in hunc locum gratiosam visionem, ex qua admirabiliter possit cognosci, quàm consueverit esse intima, & familiaris Dei cum anima sancta conversatio. Refert hæc mirabilis ipsius sponsa eventum his verbis.*

Divina Majestas excitavit in mea anima ardentes affectus, & vehementia desideria, à quibus præter morem impellebar, ad me ipsi denuò ex toto corde meo tradendam, ut nihil, & nulla superesset cura, quam non consecrarem meo magno Deo, donando illi integrè, ad majorem ejus gloriam

riam & honorem, omnes cogitationes, verba & opera miserabilis meæ vitæ. Abrepta igitur in mea solita oratione ab hoc interno impulsu, qui erat potentissimus, dicebam Ejus Majestati. Mi Deus & mi Domine, volo meâ propriâ manu scribere nonnulla verba, quibus comprehendatur, quidquid nunc sentio, & hanc schedam subsignare meo nomine, ut illam perpetuò apud me gestando, idem absque intermissione dicam ac repetam. Existimo, mi Domine, hanc rem meis desiderijs allaturam magnum solatium. Expendebam hoc meum dictum, ac deinde rursus dicebam: Verùm quid agam, mi Deus, cùm propter meum diuturnum morbum, atq; extremam debilitatem, & quia jam propè excæcata careo visu, non possim scribere? Talia verò non sunt scribenda manu alienâ.

In hac affectuum varietate, qui in intimo meæ animæ fundo ardebant instar ignis, vidi Christum Dominum, qui me benignissimè intuens, pari mihi benevolentiâ dixit: Quid agis, Anima; quale est tuum exercitium? qui sunt isti tui affectus, quibus adeò æstuas & exardescis? Venerabilissima Dei præsentia, atque dulcissima verborum svavitas, me mihi aliquamdiu eripuerunt, reversa verò ad me dixi illi: Mi Deus & mi Domine, tu bene perspectum habes cor meum, omnésque ipsius recessus; & quòd optaverim aliquid scribere ad majorem tuam gloriam, ac solatium, & satisfactionem meam: sed non possum scribere, eò quòd sim debilis, & patiar defectum oculorum, sicut nôsti. Hoc, mi Domine, considerabam, ideóque ignoro, quid agam. Bene est, Anima, dixit Dominus, optimum est tuum exercitium, placet mihi. Quòd autem ob tuam debilitatem non possis scribere, noli affligi: adsum namque ego, qui loco tui scribam, quidquid volueris, tibíque gratum fuerit. Postquam id dixit, advenerunt duo Angeli, qui exhibuerunt requisita ad scribendum, provoluti in genua juxta Dominum. Ipse apprehendit calamum, atq; cum majestate divina, in qua à mea anima agnoscebatur Esse Dei & hominis, cœpit scribere in membrana, quæ erat candidior nive, omnes meos affectus ac desideria, restringendo illa admirabiliter, ad quinque, ùt videbatur, lineas, charactere cæruleo & aureo. Dum mea anima interea esset attonita, ac attentissima tam sublimi mysterio, defixis in eo oculis, ità ut nè uno momento se posset abstrahere, quando Dominus cessavit scribere, convertit se ad me, dicendo: Anima, à quo hæc scriptura est subsignanda? quid tibi videtur, quis id faciet? Quia ego præconceperam, quòd me per eam vellem obligare, statim promptissimè & ferventissimè respondi: Domine, à me debet subscribi. Tùne illam subscribes? ajebat Dominus; considera bene, an sit conveniens, ut à te subscribatur. Omnino, mi Domine, dicebam ego, bene id consideravi, à me est subscribenda. Adverte, subjunxit Dominus, dic mihi, Anima, dum quispiam exolvit alteri debitū, cui incumbit subscriptio apochæ, nisi illi, qui accipit & recuperat, quod ipsi debebatur? Quapropter, cùm tu præcipuè coneris extingvere debitum, exolvendo mihi quàm optimè potes, multa, quibus mihi es obstricta, mihi competit subscriptio. Ah, dixi tum, mi Domine, ità profectò se res habet, sicut dicis: ego miserabilis sum rudis, quæ me ipsam nescio intelligere. Dominus subsignavit subitò schedam, scripsítque: *Ego Christus Jesus*, & acsi in hoc nomine agnosceret vim suæ Divinitatis, osculatus est illud reverenter tanquam homo, ac tradidit schedam cuidam Sancto Angelo, qui juxta ipsum erat, ut ipsam mihi ferret.

Sanctus Angelus venit ad me, & procumbens in genua, honorando characterem ac subscriptionem magni Dei nostri & Domini, quam adferebat, dixit mihi: Anima fortunata, & à tuo Deo, ex infinita ipsius bonitate & misericordia, dilecta, suscipe istud illius donum. Dum autem mihi scriptum vellet porrigere, accessit meus Sanctus Angelus Custos dicens, sui esse muneris, ut mihi donum à Domino missum applicet. Alter Angelus insistebat suo proposito ejusdem mihi applicandi, quandoquidem ipsum Dominus mi-

fisset

sisset cum dono. Tum eos Dominus gratiosissimè est intuitus, atque declaravit illis ineffabili modo suam ea in re voluptatem. Meus Sanctus Angelus Custos, tam facilè, quàm diffibulatur thorax, aperuit meum pectus, & acceptâ ab altero Angelo scripturâ, applicuit mihi illam, posuitq; intra meam animam, Sanctus autem Angelus, à quo fuerat allata, accessit, & clausit meum pectus, ut esset, quale erat priùs, rursumque dedit locum meo Angelo Custodi, & iste superposuit vestem, quâ antea tecta fueram: omnes enim has minutias, sic Deo volente, mea anima distinctissimè observavit.

Videns & considerans benignitatem, atque misericordiam talis Domini, sum passa magnam ecstasim, ex qua mihi modicùm restituta vidi Ejusdem Majestatem discedentem, quæ, datâ mihi suâ sanctâ benedictione, mihi valedixit, quo facto abibar cum multorum Angelorum comitatu. Verùm mea anima, quia grata venerabatur acceptum beneficium, & ob illud colliquescebat amore, vehementer dolens, quòd ipsum videret abeuntem, cœpit exclamare dicendo: Quomodo abis, mi Deus; quomodo me deseris, mi Domine? quâ ratione id fit? quo pacto me non abducis tecum? qualiter me hîc relinquis, mi Domine? Divina Majestas simulans, me à se non audiri, mandavit duobus Angelis, ut reverterentur ad me consolandam, quod illi fecerunt, & dixerunt mihi, nè me affligerem, paulò pòst enim me migraturam. At ego abrepta à meo affectu, & velut excæcata meo dolore, quamvis id ab ipsis diceretur, respondi: Ah mei Domini Angeli, hoc vos ipsi excogitavistis, dicitisque tantùm, ut me consolemini in tam gravi afflictione: ego namque non audivi, fuisse vobis à Domino injunctum, ut mihi tale quid nuntiaretis. Illi me intuiti, vices meas dolendo, dixerunt: Nónne verò, Anima, scis, nihil à nobis posse fieri, vel dici, absque Dei voluntate? Interea ante me comparuit aurea nebula, sicut aliàs, atque ità mea anima cessavit videre Dominum, & ipsius Angelos, unde fuit penitus à se abalienata. Quando postea ex hoc raptu redij, mirabar supra modum talia opera Dei, neque poteram oblivisci eorum, quæ videram, prorumpentibus magìs magísque ferventibus amoris, & gratiarum actionis affectibus, erga tam bonum Dominum, sese ità communicantem vilissimæ & miserabilissimæ creaturæ. Sit ipse millies, iterúmq; millies benedictus. Amen.

# CAPUT XXXIV.

## Instructio mystica, & monita hujus Virginis, ad intelligendam internam spiritûs agendi rationem, atque DEUM inter & animam communicationem.

*IN præcedentibus Capitibus nos hæc Virgo, tanquam singulariter à Deo illuminata, docuit praxim vitæ spiritualis; cùm visiones nobis ab ipsa enarratæ, nihil sint aliud, quàm præclarissima exempla, nobis ob oculos posita, variorum modorum, quibus se hic liberalissimus Dominus communicat sanctis, & contemplativis animabus, ubi ipso facto comprobata possint videri monita ac documenta, quæ nobis Doctores mystici, & Sancti Patres, super Canticum Salomonis, distinctiùs conscripserunt. In Capitibus mox secuturis aliquid intelligemus de theoria, quæ illi, utpote Doctrici hujus arcanæ & nobilissimæ scientiæ ascesticæ, fuit à DEO communicata. Quantumvis autem hæc minimè nova sint doctis, cùm propè omnia in Sanctis Patribus Ecclesiæ scripta reperiantur; erit tamen etiam illis solatio, & non exiguo ad Christianam animi demissionem stimulo, ubi viderint,*

*rint, Virginem literarum expertem, de tam sublimibus materijs, tam accuratè, definitè, & prudenter loqui, quàm posset quisque in triplici Theologia, scholastica, positiva, & morali, versatissimus, sinè quarum notitia periculosè in theorica hujus quartæ Theologiæ mysticæ proceditur: quemadmodum quoque parum secura sunt, & interdum prorsus exorbitantia quorundam judicia, qui triplicis tantùm illius Theologiæ periti, nullâ quartæ præditi notitiâ (quam animæ sanctæ hauriunt ex libro contemplationis; docti autem ex studio, quod admirandis hujus generis libris impendunt) intrepidè suam interponunt authoritatem, in approbandis ac defendendis, vel reprobandis & condemnandis spiritibus, eâ facilitate & confidentiâ, quâ resolverent casum aliquem moralem, aut sententiam ferrent de quapiam propositione. Censuratio spirituum requirit plus divini luminis, & plus continet difficultatis.*

*Non observabo hîc alium ordinem, quàm illum, quem invenio in ipsis scriptis originalibus, sequendo successionem temporis, quo ab hac admirabili Virgine dictabantur. Ità verò orditur, exponens, qualiter anima soleat acquiescere, postquam Deo, intimè cum ipso agens, aliquid proposuit.*

Hæc divina, inquit, Deum inter & animam communicatio, quantùm à me explicari potest, sic peragitur. Divina Majestas communicat superiori parti animæ, extra omnem imaginationum & figurarum tumultum, atque strepitum, ex mera sua bonitate, maximum lumen: quo habito, pro captu creaturæ, permittitur cognoscere infinitum bonum, immensum esse, plenum ineffabilibus perfectionibus. Sic anima intelligit, quòd illam DEUS ipsius alloquatur; agnoscit veritatem, quâ ab eo instruitur, talitérque disposita amat suum Dominum, alloquitur, interrogat, orat, eique respondet. Et hæc omnia fiunt absque strepitu verborum ex parte Dei, etiámque animæ. Hæc agendi ratio & collocutio est secretissima & inexplicabilis: quandoquidem ipsam quoque loquelam, interrogationes & petitiones animæ, videtur ipsemet DEUS disponere & operari, ità ut, Ejusdem Majestate agente, anima firmiter decernat de negotio, de quo fuerat in tam diserto silentio actum: quemadmodum si duo aliqui se in abstrusissimo conclavi clauderent, deliberaturi de re magni momenti, & postquam sibi invicem intima cordium suorum aperuissent arcana, ex ea consultatione sapiens proveniret discussæ materiæ dispositio, & conclusio. Acquiescit anima, & redditur certa, quòd sciat, ac habeat, & conservet in se ipsa veritatem, ac decretum in æterno Divini pectoris pronunciatum Sacrario, tametsi idem decretum & veritas, permaneat in illo Divino pectore, sicut antea; eum in modum, quo speculum crystallinum à Sole, dum ei radios imprimit & speciem, transformari videtur in alium solem, quanquam sit certum, solem secundùm totam suam substantiam, vim, & splendorem, permanere tanquam causam superiorem, dum aliquos speculo suos communicavit radios, quin eosdem perderet, aut abalienaret.

*Agens deinde Venerabilis Marina de differentia conceptæ veritatis, quando se divinum lumen quasi ulcrò imprimit animæ, aut quando anima idem divinum lumen quodammodo exigit, séque cum admirabili propositi firmitate ac destinatione coram eo constituit, sic loquitur.*

Quædam, dum ad idem aspiciuntur lumen, si te ex uno colloces latere, exhibent hanc speciem; si verò ex alio, jam aliam diversissimam repræsentant imaginem, ut videantur mutavisse figuras & colores. Idem evenit in ijs rebus, quæ cognoscuntur, & in veritatibus, quæ intelliguntur, dum considerantur alluente Sole Divino, ut si illas velut in diverso situ spectemus, diversæ nobis tum appareant ac transformatæ. Causa hujus rei exiguo meo judicio, est, quam nunc dicam. Ipse DEUS quasi sponte occupat animam, & suis collustrat radijs, eleuando eam, ut cognoscat, quod illi manifestat, aut veritatem, quâ ipsam de quapiam negotio imbuit. Imprimitur ei ita visa, & veritas, qualis in se est, & qualem illi DEUS monstravit. Fit nihilominus

minus, ut anima (eò quòd, ad majorem Dei gloriam, impensè desideret, illud negotium, plurimùm conducens ad divinum honorem, videre conclusum) postea idem expendat, se quodammodo cogendo, sibíque occultam quandam vim inferendo, ad repræsentandam sibi eandem rem, quam viderat ac audierat, & se reddendam illius quàm capacissimam: quia verò tantopere assvevit versari in divina præsentia, divinísque illis collustrari radijs, videt eam ipsam rem prorsus diversas præ se ferentem species, tametsi eæ semper sint bonæ, & respiciant divinum obsequium: quamvis enim lumen sit idem, diversimodè nihilominus communicatur. Nam in priore casu nos lumen occupat quasi ultrò, invitamur ab eo, ducimur, abripimur, ad videndum, quod objicitur; in altero autem, nos ipsi videmur illud invitare, provocare, ac attrectare velut violentè, ut nobis rursum ab eo repræsentetur, & quando â nobis ità conspicitur, jam in illo deprehendimus diversam speciem, & formam differentem à prima, acsi à nobis in alio situ videretur.

Quæstio nunc est, cuinam ex his duobus, quæ ostenduntur, cùm utrumque sit bonum, atque ad divinum tendat honorem, anima debeat inniti, ut secundùm illud ferat judicium, & operetur? quamnam ex his illuminationibus sequi debeat, ut disponat de meliore negotij expeditione? Respondeo, debere illam inniti priori, quod ipsi divina lux ex se objecit: nam etiamsi postea fuerit constituta in præsentia Dei, & in conspectu ejus luminis, ab hoc tamen illi istud objectum non exhibebatur, sed ab ipsa anima, quæ de eo, licèt bonâ intentione ratiocinabatur: & quidquid diversum deprehendit longè est inferius, minúsque efficax, quàm quod illi Deus ostenderat. Id inde apparet, quòd prior illa veritas ac designatio divina remaneat quasi in perpetuum insculpta, & infixa animæ, quidquid tandem apparenter exsurgat ad eam disturbandam; alteri autem cor non videatur adhærere, cùm sit res evanida, ac talis, ut anima se possit ab illa abstrahere. Denique priore occasione videtur esse naturale opus divini luminis; in altera velut ectypon artefactū, quod ab ipso nostro spiritu efformatur. Non erit facilè, præsente eodem lumine, distingvere genuinum ab adumbrato, nisi quis diuturnam internorum animæ motuum habuerit experientiam.

*Modos, quibus Deus secretissimas sui ipsius communicat notitias, viam ordinariam, quâ elevat animam ad contemplationem, pericula & fraudes dæmonis, quæ hic possunt intervenire, atque alias utilissimas animadversiones, ad directionem spiritûs, adnotavit Ven. Marina in quodam scripto, ubi sic ait.*

Interdum Deus, ex divina sua bonitate & misericordia, abripit animam, non petendo ab ea, quod ajunt, licentiam, quin etiam appareat ipsam fuisse cooperatam, eò quòd nec sibi aliquid repræsentaverit, neque inferiorum potentiarum vacaverit exercitio. Tum, quando illam derepente in profundissima exstasi unit suæ Divinæ Essentiæ, ac divino perfundit lumine, ostendit ipsi in momento, velut arcanis comprehensa notis, altissima mysteria. Videt quandam immensitatem, & infinitam majestatem; videt juxta captum hujus mortalis vitæ, & secundùm lumen, quod illi confertur, quid sit Deus, & quidem in divina quadam caligine, quæ ab ipso Deo illustratur, & ab illa nequit comprehendi, multóq; minùs explicari. Tantùm videtur dicere cum Propheta: A, a, a, vidi arcana Dei; vidi divina mysteria: & cum Sancto Paulo: Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque intellectus humanus capere potest, quæ præparavit Deus dilectis suis. Cognoscit, quomodo omnia creata dependeant à providentia & conservatione ejusdem Domini; quâ ratione ipse sit objectum beatitudinis Angelorum, & glorioſarum animarum; qualiter unum sit omnium rerum principium & finis, carens fine & principio, una prima causa, atque unum supremum & absolutum in omnia dominium. Ac demum anima eo tempore versatur tanquam in immenso mari, quod est Deus, & ampliùs Deus, ubi est impossibile figere pedem, aut fundum invenire. Apparent tunc divina attributa veluti in compendio, ità ut nullū

singulariter discernatur. Et licèt interdũ, quando hujusmodi raptus incipit, aut finitur, Deus soleat animæ monstrare quasdam imagines, vel figuras imaginarias, dũ tamen intratur in prædictam unionem, nulla intervenit loquela, imago, aut figura, quæ possit adaptari imaginationi, & sensibus internis, longè verò minùs externis. Omnia peraguntur in superiore animæ portione, sũntque purissimè intellectualia.

Quodsi istam animam, dum ex hoc raptu revertitur, interrogemus, quid in suo Deo viderit, seu cognoverit, difficillimè id scit dicere, tantúmque rusticâ barbarie levia quædam potest præbere indicia, qualia sunt, de quibus suprà dixi, ut is qui ipsius spiritum regit, aliquem possit formare conceptum de eo, quod illi evenit. Si eam ulteriùs interrogemus, quales in ipsa effectus tantarum rerum visio produxerit, respondebit, eos esse, stupendam quandam consternationem, inexplicabilem admirationem, specialissimam & experimentalẽ cognitionem sui Dei; nonnullam quodammodo delibationem beatitudinis Sanctorum, amorẽ illius Domini tam penetrantem ac fortem, tam purum & generosum, ut, si in bilance hinc omnia istius mundi bona, & quidquid Beati habent gloriæ in cœlo, posset poneres, inde verò vel minimũ veniale peccatum scienter comissum, ipsíque diceretur: Si hoc peccato offendis tuum Deum, dabitur tibi in æternum omnis ea beatitudo; absq; ullo dubio, & obfirmatissimo animo mallet perdere omnem illum thesaurum, & quotquot forent imaginabiles, quàm committere illud veniale peccatum, ideo solùm, quòd adversetur infinitæ illi bonitati, quæ est dignissima amari, & quam ipsa cognovit. Hoc autem facit cum tam profunda sui judicij & clara deliberatione, tam impetuosâ sui affectûs vehementiâ, ut, si per impossibile commutatis vicibus fieret Deus, atque Deus in ipsam converteretur, indubitanter existimet, quòd se abdicatura esset Divinitate, ut eam possideret ipsius dilectus; & redacta ad inopiam, mendicitatem ac miseriam, summè gauderet, quòd illam permutationem fecisset in ejus honorem. Id nunc possum pro mea ruditate dicere, de conditione & effectibus illius raptus.

Quod attinet ad securitatem, esse videlicet opus Dei, quidquid hîc agitur, id mihi prorsus verum videtur: siquidem in arctissima ista unione, ubi nullæ extant imagines aut figuræ, in ea divina caligine illustrata ab ipso Deo, quæ reperitur in superiore portione animæ, ac tantummodo intra intellectum & voluntatem clauditur, non vidi, nec sum experta, dæmonem se posse immiscere, vel aliquid fingere, quantùm intelligere possum, & spectato speciali lumine, atque profundâ notitiâ, quam Divina Majestas mea pauperi animæ contulit, ad cognoscendas has tam reconditas materias.

Signum, quòd anima ad hanc intimam unionem ascenderit, ac perceperit tam profunda mysteria, est, si harum rerum tam vividam & indicibilem retineat notitiam ac memoriam, ut cum suo magno solatio & fructu, quotiescunque vult, possit quasi præsens spectare, quidquid cum suo Deo egit: videtur enim retinere nescio quas quodammodo scintillas illius admirandi luminis, quod ibi accepit. Et licut is, qui aliquando vidit Romam, redux in Hispaniam recordatur, dum vult, eorum quæ illic spectavit, ità hîc fit: quamquam ista comparatio sit abjectissima ad hoc explicandum, & hæ materiæ ità ab invicem differant, sicut cœlum à terra. Sunt denique tam diversæ notitiæ, quæ remanent, ut, si acutissimus quispiam intellectus vellet viâ ordinariâ, & absque eo lumine, quasi spectare simile mysterium, id ipsi accideret penitus impossibile: & quantumcunque intellectus hoc modo accendat, credat esse opus suæ ratiocinationis, séque millies millenis gradibus distare à proposito.

*Magnum discrimen, quod Venerabilis Virgo assignat inter reminiscentiam ejus, quæ fuit unitus Deo, & alterius, qui vidit Romam, videtur posse explicari: hujus enim memoria conservat species in sua imaginatione, quæ tempore diminuuntur, & obtunduntur: atque fiat, sunt tanquam imagines mortuæ*

*& intentionales vivarum & realium imaginum, quas reliquit Romæ: memoria verò illius, qui se univit Deo, cùm nullam viderit imaginem & figuram, nihilque in imaginatione reliquerit, quod possit obtundi, & omnia fuerint merè intellectualia, videtur retinere ipsum indefectibilem Deum, eundémque sentire tanquam realiter præsentem, ac videre, quod antè cognovit, quanquam multò minore claritate, veluti coopertum quibusdam velis. Unde provenit, quòd, licèt memoria rerum naturalium, quæ fuerunt visæ, producat aliquos effectus, ij tamen sint ordinarij, & quasi exanimes; altera verò illa reminiscentia objecti, effectus producat vivaces, ac tam efficaces, quàm dictum est. Pergit nostra Virgo docere alias sacras notitias, & sic ait.*

Alio quoque modo solet magnus Deus noster illuminare animam, elevando illam ex via ordinaria, & in medio hujus viæ quasi manu apprehendendo, ut eam exaltet, ac perducat ad sublimẽ sui Divini Esse, & eminentissimorum attributorum cognitionem, quod sic fit. Anima inchoat suam consvetam orationem, considerando humiliter ac attentè, dum in se excitat affectus amoris, aut exercet actus aliarum virtutum, magnitudinem sui Dei, infinitam ipsius potentiam, bonitatem, & sapientiam, atque alia hujusmodi mysteria. Tum verò videtur advenire Deus, replere illam lumine, reddendo habilem, ut aliquid videat de Divino Esse, ejusdémque perfectionibus. Nunquam tamen hæc notitia pertingit ad illam excellentiam, quæ deprehenditur in ea suprema unione, de qua dixi suprà: quia in visione, de qua nunc ago, videtur prodire lumen ex Deo, instar pulcherrimi fulguris, quo anima perfunditur; in illa verò, de qua superiùs sum locuta, non derivatur lumen à Deo ad animam, sed anima ingreditur in centrum ejusdem luminis, & plerumque ante cognitionem, quæ hîc à Deo communicatur, Divina Majestas efformat, & exhibet animæ quasdam imagines, & figuras symbolicas mysteriorum, quas producit in imaginatione vel ipse Deus, vel Angelus, vel Sanctus, à quibus ex Divinæ Majestatis beneplacito anima visitatur. Hæ imagines, & figuræ imaginariæ magn â sunt vi præditæ, & adferunt quandam quasi veritatem, ità ut plurimùm satisfaciant animæ, à qua videntur. Sunt prorsus diversæ ab illis, quas efformare solet propria nostra imaginatio; atque si quis deditus orationi in his efformandis est nimius, incidit in periculum; cùm diabolo sit facillimum (permittente Deo) se transformare in Angelum lucis, & simulare imagines boni spiritûs: quamvis animam puram, sinceram, non illusam, & nihil aliud optantem, quàm servire Deo, ipsúmque amare, sinè ullo appetitu, imò cum detestatione singularitatum, dum tantùm aspirat ad procedendum viâ ordinariâ, ipse Deus illuminet, illique ineffabili modo largiatur speciale lumen, nè decipiatur, útque singula intelligat, distingvendo has imagines ab illis, ac discernat, quæ sint boni, aut mali, vel proprij spiritûs. Effectus, quos hæ visiones imaginariæ, quando proveniunt à Deo, relinquunt in anima, sunt optimi, & adferunt magnum fructum: sunt enim istæ visiones valde conformes nostro modo cognoscendi in vita mortali, cùm nostræ intellectiones semper dependeant à speciebus & figuris. Taliter anima optimè respondet Deo, séque disponit ad supremum gradum visionis, de qua suprà sermonem habui.

*Notanda est differentia, quam Virgo ait intercedere inter notitias, quæ percipiuntur in illo primo raptu, de quo superiùs egit, & in hoc secundo, de quo nunc loquitur, in quibus idem objectum, quod est Deus, tam diversimodè cognoscitur, eò quòd anima in priore ingrediatur quasi in centrum divini luminis, in posteriore autem lumen prodeat à Deo, ad illustrandam animam, acsi diceremus: In secundo Deus assistit animæ, séque ei ostendit, quasi ipsam visitet, ac apud eam maneat in eodem conclavi; in primo autem non tam manet apud Deum, quàm in Deo; non est qualiscunque conversatio & colloquium, sed unio: in secundo Deus tanquam ex mensa suæ gloriæ mittit animæ ferculum, quæ in eodem cum ipso moratur cœnaculo, sed aliquantùm remota; in primo illam quodammodo secum collocat ad eandem mensam, ut tanquam sponsa sumat ex omni-*

*bus escis, & ex eadem cum suo Domino patina: in secundo anima fruitur Deo, quem cognoscit, aspirando ad illum; in primo non tam eo fruitur, ipsúmque cognoscit, acsi aspiraret ad bonum nonnihil remotum, quàm spirat bonum, cui est intimè unita. Denique in secundo Deus, & ejusdem fruitio, atque cognitio ingrediuntur in animam, sese quasi restringendo, juxta limitatam ipsius capacitatem; in primo anima intrat eo modo, quo Beati, in suum Deum, & illius thesauros, quasi ibi se dilatando & extendendo, ut perfruatur omnibus. Multa alia dicuntur de hoc argumento à Sanctis Patribus, tanquam expertis, quæ nos, tam felici carentes experientiâ, quamvis legamus, vix divinando attingimus; & quantò plus dicimus, signum est, eò minùs à nobis intelligi: quandoquidem visus hac in re probari videtur, muto illum subsequente silentio; atq. dum Sancti nobis magis & melius volunt explicare, quæ senserunt, fatentur, se ignorare modum eorundem exponendorum. Subjungit Venerabilis Marina aliam paris momenti instructionem, quanquam magis perceptibilem.*

In ordinaria via meditationis, præsertim autem incipientibus hoc sanctum exercitium, prodest plurimùm, si assvescant formare species, sibíque repræsentare figuras suâ propriâ imaginatione: in meditanda vita Christi Domini, efformare imagines mysterij: ùt, si expendatur nativitas, repræsentare sibi tuguriolum Bethlehemiticum, præsepe, & reliqua, quæ in eo reperiuntur; si consideretur Passio, ponere sibi ob oculos montem Calvarium, cum omnibus, quæ ibi aguntur. Optimi sunt effectus, & ingentes fructus, qui hinc eliciuntur. Licèt autem dæmon quandoq; has figuras quàm vivacissimè soleat imitari, ingerendo illas nostræ imaginationi, ut faciat animam evanescere, credentem se jam habere divinas visiones, posteáque seducat, donec illam præcipitet: si tamen anima se ipsam non vult fallere, séque verè ac sincerè aperit experto & prudenti directori, facile est detegere versutiam. Nam hæ repræsentationes diabolicæ solent animam reddere tepidam, absque ferventibus veræ cum Deo familiaritatis affectibus, relinquentes illam quasi tristem, ac tædiosam, & sinè animo revertendi ad orationem: quanquam iste hostis sit adeò millenis alijs modis fraudulentus, ut magnâ sit opus circumspectione, & lumine, nè assequatur suum finem. Simus humiles, acquiescamus, & millenas agamus Deo gratias, quòd nos permittat versari in suis atrijs, & ingredi per ostium Christi crucifixi: quâ ratione, si Deus velit, & anima se disponat, obtinetur omne nostrum bonum, & ascenditur ad perfectionem, ad amorem divinum, nec non unionem Dei & animæ, atque ad cætera, quæ inde consequuntur.

Ego saltèm nunquam vidi, neque sum experta, nec etiam unquam intellexi à Deo, animam posse pertingere ad hæc divina fastigia, nisi priùs intraverit per illam regiam portam JESU CHRISTI nostri dilecti & Domini, fuerítque satiata ac locupletata cœlestibus, atque divinis thesauris, provenientibus ex pretioso ipsius sangvine, sanctissima ejusdem vita, & morte crucis: quod quidem in ea debuerat esse quodammodo impressum & obsignatum, ità ut habeat quasi in se ipsa scriptum librum sacrosanctorum mysteriorum nostræ redemptionis. Et quando omnia ista reperiuntur in omnibus miris, & superioribus rebus, quas anima potest à suo Deo consequi, semper aliquid ex his bonis quàm spiritualissimè sentit, quin idcirco impediatur, aut retardetur in eo altissimo gradu, ubi à Deo constituitur. Hoc ego intellexi, neque mihi Divina Majestas unquam aliquid dixit in contrarium. Verùm id non prohibet, quò minùs iste magnus Deus ac Dominus possit, si velit, quampiam animam ad hæc superiora ac divina fastigia elevare, quamvis illam non ducat per gradus consvetos, de quibus hîc scribo.

Quando anima sibi hunc in modum videbitur derepentè ascendisse, debet accuratè considerare & examinare, quis hujus ascensûs sit author, quomodo fuerit peractus, & quare, quósque relinquat effectus: possunt namque hîc intervenire specialissimæ, ac diversæ causæ, & Divina Majestas id rarò facit, nisi ob graves altissimorum suorum, & arcanissimorum judiciorum

ciorum rationes: ideóque, quantum est in nobis, semper nos debemus humiliter demergere in abyssum nostri nihili. Deus sit benedictus. Amen.

# CAPUT XXXV.

## Continuat eandem materiam, & instructionem.

*PRætermissis quibusdam notioribus modis alloquiorũ, quæ contemplativi solent experiri, prout sunt verba in aëre formata, quæ intrant per auditum exteriorem, & alia delicatiora ac subtiliora, quæ tantùm percipit imaginatio, qui duo modi possunt provenire à bono vel malo spiritu: & licèt sit difficilè talia discernere, inveniuntur tamen multa, eáque clarissima in sacris Doctoribus indicia, ex quibus director spiritûs plerumque potest indagare, & interdum cognoscere principium, unde oriantur: aggreditur Venerabilis Marina docere alium modum alloquiorum merè spiritualium, consistentium in solo intellectu, per quæ se bonus spiritus communicat animæ, & signa pro ijs dignoscendis; quod verè nihil est aliud, quàm explicare, quantum humana ruditas patitur, lingvam Angelorum, sic vocatam à Sancto Paulo, qui loquuntur per communicationem conceptuum. Ità verò dicit.*

Quando Deus, vel ipsius Angelus, aut quispiam Sanctus, alloquuntur animam puram ac mundam, & humilem, protúsque alienam ab omni vano appetitu hujusmodi extraordinariorum favorum, ut nihil dicam de alijs sensibilioribus, utuntur quodam arcanissimo & sublimissimo loquendi modo: infunditur enim ingens lux animæ, quâ habitâ simul ac est locutus Deus, vel Angelus, aut Sanctus, anima clarè cognoscit, quis ipsam alloquatur, longè distinctiùs, quàm hîc agnoscamus vocem illius, cum quo sæpe conversamur, tametsi ipsum non videamus. Et quamvis tum se non manifestet Deus, aut ipsius cœlestes ministri, ex eo ipso nihilominus, quod dicitur, quàm optimè ineffabili modo intelligitur, quis loquatur, atque semper quod dicitur, est sanctum, proficuum, & necessarium. Hæc delicatissima alloquia non resonant, vel tinniunt; non sunt mollia vel gravia, aut aliquid simile. Quodsi quis dixerit tale quidpiam in ijs reperiri, id sinè dubio fiet ideo, quòd non noscat, nec fuerit expertus istud genus alloquiorum, de quo hîc ago; sed aliud multò inferius: nam dictus modus loquendi est penitus spiritualis. Voco autem ipsum alloquia & verba, quia nobis, perinde acsi talia forent, repræsentantur à veritatibus, quas Deus, aut ipsius cœlestis spiritus, habent in mente, quasi inde ad nostram transferrentur. Effectus horum alloquiorum sunt notissimi: ingenerant enim animæ profundam reverentiam, admirabilem venerationem Dei, &, servatâ proportione, Angeli, vel Sancti loquentis; sanctum timorem, qui similes eventus semper comitatur; profundam animi demissionem, & exigui meriti cognitionem; magnum affectum erga silentium, quo abstineatur à verbis naturalibus, etiam in rebus bonis, nisi præcisè sit loquendum propter profectum animarum, atque alios similes effectus, quos adfert omnis cœlestis communicatio.

Sunt & alij alloquiorum, pariter subtilium & internorum, modi, quos Deus in hoc genere multos habet: quando nempe interdum animæ imprimit aliquam veritatem, quæ in ipsa permaneat tanquam insculpta & indelebilis. Aliàs, dum Divina Majestas vult ab anima videri mysterium, quod illi proponitur, utitur ineffabili modo, quo eam reddit attentam. Et sicut hîc, dum quispiam alium jubet videre, quod non observaverat, indicat objectum digito, dicítque ipsi: Aspice hoc; ità Deus absque designatione, & nullo dicto verbo, quasi indicando dicit animæ, ut aspiciat, quod illi videndum exhibet. Atque hoc sacrum imperium adeò infigitur animæ, ut, licèt ipsi nihil indicetur manu, nesciat, qualiter tamen designetur certus locus, qui

sit aspiciendus, & non alius, dicatúrque illi, ut aspiciat, licèt nullum verbum proferatur. Multi sunt alij modi similes: sed nunc viribus sum debillimis, & non possum plura dicere. Deus sit semper benedictus.

*Quamvis omnes effectus, qui hîc à Venerabili Marina recensentur, sint communes cuicunque supernaturali communicationi; specialis tamen affectus erga silentium, & fuga conversationum, licèt bonarum, videtur præ cæteris convenire his alloquijs. Nam sicut ex conversatione cum Creatore, naturaliter animæ adhæret avulsio à creaturis; ità ex collocutione cum ipso oritur tædium proferendi, vel audiendi verba humana. Et sicut hîc alicui, qui callet politum idioma Aulæ, dissipit inculta loquela rusticorum; ità quoque dum anima absque ullo strepitu vocum, aut copia verborum, addiscit lingvam Aulæ cælestis, & idioma Angelorum, jam existimat, lingvam humanam esse rudem, eáque quodammodo offenditur, quantumlibet sit elegans, eò quòd loquatur, quasi balbutiendo.*

*In alio scripto Venerabilis Marina descendens ad disserendum de profunditate, & modo occultissimo, quo Deus aliquando loquitur, atque de tumultu, qui inde in anima suscitatur, dum, licèt existimaverit à se omnia fuisse intellecta, nihilominus advertit, eventum non respondere quoad omnia ijs, quæ intellexit; proponit quasdam magni momenti admonitiones, quæ etiam doctioribus ac peritioribus Magistris spiritûs possunt prodesse, & sic ait.*

Magnus Deus noster & Dominus habet, tum in se ipso, tum etiam in suo modo agendi, summa arcana, adeò sublimia, & mysterijs plena, ut rapiant in admirationem etiam sublimissimos Seraphinos. Hinc fit, quòd, dum animam tam diversimodè aloquitur, sicut aliquoties dixi, anima cum lumine suæ capacitati communicato, nequeat penetrare omnes circumstantias eorum, quæ ipsi dicuntur; aut mysterium, & conditiones tacitas, cum alijs occultissimis cautelis, & reconditis sensibus, quos continet sententia, quam percepit, atque id, quod ex sibi ostensis, didicit. Quemadmodum, si hîc quispiam se constitueret in litore immensi maris, & extenderet visum, quantumcunque posset, ad perlustrandam attentè latitudinem, longitudinem, & profunditatem illius oceani, nec non multa, quæ ibi producuntur; accessum ipsius & recessum; ingressum aquarum & egressum; atque secretos sinus & vias, per quos allabuntur, & omnia quæ in suis includit visceribus; quidquid tandem videret, esset modicum, idq; tantùm magìs in superficie apparens: sic etiam suo modo accidit animæ versanti cum suo Deo in hac superiore communicatione. Quocirca interdum evenit (Deo ità, ex altissimis suis judicijs, & majoris boni causâ, disponente) ut anima aliquam divinam veritatem intelligat; Deus tamen eandem veritatem ejusmodi involvat circumstantijs, adeóque occultis & subtilibus velis, ut paupercula anima, non intelligens sibi aliquid celari, non percipiat potissimum veritatis mysterium, eò quòd hoc remaneat in ipso Deo, qui tam in sua Essentia, quàm etiam in loquela, est incomprehensibilis.

Contingit deinde ex divina dispositione, ut illud, quod anima, secundùm suum modicum & limitatum judicium, audavit ac intellexit à Deo, existimans esse manifestum & certum, prout sonabat, tamen non eveniat, aut succedat, quemadmodum ipsa sperabat. Et ecce hinc indicibilem turbationem, acerbissimam afflictionem pauperis animæ: jam se arbitratur illusam, putátque se, sicut hac vice fuit decepta, judicando esse loquelam Dei eam, quæ talis non fuerit, cùm non sit eo modo impleta, quo speraverat, ità quoque alias semper fuisse deceptam. Tempestas, quâ inde suscitat diabolus, ad affligendam animam, & ingenerandam ipsi diffidentiam, ac turbandum magistrum, à quo regitur, si is minùs habeat doctrinæ & experientiæ, quàm conveniat, nequit ullis verbis explicari.

Idcirco, quando id eveniet animæ, quæ revera vivit in sancto timore Dei, & unicè desiderat se conformare cum divina voluntate, ipsiúsque cognoscere verba & sequi, ac habet cætera omnia adjuncta, atque conditiones, quas exigit virtus & per-

fectio

fectio vitæ, nec non in reliquis signa, quòd regatur à bono spiritu; non turbetur ejusmodi anima, neque credat, se errare ac decipi, & non fuisse divinum alloquium, quod tum percepit, sed impostura mali spiritûs. Sciat, potuisse esse divinam veritatem, & re ipsâ fuisse, si est experta effectus & indicia, de quibus aliàs dixi, quòd soleant Divinam vocem consequi: modus tamen & conditio, unde ipsius impletio dependebat, illam occultaverunt, unde factum fuit, ut deciperetur in judicando. Vehementer timeri potest, nè diabolus animam etiam sanctam tentet hac diffidentiâ, ut ab eo prosternatur, ac deturbetur ex sublimitate suæ contemplationis, suáque cum Deo familiaritatis; quod esset summum malum ac damnum, non solùm redundans in hanc animam, sed etiam in multa alia concernentia gloriam Dei, & bonum aliarum animarum, quod diabolus hac viâ intendit obtinere. Ac proinde sicut esset gravissimum malum, damnúmque indicibile, diabolum habere pro Deo, & illius alloquia pro divinis, ità suo modo est terribile, & summum malum, habere vice versâ Deum pro diabolo, & ipsius veritates pro mendacijs mali spiritûs, aut saltèm pro spiritûs proprij illúsionibus, atque delirijs nostræ imaginationis. Deus nos adjuvet, propter semetipsum, détque nobis suum sanctissimum lumen in tam difficilibus materijs, ut in omnibus assequamur sanctissimam ejus voluntatem.

***

# CAPUT XXXVI.

## Aliæ animadversiones doctrinæ mysticæ.

*DE eodem argumento, quod modò pertractavimus, Venerabilis Marina scripsit aliam brevem, sed perutilem admonitionem, ex qua potest anima intelligere, quando debeat (dum agnoscit, quòd ipsam Deus alloquatur) existimare, non omnia sibi fuisse dicta, quæ negotium quodpiam continet, atque fuisse occultatam aliquam circumstantiam, & sic ait.*

Quando anima meticulosa ex sua natura, séque in omnibus cupiens conformare cum divinis veritatibus, & sacratissimæ magni Dei nostri voluntatis beneplacito, audit in arcano ejusdem alloquio aliqua hujus Domini verba, ac tanquam attonita non perdit suos timores, neque liberè potest dicere, an eventurum sit, nécne, quod illi revelatur, imò in corde suo sibi ipsi dicere videtur: Quid ego his rebus arduis possum intelligere? ità sum comparata, ut possim falli, nisi illuminer à Deo; atque postea incipit dubitare, non utrùm eam allocutus fuerit Deus, sed an intellexerit, nécne, quid sibi dixerit, signum est, non omnia illi à Divina Majestate esse dicta, quæ negotium complectebatur, sed ex sublimi quopiam fine quædam fuisse occultata. Solet tamen Divina Majestas id ipsi plerumque declarare, quando deinde aliud evenit, quàm videatur fuisse intellectum. Propono exemplum. Petit anima à Deo vitam alicujus graviter ægrotantis, & ille respondet: *Non morietur;* atque nihilominus videmus ipsum tum fuisse mortuum. Deus non potuit falli, nec voluit, aut potuit fallere animam: sed reservavit in suo divino intellectu aliud verbum, acsi diceret: *Non morietur in æternum.* vel: *Non morietur, spectatis causis naturalibus;* etiamsi Deus viderit, eam mortem fore certam, seeundùm effectus dependentes à libero arbitrio, quos ipse tum reticuit. Dixit mihi aliquoties Deus, id fieri propter sublimes fines, & arcana ejusdem judicia, licèt bonus loquatur spiritus. Ipse sit benedictus.

*Ex his Venerabilis Marinæ dictis clarè colligitur, non esse in ijs revelationibus, ubi anima timet, ac dubitat, utrùm intellexerit, aut penetraverit, quod illi indicabatur, curandum, ut secundùm ipsas aliquid fiat, quoadusque se Deus plenè declaret. Aliá occasione*

*fuit hæc Virgo docta discernere vocem boni spiritûs, à voce spiritûs proprij, quod ità describit, addendo alia utilia & singularia.*

Dum aliquando, præ vehementia meorum affectuum, prorupissem in quandam interrogationem, quam proposui Deo, intenta ordinariæ, sed ferventi orationi, Deus mihi gravissimè respondit, quod conveniebat. Mea anima audivit responsum, & subitò tanquam confusa considerando, animóque revolvendo modum illius divinæ allocutionis & communicationis, dicebam intra me: Bone Deus! quomodo, & unde agnosco, hanc esse Dei loquelam? & respondebam mihi ipsi: Sinè dubio id eo modo accidit, quo filius agnoscit vocem & loquelam sui Patris, licèt illum non videat; & si quis alius loquatur, agnoscit, ipsum non esse suum Patrem: atq; sicut amicus agnoscit, se loqui cum alio amico, cum quo communiter conversatur, etiam dum sunt in tenebris. Hoc dicebam, licèt intelligerem, multas alias longè altiores adesse rationes, probantes certitudinem hujus cognitionis. Convertit se deinde mea anima ad Deum, dicendo illi: Mi Deus, doce me, per temetipsũ te obsecro, agnoscere loquelam proprij spiritûs; & respondit mihi Dominus: Bene est, núncne primùm hac de re quæris? Satis apparet, quòd illum rarò, aut quasi nunquam audias. Et intuens meum Sanctum Angelum Custodem, dixit ipsi: Doce, mi Angele, hanc Animam, pro ipsius solatio, id de quo quærit. Tum Sanctus Angelus ad me conversus, mihi dixit: Adverte Anima, loquela proprij spiritûs non producit effectus luminis, & cognitionis eorum, quæ exponit, aut exhibet animæ, quos producunt divina Domini verba, & cœlestium ipsius ministrorum; neque adferunt eam efficaciam, acsi intimo cordi profundè insiderent; & quamvis loquela sit bona ac vera, attamen non ità fixè inhæret, sicut loquela Dei: præterea plerumque verba spiritûs proprij, etiam dum est maximè illuminatus & fervens, sunt sicut flatus venti, non relinquentes vestigium, quà pertransierunt.

Mea anima audivit cum magno solatio hæc sui Sancti Angeli dicta, eadémque expendens statim dixit: Bene habet, mi Domine Angele, optimè id intelligo. Verùm quod mihi nunc loqueris & edisseris, videtur resonare intra meum spiritum, acsi ipse ità secum ratiocinaretur. Anima meticulosa, respondit tum meus Dominus Angelus, quomodo potes inficiari, me esse qui te alloquor, cùm me videas, ac me audias; atque dicere, aut velle intelligere contrarium? nónne est verum, sicut ipsamet scis, tametsi claudere velis oculos? Quod autem nunc observas, videri nempe tibi, dum ego te alloquor, mea verba resonuisse intra te, & prolata fuisse à tuo proprio spiritu, eo fit modo, quem tibi jam pandam. Magnus Deus noster habet, etiámq; nos cœlestes ipsius nuntij habemus, multos modos conversandi & loquendi cum anima. Interdum facit, quod pædagogus docens puerum legere, à quo puero jubetur enuntiare & repetere eadé verba, quæ audit, ùt ità exiguo ejusdem pueri captui lectio magis imprimatur, facilióque addiscat, quod ab illo docetur. Et hoc docendi modo ego nunc sum usus: repetebat enim tuus spiritus, quod percipiebat. Aliàs loquitur Deus, & loquimur Angeli, ac Sancti, tanquam Magistri in cathedra, qui habent jam adultos & capaces discipulos. Quando illi docent, sufficit, si audientes sunt attenti, conservando auditas veritates in suis intellectibus, absque ulla verborum repetitione. Omnia ista operatur magnus Deus noster, prout exigit capacitas, necessitas, & majus bonum animæ, cui aliquid dicitur, totum sese accommodando ad majorem suæ creaturæ profectum. Id mihi dixit meus Sanctus Angelus. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*Notetetur hujusmodi sacra eloc, quia non nunquam verba boni spiritûs repercutiuntur in anima: fortassis enim alibi tam clarè non scribitur. Ego verò dixerim, id esse intelligendum, quando locutio est imaginaria, vel auditur per auditum externum (nam utrobique prædictâ repetitione multiplicantur, magis figuntur species, ut sint durabiles) non certè intimis illis, & intellectualibus locutionibus, quæ*

*quas commemoravit initio, & quæ, dum primâ vice audiuntur, videntur indelebiliter fixæ permanere.*

*Progreditur hinc Venerabilis Marina ad discrimen, quod est invenire inter sanctos affectus & principia, unde in animam promanant, ut ex ijs feratur judicium, quales, & cujus sint spiritûs consequentes deinde locutiones & visiones. Est doctrina perquam utilis, & specialiter notanda, quæ ab ipsa sic describitur.*

Duobus mihi videntur modis ferventia desideria, & intensi affectus erumpere in anima, quæ Deo servit, quando cum ijs aspirat ad insignem virtutis gradum, & opus heroicum divini obsequij. Primus est, dum illam ità movet Deus, cujus est omne bonum, ut clarè innotescat, etiam ipsam impendere teruntiolum sui liberi arbitrij, & liberrimè cooperari gratiæ, quæ illi à Deo communicatur. Et tali casu quæri potest, utrùm quod animæ tum, quoad alloquia & visiones extraordinarias, contingit prorsus conforme affectibus, quibus erat intenta, sit purè ac verè Dei opus, & ab eo solo procedens; an verò effectus ipsius desideriorum, quæ faciant, ut sibi videatur audire, quod optabat, utendo suâ propriâ imaginatione, quæ est egregia in hujusmodi occasionibus pictrix. Revera est materia valde dubia, & sic non rarò accidere solet, quamvis aliàs Deus consveverit hos effectus supernaturaliter operati, per infinitam suam misericordiam.

Dico autem, in persona, quæ est bono prædita spiritu, virtute ordinariâ, & familiariter cum Deo conversatur, impendendo se orationi & meditationi communi, quam docent libri, & Sancti, quæ est via regia ac laudabilis, & utilissimum exercitium, ut perveniatur ad apicem virtutum, & sublimem divini amoris perfectionem, non debere videri mirum, statimque haberi pro novitate & fallacia, si, dum suis vacat affectibus, & ferventibus desiderijs, experta fuerit alloquia, & visiones profectas à Deo; cùm ipse, ùt est liberalissimus, & absolutus suorum donorum ac thesaurorũ Dominus, possit, ac soleat, ex infinita sua misericordia, communicare hos extraordinarios favores, quando expedit ad majorem ipsius gloriam, & bonum talis animæ, quam hac viâ magis ad se pertrahit. Atque etiamsi alia alloquia, & visiones forent proprij spiritûs, dummodo anima procedat sincerè ac humiliter, non est occasio magni periculi: esset verò quàm maximi, si id à directore spiritûs non examinaretur, ad ipsam statim initio commonendam, & omnia dijudicanda: sensim namque sinè sensu posset adolescere spiritus imperfectus, malè perspectus & instructus, qui post aliquod tempus, & jactis radicibus, ingens adferret nocumentum, & valde difficulter curaretur, propter contractum jam ab anima habitum, & vivacem apprehensionem, ad eum modum, quo credit, quæcunque videt ac audit, esse supernaturalia, ac divina. Et quia præsupponitur, hanc animam necdum pervenisse ad perfectionem necessariarum virtutum, solet difficile accidere, ut se submittat, & priorem suam deserat apprehensionem.

Alter modus, quo ferventia desideria, & vehementissimi affectus in anima prorumpunt, est mirabilis, ac difficulter intelligibilis ab eo, qui illorum experientiâ caret; quandoquidem eos videtur anima non tam ipsa elicere, quàm percipere à Deo, nihilque in ijsdem operari illius arbitrium, sed esse puram gratiam, & prorsus donum Dei. Quando igitur anima habet tam raros, & singulares affectus, existimo esse certissimum, quòd allocutiones & visiones, quas tum ex illis, ut sic dicamus, enatas, ipsisque saltèm valde conformes, experimur, sint purè & verè solius Dei, absque admixtione ullius rei naturalis. Quoniam, sicut prima illa causa affectuum fuit præcisè gratia Dei, & ejusdem donum, ità effectus inde consequentes attribuendi sunt tantummodo ipsimet Deo.

Pater spiritualis, qui est servus Dei, doctus ac peritus, agnoscet, qualésnam sint singuli hi spiritus, affectus & visiones, ex eo, quòd hujus posterioris generis affectus non dentur, nisi puræ, mundæ, liberæ, & expeditæ ab omni humano affectu ani-

mæ; cùm omnis ipsius fiducia, omnia desideria, opera, & cogitationes semper spectent majorem Dei gloriam, ejusdémque obsequium, sinè mixtura cujusvis terreni vel cœlestis commodi, & intima illius cũ Deo familiaritas sit valde diuturna, multùm examinata, & agnita pro vera. Itaq; anima, cui Deus ex mera sua infinita misericordia hanc tantam præstat gratiam, ut eam in isto virtutis gradu constituat, quando durantibus ipsius affectibus, quos nulla præcessit ad illos directa meditatio & consideratio, audit & videt mysteria, attendendo, ac tremendo coram suo Domino, suámque, quantùm potest cognoscendo propriam vilitatem, quòd in tali adhuc statu vivat, ut possit decipi; hujusmodi, inquam, anima, in qua hæc omnia signa concurrunt, potest esse secura, & existimare, quòd certissimum sit, solum Deum esse authorem omnium illarum allocutionum & visionum, omnémq; istam agendi rationem, & spiritum esse divinũ; quandoquidem Divina Majestas non est, neque esse potest sibi ipsi contraria, vel falli, aut nos fallere. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

*In alio scripto explicat Venerabilis Marina, quale sit illud lumen, quod Deus communicat animæ, ut provecta ad sublimiorem perfectionis gradum, sese aliunde agnoscet esse peccatricem, & plenam defectibus. Atque licèt hac de re initio primi libri aliquid retulerit, quod audiverat à suo Sancto Angelo Custode, hîc tamen adjungit alia, quæ optimum continent documentum, his verbis.*

Anima, clarissimis divini luminis perfusa radijs, videt seipsam tanquam in clarissimo speculo; videt suam naturalem miseriam, sua peccata atque defectus, ità ut illam nè minimum quid hujus generis, aut minutissima ulla atomus lateat. Aliunde, illuminata à Deo, videt pro suo captu immensitatem, omnipotentiam, & sapientiam, cum cæteris perfectionibus illius infiniti Esse, atque unà, quomodo mereatur, ut ametur, & ipsi serviatur ob id solum, quod est. Horum veluti conspiciliorum ope, quæ ei Deus ipsius applicuit, procul, & acutùm cernens, quamvis ex natura sua cæcutiat, præclarè utrumque agnoscit, atque deinde sublimissimè videtur mutuò comparare: unde fit, ut illi levissima ipsius culpa, & minimus defectus, dum cognoscitur commissus fuisse contra immensam illam Majestatem, tantus, adeóque deformis appareat, ut existimet esse monstrum insvetæ magnitudinis, & horribile monstrum. Tale est istud spectaculum, ut anima videatur extra se rapi. Incredibiles sunt affectus, & motus despicientiæ sui ipsius, quos hinc elicit, & in ijs solis invenit solatium: videtur namque sibi ab illis reduci ad locum, quem promeretur, ubi se deprehendit, quantùm ad ipsam attinet, quodammodo capacem esse omnium miseriarum, culparum, & peccatorum, quæ sunt reperibiles in omnibus creaturis. Est res admirabilissima, quomodo tunc advertatur hujus magni DEI sapientia, & potentia, quòd hanc animam ità illuminet, ut absq; ulla sua ratiocinatione, ob solam simplicem & acutissimam Dei atque sui cognitionem, indubitanter, & prorsus verè possit dicere, se esse omnium in mundo pessimam, & abominabilissimam creaturam.

Cùm hæc sint adeò sublimia, ut sive ductum sequendo humani intellectûs naturaliter ratiocinantis, sive spectatis ustratis meditationis regulis, anima difficulter possit dicere, qualiter id fiat, si interrogetur, aut quomodo intelligi queat, ac verificari, quòd sit pessima creaturarum, & quidem scit, à se nunquam, per divinam misericordiam, commissa fuisse gravia peccata, imò se totâ suâ vitâ anhelare ad majorem perfectionem, & amorem Dei, adnitendo omnibus suis viribus ac deliberijs, ut juvet suos proximos, quantùm fieri est possibile. Hîc non potest ulteriùs procedi. Infinita est potentia, sapientia & amor magni Dei, & sicut scivit populo Israëlitico solum manna condire, ut contineret saporem omnium ciborum, quibus singuli delectarentur, ità etiam scit, dum cognoscitur, séque ipsum cognoscendum præbet, præparare animæ ferculum, in quo percipiat saporem omnium eorum, quæ sunt necessaria ad spirituale alimen-

tum

eum, & majorem ipsius profectum. Atq; in talibus occasionibus vult, ut anima se sustentet profundissimâ humilitate, quin sciatur, unde in eo divino lumine, quo alitur, possit provenire iste sapor, qui facit, ut sibi ipsi sapiat, acsi foret pessima totius mundi anima. Benedictus sit magnus hic Deus. Amen.

*Modum, quo anima contemplativa quandoque in suo Deo quiescit, explicuit Venerabilis Marina, loquens de quodam suo raptu ad cælum, & sic ait.*

Passa fueram, ex Dei voluntate, gravissimos dolores, voluítque Ejusdem Majestas, ut me conferrem ad quiescendum secum in cœlesti ipsius palatio, ubi nihil aliud adverti quàm gloriam, & ampliùs gloriam. Licèt autem anima his occasionibus plerumque sit quasi absorpta in eo, quod à Deo docetur, ità ut nihil aliud possim cogitare; aliquando tamen Dominus concedit, ut anima observet, atque cum aliqua advertentia notet, quid agatur. Sic modò accidit: considerabam enim, qualis esset illa mea quies, videbárq; mihi quiescere, sicuti dum aliquis fatigatissimus, ex longo revertitur itinere & scabroso, ac procumbit in molli & commodo lecto, ubi non tantùm omnia corporis membra quiescunt & refocillantur, verùm etiam quodlibet eorum videtur sentire oblectationem, acsi ipsum solum eâ frueretur. Sensi verò præterea, animam, & illius potentias ibi alio excellentiore modo deliciari, & quiescere in suo Deo, in ipsius Divino Esse, & attributis, cujus cognitione & amore anima svavissimè recreatur. Aliquantò pòst me Dominus reduxit ad meum angellum.

*In quadam denique visione, quam habuit vigesimâ primâ Aprilis, anno sexcentesimo vigesimo octavo, inter alia, quæ ab ipsa discimus, Deus illam docuit, quàm sit impossibile, ut propria imaginatio possit efformare imagines, & producere effectus, quales sunt verarum visionum. Venerabilis Marina sic omnia describit.*

Rogabam magno affectu Deum, ut concederet pacem Principibus Christianis. Dum ità orarem, conspexi scalam, quæ videbatur à terra pertingere ad cœlum, & audivi Dominum mihi dicentem: Bene est anima, sed jam conscende hanc scalam, ac veni, ut in hac patria quiescas, & subleveris aliquantùm à tuis molestijs: magnæ autem erant, quas ijs diebus toleraveram, varijs & intensissimis afflicta doloribus. Sed eram tantopere absorpta à solicitudine, ac desiderio videndi, ut Reges Hispaniæ, & Galliæ inirent pacem, nè continuarentur bella, quæ metuuntur, & illorum subditos liberos à calamitatibus, quas ea adferunt, ut ingenti animo responderim: Mi Domine, non possum ascendere, neque ascendam, nisi mihi Tua Majestas præstet gratiam, quam supplicitèr peto. Dominus instabat, ac tum me quidam Sancti Angeli (adverti verò me subitò decentissimè esse vestitam) elevaverunt, arreptis meis brachijs, & constituerunt ad extremitatem scalæ, quæ, dum eam inciperem conscendere, corruit. evasi nihilominus illæsa, veluti transeundo inter gradus scalæ, quæ fuit humi extensa. Sancti Angeli apprehenderunt mea brachia, & magna cum svavitate me perduxerunt ad cœlestem Jerosolymam. Inde me sustulerunt ad immensam altitudinem illius sanctæ patriæ, ubi mea anima intra illud Divinum Esse, & eam ineffabilem ipsius magnitudinem talia intelligebat, tantáque fruebatur voluptate, ut sit inexplicabile; siquidem mihi in immenso Esse illius Divinæ Essentiæ repræsentabantur omnes creaturæ cœli & terræ, unáq; modus, quo in omnibus exístit, & omnes ipsius virtutem participant, adeò ut omnibus videretur inesse sapor Dei, & in omnibus conspici Deus, neque ulla esse excludenda à participatione illius Esse, quod se omnibus communicabat. Tum anima occupabatur ab ea divina caligine, quam sic vocare consvevi, & ità appello, non quòd ibi sint aliquæ tenebræ, cùm potiùs omnia sint ab illis remotissima, sed quia tam multum deest animæ, ut comprehendat ac penetret, quod ipsi ibi repræsentatur, adeóq; illa amplitudo excedat ejus captum, ut in ea abysso quodammodo submergatur, dũ non invenit, neq; cognoscit exitum.

Hac animæ applicatione, & vehementi conatu ipsius potentiarum in eo exercitio, fuit miserabilis natura tantopere debilitata, ut me, peracto eo mysterio Angeli tulerint in suis brachijs. Sicut cum magna cautela portatur, qui est vehementer debilis, & proximus morti, nè in manibus expiret, ità ego fui portata in manibus Angelorum pendulo capite, remisso spiritu, & quasi consumptis naturæ viribus, donec me reponerent in meo angulo. Hîc intellexi, quid significaverit ille casus scalæ, quando per illam incepi ascendere ad cœlum. Videlicet inter desideria, quæ mihi Deus indidit, ut me in his vijs extraordinarijs, quibus me ducit, conformarem cum ipsius voluntate, semper observo, quid in me agatur, & ijs diebus, qui hanc visionem antecesserunt, frequenter cogitaveram, utrùm anima fictione suæ imaginationis tales possit, ac tam vivaces formare species, ut per eas aliqua possent eo modo repræsentari, quo à DEO animæ repræsentantur per species, quas ipse illi communicat: atque licèt mihi videretur certum, non esse possibile, ut sit ijs prædita viribus, quibus imitetur id, quod Deus per hæc supernaturalia media operatur; voluit me nihilominus Divina Majestas in hac veritate confirmare per præcedentem visionem, docendo me, quòd, dum anima suis naturalibus viribus tentat ascendere ad contemplationem, iisq; solis consequi raptus ac visiones, unà cum effectibus, quos tunc operatur bonus spiritus, sit perinde, acsi quis vellet ascendere ad cœlum sinè scala, quod viribus humanis est impossibile: atque si hoc fieret, esset effectus proprius virium divinarum; sicut hic Deo jubente, & per illius potentiam, me S. Angeli ipsius duxerunt absq; scala. Ipse sit benedictus. Amen.

# CAPUT XXXVII.

## De illusionibus, ac fallacijs, evenire solitis in hac via mystica.

*Doctrinæ mysticæ, quam nobis hæc admirabilis Virgo scriptam reliquit, subjungam nunc illusiones, quibus eadem à Deo illuminata agnovit posse, & solere esse obnoxias in hac via quasdam animas. Deceptiones istæ sunt in nonnullis personis graviter culpabiles, in alijs à gravibus culpis immunes. Interdum oriuntur ex eo, quòd quæpiam persona sit fraudulenta, & fingat quod non est; aliàs, quòd quasdam circumveniat diabolus; ac tandem quandoq; aliquas personas fallit propria phantasia. Non observabo hîc alium ordinem, quàm illum, quo se chartæ consequuntur. Dicit verò ità.*

Multoties continget, ut magnus Deus noster & Dominus, propter sua alta & arcana judicia, atque infinitam suam bonitatem, ad majora mala, & graviora incommoda evitanda, permittat in aliqua persona diu dissimulari extraordinaria, ac singularissima, & quæ magna exteriùs apparent. Quamvis autem non proveniant ab Ipsius Majestate, possunt tamen carere culpâ talis personæ, cui eveniunt. Atque licèt his occasionibus non sint defutura peccata, ac defectus, qui se admiscebunt, tam benignus nihilominus est Deus, & misericors, ut propterea (si aliunde non adsit gravis culpa, quâ id impediatur) non sit intermissurus talem creaturam salvare, postquam hîc per pœnitentiam, vel ibi per Purgatorium, integrè pro defectibus satisfecerit, qui illic intervenerunt.

Quadam vice me Divina Majestas docuit quosdam modos deceptionum, quæ in hac via contemplationis incurrunter, prout sequitur. Tempore matutino, post sacram Communionem fuit repræsentata oculis animæ scala, quæ à terra protendebatur ad cœlum. Multùm conabar me abstrahere ab ista apparitione, & orandi ordinario modo, agere cum Domino, quem sumpseram: verùm, cùm ampliùs retinere non possem, tandem me Dominus ab-

ejus

egit, ut attenderem ad id, quod mihi ostendebat. Vidi Divinam Majestatem in habitu supremi Regis, indicibili conspicuam magnificentia, quæ mihi dixit: Veni mecum, Anima, & comitaberis me, ascendendo per illam scalam, ad cœlestem Jerosolymam. Deinde me, quasi arreptâ meæ togæ manicâ, secum duxit. Ascendebam valde hilaris & contenta cum Domino, quem comitabantur innumeri Angeli, qui svaviter concinebant laudes hujus magni Dei, eíque gratias agebant pro extraordinarijs favoribus, quos præstabat animabus; specialissimè verò, quòd remanserit in Venerabili Sacramento, pro remedio & solatio suæ Ecclesiæ. Dum ascenderem, adverti ascendentes post me homines mihi ignotos, quia me non verti, ut illos aspicerem. Ibant cum ipsis quidam spiritus, quos etiam non agnovi, essèntne Angeli, an secùs. Quando perveni ad summitatem scalæ, Divina Majestas est ingressa cœlum, introducendo me secum, & statim velut ex improviso occlusit portam, relictis extrà ijs hominibus, & spiritibus, qui eos comitabantur. Fruita sum in ea cœlesti patria, juxta meum captum, bonis, ut aliàs, inexplicabilibus, donec me Dominus, mecum eundo, reduceret ad meum angulum.

Dum jam hîc essem, incepi considerare, quales homines, & cujusmodi spiritus illi forent, quos observavi, quando ascendebam, & qui manserunt extra cœlum; quod li cèt animo meo versarem, nõ optabam rescire, quin imò propter meos timores dubitabam, utrùm non fuisset mea imaginatio. Divina Majestas mihi hoc dubium solvit, dicendo: Anima, homines, quos advertisti quasi te sequentes, & volentes ascendere ad cœlum, quibus tamen clausa est janua, sunt multæ animæ, quæ permittentes se abduci à suis suavibus naturis, apprehensivis phantasijs, vel interdum deceptæ à diabolo, ex meis occultis judiciis, sibi videntur ambulare in vijs supernaturalibus, & habere revelationes, raptus, & similia, atq; arbitrantur, se optimè & securissimè procedere. Falluntur, quamvis, quod ad hoc attinet, absque malitia; siquidem illas excæcat naturalis ipsarum svavitas, & apprehensio, vel astutia diaboli. Errant vehementer, & non possunt ingredi in quietem serenissimi cœli veræ contemplationis, quia volentibus intrare occludo portam. Spiritus, quos animadvertisti in earundem comitatu, sunt spiritus proprij earundem, & non Angeli lucis. Ecce tales animæ se produnt, & apparet quàm malè sint fundatæ, ex eo quòd spiritus habeant garrulos: bene de me loquuntur, sed nimiùm, cùm deberent meis donis frui silendo. Spiritus vani & singulares optant duci vijs extraordinarijs, nec se regi sinunt secundùm doctrinam meorum Sanctorum. Id mihi dixit Dominus, cujus judicia sum humiliter venerata, ac admirata. Ipse sit benedictus.

*Huic doctrinæ est similis illa, quam in Octobri anni sexcentesimi vigesimi quarti, quadam occasione didicit à suo Angelo, & ipsa his verbis recenset.*

Dum graves paterer dolores in manibus & pedibus, ubi sunt impressa stigmata, præsertim in pede dextro, & manu sinistra, quia me doloris vehementia soliro magis affligebat, cœpi id considerare, & subtimere, utrùm non aliquâ ratione diabolus quidpiam in his stigmatibus operaretur. Cùm ità timerem, accessit ad me Sanctus meus Angelus Custos, dixítque mihi: Non habes quod metuas, quia diabolus ad te tam propè non accedet, eò quòd te Deus undequaque muniverit & circumvallaverit, nè decipereris, vel tibi hac in re ab ipso noceretur. Scias præterea, Deum esse magnum suorum thesaurorum zelatorem, & bene scire, ubi illos deponat. Ac proinde sicut nemo prudens deponeret pretiosum aliquod monile, quod magni æstimaret, in medio fori, ut illud ibi suis volutarent rostris porcelli, aut furari possent latrones; neque Rex discretus poneret in loco maximè publico sui palatij, aut in omnium suorum famulorum conspectu suum thesaurum, cujus aliqui tantùm intimi haberent notitiam: ità quoque Deus thesaurum suorum donorum, quando sunt pretiosissima, deponit in loco secretissimo, ubi pauci, iíq; selectissimi

amici

amici notitiam ipsius habeant; nõ in quopiam quasi foro, ubi ab omni hominum genere possit videri. Hoc, Soror, communiter in his eventibus contingit. Ità est locutus meus Sanctus Angelus, & significavit mihi hæc dicendo, quâ circumspectione deberent animæ Deo servientes admittere ea, quæ extrinsecùs apparent; & quòd vulnera ac alia signa, quæ solent haberi pro divinis, non solùm non semper proveniant à Divina Majestate, verùm etiam rarò admodum sint ipsius opus. Deus nos illuminet. Amen.

*Sublimior est doctrina, quam Divina Majestas communicavit Venerabili Marinæ, concernentem quasdam animas in hac via seductas, & ipsa nobis verbis sequentibus descripsit.*

Novi quandam personam, opinione meâ servam Dei, quæ spiritu erat prædita valde extraordinario, quales quoq; erant ipsius viæ, affectus, & modus procedendi in rebus spiritualibus, atque spectantibus ad obsequium Dei. Quamvis autem sæpe egerim cum ista creatura, fuerímque locuta, nunquam tamen mihi potuit satisfacere, seu spiritus ipsius quoad omnia placere, sed neque ejusdem natura, quòd hæc esset ardentissima, cholerica, apprehensiva, ac terribilis; non quia putarem, foveri malitiosè ab hac anima imposturas, aut errores; quin imò habebat bona desideria serviendi Deo, licétq; talis esset ipsius natura, qualem dixi, non agebat tamen malè, neque se patiebatur ab illa violentè abripi: sed quia mihi videbatur simpliciter amplecti, quæcunque ipsi occurrerent, acsi omnium author foret Deus, non applicando animum ad ea examinanda, neneque multùm timendo, nè deciperetur à diabolo. Erat apparenter obsequens suis Confessarijs, & exhibebat indicia, atque opera charitatis erga proximos.

Mea anima manebat diu hunc in modum perplexa, & quotiescunque, constituta in divina præsentia, recordabar spiritûs hujus personæ, deprehendebam nescio quid, ut judicarem non bene ità procedi, neque istum esse spiritum Dei purum, defæcatum, & cui nihil aliud sit admixtum. Conabar magno adhibito studio à me repellere istam cogitationem, dicendo, me non esse à Deo constitutam hujus causæ judicem, ut eam proinde Divina Majestas juvaret ac doceret: excusabam, quæcunque notabam, quàm optimè poteram, & optabam mihi ipsi persvadere, esse bonum spiritum. Verùm aliunde agnoscens illam naturam esse adeò terribilem, sicut dixi, mota ab eodem Domino, dixi aliquando Ejus Majestati: Estne possibile, mi Domine, tantam esse tuam bonitatem, ut velis svavissimum & pretiosissimum tui spiritûs liquorem includere in hujusmodi natura? Sis benedictus! Audivit me Dominus, & gravi svavíque modo mihi blandè sic respondit: Veni huc Marina; quis mihi prohibebit, si velim pretiosissimum liquorem recondere in rudissimo, maléque formato vase testaceo? quis id poterit impedire? Nemo profectò, mi Domine, respondi ego: est tamẽ etiam verum, mi Deus, quòd in rudibus, & malè excoctis vasis, soleat perdi & acescere quicunque liquor ijs infusus, quantumvis sit pretiosus. Optimè dixisti Anima, subjunxit Dominus, optimè dixisti. Nunc verò attende: volo enim tibi statum hujus spiritûs, & multorum aliorum illi similium adumbrare.

Reperiuntur quædam animæ ejus conditionis, cujus est illa, quam tu novis, terribiles ac duræ instar lapidis, partim cholericæ & ferventes, partim autem melancholicæ, & apprehensivæ. Quæ taliter sunt comparatæ, si non applicentur ad malos usus, habent bona desideria mihi serviendi, affectant nihilominus etiam singularia, & extraordinaria, quâ ratione concipiunt in sua apprehensione vanas figuras, & repræsentationes inanes, ità ut exístiment videre, quæ fiunt in cœlo & in inferno, nec non cognoscere futura, quæ sint eventura in mundo: in quibus omnibus plurimùm præstare potest diabolus, me id ex causis prorsus legitimis permittente. Ità fit, ut hæ animæ talia perpetuo jactent, quæ nullius sunt virtutis, aut substantiæ, & exigui spiritûs: quemadmodi, si quispiam attonitus integris diebus specularetur mappam geographicam, ac de ea cæt;

ceret: Ecce ibi est mare; ecce hîc est terra; hoc est tale regnum, & illa talis provincia, neque tamen inde quidquam disceret, aut ullum caperet fructum. Taliter agunt isti spiritus illusi, loquuntur multa, & audiunt pauca; sunt propensi erga cibum & potum, atque virtus ipsorum, quamvis illam apparenter exerceant, est tam debilis ac infirma, quàm causa, quæ ad eam impellit, & unde procedit, ideóq; facilè succumbunt, ac deficiunt.

Mea anima multùm mirabatur, quod docebatur à Divina Majestate, cui dixi: Quomodo verò mi Deus, & mi Domine, tales spiritus possunt juvari? qualiter sunt curandi, atque ad virtutem, ac debitum procedendi modum reducendi? Facilè, si mea adsit gratia, juvabuntur; respondit Deus. Nam instructor, à quo talis anima regitur, perspectam habens ipsius naturam, bene illam debet explorare, & conari, ut perscrutetur, & undequaque penetret propensiones talis personæ, ipsius desideria & opera, atque expendere virtutem, quoad fuerit possibile. Si enim spiritualis & sapiens director sic fecerit, facilè assequetur dolum, ac deprehendet illum malum, exorbitantem, vanum, & inutilem spiritum. Quo facto dirigat hanc miserculam animam benignè & svaviter: si est humilis, reducat ipsam ad bona, plana, & secura principia, ad usitatum orandi modum, & virtutes perfectas. Quia si hæc anima non est malitiosa, & optat se cum divina mea voluntate conformare, æquo id suscipiet, ac pacato animo, atque licèt in hac viæ mutatione aliquam experiatur molestiam, non est malum, imò certo modo bonum indicium. Caveat, nè hujusmodi animam vexet, aut affligat asperitate, sed ità tractet, ut se ostendat ei bene esse addictum, ac desiderare ipsius profectum: si enim absit malitia, oportet similem animam hac viâ emendare. In praxi, ut in his procedatur prudenter, assumenda est pro exemplari quæpiam anima ex ijs, quæ à me sunt edoctæ & illuminatæ in materijs spiritualibus, & à magistris virtute, spiritu, ac doctrina conspicuis, rigidè omni ex parte fuerunt examinatæ, & approbatæ. Videatur, quomodo hæ animæ sint progressæ, qualis illarum fuerit natura, virtus, affectus, timores, circumspectio in rebus ad virtutem spectantibus: atque ex his capiatur idea, ut meliùs agnoscatur, quid facto sit opus, & qua ratione sint regendi spiritus ac personæ, de quibus sum locutus, hoc enim multùm proderit. Ista omnia tibi dixi, ut intelligatur tam necessaria & utilis doctrina. Tum Dominus conticuit, qui sit benedictus. Amen.

*Quod hactenus de animabus, quæ cum exigua, vel nulla malitia patiuntur illusiones, dictum est, concludamus horribili visione, quam Venerabilis Marina habuit de animabus fraudulentis, & malitiosè vitam contemplativam simulantibus. Accidit die Dominicâ, quartâ Maij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, quod ab hac Virgine sic recensetur.*

Die Dominicâ manè, postquam diu restiti, Deus me compulit, ut attenderem ad id, quod mihi dignatus est ostendere. Vidi igitur, sicut altàs, scalam pertingentem à terra ad cœlum, & in ea ascendentem animam, quæ gerebat speciem mulieris, indutam vestibus incompositis, præterquam quòd essent prorsus obsoletæ ac laceræ. Quando autem aliquot gradus conscendit, vidi descendisse ex cœlo quosdam Angelos, qui habebant in manibus gladios igneos, gravem in suis vultibus præseferentes indignationem. Substiterunt supra animam, quatuor circiter gradibus ab ea distantes, impediendo ipsam, nè progrederetur, & comminando illi gladijs, ostendentes se terribiliter eidem irasci. Cohorruit miserabilis, & veluti obriguit, atque hæsit in eo gradu, ità ut nec ascendere posset, neque descendere. Interea ad illam venit Sanctus ipsius Angelus Custos, & arrepto uno ejus pede, monstrando indicia displicentiæ & indignationis, eam magno impetu deturbavit ex scala, dejecítque in terram. Tum derepentè in illam irruerunt plurimæ, diversarum specierum & formarum, bestiæ, quæ crudelissimè excarnificatam videbantur velle discerpere in frusta.

Cùm ab ijs fuisset pessimè habita, eædem larvæ, quæ erant dæmones, se exerunt in pedes, & induerunt illam infelicem animam veste fuscâ, lacerâ, & lugubri, quæ anteriùs erat brevissima, retrò autem longissima, manicas habebat procul protensas & laxas; caput ejusdem cooperuerunt cucullo: quæ omnia funestissimum exhibebant spectaculum. Postea fuit ab ipsis ducta ad profundissimum puteum, & in eundem præcipitata, dejicientibus se unà super illam ijsdem bestijs. Vidi deinde prodeuntem ex altera parte igneum, rapacissimum, & furiosissimum fluvium, in quo adveniebat eadem anima, & prædictæ bestiæ, quæ inde prosilientes ipsam denuò divexaverunt, multísque ei modis illuserunt, & exutam illo habitu fusco, induerunt alio nigro luctuosissimo, ejusdem formæ, cujus fuerat prior: atque tandem multis ludibrijs exagitatam, & malè tractatam deturbaverunt in infernum.

Ista ego spectabam attonita, ut mea anima vehementer percelleretur, & conversa ad Deum, cum magno timore & affectu ipsum rogaverim, ut me doceret, quid me vellet ex tam terribili visione discere, & Divina Majestas mihi placidissimo vultu sic dixit: Ecce, reperire est in nonnullis personis pessimos, ac diabolicos spiritus, qui abrepti à sua superbia, ex effreni appetitu vanitatis, quædam faciunt, quæ apparent sancta, & opera ducentia ad cœlum: licèt verò omnia dirigant ad tam perversum finem, volunt nihilominus, ut ego ea approbem, ipsíque concilem æstimationem, efficiendo talia, quæ videantur esse miraculosa. Animæ hujusmodi præditæ spiritu, & hac viâ incedentes, vehementer exacerbant meos Angelos, & non modò non ascendunt per scalam veri spiritûs, sed etiam incidunt in laqueos diabolorum, qui illis per speciem apparentis sanctitatis mirum in modum illudunt, donec ultimò deveniant ad terminum, quem vidisti, æternorum suppliciorum. Hæc me ipsemet Dominus docuit, & hoc mihi dixit, magnâ me replendo admiratione. Ille nos dignetur per suam misericordiam docere vias veras, ut humillimis animis in omnibus impleamus sanctissimam ejusdem voluntatem.

# CAPUT XXXVIII.

## Quid fuerit à DEO docta, pro confirmatione quorundam Romanæ Catholicæ Fidei articulorum.

*NOn solùm admirabilis fuit doctrina, quam Venerabilis Marina in moralibus, & mysticis materijs à Deo didicit, prout hactenus vidimus; verùm etiam illa, quæ ipsi est communicata de materijs dogmaticis, & articulis nostræ sanctæ fidei. Quanquam autem plurima de hac re in tota prima parte istius historia reperiantur, & in ijs, quæ scripsit in hac secunda, ubi Venerabilis Marina per tam præclara symbola, tam gratiosas comparationes, in suis visionibus explicat propè omnia sacrosancta mysteria, quæ nobis Ecclesia Romana Mater nostra proponit; reservavi nihilominus in hunc locum nonnulla specialiora, quæ Fidelibus magno possint esse relatio, ubi viderint, à DEO manifestari amicis ipsius, etiam ante mortem, clarum quodammodo veritatum cognitionem, quas inter nostræ mortalitatis tenebras, velamine fidei tectas, in præsenti vita credimus, & venturi sumus revelatas in futura. Exordiamur ab eo, quod illi DEUS ostendit de Fide Romana, ipsam solam esse, quæ veram salutis monstret viam. Sic itaque dicit in quodam scripto mensis Junij, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti.*

Unâ harum noctium, agens in meditatione cum Deo, vidi scalam positam ad cœlum, supernè angustam, & ea parte, quâ innitebatur terræ, latam

In porta cœli conspexi Majestatem JESU Christi Domini nostri, & singulari illustrata lumine, quod mihi ipse communicavit, cognovi aliquid de Divino ejusdem Esse. Contemplabar hoc divinum mysterium tanquam attonita, & Dominus mihi amantissimè dixit: Quid aspicis Anima? vísne venire mecum? conscende hanc scalam. Non possum, respondi, mi Domine, non possum: atque non audebam ascendere. Interim multi Angeli concinebant divinas laudes, qui comitabantur Dominum. Tum observavi, multos hîc in terra ad pedem dictæ scalæ stare homines fœdos, viles, & pannosos, qui insiliebant in scalam, volentes conscendere, quamvis non possent: & ego, nescio quâ ratione, magno zelo ipsos conabar impedire, non permittendo, ut ascenderent, quidquid molirentur. Mirum mihi id accidebat, dicebámque intra me: Bone Deus! quid est hoc, quòd aliàs omnes homines invitem ad nuptias Agni, & impensè desiderem, ut universi salventur, nunc autem illos impediam? quomodo id facio? Denique nemo ascendit, imò continuò vidi aliam, quasi ab extremitate prædictæ scalæ, tendentem deorsum, usq; ad profundum inferni, atque per istam omnes eos homines, sese invicem velut protrudentes, cum ingenti vociferatione descendentes, donec pervenirent ad illud horribile ergastulum, ubi inter tormenta & ejulatus peribant.

Obstupui viso hoc mysterio, cujus significationem non poteram intelligere: Divina verò Majestas mihi tunc dixit: Adverte Anima, turba illa, quam vidisti, & quæ volebat per scalam ascendere ad cœlum, sunt Pagani, Judæi, & Hæretici, qui inhærendo suis sectis & erroribus existimant, se ascensuros, ut me fruantur. Falluntur, cùm non possint ascendere, imò præcipites ruant ad infernum. Atque idcirco tu illos non sinebas ascendere, quo denotabatur ipsos non esse in via salutis, quamdiu perseverant in sua perfidia. Sed neque tu potuisti tum ascendere, quod feci, ut te docerem, neminem ex seipso posse ascendere ad meam gloriam, seu ad contemplandum meum Divinum Esse, nisi is, cui ego meam do gratiam, & quem elevo. Interea fui mihi erepta, & quando ad me redivi, finita erat visio.

*Siquidem Venerabilis Marina perquam dolenter ferebat, quòd tam multi Infideles damnarentur, morientes extra Ecclesiam Romanam, dignatus est illi Deus aliquid manifestare de altissimis judicijs suæ Divinæ providentiæ, concernentibus hoc magnum negotium, in alia visione, quam sic refert.*

Dum aliquando manè orarem, accendit Deus meam animam, & inflammavit suo divino amore. Subitò invaluerunt vehementes, & extraordinarij affectus, ut ardentissimè desiderarem salutem, ac majorem profectum animarum, redemptarum pretioso sangvine JESU Christi Domini nostri. Cœpi id magno fervore, spatio trium integrarum horarum, petere à Deo, qui mihi tenerrimè dixit: Veni huc Anima, es enim fatigata, & quiesces in me. Eodem momento se mea anima invenit in suo Deo, quodammodo conclusam intra ejusdem Essentiam, ubi rursus audivi Deum cum incredibili benignitate mihi dicentem: Quid modò vis Anima? quid petis? Postula à me quidquid volueris, quia tibi omnia concedam. Dum hoc audirem dici à Domino, visa est mihi mea anima non esse sui compos, & quamvis tantus esset affectus ac fervor, quem sentiebam, non sciebam tamen, quomodo mihi esset petendum, quod adeò ardenter desiderabam, salutem nempe totius mundi. Nihilominus, cùm jam vellem, durante meâ turbatione, loqui, conspexi Dominum, qui gravissimo gestu, acsi digitum apponeret labijs, mihi dixit: Expecta Anima, tace, quid vis petere? Nunquid ignoras, non debere, nec posse fieri, quod dicis, nisi suo tempore? Quia autem jam meo affectu tantopere extra me rapta fueram, statim respondi: Ah mi Deus, noli mihi id dicere; noli mihi ità loqui, mi Domine. Si namque tu ista expendis tanquam Deus, ac ad libellam altissimorum tuorum judiciorum, ego tamen ea non aliter considero, quàm ut misera creatura, cupida salutis animarum, ideóque præsta mihi, quod promisisti, mi Deus: ego enim

enim plus nescio, neque ampliùs intelligo. Expecta Anima, reposuit Dominus, expecta; implebo, quod tibi sum pollicitus, sed non aliter, quàm petiveris in exordio tuæ orationis; quia revera nihil aliud petebas, quàm auxilia & subsidia pro omnibus animabus Fidelium, præsertim autem illorũ Catholicorum, qui degunt inter Infideles, & eorundem Infidelium, qui exoptant lumen Evangelij. Hoc à me ab initio postulabas, revoca id tibi in mentem, hoc tibi à me præstabitur.

His divinis verbis fuit mea anima recreata, & velut absorpta in suo Deo; atque in hoc statu vidi subitò Infidelium, iisque immixtas aliquas Fidelium animas ità ad infernum descendentes, sicut quando ningit, ac densissimi flocci decidunt ad terram. Sensi vehementissimam angustiam, & afflictionem, videndo tam horribile spectaculum, & cum incredibili dolore incepi dicere: Quid est hoc, mi Deus, quid est hoc? Estne possibile, ut sic disperdatur, & malè impendatur pretium & fructus sangvinis JESU Christi? Noli affligi Anima, noli affligi, respondit Deus: siquidem fructus & valor hujus pretiosissimi sangvinis non potest disperdi, & malè impendi. Non diceretur perdi thesauros mundi, si omnes congererentur ad pulchram aliquam, grandem, & munitam urbem: nõ perduntur itaque etiam fructus illius sangvinis, eò quòd ipsos, tanquam in munita urbe, recondiderim in Catholica Romana Ecclesia.

Bene est, mi Deus, ajebam ego, optimè est: verùm quandoquidem es infinitè bonus, sapiens, & potens, quare permittis tot animas damnari, prout nunc vidi, cùm absolutè omnes possis salvare? Anima, respondit Dominus, quando creavi hominẽ, condidi illum meiipsius capacem, dedi ei liberum arbitrium, unà cum omnibus necessarijs & sufficientibus ad salutem auxilijs, majorémq; profectum; ad omnes suo modo pervenit lumen Evangelij: atq; hæc auxilia meæ gratiæ sunt adeò sufficientia ad finem, ad quem illos destinavi, ut nemo de me possit conqueri. Neminem creavi, ut damnaretur, sed unumquemq; ut salvaretur, dummodo ipse sibi non defuerit. Adverte Anima, quando ampla & nitida civitas ædificatur, non sufficit, ut exstruantur palatia regia, & formentur plateæ, ac sumptuosæ fabricæ, reliquitur quoque & adornentur amœna horta, unà cum alijs hujusmodi operibus, sed necesse pariter est, reperiri in ea cloacas, & meatus pro educenda sordium colluvie, qui quidem sunt utilissimi ad conservationem urbis, & munditiem. Ità in mea Ecclesia, quæ est mea civitas, & regitur à Spiritu Sancto, necessariæ sunt, ac debent esse cloacæ, quibus devehantur sordes ad infernum, ut purgetur mundus, & Respublica Christiana, quæ totius mundi intelligitur nomine, purificetur. Nunc te consolabor, Anima, conferendo omnibus Fidelibus existentibus in gratia, nova auxilia, ut magis proficiant, & peculiarissima dona ijs, qui fuerint dispositi, ad suscipiendas meas misericordias.

Mea anima multùm recreabatur eo, quod audiebat dici à suo Domino, præ desiderio tamen, quo tenebar, ut omnes salvarentur, me non potui continere, quin dicerem: Sit ità, mi Deus; sed quid dabis constitutis in peccato mortali, & expertibus tuæ gratiæ? Da illis aliquid boni, mi Domine, per temetipsum te obsecro. Bene est Anima, dixit Dominus: verùm videtúrne tibi fore bonum, si quispiam dives ac potens Princeps, vilipendendo suos thesauros, & lapides pretiosos, eos objiceret canibus, ut illos bestiali suo fœtore inficerent, & confringerent, atque inutiliter & abominabiliter deglutirent? Bonúmne esset, ut eximius aliquis Doctor conscenderet cathedram, & perspectos habens auditores, sciens esse simplices, ac instar bellorum incapaces discendi, ipsis sublimia & subtilia scientiæ argumenta, cum precio jactura, exponeret? Fierétne id bene? Non profectò. Atqui ità suo modo fieret, si ego mea dona & misericordias effunderem in dura & inepta corda, in animas surdas & cæcas, ad audiendas mearum inspirationum voces, & videndum lumen mearum veritatum. Mi Domine, repono ego, quæ dicis sunt infinitæ auctori-

tatis ac veritatis: sed rogo te, quàm demississimè possum, ut, cùm tua bonitas sit tam immensa, síque præditus sapientiâ & potentiâ, pro disponendis ijsdem istis animabus, illas efficaciter juves tuis inspirationibus, & nova tua dona ipsis concedas.

Verè Anima, respondit Dominus, constringis me tuis affectibus, nè intermittam te exaudire, ut acceptem tuam petitionem, téque consoler: ac proinde dico, te à me exaudiendam in eo, quod petis. O mi magne Deus & mi Domine, subjunxi, noli id dicere, noli sic loqui: scis enim, me non esse eam, quæ te constringam, atque convincam; sed hoc facit tua immensa bonitas, & amantissimum desiderium, quod habes, ut nobis præstes misericordias. Unde fit, ut efficaciter tangas & penetres animam, quam eligis, & accendas charitate, ac amore tui, suorúmque proximorum; quò sic à tua divina manu disposita vim habeat & efficaciam in suis ad te precibus. Sis semper benedictus, propter tantas miserationes. Ità fui profundè absorpta, & quando mihi sum reddita, quamvis illud divinum colloquium fuerit finitum, sentiebam tamen animam adeò vulneratam & occupatam ab amore hujus benignissimi Dei, ut me per aliquot dies nulli potuerim humanæ conversationi applicare, nulli actioni naturali, nisi cum summa difficultate. Benedictus sit magnus iste Dominus in æternum.

*Articulum fidei de communione Sanctorum, viventium in Ecclesia militante, ac specialiter quantopere Justus perfectus prosit oratione & operibus suis proximis, atque causam, ob quam idem, dum in hoc degit exilio, nonnunquam plus à DEO obtineat, quàm si jam gloriâ potiretur in patria, Deus huic Virgini declaravit gratiosâ comparatione, quam ipsa ità recenset, prætermissis alijs huc spectantibus, quæ referam capite quadragesimo.*

In Novembri anni sexcentesimi vigesimi sexti, videns me Deus fatigatam, & afflictam meis miserijs, dixit mihi: Anima, vísne mecum venire? Ego intelligens id à Deo dici, ut me jam ex hac mortali vita educeret, respondi quàm celerrimè: Ità, mi Domine. Quorsum autem, reposuit Divina Majestas, velles à me duci? Vísne te conferre ad illam tibi notam solitudinem? Visa mihi sum hoc dicto contristari: cùm enim illud antecedens intellexerim de morte, optabam, si Deo placeret, mori. Tum Dominus subjunxit: & quid facient tui proximi ac fratres? quomodo ipsos vis deserere? Quid verò, mi Deus, replicui ego, illis possum præstare boni, cùm ad nihil penitus sim utilis? Præterea, si me auferas ad te, meliùs inde potero eos juvare. Non poteris, respondit Divina Majestas. Dic mihi, quandonam majores à suo Rege gratias obtinebit insignis Dux militiæ, tùncne, dum actu pugnat, & multas in bello cum suis militibus sustinet incommoditates, expositus & promptus ad prodigendum pro suo Rege, si fuerit opus, sangvinem & vitam; an verò dum relictis in bello militibus sese recipit, ut domi suæ quiescat, & fruatur præmijs? Clarum est, dixi, mi Domine, & certissimum, plus obtenturũ, quando servit præliando. Optimè dixisti, concluśit Dominus; sic tu nunc potes ampliùs pro te ipsa, & pro tuis proximis obtinere, dum inter illos vivis laborando & patiendo, quàm dum mecum regnabis in gloria. Hoc mihi dixit Deus, qui sit benedictus. Amen.

# CAPUT XXXIX.

## Continuat eandem materiam, recensét quædam notabilia, de animabus parvulorum, & officio Angelorum, qui sunt eorum Custodes.

*AD Romanæ fidei defensionem, & condemnationem hæreseos facit singularis visio, quam Venerabilis Marina habuit in Aprili anni sexcentesimi vigesimi quinti, & his verbis descripsit.*

Dominicâ *Quasi modò.* agens in mea consveta oratione cum Deo, vidi in meo

cubiculo quendam Angelum, qui erat unus è supremis, ac tenebat in manibus parvulum, qui videbatur esse mortuus, erátq; quasi funebri linteolo coopertus. Ter, quatérve sum conata propter meos timores me abstrahere, donec me Dominus adigeret, ut attentè spectarem, quod mihi monstrabatur. Vidi igitur illum parvulum sibi restitui, acsi resuscitaretur, qui lætus ac hilaris amplectebatur collum illius Sancti Angeli, more infantis amplexantis suam matrem, & Angelus ipsum pariter cum magna complacentia excipiebat, eique blandiebatur. Interea vidi advenientem contra eundem parvulum turmam diabolorum, varias exhibentium formas, qui omni ex parte erant armati: atque licèt is esset in ulnis sui Angeli, & ab alijs quoque Angelis defenderetur, nihilominus ipsũ, Deo permittente, eripuerunt ex illius brachijs, ac tulerunt ad quandam solitudinẽ, cædentes eum & percutientes, ibíq; eundem conabantur interficere, tametsi non potuerint: tandem verò ità divexatum reliquerunt in ea solitudine, ut videretur esse velut mortuus, quanquam revera viveret. Advenerunt denuò alij dæmones, qui alias diversas præseferebant formas, & voluerunt illum suo pestilenti halitu prorsus extingvere, cúmque non possent, deseruerunt semivivum, ac modicè spirantem. Tum ibi comparuit quidam Sol, qui parvulum suis radijs attactum calefecit, refocillavit, & confortavit, tandémq; intra seipsum suscepit, ut ipsum ultrà non viderim. Ista fuit visio, quæ me rapuit in admirationem, & solicitã reddidit, eò quòd non intelligerem mysterium: tantùm enim tunc fui illuminata, ut agnoscerem, illum Angelum verè talem fuisse, etiámque parvulum paucorum annorum puerum.

Post præterlapsam unam horam Divina Majestas mihi manifestavit, quid significaverit visio. Erat is puer filius cujusdam Domini hæretici ex illustrioribus Angliæ. Quando ipsum vidi in ulnis Angeli defunctum, fuerat recenter natus, & propter peccatum originale quoad gratiam mortuus. Deinde per Baptismum revixit, acceptâ vitâ gratiæ, atque Angelus ipsius Custos fuit gavisus, & est illum amplexatus. Postquam idem puer attigit annos, quibus illucescit usus rationis, deliberavit de negotio Religionis, quænam sibi esset sequenda, & quamvis non fecerit jacturam fidei, nec peccaverit lethaliter, passus est graves dæmonis tentationes, vehementes suorum assultus, multúmque secum ipse disputavit, ubi se admiscuerunt peccata quædam levia & venialia. Tandem cum divina gratia, & Catholicorum ei assistentium consilio, conservavit fidem Romanam, obijt in pueritia, & est salvatus: ductus tamen fuit ad Purgatorium (quod significabat ille Sol, qui ipsum intra se susceperat) ubi igne purificatus se dispositum, ut perveniret ad fruendum Deo.

Ego intra me dicebam: Bone Deus! quem in finem Divina Majestas à me hæc omnia videri volebat? Tum Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Monstravit tibi ea Deus, quia vult, ut amici ipsius interdum videant, ac sciant opera infinitæ ejus misericordiæ, quæ exhibet suis prædestinatis; præsertim verò, ut commendes Deo filios Infidelium, rogando ipsum, ut illos adjuvet, quò salventur.

*In antecedentibus scriptis Venerabilis Marina meminit loci & gloriæ parvulorum, qui sinè propríjs meritis, cum sola gratia, quam acceperunt per Christum, migraverunt ex hac vita. De hoc ipso specialiùs agit in sequentibus duabus visionibus, atque simul de effectu, quod erga tales à nonnullis Angelis exercetur. In prima harum visionum sic ait.*

Vigesimâ octavâ Novembris, dum more solito essem constituta, commendans me Deo, venit ad me unus è meis Dominis Angelis, qui est *Minimus*, & lætissimus plurimúmque gaudens mihi dixit: Soror, veni nobiscum, & ducemus te, ut modicùm quiescas. Ego sum tergiversata, sicut consvevi, & ipse subjunxit: Bone est, non fiet aliter; veni mecum, & ducam te eò, quò te nunquam contigit. Duxit me iste Sanctus Angelus (licèt enim etiam cæteri quinque unà irent, ipse tamen solus me sustentabat, ac ducebat) per quosdam amœnissimos, & visu jucundis-

diſſimos campos: In hac via videre erat pulcherrimas aviculas, quarum plumæ videbantur eſſe inauratæ, quæ ſupra me volabant, acſi continuè vellent ſe meis oculis objicere: erant mirum in modum gratioſæ, & Sancti Angeli eas libenter aſpiciebant, quaſi ipſarum intuitu delectarentur. Hac viâ me duxit meus Sanctus Angelus *Parvus* ad cœleſtem Jeroſolymam, & in ea ad quendam locum ſeparatum, ſeu receſſum, quanquam intra idem cœlum empyreum (ignoro, quomodo id explicem, erat namque tanquam ſejuncta ab alijs Beatis habitatio) ubi vidi multas animas formoſiſſimas & gratioſiſſimas, quæ omnes æqualiter fruebantur gloriâ, & clarâ Divinæ Eſſentiæ viſione. Summo me hoc ſpectaculum affecit ſolatio & gaudio: nam verè erat res admirabilis ac divina, videre, quantum boni poſſiderent.

Dominus meus Angelus mihi tunc dixit: Soror, hæ ſunt animæ parvulorum, qui obierunt recenter baptizati, ante uſũ rationis, & ſunt, atque erunt in æternum beati, ſolummodo ob merita ſangvinis Domini noſtri JESU Chriſti. Videbantur illæ animæ occupari continuâ laude Dei, ob gratiam ſibi præſtitam, eò quòd ipſas glorificaverit ex mera ſua miſericordia, quâ eas per Sacramentũ participes reddidit meritorum Redemptoris noſtri. Idem Angelus addidit; injunctum ſibi eſſe à Deo, ut interdum comitaretur ad cœlum aliquas talium parvulorum animas, morientium cum baptiſmali tantùm gratia. Ego hos felices parvulos in ea ætate mortuos contemplabar cum magna voluptate ac attentione. Aſpexi præterea, an viderem quandam meam neptem, quæ obiverat in Civitate Tauri, & fuerit quinque aut ſex annorum: cúmque illam non viderem, interrogavi de ea Sanctum Angelum, qui mihi reſpondit: Ipſa non eſt hîc, ſed in loco ſuperiore, quia illi Deus, ex pura ſua bonitate, acceleravit uſum rationis, & patientiâ, quam in morbo exercuit, aliiſq; actibus promeruit plures gloriæ gradus. Jam aliàs ſcripſi, quid mihi cum hac beata puella evenerit, & alibi retuli cætera, mihi de illa à Sancto Angelo patefacta. DEUS ſit benedictus. Amen.

*Quod ab hoc Sancto Angelo* Parvo *dictum fuit Venerabili Marinæ, injunctum videlicet ipſi fuiſſe à Deo, ut comitaretur aliquas horum benedictorum parvulorum animas, duceréq; ad cœlum, concordat cum eo, quod illi de eodem Angelo dixit Virgo Domina noſtra: & cùm ſit res ſingularis ac nova, reſervavi illam in hunc locum. Alludens itaque Venerabilis Marina ad quendam admirandum favorem, & gratioſam viſitationem, quâ ipſam eſt dignata Virgo Sanctiſſima (retuli verò illam capite ſeptimo hujus ſecundi libri, ubi ipsa abeunte iſte Sanctus Angelus* Parvus, *& alius ſimiliter* Parvus *ejus ſocius, concinuerunt ſuaviſſimas laudes hujus Celſiſſimæ Reginæ) ſubjungit ad noſtrum propoſitum ſequentia.*

Poſtquam ſum juſſa à meo Confeſſario deſcribere accuratè totum myſterium, quod videram die Incarnationis Filij Dei, ſicut alibi recenſui, oblita fueram, Deo permittente, quomodo fuerit finitum, quidque mihi præcisè accidiſſet cum Virgine Domina noſtra, quando me inviſit in meo cubiculo. Cùm verò deſiderem, ut talia nonniſi quàm exactiſſimè ſcribam, ſtatui omittere, quæ tunc ultimò evenerunt, donec mihi Deus, prout hujuſmodi occaſionibus ſolet, revocaret in memoriam omnia, quæ fuerant acta. Cum hoc propoſito tranſegi biduum aut triduum, petens à Divina Majeſtate veniam meæ incuriæ, & confidens mihi ab eadem manifeſtanda eſſe, ſi cederet ad ipſius gloriam, ut à me ſcriberentur, ſiquidem perſpectum haberet meum cor, quòd à me non intermitterentur ex defectu obedientiæ, ſed quia cuperem in mea relatione eſſe quàm accuratiſſima. Præterlapſis igitur dictis diebus, dum de hac materia penitus nihil cogitarem in mea ſolita oratione, vidi ipſam Sacratiſſimam Virginem Dominam noſtram, quæ mihi amabiliſſimè dixit: Dominus ſit tecum, Anima. Veni huc, quomodo es tam imemor eorum, quæ tibi ultimò acciderunt in myſterio, quod vidiſti concernens Incarnationem mei Filij? Non meminiſti hoc, & hoc? atque taliter interrogando, recenſens quæcunque

cunque fuerant facta, omnium mihi refricuit memoriam, ut à me tam vivaciter cognoscerentur, quàm, dum cõtingerent, & eo modo, quo à me sunt suprà descripta.

Hoc refero, ut adjungam aliquid speciale, quod mihi tunc evenit, & est, ab hac magna Domina, postquam eò progressa est, ut mihi faceret mentionem cantûs duorum *Parvorum* Angelorum, quos alij deinde fuerunt secuti, mihi dictum fuisse: Nunquid, Anima, non meministi eorum, quæ duo *Parvuli* Angeli Paradisi cœperunt canere adhibitis instrumentis musicis, & reliqui continuaverunt? Ego optimè fui omnium memor, sed valde sum mirata, quod ipsos vocaverit Angelos Paradisi, quia nunquam audiveram ità fuisse appellatos: cúmque paululùm hæsissem, tanquam absorpta, dixi meæ Dominæ: Quare illos Tua Majestas vocat Angelos Paradisi? hoc ego non intelligo. Tum præcelsa ista Regina, quasi suavissimè subridendo respondit meo dubio, inquiens: Dicam tibi id, Anima, pro tuo solatio, dicam tibi. Scias velim, Deum in illa cœlesti patria multas habere mansiones, & à singulis ijs animabus beatis proprium possideri locum, atque gloriam, juxta Divinam misericordiam, & propria sua merita. Tota ea admirabilis regio est plena pretiosis æternorum bonorũ thesauris, quibus Deus suos electos reddit beatos, instar divini horti florum, divisi in diversas, & pulcherrimas areolas. Inter has est etiam una, ubi Deo fruuntur, sũntque beatæ animæ parvulorũ, qui obierunt solam habentes gratiam, quam sunt assecuti per baptismum, absque proprijs meritis: & sicut inter cæteras sanctas ac beatas animas habitant multi Angeli, ipsis assistentes, ità quoque in ista quasi statione animarum horũ beatorum sunt proprij Angeli, qui cum ipsis manent. Isti ergo duo Angeli inter alios, quos tibi Deus adjunxit socios, & qui, licèt tibi compareant tanquam parvi, magnâ tamen pollent virtute, potentiâ & fortitudine, sunt ex numero eorum Angelorum, qui morantur in eo loco, ubi animæ glorificatæ parvulorum fruuntur Deo. Idcirco, quia gloria, quâ hi parvuli potiuntur, licèt sit magna, est nihilominus parva, si comparetur illi, quâ fruuntur aliæ animæ, quæ divites proprijs meritis in cœlo regnant, nominavi locum, in quo degunt, Paradisum, & his duobus Angelis, quia sunt ex ijs, qui cum ipsis versantur, attribui titulum Angelorum Paradisi. Hæc est responsio ad tuum dubium, Anima: nunc mane in pace, & in tuo Deo. Tum rapta sum in ecstasim, & quando ad me redivi, non vidi ampliùs Sanctissimam Virginem, quæ eo arcano modo, quo aliàs, abiverat. Deus sit benedictus. Amen.

*Advertendum est, ex verbis Venerabilis Marinæ clarè apparere, quòd illi Deus his occasionibus non ostenderit animas parvulorum, qui in lege naturæ, & scripta sunt salvati, per virtutem sanguinis, quem Christus Dominus noster erat profusurus; sed solum animas parvulorum Christianorum natorum post Christum Dominum, atque triumphalem ejusdem mortem, & potiti fuerunt Baptismo in lege gratiæ: semper enim loquitur de parvulis baptizatis. Et fortasse ideò suprà dixit, omnes istas animas æqualiter frui gloriâ, quòd non videtur posse dici, si his parvulis, qui vixerunt in lege gratiæ, junctì essent fideles mortui ante usum rationis in lege naturali, aut scripta: quandoquidem isti minorem acceperunt gratiam, & consequenter tantò minùs fruuntur gloriâ, quàm nostrates, quantò minùs operabantur vetera Sacramenta, quæ delebant culpam originalem, quàm operetur Sacramentum nostri Baptismi, in quo, per Dei misericordiam, abundantiorem esse primam gratiam, prorsus est conforme sensui Sanctorum, ac Theologorum.*

*Vidit Venerabilis Marina multa alia concernentia ministerium Angelorum, atque id quod nos docet fides de cura, quâ nobis illi gloriosi spiritus assistunt. Referam breviter, quæ in tribus ipsius schedis de hoc argumento reperi, ubi sic dicitur.*

Attulit mihi quadam vice mea Soror fascem corollarum precatoriarum, quas emerat, & superposuit illum meo lecto. Cùm autem prorsus nihil cogitarem de eo, quod fuerat actum, vidi ad me venientes omnes meos Dominos Angelos, & duos

Marinæ

*Minores* se collocaverunt propiùs ante cæteros, acceptísque corollis ad manus, facie ad reliquos conversâ, dorso autem ad me, gratiosissimè, & admirandis vocibus dixerunt: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* alij respondèrunt: *Qui fecit cœlum & terram.* Deinde iterum duo priores præcinuerunt: *Sit nomen Domini benedictum.* respondentibus reliquis: *Ex hoc nunc, & usque in seculum.* Et conversi ad me dixerunt simul: *Benedicat vos Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* datáque suâ benedictione corollis, reposuerunt illas supra meum lectum.

Aliâ occasione, in Septembri anni sexcentesimi vigesimi septimi, cùm jam essem sumptura cibum, omnes mei Domini Angeli, qui cum meo Custode sunt undecim, accesserunt ad me, & circumdederunt meum lectum. Mirum id mihi fuit visum, & quamvis ipsis nihil sim locuta, dicebam tamen intra me: Quidnam volent omnes isti mei Domini? Disposui me ad comedendum, & more meo dixi brevem orationem, ac deinde: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* &c. Quamprimùm hunc versum inchoavi, Angeli se ità prostraverunt in terra, ut illam cum magna submissione exoscularentur. Sæpe autem aliàs notavi observantiam & venerationem, quâ Sancti Angeli hæc verba prosequuntur, quæ quidem est maxima. Attulit mihi una sociarum cibum, quem mei Domini benedixerunt. Ego fui adeò consternata, ut prorsus nesciverim, debérémne comedere. Tum ipsi, uno omnium nomine loquente, mihi dixerunt: Soror, comede, & cape nutrimentum, quo vita humana indiget. Ecce enim nos nihil miramur, quòd servi Dei similia naturæ suæ pensa persolvant; imò specialiter nobis placet, quando cum debita modestia sumunt necessaria. Etiam Christus Dominus noster, dum hîc viveret, manducabat & bibebat, observatis omnibus divinæ suæ temperantiæ circumstantijs. Quid ergo tu mitaris? Nihilominus verecundabar tantopere, & eram veluti turbata, ut nè quidem primum bolum coram ijs sumere attentarem: quocirca illi videntes meam erubescentiam, recesserunt ad suum singuli locum, ubi solent manere, & sic potui suscipere consvetum alimentum.

Quodam festo Angeli Custodis sum ducta ad cœlestem Jerosolymam, atque adfui solennitati, quæ eò die peragebatur in cœlo, in honorem Sanctorum Angelorum. Instituta fuit celebris processio omnium illorum Angelicorum Spirituum, qui erant splendidè armati, & exornati. Procedebant bini, & Sanctus Michaël anteibat portans instar signiferi vexillum. Postremo loco incedebat vir gravissimus, summè venerabilis, & indicibilis authoritatis, per quem intellexi repræsentari Patrem æternum. Ferebat in suis sanctissimis manibus quandam quasi hierothecâ, coopertam pretiosissimo velo, quæ erat symbolum meritorum JESU Christi Domini nostri. Hunc summum virum (sic namque mihi comparebat) sequebantur omnes Angeli Custodes, qui fuerant advocati, & congregati sono ac musicâ cœlestium quarundam companarum, quæ in ea superna aula pulsabantur cum ineffabili harmonia. Progrediente pompâ apparuit aliquantùm eminus ingens bestia, quam eò quasi projectam impulerunt quidam diaboli; sed Angeli illam subitò comprehenderunt, ità ut non fuerit ampliùs visa. Substitit processio apud munitissimum, & pretiosissimum castellum, ubi morabatur Dominus Deus Trinus & unus. Atque postquam huc pervenerunt, omnes Angeli, qui concinebant laudes Dei, se prostraverunt, & Divina Majestas illis est elargita suam sanctissimam benedictionem, quo facto fuit finita solennitas, & inveni me in meo cubiculo. Deus sit benedictus.

# CAPUT XL.

## Justa Christi Domini nostri, contra falsas sectas, indignatio; mysteria ipsius pretiosi sangvinis, Communio Sanctorum.

*IN Aprili anni sexcentesimi vigesimi octavi, Christus Dominus, dilectissimo Servator noster, spectandam exhibuit huic Virgini justissimam suam indignationem, contra falsas sectas Maurorum, Judæorum, & Hæreticorum, atque aversionem à Catholicis male viventibus. Refert ipsa visionem his verbis.*

Intenta orationi vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, qui mihi dixit: Veni mecum, Anima, & videbis. Quamvis autem propter meos timores more meo repugnaverim, tandem ampliùs non potui. Duxit me Ejus Majestas quasi ad portam cœli, ubi illum vidi iratum, & vultu tam gravi ac severo aspicientem, ut fuerim territa, & exhorruerim. Conspexi deinde hîc in mundo, tanquam in vasto campo, ingentem hominum multitudinem. Alij stabant manibus junctis, & capitibus elevatis, sed retrorsum reflexis; alij erant provoluti in genua, compositis manibus, & capitibus demissis; alij nec bene stabant, neque flectebant genua, sed excussâ omni verecundiâ, gerebant capita similiter pendula; denique alij jacebant humi, capitibus terræ affixis.

Vocavit illos Dominus ad judicium, ac dixit ad primos: Qui estis vos? quam legem profitemini? Sumus Mauri, responderunt ipsi, sequimur legem Mahometi. Intuitus est illos Dominus eo vultu irato, & graviter reprehendit, jussitque inde abduci, qui se collocaverunt post Dominum, ad latus dextrum. Tum interrogavit secundos: Vos quinam estis? & responderunt: Sumus Judæi, atque expectamus Messiam promissum in lege Mosaica. Hos Dominus aspexit cum majori indignatione, quàm primos; reprehendit graviùs, vocando ingratos, incredulos, tardos ac duros corde, & jussit abduci, atque adjungi prioribus. Advenerunt tertij, qui pendula gerebant capita, & quæsivit ex illis Dominus: Qui estis vos? Fuimus Catholici, responderunt, nunc sumus hæretici, & profitemur varias sectas. Contra istos Dominus magis, quàm contra omnes præcedentes, exarsit, & post alia gravissima, quæ ijs est locutus, subjunxit: Infelices, qui eratis arbores plantatæ ad ripas fluminum meæ Ecclesiæ, atque modò estis aridi propter peccata vestra, & mandavit illos abduci cum reliquis. Demum accesserunt postremi, quibus Divina Majestas dixit: Quinam estis vos? & responderunt: Sumus Catholici, profitemur legem Evangelicam, & fidem Romanam; vivimus tamen in gravibus peccatis. Dominus ipsos acriter coarguit, eò quòd offendissent Deum, & jacturam fecissent gratiæ, cùm essent filij Ecclesiæ.

Interea quodam gestu indicabat, ac si eos vellet jubere abripi, unà cum alijs tribus generibus hominum, ut simul justè plecterentur pœnâ: verùm Angeli ipsorum Custodes soliciti comparuerunt coram Ejus Majestate, dicentes: Considera, Domine, quòd peccaverint ex fragilitate; obsecramus te supreme Rex, ut illorum misereàris: nam licèt sint peccatores, confidunt in tua misericordia, & optant, ut non occupentur à morte, nisi in statu veræ pœnitentiæ. Placatus fuit nonnihil Dominus, quanquã adeò indignaretur, ut ipsorum propter preces Angelorum misereretur, & expectaret, quoadusque se emendarent. Derepentè cœpit pluere ignis ex cœlo super illas tres hominum turmas, qui stabant separati, & multi dæmones illos præcipitabant ad infernũ, ubi omnes absq; remedio comburebantur. Postquã omnes isti infideles disparuerunt, absorpti ab eo igne æterno, orta fuit vehemens tempestas, decidente grandine super peccatores Catholicos, à qua fuerunt pessimè habiti.

Sancti

Sancti tamen Angeli eorum ipsos protegebant, quantùm erat possibile, atque inde illos abduxerunt ad locum tutiorem. Tale fuit hoc spectaculum, cui adfui plena incredibili timore.

Divina Majestas se postea convertit ad me, dixítque mihi: Anima, quid tibi de his videtur, quæ spectavisti? Præseferebat adhuc Dominus justam suam indignationem; unde ego tota turbata, quòd ipsum viderem ità constitutum, respondi: Mi Domine, per temetipsum te oro, noli me intueri hoc vultu irato, quia me terres, & non sum mihi præsens; aspice me, per amorem tuum, sicut consveviſti. Tum Ejus Majestas mihi dixit: Ostendi tibi hoc spectaculum, ut apud me intercederes pro peccatoribus Catholicis, ut ipsis concedam meam gratiam, quâ adjuti emergant ex peccato, & non sustineant supplicium Infidelium, quod vidisti. Sit hic Dominus benedictus. Amen.

*Thesaurum, quem habemus in sangvine* JESU *Christi Redemptoris nostri, & quomodo ipse probis prosit, atque impij illum nequeant, quantumcunque conentur, obscurare, simúlque alia, quæ continent singularia documenta, ei Deus ostendit in visione sequenti, quam illa sic refert.*

Quadam die, ante diluculum matutinum (erat vigesima Januarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto) dum orarem, vidi Christum Dominum nostrum cruci affixum, exhibentem eas vultu angustias, ac demonstrantem dolores, quos sustinuit, priusquam in illa expiraret. Ad pedem hujus crucis vidi prostratum sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, & alium Sanctum ex ejus Ordine, quem non agnovi, neque multùm observavi quis esset, quia me totam abripiebat compassio, ac teneritudo, quòd viderem meum Dominum taliter constitutum: nam pauper mea anima summè commovetur, quotiescunque se ipsi Dominus in hac specie exhibet spectandum. Tali modo mihi appropinquabat, crescente semper magis ac magis in me, ob hoc spectaculum, affectu compassionis. Postquam pervenit ad locum, in quo eram, pes illius augustæ crucis inhæsit meo pectori, aperiendo illud, intimèque penetrando. Erupit continuò magna sangvinis copia ex sacris pedibus crucifixi Domini, qui sangvis ingrediens per aperturam factam in meo pectore, ità omnia mea interiora implevit, ut supereffluereț. Hoc facto Dominus sic suæ cruci affixus abivit, & reversus est ad locum, in quo illum priùs videram.

Ibi vidi decurrentes ex sacratissimis ipsius pedibus tam copiosos rivos sangvinis, ut replerent totam terram. Mirabar vehementer observando hæc mysteria, quando audivi Dominũ dicentem: Quid tibi videtur, Anima, de eo quod vides? Mi Domine, respondi, es infinitè bonus, & ex mera tua immensa bonitate pro nobis omnibus effudisti tuum sangvinem. Propterea tibi dixi, subjunxit Dominus, & nunc dico, quòd etiamsi suscitentur omnia ista bella, quæ metuis, & quæ tantas incutiunt Christianitati minas, non sit mea mens, destruere Rempublicam Christianam, sed probare meos fideles servos, quorum singuli mihi magis placent, quàm me exacerbent omnes, à quibus offendor: & quemlibet ità amo, ut pro uno solo existimarem bene impensum, quidquid sum passus, ac denuò, si foret necessarium, paterer.

Cùm Dominus hæc svavissima verba dixisset, conspexi magnam hominũ multitudinem commeantem per terram, pretioso illo sangvine perfusam, eundémque ab aliquibus colligi in pyxidulas, & alia vasa, exosculantibus ipsum cum magna reverentia, & amplexantibus cum tenera devotione, quâ indicabant mirum affectum erga illum divinum thesaurum. Alij eundem conabantur conspurcare, ac suis manibus dispergere, & pedibus conculcare, omnem eo fine moventes lapidem, multásque idcirco subeundo molestias & afflictiones. Sed his conatibus fiebat, ut ille sacer sangvis nullo afficeretur detrimento, imò evaderet pulchrior ac splendidior; & qui laborabant, ut ipsum pessumdarent, ità elangvescerent, ac debilitarentur, ut nullum retinerent vigorem aut animum, ad quidquam peragendum.

Descenderunt deinde Angeli, ut me contemplarentur, & vidi sangvinem, qui fuerat ingressus in pectus (cùm non haberet locum in pectore) ob magnam copiam inde, ex latere sinistro, magno impetu erumpentem, atque notavi, quòd nonnulli Sancti Angeli collectum in vasa tulerint ad quendam locum, ubi fuerat jam asservatus totus reliquus sangvis, quem Christus Dominus effuderat ex suis sacris vulneribus, & quo erat irrigata universa terra, atque ibi illum deposuerunt, ut totus simul permaneret.

Postea idem Dominus, quem nihilominus videbam affixum cruci, sicut initio, dixit meis Dominis Angelis, ut me ad ipsũ adducerent, quod celerrimè fecerunt, & collocaverunt me ad pedem crucis. Dum autem ego essem in magna ecstasi aspiciens hunc Dominum, ille ascendit, donec perveniret ad cœlestem civitatẽ, & postquam eò intravit, non apparuit mihi ultrà crucifixus, sed vidi illum in specie ordinaria, in qua Ejus Majestatem consuevi videre. Et cùm meam animam constituisset in ea sublimi unione, in qua eam video tanquam intimè introductam in Divinum Esse, fruita sum ibi eo summo bono, quantùm hæc vita mortalis patitur, donec Deo placuit, ut reducerer ad meum angulum. Hìc cœpi cogitare de significatione illius mysterij, quòd is Divinus sangvis per latus mei pectoris, cum tanta effluxerit abundantia, acsi totus intra illud non posset contineri. Verùm Ejus Majestas mihi illam tum declaravit, confirmando, quod mihi à Sancto Patre Ludovico de Ponte fuit dictum, quando ad me venit, & erat, ut certa essem, meam animam in obitu meo evolaturam ad cœlum, non transeundo Purgatorium; méque non solùm habituram sufficientia ad id merita, sed etiam superflua, pro alijs adjuvandis. Isti effectus infinitæ magni hujus Dei & Domini nostri misericordiæ, sunt fructus pretiosi ipsius sangvinis. Idem sit millies benedictus. Amen.

*Sequens visio nobis ob oculos ponit illum articulum fidei, quo credimus Communionem Sanctorum, & quomodo Fideles fiant participes bonorum operum, quæ ab alijs peraguntur, séque invicem possint specialiter juvare; & quædam alia plena solatij, quæ Venerabilis Marina ità recenset, & de quibus jam nonnihil dictum in fine capitis trigesimi octavi.*

Die Dominicâ, decimâ sextâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo nono, expendens meos multos defectus, méque immergens in cognitionem meiipsius, fui abrepta in spiritu, & audivi vocem Dei mihi dicentis: Veni Anima, ascende hùc per istam scalam. Circumspexi, & vidi unam, quæ pertingebat à terra ad cœlum, atque incepi illam celerrimè conscendere. Quando autem perveni ad portam cœli, prodijt quidam Angelus, qui videbatur fungi officio janitoris. Is me detinendo, vultu gravi, & severis verbis mihi dixit: Subsiste Anima, quò vadis? Subsiti tota turbata, statímque me totam prostravi coram Sancto Angelo, qui me sic videns constitutam, eadem severitate ac priùs subjunxit: Surge, ac responde meæ interrogationi. Et respondi: Permitte, ut eam ad meum Dominum, vocat enim me, jubétque eò ire, ubi Ejusdem Majestas moratur. Bene est, ajebat ille, quomodo scis te à Deo vocari? Prostravi me denuò cum eadem turbatione, atque reverentia; & ipse mihi rursum dixit, ut surgerem ac responderem suæ interrogationi. Feci id, ac dixi, me à Deo illuminatam agnovisse, quòd vocarer ab Ejus Majestate. Tum ille velut permittendo me intrare, quanquam parum suavi vultu ac voce, mihi dixit: Ingredere.

Ingressa sum, & post paucos passus conveni meum Sanctum Angelum Custodem, ac alios duos Angelos, qui ad me accedentes, ac denudantes unum meum humerum, atque partem dorsi, me ibi ambo cœperunt verberare eum in modũ, quo fabri ferrarij eandem partem ferri contundunt. Sustinui meam pœnam, & eâ finitâ fui ducta ad Dominum Triunũ, qui me suscepit cum magna charitate, datáque mihi suâ sanctâ benedictione præcepit Sanctis Angelis, ut me ducerent alìò quod ipsi fecerunt, & duxerunt me ad immensam quandam altitudinem, & so-

litu-

litudinem divinam. Voco autem solitudinem (licèt sit optima societas) quia ibi anima ità in solo suo Deo manet, ut, quidquid audit, cognoscit ac percipit, sit purè Deus, & nihil aliud. Hîc mihi Divina Majestas indulsit aliquam libertatem, ut animadverterem, quomodo essem constituta, & cognovi, ab anima intelligi, amari, ac possideri magnitudinem, & gloriam Dei: cùm autem vellem progredi ulteriùs, & inquirere quomodo possent explicari, quæ intelligebam ac possidebam, ex ea magna gloria, cognovi, id esse impossibile, & non posse declarari, aut exponi excessum illius gloriæ. Præterquam enim, quòd nulla lingva humana valeat explicare id, quod omnia tantopere superat, quæ reperiuntur in mundo, neq; ulla, intra omnes limites eorum, quæ naturaliter comprehenduntur, extet creatura, cujus similitudine & comparatione declaretur, quod ibi cognoscitur, & quo anima fruitur, ipse quoq; intellectus agnoscit, nec à se, neq; à cæteris potentijs comprehendi omne bonum, quod ibi repræsentatur; sed suam mensuram & capacitatem esse valde artam & exiguam, ad comprehendendam magnitudinem & gloriam, quæ ibi invenitur. Atq; etiamsi sit quasi immensum & infinitum, quod illi ibidem ostenditur, scit, longè esse ampliùs & ampliùs, quod non assequitur. Sicut igitur, si cuipiam ostenderentur millena millia gemmarum, quarum singulæ essent pulcherrimæ ac pretiosissimæ, & singulæ præterea artificiosissimè elaboratæ, ipse autem vellet adhibere conatum, ut omnes simul pernosceret, cum omnibus earum perfectionibus, deficeret, & quodammodo absorberetur, ac raperetur extra se, confusè tantùm contemplando illud amœnissimum spectaculum, eóque fruendo; ità mea anima victa à magnitudine gloriæ, quam optabat observare, ut illam describeret, fuit in ea submersa, & veluti perdita, ut nihil de se sciret, donec essem reducta ad meum angulum.

Quando hîc fui, & magno cum stupore ac solatio cogitavi de magnitudine hujus immensi Dei, incepi dubitare, ob quales defectus Deus permisisset, ac præcepisset, ut castigarer ab ijs Sanctis Angelis. Quamvis enim certum sit, multos à me defectus committi, nullum tamen tunc agnoscebam specialem & extraordinarium, quo fuissem promerita illam extraordinariam pœnam. Fui aliquamdiu sic afflicta, judicans, à me fuisse perpetratum grave aliquod peccatum, timénique, ut, sicut me istud lateret, ità multa quoque alia non cognoscerem. Dum id considerarem, méque cum magna resignatione offerrem divinæ voluntati, audivi vocem mihi dicentem, quòd diabolus esset de me questus coram Deo, dicens, se habuisse facultatem affligendæ cujusdam creaturæ, quæ fuerit prompta ad tolerandam eam afflictionem, & à me fuisse protectam, ità ut ipse non potuerit mandare executioni, quod illi fuerat permissum; ideóque petere, ut Ejus Majestas dignaretur jubere, me castigari, tum quòd impediverim, èn impleretur ipsius mandatum, tum quòd illam creaturam privaverim merito patientiæ: Deum autem respondisse, ut ego aliquid paterer pro ea creatura, quod pro ipsa oblatum compensaret, quidquid eadem obtinuisset, etiámque ego haberem meritum ex charitate ipsi à me exhibita, & patientia, quâ toleraveram illam afflictionem ortam tum ex ictibus mihi inflictis, tum ex molestia tolerata ob timorem, nè commisissem aliquod peccatum, essémque forsan rea multorum aliorum, quæ non agnoscerem. Et verò ità est, quòd antequam mihi evenissent, quæ retuli, me Deo obtulerim, ad patiendum, quidquid Ejusdem Majestas vellet, ut liberarem à molestia illam creaturam. Cùm audivissem, quod recensui, aliud mihi dubium occurrit, quia agnovi eam vocem non fuisse Dei, & videbam aliunde, quòd mihi id non fuerim imaginata, neque proveniret à meo proprio spiritu. Sed fui per Divinam misericordiam continuò liberata ab hoc dubio: siquidem mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, & securam me reddidit, eam vocem non fuisse mali spiritûs, quanquam mihi non dixerit, cujusnam

fuerit. Paulò pòst mihi meus Sanctus Angelus Custos dixit, omnia illa ab uno è Sanctis Angelis mihi assistentibus fuisse dicta, jussu DEI, qui sit benedictus in æternum. Amen.

# CAPUT XLI.

## Quomodo DEUS hanc Virginem, de spiritûs ipsius veritate, reddiderit securam.

*Cùm usqueadeo admirandæ sint visiones, adeò stupenda doctrina, quâ Deus Venerabilem Marinam illuminabat, ut tum ob frequentiam, quâ se ipsi exhibebat videndum, tum ob familiarissimum modum, quo cum ea agebat, vix sit reperibilis historia magis in hoc genere singularis; non est mirum, humillimum hujus purissimæ Virginis spiritum sibi ipsi fuisse suspectum, & quantò se minùs tam inusitatas gratias promereri agnoscebat, tantò ampliùs novitatem tam peregrinarum semitarum, viæq; adeò parùm tritæ transitum timuisse. Hinc est, quod continuò, quemadmodum apparuit, á DEO in sua oratione petiverit lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus, quódque illam Deus multoties intimis & ineffabilibus illustrationibus reddiderit securam, seipsum esse, qui cum ea loqueretur. In quadam charta, quam paucissimis, ante suam felicem migrationem ex hac vita, diebus conscripsit Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, dum quædam Confessario, qui Venerabilem Marinam deinceps esset recturus, maximi momenti dat monita, hausta tum ex singulari sua prudentia, ac divino lumine, tum ex ea experientia, quâ illam triginta, & ampliùs, annis direxerat, post alia sic ait: Existimo, ipsam nunquam fuisse deceptam à diabolo. Hæc charta, quam habeo in meis manibus, fuit scripta minimùm post diem quintam Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, cùm obierit decimâ sextâ ejusdem mensis & anni. Cujusvis rerum talium periti judicio censebitur, esse prorsus speciale, quod, ad præsens propositum faciens, evenit Venerabili Marinæ agenti cum Deo, aliquot annis pòst, & ab ipsa refertur verbis sequentibus.*

Dum mea anima vehementibus, & efficacibus teneretur desiderijs, quæ illi Deus inspirabat, ut se in omnibus, & per omnia conformaret cum divina ipsius voluntate, præsertim verò in vijs tam extraordinarijs, quibus eam Divina Majestas dignata est ducere, eidem omnimodè placeret, dixit illi summo affectu: Mi Deus, & mi Domine, etiámne nunc mea anima, aut aliquando per vitæ meæ decursum, admisit aliquem errorem, vel fuit decepta in rebus internis, & extraordinarijs, quæ ipsi acciderunt, & indies accidunt? Quamvis enim Domine, hac in re non interveniisset ulla malitia, sed ignorantia, te id propter tua incomprehensibilia judicia permittente, summopere nihilominus idcirco meum cor affligeretur, & angeretur. Audivit me Dominus, & gravissimè mihi respondit, dicendo: Veni huc, Anima, dic mihi: Essétne magnopere mirum, si puella incipiens discere primos ductus acùs, eámque quàm elegantissimè tractare desiderans, nihilominus eâdem pingendo erraret? hoc non esset curandum; nec magistra miraretur, neque etiam id puellæ exprobraret, postquam deinde adolevisset, ac profeciisset in arte, dicendo illi: Dum esles parva, errabas, quando acu pingebas, & non sciebas, quod scis modò. Sic itaque ego Dominus & Magister animarum non miror, neque mihi displicet, aliquam animam in initijs vitæ spiritualis errare, vel non intelligere aliquid eorum, quæ ipsi manifestantur, quando ex corde optat non errare, atque id assequi, ut cognoscat meas veritates.

Mea anima audivit, quod illi à suo Deo fuit dictum, & quia sibi existimabat innui, quòd aliquando erraverit in ijs cognoscendis, quæ ei fuerunt manifestata, fui notabiliter contristata & afflicta, atque dixi Domino. Mi Deus & mi Domine, si ita est

est sicut mihi dicis, erravi interdum, & non intellexi te. Tum Ipsius Majestas mihi summâ authoritate & gravitate respondit: Non erravisti Anima, neq; malè processisti, quia te jam inde à tuis principijs docui & rexi, egíque tuum Magistrum. Quapropter nunc te prosterne, & agnosce prompte tuam miseriam. Relinquendo autem me Divina Majestas prostratam, manibus junctis, ac fronte & genibus terræ affixis, disparuit, ad magnam meam erubescentiam. Sic mea anima diu permansit prostrata, donec ad me venirent mei Domini Angeli, méque cum magna charitate, & commiseratione elevarent, & reponerent ad meum locellum, ubi rursum longo tempore jacui pudefacta, & erubescens. Interea conspexi quendam Angelum Dei ex supremis, qui, postquam ad me venit, magnâ mihi authoritate & gravitate dixit: Anima, venio ad te nomine Dei, ut te doceam ac instruam, tibíque exponam, quid sit, perfectam habere resignationem. Hoc ergo, præterquam in cognitione, quâ anima debet esse prædita, de imbecillitate, miseria, & vilitate sua, consistit in eo, ut se tam profundè resignet in Dei voluntatem, ut, si ipse, propter arcana sua & incomprehensibilia judicia voluerit permittere, animam summè desiderantem bene procedere in cognitione rerum internarum & extraordinariarum, quæ ipsi fuerint manifestatæ, errare, sese tamen resignet in voluntatem, & permissionem sui Dei, non affligendo se nimirùm tali eventu; & agnoscendo qualis sit sua ignorantia, cæcitas, ac miseria, cum qua laberetur in multa & gravia peccata, nisi à Deo & Domino suo adjuvaretur, & præservaretur; pro qua misericordia ipsi magnas tenetur agere gratias. Id te oportet facere, & intelligere; nunc vale. Ità discessit, replens me per hanc suam instructionem solatio (nam licèt me Deus, ex sua bonitate, à meis initijs docuerit hujusmodi resignationem, jam tamen mihi hoc documentum admirabiliter & specialiter inhæsit) aliundè verò perseveravi in ea erubescentia & pudore.

Hunc in modum transegi propè biduum, & Deus mihi ità constitutæ dixit aliquantùm severè: Anima veni mecum; duxítque me sinè mora, cum aliquo meo timore, ad cœlestem Jerosolymam, & videtur mecum iviſſe per omnes illos choros Angelorum, & animarum beatarum, acsi dispiceret locum, in quo me poneret. Tandem fui à Divina Majestate collocata in quadam altitudine, tanquam in medio illius sanctæ Civitatis, in sede admirabili, quæ videbatur esse fabricata ex auro, ac pretiosis lapidibus, & mirè splendebat. Dum hic essem quasi in conspectu immensæ Essentiæ Dei, quæ se mihi repræsentabat in specie ineffabilis Solis, vidi ex eo prodeuntes divinos radios, qui ferientes meam animam, reddebant ipsam splendidiorem auro & gemmis, eademque videbatur esse accensa flammis divini ignis. In hoc statu aliquamdiu permansi; deinde idem Dominus arreptam suis manibus meam animam posuit in loco longè inferiore, quàm fuerit prior situs, quia erat in infimo choro Angelorum. Dum se mea anima ibi esse adverteret (videbatur autem sibi esse instar catelli, sub sellis Dominorum & convivarum, comedentis miculas decidentes ex ea opipara mensa) hoc solùm allucente lumine, & radijs illius Divini Solis justitiæ sui Dei & Domini, agebat, ut videret quidquid posset: verùm non poterat omnia videre, quæ desiderabat.

Hâc ratione mea anima diu quodammodo affligebatur. Inde autem fuit ducta à suo Deo ad immensam altitudinem, ubi ab ipsomet Deo circumdata, & intuens clarissimum speculum Divinæ Essentiæ, agnoscebat illum, amabat, eodémq; fruebatur modo sublimissimo, & in divina quadam caligine, cùm anima non esset capax, ut tam mira omni claritate videret. Postquam id aliquamdiu egi, nescio, ab ipsóne Deo, an operâ Sanctorum (nec enim hoc potui observare) fui ducta ad meum angulum.

Post unum diem (quem mea anima transegerat nihilominus quasi verecundando & erubescendo, ob id, quod illi initio, ex reprehensione sui Dei, evenerat; mul-

multúmque admirando res adeò ſtupendas) Dominus mihi cum eadem authoritate & gravitate dixit: Anima, in hac viſione tibi fuit triplex tuus ſtatus oſtenſus: primus in illa ſede ſplendida, in qua te ſedere animadvertiſti, fuit figura intenſorũ & efficacium deſideriorum; quæ habes, & à me accepiſti, ut te in omnibus conformes cum mea voluntate, & aſſequaris meas veritates, ſumè deteſtando omnem falſitatem & illuſionem. Alter ille inferior, in quo te vidiſti ſub choris meorum Angelorum, fuit repræſentatio vehementis, & nonnihil pertinacis apprehenſionis, quam habuiſti, dum volebas, ut nunquam antehac quidquam habuiſſes, neque deinceps haberes in cognitione internorum, & extraordinariorum objectorum, quod nõ eſſet, ac fuiſſet meum, puriſſimum, & immune à cujuſcunque alterius rei admixtione; in quo te reprehendi, tanquam minùs reſignatam. Tertius ſtatus, in quo te conſpexiſti elevatam ad tam ſublimem cognitionis mei gradum, fuit figura illius ſtatûs, in quo manſiſti, poſtquam es reprehenſa, humiliando te, & reſignando in omnibus, & per omnia in meam voluntatem, ac permiſſionem, juxta meam ſapientiam, & arcaniſſima judicia. Hæc eſt declaratio veritatis myſteriorum, quæ vidiſti. Id mihi dixit Dominus: & quamvis, prout dixi, fuerim in meo angulo, nihilominus ſuperiorem partem animæ advertebam manere in ea altitudine, ad quam ducta fuerat à ſuo Deo. Ità exegi tres alios, quatuórve dies.

Illis præterlapſis, rurſus mihi Divina Majeſtas dixit: Anima, veni mecum; & fui derepentè ab hoc magno Domino ducta ad longè ſuperiorem, quàm fuerit prior, ac ſublimiorem altitudinem, ubi mea anima fuit immerſa, & abſorpta in eo immenſo mari Divinæ Eſſentiæ, in qua illi ſunt oſtenſæ res reconditiſſimæ, & altiſſima myſteria divinorum attributorum ſupremi ipſius dominij, ob quod ab illo dependet, quidquid exiſtit, & exiſtere poteſt, ità ut nihil reperiatur, à quo ipſe dependeat. Atque cum tot ac tam diverſa eſſe viderentur hæc attributa & magnalia, quæ mihi omnia apparebant admirabiliter reſtricta in unum, cúmque tam multa ſpectarentur ab anima, ſemper dicebam: Ampliùs eſt quàm hoc, ampliùs eſt Deus quàm hoc, infinita adhuc ſuperſunt videnda. Iſta viſio duravit diu: ſubitò autem audivi quoſdam Angelos Dei, qui me vehementer urgebant ad abeundum, dicentes: Age Anima, jam eſt tempus hinc diſcedendi. Mihi id accidebat perquam difficile, & illi me denuò compellentes replicabant: Age tandem Anima, quia non potes diutiùs hîc manere; alioquin natura prorſus deficiet: necdum verò advenit tempus. Itaque me inceperunt deducere per ſeptem glorioſiſſimos gradus, per quos me ſurſum fuiſſe hac vice, exiſtimo ductã. Timui initio, & Dominus Majeſtatis venit ad me, ac dixit mihi: Anima, noli timere deſcenſum; ego enim tecum eo, téque duco. Poſtquam per ſeptem hos gradus deſcendi, duxerunt me paulatim, & ſuaviter Angeli per eaſdem myſticas vias, quibus fueram ducta in aſcenſu, donec me reponerent in meo angulo.

Dum jam hîc eſſem, atque talia hujus magni Dei opera mirarer, dicebam illi: Domine, quales ſunt ij ſeptem gradus, per quos me deduxiſti, & opinione meâ ſurſum duxeras? Ità aliquamdiu manſi ſuſpenſa, & poſtea mihi Dominus dixit: Adverte Anima; noveris, ſeptem iſtis gradibus, per quos aſcendiſti, ac deſcendiſti, repræſentari ſeptem valde heroicas & ſublimes virtutes, per quas animam oportet aſcendere ad perfectiſſimum ſtatum, in quo te conſtitui. Primus gradus eſt ſymbolum intimæ, & profundiſſimæ cognitionis ſui ipſius, quâ anima debet cognoſcere ſuam miſeriam, vilitatem, & egeſtatem. Secundus profundæ humilitatis, quâ ſe ſubjiciat ac ſubmittat omnibus creaturis, collocando ſe ad earum pedes. Tertius vilipenſionis omnium rerum creatarum, quâ omnes pedibus proterat. Quartus ſignificat amorem ſui DEI & Domini ſuper omnia. Quintus eſt figura puritatis & munditiei, quam anima debet habere. Sextus eſt forma perfecti amoris Dei, ad quem animæ eſt anhelandum. Septimus ſignificat totalem

talem resignationem, quam anima debet habere in omnibus & per omnia, in voluntatem sui Dei, ejusdem beneplacitum & permissionem, secundùm altitudinem incomprehensibilium ipsius judiciorum. Anima, hæc est clavis, quâ istud admirabile & excelsum solidarum virtutum ædificium occluditur. Ad illas autem exercendas, & nè per hos mysticos gradus labatur, magnopere expedit animæ, volenti pervenire ad apicem perfectionis, ut nunquam careat sancto timore sui Dei, juncto confidentiæ, solatio, & securitati in eodem Deo, quod tibi repræsentavi in timore, cum quo descendebas per gradus, semper existimans, téque ipsam metuens, quòd continuè descendas, & nunquam ascendas, ac nè ad unum passum in isto ascensu progrediaris. Tale est, Anima, hoc mysterium. Jam esto bono animo, & quiesce in me, ego enim tecum maneo. Benedictus sit semper hic Dominus. Amen.

*Notetur istud scriptum: quia si attentè legatur (quamvis quædam illius verba videantur amplius significare) solummodò clarè ex eo colligitur, nisi fallor, ipsam fuisse à Deo redditam securam, quòd nunquam erraverit, aut hallucinata fuerit, ut aliquando pateretur illusionem diaboli, & aliqua ex illius alloquijs haberet pro divinis, quod quidem non fuit exiguum privilegium. Non concluditur tamen inde, Venerabilem Marinam nunquam in alloquijs divinis aliquid minùs percepisse, aut aliter intellexisse, quàm voluerit Deus. Forsan enim ex propria sua experientia, quæ fuerit rara, didicit monitum, quod nobis dedit capite trigesimo quinto hujus libri. Unde cautè & prudenter, more suo, Pater Ludovicus de Ponte tantùm dicit in admonitionibus, quas initio hujus capitis attigi, nunquam fuisse deceptam à diabolo. Progrediamur ad alia, in quibus eam Deus reddidit securam, quòd ipse illam alloqueretur, eique tam singularia mysteria panderet, prout Venerabilis Marina refert.*

Cùm essem perplexa, ignorans, quâ ratione id assequerer, ut congruè conscriberem, & exponerem tot ac tanta mysteria, quæ à Deo meæ pauperi & miserabili animæ manifestabantur, méque non possem liberare ab hac afflictione, & perplexitate, Divina Majestas mihi peramanter dixit: Noli timere, Anima; scribis namque veritates: ego te illas docui, & ego loquor per te, profer eas verbis, quibus sciveris, & potueris; ego enim ipsas approbo tanquam meas, quandoquidem sunt tales.

Aliâ occasione, dum Divinæ Majestati magno affectu dicerem: Mi Deus, quis credet tam admiranda, quàm sunt ea, quæ eveniunt meæ animæ, & hæc à te esse profecta? Dominus mihi respondit: Quomodo feci, ut alia hujusmodi crederentur, quæ meis Sanctis manifestavi? Verè tibi dico, gravissimas Ministris meis suppetere rationes, & sufficientes causas, ut fidem tuis rebus adhibeant; & quod est amplius, me ab æterno decrevisse, ut crederentur. Hoc evenit in Augusto anni sexcentesimi vigesimi quarti.

Quadam vice, post peractam à me sacram Communionem (erat dies Dominica, decima Januarij, anno sexcentesimo vigesimo septimo) dum considerarem gratiam, quam Deus mundo præstitit, permanendo in hoc ineffabili & sacrosancto mysterio, abrepta à vehementi affectu, orto ex certitudine fidei, quam habeo de sublimissimo isto Sacramento, dixi: Sis benedictus Domine, qui non potes falli, aut nos fallere: sed neque nos possumus errare, quando audimus tuas veritates, issque obtemperamus. Obsecro te, mi Domine, ut pariter nec ego decipiar, aut velim ullum decipere, neque per me quisquam decipiatur. Respondit mihi Divina Majestas: Optimè locuta es, Anima; ità fiet, & ego id, dato tibi pignore, firmabo. Vidi subitò tres Divinas Personas in ea humana, & subtilissima specie, quam aliàs descripsi: quibus ad me accedentibus fuit apertum meum pectus, & conspexi in meo corde velut manum expansam, quæ significabat meum desiderium, cui singulæ Divinæ Personæ imposuerunt quendam quasi nummum ex purissimo & splendidissimo auro cusum (erat verò notabile, quòd mihi modò viderentur esse

tres nummi, modò unus) atque cùm illa manus se statim clausisset, omnes nummi penetraverunt meam animam, redundante effectu in omnes meas potentias interiores, eum in modum, quo svavissimus odor diffunditur per totum conclave, quamvis in uno solùm illius loco fuerit positus. Datâ autem mihi suâ sanctâ benedictione illico disparuerunt.

Sesquianno ante id, quod nunc scripsi, in fine Julij, anno sexcentesimo vigesimo quinto, similiter post sacram Communionem, vidi Majestatem DEI Domini nostri per visionem intellectualem, quâ, pro exiguo meo captu, cognoscebam quoddam Divinum & immensum Esse, unáque per visionem imaginariam conspexi manum ejusdem summi DEI, eo modo efformatam, ut, quod aliàs dixi, subtilitate multùm excederet manus, quas repræsentare solent Angeli, & Animæ Sanctæ, dum etiam assumunt figuram humanam. Hæc Divina manus tenebat digitis delicatum calamum. Conata fui, sicut aliàs, eâ conspectâ me abstrahere, & conversis meæ considerationis oculis ad Majestatem JESU CHRISTI Domini nostri, quem gerebam in meo pectore, ac paulò antè sumpseram, dixi illi: Mi Domine, cùm te realiter præsentem apud me habeam, siquidem te ità modò suscepi, atque de hoc nullum sit dubium, nec esse possit, oro te per viscera amoris, quæ te pertraxerunt ad terram, pro salute hominum, & per viscera Virginea Sanctissimæ tuæ Genitricis, ut mihi largiaris lumen, ad agnoscendas tuas veritates, neque me ulla in re decipi patiaris. Taliter cum vehementibus affectibus petebam ab Ejus Majestate lumen, allegando illi alios titulos, simúlque quàm poteram celerrimè, examinabam meam animam, considerando, an fortassis in ea reperirem aliquid discrepans ab hac intentione, & per DEI bonitatem nihil reperi, præter ardentia, conformandi me cum sanctissima ipsius voluntate, & ejusdem in omnibus implendæ, desideria.

Tum vidi, quòd is Dominus DEVS mihi, cum ea imaginaria manu, appropinquaverit, & postquam meus Sanctus Angelus Custos extendit meum brachium ac manum dextram, Ejusdem Majestas calamo, quem habebat inter suos digitos, formaverit in extremitatibus meorum digitorum quasdam cruculas, proferendo certa verba, quæ ego non intellexi. Eram valde perplexa, & quodammodo verecundabar, ac tergiversabar: quia talibus occasionibus, si quâ ratione possum uti meâ libertate, semper his rebus extraordinarijs repugno, propter ingens desiderium, cum quo vivo, ut divinam voluntatem assequar viâ ordinariâ fidei. Interea unus è meis Dominis Angelis, qui stabant ad latus meum sinistrum, ad me accessit, & extendens brachium ejusdem lateris, cum quadam violentia, quasi reprehendendo has meas tergiversationes, aperuit meam manum, in cujus vola Dominus formavit aliam crucem. Deinde vidi JESVM CHRISTVM Dominum nostrum, quâ hominem, provolutum in genua, petentem à Majestate Triunius DEI gratiam, ut omnes, quos attingerem meâ manu, curarentur à quacunque infirmitate, quam paterentur, nisi id obesset sanitati eorum spirituali, ac saluti animarum; quod DEUS benignissimè concessit, atque ad me conversus mihi dixit: Utêris istâ gratiâ, ubi pro ipsius usu habueris inspirationem, & serva hunc favorem pro te, tuisque Confessarijs. Mea anima egit gratias pro hoc dono, æstimans illud & honorans, interrogavi tamen: Mi Domine, si à meis Confessarijs jubear super quempiam ægrum manus imponere, quid mihi est faciendum? Opus erit, respondit Dominus, ut id bene considerent.

Desiderabam scire, quid significarent illæ cruces, quibus Dominus signaverat meos digitos, & rogavi Ejus Majestatem, ut mihi eam declararet, verùm subitò rem meliùs expendens, méque resignans in sanctissimam ipsius voluntatem, dixi; me nolle scire quidquam, sed velle me committere sanctissimis ejus manibus, & in omnibus, ac per omnia facere, quid-

quidquid ipse vellet. Dominus, qui hactenus tacuerat, magnum demonstrando amorem, respondit: Jam tibi id dicam, innuens mihi, quantopere sibi illa resignatio placeret, séque propter eandem respondere meo desiderio. Petis à me lumen, ut te in omnibus conformes meis veritatibus, & voluntati. Ego tibi illud dedi, posuíque in tuis manibus, significatum per cruces, quibus eas signavi. Quapropter, sicut qui fert lumen in manibus, dum illo utitur, non aberrat à via, neque cadit, aut cespitat, ità tu cum eo, quod tibi à me datum est, bene progredieris in meis vijs, & implebis meam voluntatem, quod est tuum desiderium. Ipse sit in æternum benedictus.

Amen.

# CAPUT XLII.

## Sanctus hujus Virginis timor, & quomodo à DEO reddita fuerit indies magis secura.

*QUisquis hanc historiam attentè ab ejus initio legerit, observaverit quoque, paucissima esse folia, in quibus Venerabilis Marina non meminerit timorum, quibus semper angebatur, utrùm gratiæ, quas consequebatur, essent profectæ â Deo, atque an assequeretur divinam voluntatem; qui omnes timores oriebantur ex ijs duabus præcipuis virtutibus, quas plurimùm vegetas & radicatas in purissimo suo pectore habebat, profunda nempe humilitate, quâ se quocunque favore judicabat indignam, & ardenti charitate, quâ summè optabat unicum beneplacitum, & gloriam sui Dei. Licèt verò illam Divina Majestas frequenter juberet esse securam, ac durante eo actuali lumine, omne nostra Virgo deponeret dubium, esséque anima ipsius serenissima; nihilominus disparentibus ijs radijs, timores revertebantur vehementiores: tam longè enim ab amantissimo Deo nostro aberat, ut ipsam simul ac semel ab illis liberaret, ut potius, tanquam id summi ad majorem ipsius spiritûs progressum foret momenti, eosdem permiserit profundiores agere radices. Et quod est notabilius (prout multis antea locis scripsimus) hoc illi signum, se esse, qui ipsam regeret ac alloqueretur, dabat, quòd isto sancto timore, & circumspectâ cautelâ nunquam esset caritura.*

*Nè autem ullus miretur, cùm perfecta charitas expellat omnem timorem, illum tamen per totam vitam duravisse in Virgine, quæ fuit purissimum quoddam probatissimorum Dei amorum archivum, proderit scire, quòd etiamsi perfecta charitas, omni se expoliet timore servili, ità nihilominus amplectatur timorem filialem, ut illa nihilo evadat auctior, nisi eam iste pariter comitetur. Et quia istud est quodammodo fundamentum omnium, quæ nostra Virgo in sua vita refert, judicavi, non solùm lecturis esse utile, verùm etiam pro tam admiranda historia necessarium, breviter hic perstringere, quæ sacer textus, & Sancti Patres dixerunt de hoc filiali timore istius meticulosæ reverentiæ, quæ inseparabiliter unitur amori, unde agnoscatur, quàm securæ fuerint viæ, quibus DEUS hanc suam sponsam duxit.*

*Hic igitur castus timor est ille, à quo Sancti ajunt nihil admitti reliquiarum ullius rei terrenæ; timor sanctus, qui à David celebratur tanquam manens in secula seculorum, eò quòd, licèt non quoad omnes, secundùm aliquos tamen suos effectus duraturus sit per totam æternitatem in Animabus beatis. Isto, inquantum est amabilissima reverentia, & omnimoda resignatio in subjectionem, quam creatura debet suo Creatori, dicuntur timere Seraphini, ac tremere coram Divina Majestate. Non est amor, quia necdum rem amatam securè possidet, multum nihilominus habet amoris, quia totus occupatur veneratione & honore objecti amati. Atque sicut hic interdum surculus, qui ramo cujuspiam stipitis inseritur, producit fructus diversos à cæteris, qui in eadem arbore crescunt, sed ità ut semper sapiat radicem, cui*

*fuit insertus; ità regio charitatis trunco videntur inseri, nescio quales, timoris affectus, qui colore, ut sic dicamus, odore, & sapore semper demonstrant generosiorem se habere originem, solúmque amorem esse radicem, ex qua progignuntur.*

*Metuunt animæ sanctiores, quamdiu degunt in hoc exilio, non pœnam, quàm possint incurrere; sed culpam, cujus exponi possint periculo: non coërcet illas timor supplicij; sed odium sanctum peccati. Noverunt se in eo adhuc versari statu, ut possint offendere suum Deum, timéntque etiam minimam umbram tam terribilis executionis: & dum cognoscunt amabilitatem sui Domini, atque fragilitatem nostræ naturæ, oritur inde tam peregrinæ speciei affectus, ut, cùm is respicit Deum, totus videatur amor, totúsque appareat esse timor, quando nostram respicit imbecillitatem. Exardescit, licet, anhelat (quæ omnes sunt qualitates amoris) dum considerat summam bonitatem, à qua abripitur: congelascit, obscuratur, & reformidat (quæ sunt naturalia accidentia timoris) dum expendit lubricitatem nostræ conditionis. Sufficeret ad privandos vitâ Justos & perfectos afflictio ex eo proveniens, atque id quod metuunt de seipsis, nisi ad illos in confidentia confirmandos superesset vigor, quo se experiuntur confortari à Deo.*

*Non metuunt perdere bona æterna, quæ ipsis ab hoc Domino promittuntur, quia unicum suum bonum arbitrantur esse ipsummet Deum; sperant præmia, non tamen ambiunt; æquè illa conarentur promereri, tametsi scirent minimè sibi esse conferenda. Volunt gloriam cælestem, ut in ipsis augeatur gloria Dei, tantúmque noverunt timere, nè illam non obtineant, quia illis constat, eam à Deo libenter donari: cognoscunt (ac propterea illum magis amant) nihil aliud à suo Deo spectari, quàm ipsarum commoda propria, metuúntque solummodo nihil sibiipsis lucrari, útne earum dilectus ullam patiatur jacturam. Hoc duntaxat timent, nè non obtineant, & non consequantur, magis ac magis ipsum stringendo, nexum illius unionis, quâ unus efficiantur spiritus cum suo Deo: & quia unio est duorum extremorum, ardentissimè desiderant, ut, quantùm fieri potest, illa tam stricta unio convertatur in unitatem, fiátque non tam totum ex partibus, quàm carens partibus totum simplicissimum. Timent, nè in hac arctissima unione admisceatur vel minima atomus, quæ sit minùs generosa; quia cavent, instar imperfectionis, appetitum, ut Deus sese ijs uniat, & non potiùs ipsæ uniantur Deo: atque licèt non possint non possidere, dum possidentur, sciunt suo affectu collimare ad meliorem scopum, volúntque tantùm esse possessio dilecti, non verò, ut ipsarum possessio sit dilectus.*

*Quomodo vocari potest timor, qui tot purissimi amoris est præditus perfectionibus? ipse est absque dubio amor timens, timor amans, qui se sponte subjicit; trepidat sinè violentia, patitur sinè coactione, & absque metu contremiscit. Hujus generis erant timores Venerabilis Marinæ, quæ non formidabat abjectè, nè sibi seu infligerentur pœnæ, seu negarentur præmia, sed nè in accuratissimo obsequio sui Domini, in quærenda puríssima gloria sui Dei, quidpiam admisceretur, quo sinceritas ipsius affectuum vel minimùm obscuraretur. Progrediamur jam in recensendis, quæ ipsa de istis suis scribit timoribus, & modo, quo eam Deus reddebat securam, quin tamen eosdem illi unquam penitus auferret. In charta quadam anni sexcentesimi vigesimi quinti sic ait.*

Mea anima aliquando manè eliciebat intensos & vehementes affectus, dum essem constituta coram meo Domino, quibus Divinam Majestatem rogabam, ut mihi ex sua bonitate largiretur lumen, pro cognoscendis suis veritatibus, méque dirigeret ac illuminaret in tam extraordinarijs vijs, quàm sunt istæ, quibus me ducere est dignatus. Ut verò hanc obtinerem gratiam, obtuli eidem magno Deo meipsam, meum cor, ac vitam, & quidquid possidebam atque acceperam ab immensa ipsius liberalitate; offerebam me ei in mancipium ipsius, & proponebam sincerissimè vitæ meæ emendationem. Interea oriebatur in me quædam confidentia, me obtenturam, quod ab eo petebam. Dum sic essem comparata, audivi Dominum mihi dicentem: Quid habes, Anima, quid fentis, cur conquereris, quæ est causa tuorum timorum? Adverte, certum esse, te bene progredi, & esse impossibile, ut possis errare in via, quâ te ego duco.

In-

Intuebatur mea anima fixissimè Dominum, quasi attentè auscultans, dum id diceret, qui cum summo amore & affabilitate continuò subjunxit: Quid aspicis Anima? quid aspicis? Ego sum qui tecũ loquor, ego sum tuus Deus & Dominus, habe in me solatium, & sustine crucem tuorũ timorum: sanctus namq; meus timor manet in æternum, quoad suum fructum; & sufficiat tibi gratia mea, quemadmodum dixi Paulo, ac progredere viâ rectâ meæ voluntatis. Atque si tibi, propter tuos timores, facere videris cum quapiam obscuritate, quod à me juberis, ideóque affligi in tuis gravibus negotijs, alienis à natura, & propensione, quam tibi dedi, velléque potiùs cessare & quiescere, si ego vellem, téque non inflammarem charitate erga me, & proximum; verè dico tibi, neminem casurum, neque cespitaturum, qui portatur in brachijs à forti, & fertur à lumine; nec erraturum, qui arduâ viâ, tótque habente anfractus, non ambulabit festinanter & inconsideratè, séque comitem adjunxerit sancto timori, cujus est considerare, ubi primùm unus, ac deinde alter pes figatur. Anima, judicia mea sunt occultissima atque altissima, & duco, ac dirigo animas diversimodè, & per diversos status: tu autem in ijs, quibus te duco, & in meo sancto timore, confide meæ bonitati, & misericordiæ, atque cum Abrahamo spera in me contra spem, & exequere, quod tibi mando. Noli dicere, non oportet me quidquam loqui; quia loquêris, quidquid tibi injunxero: ego enim ero tuus dux, ac tua lux, ego tecum manebo. Quodsi necesse fuerit, portabo te apprehensam uno capillo, ut feras cibum degenti in lacu leonum. Considera, quomodo mea Justitia, ob causas, quæ illi præbentur, festinet ad vindictam, & mea Misericordia ipsam cohibeat, propter hominem, quem redemit: ità suo modo tecum agitur, & tuus spiritus, videns malam quorundam dispositionem, dicit intra se: Nolo quidquam loqui. Subitò autem zelus gloriæ Dei, & ingens desiderium salutis animarum te compellit, ut rursum dicas: Debeo loqui, quod intelligo ex meo Deo. Anima, omnia ista injunguntur, ut negotium non evadat deterius, & nè cogar ad puniendum: contineo me, & progredior pedetentim, etiámque te cohibeo, usquedum jam loqui oporteat. Sic fit, Anima, tametsi tu id non percipias, neque ego tibi omnia manifestem, quia sic fieri convenit. Hæc omnia evenerunt meæ animæ agenti cum suo Deo in ista communicatione, qui, propter impenetrabilia, & altissima sua judicia, sit millies benedictus. Amen.

*In Januario anni sexcentesimi vigesimi septimi, quædam à Venerabili Marina annotantur, ex quibus manifestè colligitur humilis timor, quo semper suspicabatur, se parum proficere, agnoscens se dignam omni animadversione, & sic loquitur.*

Feriâ quartâ, peractâ sacrâ Communione, vidi Dominum in mea anima sub speciebus sacramentalibus, & subitò adverti venientes ad me sex Sanctos Angelos. Ijs conspectis cœpi in animo meo dicere: Quid modò volent isti Domini? quidsi venirent, ad me castigandam, propter malam præparationem, quâ suscepi Divinam Majestatem? O quàm bene facerent! Appropinquabant mihi, & ego aliquantùm turbabar. Non erat autem turbatio ità conjuncta timori, ut adferret inquietudinem; sed qualem experior, dum aliquid novi contingit. Videns me Dominus, qui erat intra meum pectus, taliter constitutam, dixit mihi: Noli turbari. Sancti autem illi Angeli accedentes ad Ejusdem Majestatem, séque profundè coram eo inclinantes, audiverunt reverentissimè & attentissimè quod ijs ab ipso dictum fuit. Ego id non intellexi, nec vidi, quonam fuerint profecti: vidi solummodo, quòd accepto mandato se divíserint, ineundo diversas vias. DEUS sit benedictus.

*Notabilius est, quod huic Virgini, mense Martio anni sexcentesimi vigesimi octavi, accidit, & his verbis ab ea refertur.*

Dum magnis cum affectibus orarem, ut me divinæ conformarem voluntati, rogarémque Deum, nè me permitteret errare, atque id tam impensè agerem, ut de-

ficerem viribus, apparuit mihi Sanctus Angelus, qui mihi dixit: Anima, quid habes? cur affligeris, & quid times? Respondi, exponendo illi, quid optarem, ac peterem à Deo; recensui ipsi afflictionem, quam mihi adferebant mei timores, quòd metuerem, nè errarem, ac deciperer in adeò extraordinaria via, qualis est, quâ ducerer à Divina Majestate. Sanctus Angelus me animavit, solatúsque est, ac dixit mihi nomine Dei, me nunquam ab ipsius misericordia deserendam esse, neque Ejus Majestatem à me recessuram; atque in hujus rei signum, adjecit, tibi adfero cimelium, quod tibi mittit magnus Deus noster. Tum exemit ex sinu crucem, quæ magnitudine æquabat palmum, in cujus ovalibus loculamentis, acsi fuisset crux facta pro reponendis in ea sacris reliquijs, erant vivacissimè expressa mysteria Dominicæ Passionis, non tanquam depicta, sed alio modo, quo genuinè repræsentabantur. Erat crux tecta nigro velo, quali tegi solet feriâ sextâ in Paraseeve. Accessit autem ad me iste Sanctus Angelus, & imposuit illam intra meum pectus, cœpítque crux statim in me mirabiliter coruscare, & evibrare ingentes radios. Fui magnopere animata & recreata. Deinde mihi Sanctus Angelus dixit, illud velum esse symbolum angustiæ, quam patior in cruce timorum, relicta mihi à Deo, inter gratias & favores, quos ab illo consequor. Ipse sit benedictus.

Eodem mense, & anno, cùm instanter orarem, atque duo specialiter intensissimo affectu à Deo peterem, eâ tamen mente, quam semper habeo, ut à Divina Majestate fierent, si cederent ad ipsius gloriam, & bonum animarum; audivi Dominum, quasi me vellet consolari & pacare, mihi dicentem: Bene est, Anima, bene est, fiat quod dicis. Hoc audito, me cœperunt mei timores vehementer impetere. Contuli me ad viam ordinariam, quam nos docet fides, rogando Deum magno conatu, & affectu, ut me per suam bonitatem illuminaret, unde assequerer, quo illum cognoscerem, & soli viæ veritatum ipsius insisterem. Tum rursus Divina Majestas mihi dixit: Veni huc Anima, quid times, & quæ est causa tuarum afflictionum? Dic mihi, quæso, si ad te veniret anima ità constituta, sicut est tua, & quæ id haberet, quod tibi dedi, quid illi diceres atque svaderes in hoc tuo præsenti negotio, & alijs hujusmodi? Ego silebam, audito Domino, & non occurebat mihi, quid responderem. Dominus insistebat suæ interrogationi, & compellebat me ad sibi respondendum, inquiens: Dic Anima, responde his, quæ tibi à me dicuntur. Tunc ab ipsomet illuminata respondi: Existimo, mi Deus & mi Domine, me dicturam animæ ità constitutæ, sicut dicis, talem animam, dummodo serio desiderio, & puro affectu ferretur, ad explendam in ijs vijs, & exequendam voluntatem sui Dei, atque alioquin obtemperaret in omnibus suo Confessario, bene ac securè procedere. Bene dixisti, subjunxit Dominus; ideóque te interrogo, quid habeas rationis, ut postquam tibi hoc ipsum dedi, tantopere metuas, quemadmodum metuis? Mi Domine, respondi ego, bene est: verùm si dicam Arbitro meæ conscientiæ: Pater, hoc & hoc mihi dixit Deus, ipse id credet, quia ei videbitur esse verum, eò quòd sibi à me non dicatur mendacium: attamen ego misera timeo, an te intelligam, & noverim, mi Deus. Audi Anima, ajebat denuò Dominus, quando idem quod mihi dicis, aperuisti tuæ conscientiæ Arbitro, qui te tot annis, ac tam bene novit, atque ipsum interrogavisti, quid tibi dixit, & quid tibi respondit? Mi Domine, reposui ego, respondit mihi, se, quanquam mihi crederet, quando illi id dicebam, non hoc tamen solo moveri, sed quòd alias haberet specialissimas, & gravissimas rationes, atque causas, ad intelligendum ac judicandum, Deum esse, qui me alloqueretur, séque mihi communicaret. Ità mi Deus, mihi Arbiter meæ conscientiæ respondit.

Quandoquidem se res sic habet, Anima, concluſit Dominus, atque tu cum omni simplicitate sectaris veritatem, quid times? Bene progrederis Anima, & securè

Ob-

Observa autem, dum putabis, non impleri ad literam, & prout sonabat, quod à me petivisti, sicut in casu præsenti, ubi tibi dixi, ut fiat quod petis, non debes affligi, neque nimiùm timere, vel statim cogitare, fuisse illusionem, id quod audivisti, aut intellexisti; sed credere, concedi tibi, quod petis, quamvis à te non percipiatur: semper enim vis in talibus rebus, ut faciam, quod fuerit expediens ad meam gloriam, & salutem animarum. Judicia mea, & modi, quibus me communico animæ, sunt multi, altissimi, & occultissimi, neque à vobis possunt intelligi, aut penetrari: ac proinde necesse tantùm est in me confidere, qui non possum fallere diligentes me, mihíq; servientes, atque ità pacato esse animo, & in me conquiescere.

Hoc mihi istâ occasione evenit agenti cum DEO, quocirca habui in ipso solatium, & fui confortata, agens illi infinitas gratias, pro ejusdem misericordia. Retuli eventum, ac documentum istud Arbitro meæ conscientiæ, quod is approbavit, dixítque, me bene procedere, & nè mutarem meum spiritum, úrque progrederer, quà me Deus ducebat, & contratium existimarem esse tentationem, ac tanquam tale à me repellerem.

DEus sit in æternum benedictus.

LIBER

# LIBER TERTIUS.

## Felix hujus Virginis obitus, glorioſæ ejuſdem exequiæ, & miracula, quæ DEUS per illam patravit.

COmmunis naturæ humanæ ſolicitudo oritur ex incertitudine, qualem habitura ſit finem, cùm alioquin ſit certiſſima, hunc aliquando adventurum. Quæ vis anima, in qua non omne rationis lumen eſt extinctum, angitur curâ, qualis futura ſit mors, & quomodo fatalem tot, támq; diverſis vitæ caſibus terminum impoſitura. Tota hæc cogitationum caterva equuleus iſte meticuloſarum imaginationum, incomparabiliter vehementiùs torquet animas Chriſtianas, quibus non ſolùm humanæ lumen rationis, verùm etiam lucerna Fidei divinæ magis ſolicitum & anxium reddunt hunc metum, frequentiorem & vigilantiorem excitant hanc reminiſcentiam: Anima Catholica, cui non incutitur timor cogitanti, quale ſit futurum illud momentum, ex quo tota dependet æternitas, vel ferreos habet affectus, vel rationem in abyſſo tenebrarum ſepultam. Quocirca magnus DEUS & Dominus noſter, cujus immenſa clementia nullam noſtram miſeriam cujuſpiam remedij deſtituit ſolatio, nobis in obſcuro tot dubiorum bivio ſemitam reliquit lucidiſſimam, cui inſiſtentes (quanquam non ſemper infallibiliter) plerumque conjicimus, qualis, & quis ſit futurus terminus noſter. Dedit nobis vitam pro indice mortis. Eſt hæc effectus illius; moriemur bene vel malè, prout vixerimus. Qui hactenus heroicas legit virtutes, quibus vitam ſuam noſtra Sancta Virgo Marina adornavit, clarè potuerit colligere, qualis eſſet mortis ipſius futura ſanctitas & felicitas. Hujus triumpho, gloriæ ejuſdem exequiarum, impendetur tertius iſte liber. Addam nonnulla miracula, quæ per hanc ſuam Sponſam patrata fuiſſe à DEO, atteſtantur perſonæ fide dignæ ac juratæ: quibus non adſtruo plus fidei, neque majorem attribuo authoritatem eâ, quam in hujusmodi materiis Chriſtiana expoſcat pietas, & veracitas humana, donec ab infallibili Apoſtolicæ Sedis Romanæ judicio examinentur & approbentur, atque ſic in juſtiſſimo reponantur ſtatu, qui ipſis conveniet.

CAPUT I.

# CAPUT I.

## Nonnullæ revelationes, quas hæc Virgo habuit de suo obitu, postremis vitæ suæ annis.

*IN fine primæ partis hujus historiæ, nobis Venerabilis P. Ludovicus de Ponte scriptas reliquit nonnullas revelationes, quas Venerabilis Marina de suo felici obitu habuit eo tempore, quo dictus Sanctus Pater cum illa est versatus: quomodo nempe in ipso, & in gloriosa ejus sepultura, atque exequijs, conspiciendus esset, loco funebris pompæ, apparatus triumphalis. Quod totum, non ex decem, aut viginti hominum relatione, sed testimonio universæ nobilis, & populosæ civitatis Vallisoletanæ triumphum illum spectantis, fuit ad amussim completum, quemadmodum sequenti capite apparebit. In hoc referam alias revelationes, quas hæc Virgo à Deo habuit postremis novem annis, quibus suo Ven: Conscientiæ arbitro supervixit. In quadã igitur charta, quæ anno sexcentesimo vigesimo sexto decimâ quintâ Januarij, fuit scripta, sic ait.*

Dignatus est mihi Deus, præterlapsis his festis, manifestare magnitudinem eorum mysteriorum, usqueadeo meum spiritum elevando, ut ipso immerso in illud incomprehensibile Esse Dei, penitus mihi fuerim erepta, remanente meo spiritu in ea divina caligine, de qua sum alias locuta. Postquam sic fuissem aliquot diebus constituta, feriâ quintâ manè, decimâ quintâ hujus mensis, mihi Deus spectandam exhibuit meam animam in specie gratiosissimæ aviculæ, quæ svavi & celeri motu descendebat ex cœlo, atque perveniens ad locum, in quo eram, insidénsque meo pectori, defixit rostrum in meo corde cum tanta vehementia, ut ipsum quoque cor carneum senserit dolorem. Hæsit illic modicùm, & subitò me eodem modo arreptam (operante id Deo per suam admirabilem potentiam) sustulit usque ad cœlum, collocando me coram Beatissima Trinitate. Ibi vidi meum corpus exanime, atque tanquam tale expansum in pavimento illius cœli. Interea venerunt quidam Angeli Dei, & cooperuerunt illud panno cæruleo, referto stellis aureis, tantopere collucentibus, ut splendoris repercussus pertingeret usque ad Deum. Meus spiritus in prædicta specie illius gratiosæ aviculæ redijt ad locum, unde venerat, immergens se in abysso incomprehensibili sui Dei. Angeli continuò inceperunt canere quosdam psalmos, & videbantur mihi non esse, qui cani solent in exequijs, sed alij usitati in solennitate & festo.

Expleto hoc officio accesserunt ad me isti mei Domini Angeli, qui mihi semper assistunt, & ablato illo panno me elevaverunt, non omnino, sed ità ut erecta sederem in eodem loco, in quo fueram. Inde me duxerunt ad quendam altum, & splendidum thronum magni & admirabilis pretij, ut cum nulla re hujus mundi possit comparari. Ibi me deprehendi esse vestitam pretiosis ijs ornamentis, quæ aliàs recensui. Tum mea anima, tanquam sibi restituta, advertit, ubinam esset, atque illa pompa me tanto affecit pudore, ut me ex eo throno voluissem præcipitare: siquidem illuminata à Deo clarissimè cognoscebam meam propriam vilitatem, multos meos defectus ac miserias; & comparans hæc omnia cum gloria, in qua præter meum meritum eram constituta, non poteram sustinere tantam discrepantiam. Summus tamen ille Dominus, qui propter tam magnam suam misericordiam beneficia beneficijs accumulabat, ad me venit, & circumdantibus me tribus Divinis Personis, Divinus Spiritus mihi dixit quædam amabilissima verba, attingénsque me suâ potenti manu, acsi demonstraret sacra signa, quæ habeo impressa pedibus, manibus & lateri, ostendebat, sibi ea placere. Verba fuerunt, quæ aliàs retuli: *Tota pulchra es amica mea.* Refero illa cum magnâ mea erubescentia & verecundia, eò quòd

me inveniam indignam tam insigni gratiâ, sítque mea vilitas quasi attonita ob favorem, qui mihi exhibetur ab hac Divinissima Persona, quæ ineffabili charitate se dignatur vocare sponsum animæ tam miserabilis, quàm est mea. Licèt verò hîc pronuntiemus dicta verba, eáque intelligamus, prout sonant, ità nihilominus iste modus, quo à nobis proferuntur ac percipiuntur, differt ab illo, quo pronuntiantur à Divina Majestate, ibíque ab anima intelliguntur, sicut res quæpiam vivens à mortua, ac longè magis. Similiter dum dico, me hac vice fuisse attactam, quod est verum, non tamen est manus carnea, nec illam vidi in tali forma, neque tactus est qualis hîc; sed planè specialissimus ac divinissimus, qui est protsus ineffabilis. Nam revera, licèt, quod dico, sit verum, atque sic evenerit, nullatenus tamen mihi suppetunt verba ad explicandum, quomodo id peragatur.

Fruebar cum tanta svavitate illis admirandis mysterijs, erámque ab ijs adeò abrepta, ut summè optaverim ibi permanere, & non reverti ampliùs ad terram. Verùm vidi, quòd mei Domini Angeli rogaverint Deum, ut ea visio finiretur, útque ipsis daret facultatem reducendi me ad meum locum, & intellexi causam hujus petitionis fuisse, nè debilis natura pateretur incommodum ob vim & vehementiam, quâ anima ad cognitionem & fruitionem illorum bonorum abripitur. Divina tamen Majestas, quæ scit ac potest, dum vult, & quandoque id solet facere, me ibi dignata est diutiùs, absque dispendio naturæ, detinere, donec quidam aër illius cœlestis patriæ (qui se visibilem oculis interioribus exhibet, éstque instar aurei splendoris) fuit condensatus, & coaluit in quandam veluti nubeculam, à qua cooperta & relicta quasi in eo raptu, ab eadem fui aliquamdiu detenta. Et quando inde ad me redij, adverti me esse in meo cubiculo cum meis Dominis Angelis. Sit magnus hic Deus benedictus.

Postea mihi Dominus declaravit, quid significaverit illa figura mei defuncti corporis, dixítque, quòd ante meam mortem essem passura tam magnam ecstasim, ut omnes sint judicaturi, me exspiravisse, licèt revera sim victura: futurum enim, ut ex ea revertar ad me, & paulò post moriar. Hoc ipsum mihi aliàs fuerat à Deo dictum.

Decimâ nonâ deinde, ejusdem mensis, vidi radium lucis, instar pulchri & subtilis fili, qui descendens ex cœlo, atque eo loco, ubi superior pars meæ animæ, quam aliàs dixi permanere absorptam & immersam in eo immenso Esse sui Dei, derepente attigit partem meæ animæ inferiorem, & arreptam sustulit secum ad cœlum, posuítque in conspectu illius gloriæ Dei, & infinitorum bonorum. Licèt verò ego non intelligam sufficienter, quomodo in anima, cùm sit una, reperiantur hæ duæ partes, absque dubio tamen experior hos duos effectus, qui sunt, quòd pars illa superior (agente id DEO) quamvis non comprehendat ea bona, sese tamen suo modo reddat eorundem capacem, & illa cognoscat, videat, ipsíque fruatur: altera verò ista pars non videatur tantum posse, vel scire, ut pertingat ad eorum fruitionem. Quia sicut, dum lux nimiùm appropinquat oculis, excæcantur, & meliùs illam ac svaviùs vident eminus; ità quoque ego experior, quòd secundùm partem hanc inferiorem nequeam percipere, aut videre illa bona cum ea facilitate, svavitate, & oblectatione, quâ secundùm illam superiorem. Dum ità essem constituta, communicavit mihi DEVS quendam radium lucis, quo mihi fulguris instar ostendit, quid sit æternitas, illud semper frui Deo. Hoc fuit ter factum, semper tamen eâ fulguris, ùt dico, brevitate. Nequit ullis verbis explicari, quàm multùm intra tam breve momentum ibi Deus patefaciat animæ. Ipse sit benedictus.

*Priusquam transeamus ad aliam visionem, in qua hæc Virgo pro signo sui vicini obitus accepit eundem diuturnum raptum, de quo hic loquitur, cum alijs gratiosissimis circumstantijs, visum mihi est, hoc loco solvere dubium, quod,*

*quod, ut omnibus istam admirabilem historiam lecturis non occurrat, videtur non posse fieri, & est, quomodo in hac visione, atque alijs multis jam à me perscriptis, hæc Virgo tertiam Personam Beatissimæ Trinitatis, Spiritum Sanctum, appellet nomine sponsi purissimi suæ animæ, cùm tamen in prima parte hujus historiæ tam fusè, & cum tam admirandis circumstantijs recenseat suam castissimam & spiritualissimam desponsationem cum secunda Persona, Verbo Incarnato, vero Deo & Homine, qui est Christus JESUS Dominus noster. Et revera non est dubium tam exigui momenti, ut ipsammet Virginem non reddiderit solicitam: ideóque illi Divina Majestas declaravit mysterium, eámque est solata in ipsius timoribus, quæ omnia nobis ipsa descripsit in brevi schedâ, anno sexcentesimo vigesimo quinto, hisce verbis.*

Vigesimâ octavâ Decembris, ejusdem anni, expendens misericordias mihi à Deo præstitas, & specialiter, quomodo illi fuerim desponsata, dicebam solicita intra me: Cùm Deus sit unus, & una Divinâ Essentia, licèt sit Trinus in Personis, qualiter sunt intelligendæ duæ desponsationes? Prima fuit ante multos dies peracta cum JESU Christo Domino nostro, altera verò postea cum Sacrosancta Persona Spiritûs Sancti: quid est hoc? Dubitabam de isto mysterio, non an verè contigisset, sed quomodo id factum fuerit. Tunc mihi Dominus dixit: Adverte, Anima, an ignoras, quòd Rex plerumque sibi desponsare soleat quampiam Principem per Procuratores, mittátque ipsi cimelia, quæ ab illa suscipiuntur; deinde verò ipsemet se desponset, ineátque matrimonium? Ità igitur tibi suo modo contigit. Inprimis se tibi desponsavit JESUS Christus, tanquam Procuratorem agendo Spiritûs S. Sponsi tui, dedítque tibi cimelia; & postea ipsâ Spiritûs Sancti Persona, velut Sponsus proprius te sibi desponsavit, & in veram suam Sponsam assumpsit, atque exornavit, sicut vidisti.

*Hactenus Venerabilis Marina de præsenti materia. Revertor ad propositum, revelationem videlicet, quam habuit de sua beata morte. Quamvis autem non potuerim determinare sive annum, sive diem certum, quo illa, quam nunc describo, acciderit; ex ordine tamen, quo chartæ sunt numeratæ, intelligo eam accidisse paulò antè, quàm hæc Virgo obierit. Refert ipsa factum his verbis, postquam recensuit quiddam aliud (de quo alibi scribo) quod illi evenit Dominicâ primâ Quadragesimæ.*

Sequenti feriâ sextâ, intenta meæ consvetæ orationi, vidi venientem quasi eminus glorioſissimum Patriarcham S. Benedictum cum comitatu multorum Sanctorum Monachorum sui Ordinis, & Angelorum Dei: qui postquam ad me perveniſſet cum magna majestate, & consediſſet in quadam mystica sella, quam Angeli eâ celeritate & elegantiâ, quæ aliàs à me fuit relata, præparaverant, summam præ se ferens charitatem, mihi dixit: Magnus Deus noster sit tecum, Anima, venio ad te jussu & nomine hujus Domini, propter duas res maximi momenti, quas Deus te vult scire ac nôsse. Prima est, ut ex toto animo, & instantiſſimè petas ab Ejus Majestate, ad majorem ipsius gloriam, bonũ successum electionis, quæ brevi fiet. Jam scis, congregandos in mea Religione paulò pòst meos Monachos ad eligendum caput, ac deinde superiores locales omnium Monasteriorum. Est negotium graviſſimum, magníque intereſt, ut bene peragatur, ad gloriam Dei, & bonum Religionis. Quamvis autem DEO mandante simus Capitulo interfuturi quatuor Patriarchæ (id enim mihi petenti Divina Majestas conceſſit) utpote ego tanquam caput Ordinis, & S. Augustinus, S. Bernardus, atq; S. Dominicus; diabolus tamen, & ipsius confœderati, Deo permittente, & ex arcanis ejusdem Domini judicijs, omnem adhibebunt conatũ ad nocendum; feminabunt venenum discordiæ, ut impediant, nè fiat, quod fieri æquius est & convenientius. Itaq; te rogo, Anima, quàm enixiſſimè possum, per amorem illius Domini Majestatis, quem diligis, & cui servire desideras, ut magnâ spiritûs efficaciâ & intensione, atq; perseverantiſſimè petas ac obtineas bonũ successum, ad ipsius gloriã, & emolumentum Ordinis, in negotio tanti momenti.

Alterum, cujus causâ ad te venio, & quod tibi magnum adferet solatium, est, ut te edoceam, quis sit futurus modus tuæ beatæ mortis, transitus ex hac præsenti vita ad æternam, & possessionem tui DEI. Quapropter tibi dico, hunc transitum brevi futurum, & postquam longo tempore manseris abrepta in Deum. Quando reverteris ex ecstasi, invenies, videbísq; Sanctissimam Virginem in tuo paupere cubicello, & Beatos Patriarchas, S. Ignatium, S. Augustinum, S. Dominicum, S. Franciscum, & me, qui comitabimur Celsissimam Reginam Dominam nostram, etimúsq; tibi viciniſſimi. Aderunt unà multi Angeli Dei, præter illos, quos tibi Divina Majestas attribuit socios. Paulò pòst descendet cum summa pompa Majestas Christi Domini nostri in habitu regio, & gerens coronam in suo sacro capite: atque accedens ad te cum sua magna complacentia, & tuo solatio, complectetur tuam animam, & expoliando te corpore mortali, ac veste veteris Adami, ut te induat veste immortali & pretiosa, te secum, ac in proprijs suis manibus feret ad eam cœlestem patriam, ubi in sempiternum vivimus, sumúsque beati in eodem Deo, comitante ipsum Sanctissimâ ejus Matre, & nobis Patriarchis, aliísq; Sanctis, tuo Angelo Custode, & reliquis antè dictis: atque hunc in modum Divina Majestas te constituet in loco, quem tibi ab æterno destinavit, juxta suam infinitam bonitatem, & merita tua, ac multa, quæ es passa per longævæ tuæ vitæ decursum. Dum hoc fiet, ídque operabitur magnus hic Deus, vehementer mirabitur Aula cœlestis, multísque Deum extollens laudibus, canendo dicet: Quæ est hæc Anima tam felix & beata, quam potens Dominus immensæ Majestatis fert in suis manibus, & in loco tam excelso constituit? Talis erit, Creatura Dei, tuus obitus. Habe solatium in tuo Deo, & age illi infinitas gratias.

His dictis à S. Patriarcha, & à me cum magno solatio auditis, statim assurrexit, & accesserunt ad illum cum magna reverentia Sancti Monachi ejus filij, qui ipsum comitabantur, inter quos unum agnovi, qui hodiéque vivit, atque ornaverunt eum sacro paludamento, & splendidissimâ epomide, insulam quoque imposuerunt in sanctum ipsius caput, & pedum in manum. Postquam autem ante illum collocaverunt mysticam quandam mensam instar altaris, quod construxerunt Angeli, pedúmque porrexerunt Monacho viventi, de quo paulò antè dixi, Sanctus Patriarcha elevavit oculos ad cœlum, & mirabili ac divinâ voce devotissimè præcinuit: *Per omnia sæcula sæculorum.* respondentibus Angelis Dei ibi præsentibus: *Amen.* Prosecutus est Sanctus cætera Præfationis verba, & Sancti Angeli respondebant, donec perveniret ad dicendum ter: *Sanctus.* Tum se omnes humi prostraverunt, ac deinde assurgentes prosecuti sunt reliqua.

Hoc peracto redijt gloriosus Sanctus Benedictus ad suam sedem, & Monachus etiamnum vivens deposuit ex ejus capite insulam, atque Sanctus Patriarcha accessit ad quoddam parvum, sed elegantissimum sacrum Ciborium, indéque cum magna devotione eximens hostiam consecratam, & imponens patenæ, venit ad me cum comitatu omnium illorum Sanctorum Angelorum, posuítque illam ad mea labia, proferens nescio qualia sacra verba, quæ ego non potui percipere: quando autem paulò pòst mihi fui reddita, sensi eosdem affectus & effectus, quos sentire soleo, dum communico sacramentaliter. Sanctus est reversus ad suam sedem, ante quam jam non vidi altare. Inde mihi Sanctus Patriarcha dedit tres benedictiones, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti; atque subjungens: Mane in pace, & in tuo Deo, repetijt cœlum, cum toto illo sancto comitatu. Benedictus sit millies Deus propter misericordias suas, quia mea anima ex hac visione notabile cepit solatium.

CAPUT II.

# CAPUT II.

## Felix hujus Virginis obitus, triumphalis ipsius sepultura, & glorioſæ exequiæ.

GRaviter me contra hiſtoriæ integritatem delinquere exiſtimarem, ſi, quæ in re præſenti evenerunt, meis referrem verbis, qui ijs non adfui, cùm authenticum habeam teſtimonium Patris Michaëlis de Orenja, qui tanquam Confeſſarius hujus Virginis ſemper illi adſtitit, uſque ad extremum vitæ ipſius momentum, & omnia, quæ in ejus exequijs fuerunt acta, ſpectavit. In quadam igitur epiſtola, quæ typis excuſa, fuit in univerſa Hiſpania, & alijs Regnis publicata, ſcripta ad Comitem Ducem de Olivares, Dominum Gaſparem de Guzman, primum tunc Miniſtrum Catholici Monarchæ, ità Pater Orenja dicit.

*Apographum epiſtolæ, quam P. Michaël de Orenja, Rector Collegij Societatis JESU ad S. Ambroſium Valliſoleti, ſcripſit ad Excellentiſſimum Dominum Comitem Ducem, de morte Venerabilis Dominæ Marinæ de Eſcobar, cui fuerat à confeſſionibus.*

IGnoſcat Tua Excellentia, quòd manu lutar alienâ, cùm nequeam propriâ, ad perſcribendum, quid actum fuerit in morte Dominæ Marinæ de Eſcobar. Quia verò Excellentiæ Tuæ tempus non ſuppetit, ad prolixas legendas hiſtorias, paucis hanc perſtringam verbis. Feriâ quintâ, quæ fuit ſolennitas Corporis Chriſti, me contuli ad excipiendam ipſius confeſſionem, ac dicendam illi Miſſam, horâ quartâ & dimidiâ matutinâ, ſicut alijs diebus conſueveram. Atque dum ſuæ mihi conſcientiæ redderet rationem, dixit mihi, viſum à ſe ante duas circiter horas in ſuo cubiculo dæmonem, transfigurantem ſe in perſonam JESU Chriſti Domini noſtri, ſed ſubitò à ſe agnitum fuiſſe. Et ſubjunxit: Metuo, nè mihi quodpiam damnũ intulerit, & ingeſſerit aliquod venenum: ſtatim enim ad me acceſſit meus Sanctus Angelus Cuſtos, & contrectavit manu meam frontem atque caput, quaſi me demulcendo, & applicando mihi quoddam medicamentum. Paulò pòſt vidit deſcendentem ex cœlo JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, ſtipatum multis Angelis, qui apud ipſam manſit, conſolando illam & animando, eámque communicavit ſpiritualiter. Hoc & alia quæ evenerunt, mihi admodum prolixè recenſuit, & ego celebravi Miſſam, ipſíque ſacrum Euchariſtiæ epulum præbui, ac redivi domum; quò non multò pòſt advenerunt illius ſociæ, ad peragendam ſacram confeſſionem & communionem, mihíque dixerunt, me vix ex ejus domo fuiſſe egreſſum, quando ipſarum Dominam vehementiſſimus invaſit dolor lateris, quo graviter affligeretur. Audivi id, licétque fuerim ſuſpicatus, eſſe opus diaboli, non curavi magnopere, eò quòd dolores ipſius eſſent perfrequentes, & valde magna cruciatuum variatio, quos continuè patiebatur.

Dolor iſte duravit eo die, & inceperunt alij pectoris ac ſtomachi, atq; etiamſi ipſam hi vehementer affligerent, graviſſimus tamen oriebatur ex oppreſſione cordis, tantíſque anguſtijs, ut illa, & Medici, etiámque ego, qui ei aſſiſtebam, & ipſius domeſticæ, animadverteremus, illos effectus non poſſe procedere ex cauſa humana: quia nihilominus ipſa ſummè ſemper propendebat, ut conſvetis procederet vijs, uteretúrque remedijs, permiſit ſe curari à Medicis, qui illi applicuerunt remedia, quorum erat capax ipſius debilitas. Sed omnia nihil proderant, quin imò, ſicut ab ipſiſmet notabatur, augebant dolores, qui occupaverunt omnes corporis partes, adeò ut nulla ab ijs eſſet immunis, præter caput, eo loco, quem Sanctus Angelus attrectaverat, præſervando illam partem, ut poſſet proſequi ſuum exercitium præſen-

tiæ Dei, cui continuè inhærebat, & conversationem cum Ejus Majestate & Angelis, beatísque Cœlitibus.

His tam acerbis cruciatibus, tantopere natura debilitabatur, ut Medici judicaverint expedire, ut ipsi conferretur Sanctissimum Sacramentum pro Viatico. Quia tamen eo die manè sacrâ synaxi refecta fuerat, propterea quòd contra communè Ecclesiæ esset usum, bis intra unum diem communicare, feci, ut id differretur in diem sequentem, quo illi dedimus Christum Dominum horâ sextâ matutinâ, allatum ex ipsius Parochia, pro communi exemplo, quamvis quotidie domi suæ communicaverit. Suscepit illum magna cũ quiete, licèt in hac non multò diutiùs permanserit, quàm spatio unius horæ: subitò namque rediverunt dolores, cum ingenti vehementia, eáque tantâ, ut Medici obstupefacti spectaculo, tantùm contraxerint humeros, nullo applicato remedio, & nè verbo dicto. Sociæ quoque, & ego ipsi noctu diúque assistentes, aliud agere non poteramus, quàm lachrymari, eíque compati, præ magno dolore, videntes tam multum sustineri à tam sancta creatura. Interrogabam illam interdum, quomodo internè quoad animam esset constituta, & respondebat mihi: Pater, magnis me Deus exercet obscuritatibus, & derelictionibus; sed fiat in me sanctissima ejus voluntas, veniántque super me, in nomine Domini, omnia tormenta, quæ ipsius bonitas permiserit. Quanquam me vehementer affligit quædam rabies (sic enim loquebatur) quam in me suscitat hostis, ut me magnopere solicitam reddat. Neutrum cessabat, & quamvis ex natura sua esset pacatissima, ac propter suam sanctitatem adeò patiens, ut ob gravissimos dolores (sicut patebit ex eo, quod mox dicam) rarò quereretur; in hoc tamen noctu diúque tam dolenter exclamabat, ut satis appareret vehementia cruciatûs.

Ut verò id aliquâ ratione concipiatur, referam Tuæ Excellentiæ, quod decem abhinc annis evenit, paucis diebus ante obitum Sancti Patris Ludovici de Ponte. Vidit eo tempore dæmonem, qui in horrida specie ad ipsam veniebat obverso dorso, & retrogradè incedens, atque in modica distantia se ad illam convertit, & incredibili celeritate congerens pulverem cubiculi, aperuit ipsius os, illúmque deglutire coëgit: deinde verò eâdem velocitate suppositi ejusdem dorso prunis refertam acerram, quâ se existimabat ab eo esse adustam, & non minus sentire tormentum, quàm si injecta esset in grandem rogum. Ex illo pulvere & calore coaluerunt in ipsius corpore quinque calculi, à quibus paulò minùs quàm quinque mensibus fuit vehementer excruciata. Quamvis autem unicus calculus magnitudine non excedens nucem pineam, aut etiam minor, graves adferat cruciatus, quod multorum docet experientia, & singuli hi calculi, dũ illos ejecit, æquaverint vitellum ovi, omnia nihilominus illa tormenta tamdiu adeò patienter & pacatè sustinuit, ut rarò fuerit audita attollere vocem conquerendo. Hac tamen occasione, quia erat ultima, quam Deus dæmoni indulgebat, quod ipse exoptavit, & illa sibi ab eo frequenter dici audivit, mihíque retulit, usus eâ fuit omnem suam exerendo potentiam, permittente id Deo ad majorem suæ famulæ coronam, & nè illi deesset martyrium, quod ipsa tantopere desideraverat.

Sic fuit constituta usque ad feriam secundam, ante suum obitum, quando mihi horâ primâ noctis dixit, se putare, bonum fore, si sacro oleo ungeretur. Misimus pro eo, & fuit inuncta, sedatis tum per breve tempus doloribus, qui statim cum eadem furia sunt reversi, & eodem ipsius cruciatu ac ejulatu, qui à multis extra cubiculum cum ingenti commiseratione ac dolore auscultantibus fuit auditus, id quod duravit usque ad feriam quartam, horam nonam & dimidiam noctis, quo tempore omnes dolores cessaverunt, potuíque illi nonnulla verba loqui, sed pauca: quia subitò cœpit abripi in ecstasim, quæ ab ea hora perseveravit usque ad feriam quintam, paulò ante horam decimam diei. In his raptibus, & mentis excessibus illi Deus tam singulare præstiterat beneficium, ut licèt intimè esset unita Deo, haberétque subli-

sublimes revelationes & visiones, posset respondere, dum vocaretur, & conversari, si quis tum alloquij causâ ingrederetur, quamvis, ùt ipsa ajebat, id naturæ accideret nonnihil molestum, eò quòd anima eo tempore esset tam abrepta ab amore Dei, ac attenta mysterijs, quæ illi Deus manifestabat, & arcana, quæ ei pandebat. Cúmque ego id scirem, interrogavi illam, præsentibus ipsius sociabus, an meminisset Dei? Respondit mihi valde pacatè & gratiosè, quasi subridendo, dixítque: Quoad hoc bene agitur. Sciebat enim, mihi constare, ipsam à multis annis, nullâ unquam occasione, dum conversaretur cum creaturis, aut pateretur dolores & cruciatus, animæ suæ obtutum à Deo avertisse. Nolui illi plura dicere, quia recordabar, revelatum ipsi fuisse à Deo ante complures annos, & post primam vicem deinde frequentiùs, quòd illi nollet dicere horam mortis, quia id ipsi non expediret, sed daturus esset signum, quòd videlicet ante suam mortem passura esset raptum, & abalienationem à sensibus, duraturam multis horis: solebátque mihi dicere, ut attenderem ad illam revelationem, nè viva sepeliretur. Videns igitur hanc tamdiu durare, judicavi adesse ultimum indiciũ: & quamvis esset quietissima, nec malum haberet pulsum, appropinquare mortem, ac felicem transitum illius animæ, quæ tam impensè Deum amaverat, eique serviverat in vita mortali. Vnde sumpsi in manus sacram Crucifixi effigiem, quam multis annis habuerat ad caput sui lecti, & obversam illius vultui tenui, usque ad dictam propè decimam horam diei (quæ fuit nona Junij.) quâ se modicùm commovens tradidit suum spiritum Deo, à quo ad tantam gloriam condita fuerat, relictâ mihi firmâ spe, quòd implenda esset revelatio, quam Sanctus Pater Ludovicus de Ponte habuit, & illi perscripsit in schedula, dum gravibus pressus doloribus decumberet, ubi hæc ipsũ verba manu suâ exarata, & à se subscripta dicit: Volo tibi pro solatio tuo dicere, quod te hactenus celavi. Esto certa, te ex lecto evolaturam ad cœlum, atque multum tibi (meritorum) superfuturum. Et est revelatiò conformis alijs, quas ipsa quoq; habuit à Sancto Patre nostro Ignatio, & alijs Sanctis Patriarchis, à quibus illi etiam dictum fuit, quòd essent adfuturi in ipsius transitu, cum multis, Angelis, & Animabus beatis, eámque ducturi ad cœlestem Jerosolymam, ubi per omnem æternitatem esset possessura bona, quorum illi aliquam particulam toties Deus ostenderat.

Rescita isthic fuit continuò mors hujus Sanctæ Dominæ, & populus permotus affectu ipsius videndæ, atque exosculandi ejus pedes, tam frequens accurrit ac numerosus, ut, nè se invicem suffocarent, & domus, quæ est exigua ac vetusta, corrueret, fuerit necessarium, ut Dominus Petrus Carilius Collegialis Sanctæ Crucis, Vicesgerens Domini Episcopi, mitteret sex Sacerdotes, qui intentatis pœnis & censuris populum arcerent, ac prohiberent ab ingressu. Verùm cùm id non sufficeret, jussit Magistratus illic propterea adesse Prætores, qui statim advenerunt. Licèt autem noctu diúque assisterent Dominus Joannes Arias de la Rua Judex criminalis, atque Præfectus satellitum Cancellariæ, & Vicegubernator Vrbis, quorũ unus manebat ad januam cum multis apparitoribus, alius ad gradus, & tertius ubi jacebat sacrum corpus, omnes stipati satellitio, nõ poterant tamen multitudinem submovere, ex omni statu Vallisoletanorum magna cum pietate ac devotione accurrentem, tam Religiosorum, quàm secularium, universis sese provolventibus in genua, ad exosculandos ipsius pedes, & petentibus corollas suas precatorias ejusdem manibus applicari. Atque taliter fuit transacta illa dies, & magna pars noctis, usque ad feriæ sextæ horam quintam vespertinam. Quamvis enim copiosa caderet pluvia, madefiebant in platea nolentes recedere, revertentibus semel ac iterum multis è Nobilioribus ad pedum ejus oscula.

Interea Ecclesia Cathedralis, & quidam Capitulares, optantes habere ipsius reliquias, consultaverunt, an adesset aliqua ratio, ob quam sanctum illud corpus possent

possent auferre. Quem ego conatum intelligens egi cum Senatu, ut mihi in casu necessitatis faveret, quò satisfieret Dei, ac defunctæ voluntati, quam ante complures annos declaraverat, ut suũ corpus humaretur in templo Societatis, ubi anima illius ab ipsis infantiæ suæ principijs divina didicit mysteria. Verùm nullis opus fuit suppetijs, aut auxilio Magistratûs. Cùm enim Pater Frater Andreas de Ponte ex Ordine S. Dominici, hanc Dei voluntatem manifestavisset Capitulo & Civitati, postquam ipsum secretò de suo proposito consuluissent, conformaverunt suam cum divina, submissis mihi utrinq; Commissarijs, duobus Præbendatis, & duobus Senatoribus, offerentes se, ad suscipiendam curam omnium, quæ essent agenda, tam in sepultura, quàm in novendialibus exequijs, quas in memoriam hujus sanctæ Concivis celebrare cogitabant. Tanta siquidem fuit devotio, quâ hæc pia Civitas est amplexa istud consilium, ut fuerit uniformis & universalis; atque singulis pro se sortem hujus executionis exoptantibus, & nemine alteri volente cedere, judicatum fuerit, expedire, ut de ea sortirentur, quod & factum est: statimque Civitas jussit fieri tumbam rubro coopertam holoserico, latis fimbrijs aureis exornato, sustultam intus albâ attalicâ, additis sex inauratis seris, quarum claves duæ darentur Capitulo, duæ Civitati, & duæ à nobis servarentur; quod libentissimè admisi, quia securus eram, id non fieri aliâ intentione, quàm ut sanctum illud depositum custodiretur.

Postquam fuit imposita tumbæ, & ex speciali Dei providentia cessavisset pluvia, quæ eousque duraverat copiosa, confluxerunt omnes Ordines Religiosi, Clerus Vrbis, & Capitulum hujus Ecclesiæ, omnésque Confraternitates cum suis labaris, subministrante suis sumptibus ceram Vicecomite de Viloria, quæ non alia fuit quàm candida, cujus quoque coloris cera arsit per integrum novendium. Senatores Vrbis extulerunt corpus suis humeris, & pro populi solatio, qui totus erat effusus in plateas & fenestras, bajulaverunt illud per celebriores vicos, supponentibus humeros alijs ac alijs, eò quòd nemo illius officij pietatis esse vellet expers: cúmque pertigissent ad primam stationem, ubi erant substituri cum sacro corpore, quando collocabatur super mensam, quæ eum in finem erat præparata, tantus fuit populus, qui turmatim accurrit, ad applicandas corollas precatorias & alia, quæ idcircò adferebant, ut à satellitibus abigi baculis non possent. Quare ad evitandum omne infortunium, decretum fuit à Capitulo & Civitate, nè ampliùs subsisteretur: atque ità processerunt per cæteras plateas & forum majus, resonantibus interea omnibus Vrbis campanis, donec pervenirent ad Domum Professam Societatis: ubi jam aderant Prætores, Dominus Petrus Alarcon Ocon, & Dominus Joannes Arias de Rua, ut pararent aditum Ecclesiasticis, & ijs, qui ex his tribus Societatis Domibus convenerant. Equites verò Hospitalis ad Esquevam præstolabantur sacrum corpus. Ibi illud susceperunt, & collocaverunt in tumulo honorario, bene copiosis candelis & facibus instructo. Officium funebre persolvit Ecclesia Cathedralis, assistente solenniter Capitulo & Magistratu, præsentibus multis ex omni conditione: quo finito discesserunt, relicto super tumulum corpore, quia promissum fuerat populo, quòd illo ibidem per biduum, aut triduum esset fruiturus, ut id videre, & suæ posset indulgere devotioni. Ità videlicet honorat, & conspicuos reddit Deus volentes se amore ipsius occultare, & sepelire dum vivunt, uti hæc sancta Domina fecit, quæ triginta annorum spatio, gravissimos tolerando cruciatus, in obscuro carcere latuerat: tale enim erat ipsius cubiculum, ubi nullum aliud conspiciebatur lumen, quàm candelæ, quæ per noctem, & aliquot diei horas ardebat, continuato illic perpetuo miraculo. Siquidem in eodem cubiculo, licèt ibi perageretur, quæcunque exigunt necessitates, quibus humana miseria est subjecta, corpúsque ipsius adeò varijs morbis divexaretur, nunquam animadversus fuit odor adversus, non aliter quàm si in medio esset campi situm, ventis undique pervium.

Elapsi

Elapsâ eâ nocte, postridie sub diluculum matutinum, redivit Dominus Episcopus, qui pridie adfuerat occultus, & existimans difficilem admodum fore sepulturam, si constaret de hora, jussit illam recondi in concamerato repositorio, quod in hunc finem fuerat paratum intra ambitum sumi Altaris. Cùm autem ventum fuisset ad corpus, atq; istud repertum nonnihil malè, præter spem conceptam, olens, & essem hac de re domi meæ ad S. Ambrosium monitus, curavi advocari ipsius socias, quæ composuerant corpus defunctum: cúmq; eæ comparuissent, & illud lustravissent, repererunt, quòd per os magnam egessisset copiam sangvinis & puris, unde scilicet oriebatur ille malus odor: quia ablato eo pure carvit corpus omni graveolentiâ, fuitq; non aliter tractabile, quàm si viveret. Tum apparuit, verum esse, quod mihi dixerat, ingestum sibi absque dubio fuisse aliquod venenum à diabolo: & ex illo provenit apostema, sicut aliàs calculi ex igne & pulveribus; inde quoque cruciatus fuerunt derivati ad reliquas corporis partes, quarum nulla à capite usque deorsum fuit ab ijs immunis. Passa enim illos est vehementissimos in gutture, pectore, stomacho, latere, brachijs, & cruribus ultra omnem modum, ut nemo possit concipere, quid tum fuerit actum, præter nos, qui id spectavimus. Ipse etiam Doctor Cansecus, qui illam curabat, cùm accessisset visurus, an aliquam haberet inflammationẽ in gutture, notavit, odorem oris ipsius in alijs occasionibus defluxionum, ac doloris dentium, fuisse, qualis est corporis sani, & bonæ complexionis: hac verò vice se gravem quendam sensisse odorem, ortum ex apostemate. Et quamvis tum causam non animadverterit, deinde tamen, re meliùs consideratâ & perpensâ, illam agnovit.

Sequenti feriâ tertiâ cœptum est novendium, distributum inter Ordines, Sancti Dominici, S. Francisci, S. Augustini, Carmelitas calceatos, Trinitarios, Mercenarios, Clericos Minores, Societatem, Ecclesiam Cathedralem, & Civitatem. Quamvis verò præteritis diebus magnus fuerit hominum concursus, affluentium ad visitandum sanctum corpus; ab eo tamen die usque ad ultimum, qui fuit abhinc tertius, tam fuerunt conferti, ut, licèt multi rursum abirent, elsétque templum adeò capax, totum tamen à porta usque ad summam Aram impleretur, nullo relicto spatio vacuo, præter illud, quod occupabatur à celebrantibus Missam, cùm etiam, qui possent, conscenderent sedes confessionales, prominentias parietum templi, & subsellia Chori, perseverando ibi à matutino tempore usque ad horam primam pomeridianam, quâ plerumque finiebantur conciones, in quibus multa sunt dicta de ipsius virtutibus, & aliquid de revelationibus, prophetijs ac miraculis. Sed quidquid dictum fuit, ac dicetur in justis funebribus & exequijs, quibus illi quidam seorsim, & Viri Nobiles, atq; Communitates volunt parentare, continuandis à fetia secunda, nihil est comparatione multorum, quæ dici possunt. Duo verò (præter complura miraculosa, quæ deinceps evenerunt) fuerunt in his concursibus animadversa. Vnũ est, quòd ex quo corpus ipsius elatum est ex domo, donec inferretur in templum, nemo sit visus, qui caput cooperuerit. Neq; per totum novendium videre fuit in templo, ab ullo fuisse (*more patrio usitato, dum audiuntur conciones*) appositum pileum, quatuor aut quinq; personis exceptis. Alterum, quòd, licèt in hujusmodi concursibus sæpe videaptur juniores Nobiles, & alij viri advenire, ut confabulentur cum fœminis, etiam dum est expositum Sanctissimum Sacramentum, hac tamen occasione, in tanta multitudine, ac tam numeroso affluxu, nemo virorum sit conspectus, qui fœminam alloqueretur, neque ullus fuerit in templo strepitus, sed altum silentium, acsi longè adessent pauciores. Concludo hoc addito, me à Domino Episcopo, cùm videret universalem populi acclamationem, & aviditatem, quâ omnes aliquid ex rebus hujus Sanctæ volunt & quærunt, idque æstimant & venerantur instar insignium reliquiarum, iteratò fuisse vocatum, eundémq; magnopere instare, ut conficiamus informationes. Cui obsecuturus, ac devotioni Civitatis & Capituli,

pituli, volentium hujus negotij assumere curam, secessi ad duos trésve dies, ut conscribam Interrogatorium. Deus dignetur acceptum habere meum desiderium, & conservet Tuam Excellentiam, cumulando illam suis divinis donis, quæ Eidem semper precor. Vallisoleti, vigesimâ quartâ Junij, anno sexcentesimo trigesimo tertio.

Hæc in sua epistola Pater Michaël de Orenja, ex cujus, & cæterorum, qui adfuerunt, attestatione clarè apparet, verificatum fuisse signum, quod illi DEVS, in duabus revelationibus, præcedenti capite descriptis, & multoties aliàs dederat: quandoquidem postremus iste raptus duodecim propemodum duravit horis, & post illum sibi modicùm restituta, fallendo spē, quæ ex ipsius meliore pulsu concipi poterat, & adstruendo fidem suis revelationibus, tradidit animam illi Domino, qui eam tantâ benedictionum dulcedine, ex quo primùm vitales hausit auras, prævenerat. Quid ipsi in hoc ultimo raptu acciderit, quis conjecturâ poterit assequi? cùm illa id noluerit, aut fortasse non potuerit manifestare. Quid tamen fuerit, saltèm indicavit eâ magnâ quiete & amœnitate, quâ subridendo interrogationi Arbitri suæ conscientiæ respondit. Magna sinè dubio fuit svavitas, quæ serenare potuit illud mare angustiarum, à quo immediatè antè opprimebatur: analecta fuerunt cœlestia, quæ abigere potuerunt dolores, qui vices suppleverunt martyrij, illati à manibus & crudelitate infernalis ministri. Quid metuere poterat, nè assequeretur, quod sperabat, quæ expirando subridet? Sive fuerit sanctus contemptus eorum, quæ hîc deserebat, sive jucundum gaudium ob ea, ad quorum tendebat possessionem, certum est, quòd, quæ prudenti pollens judicio subrisit moriendo, se non senserit aculeo mortis afflictam. Obtusa sunt hujus spicula ad impetendos justos, licèt nihil habeant eximij, & hujusmodi fuerint directa contra pectus Virginis, quam cum adeò inusitato favore toties, & per tot annos, ùt vidimus, divinus amor suarum statuerat scopum sagittarum. Felix vita, quæ ferè tota fuit transacta inter lethales dolores, ut loco afflictionum, quæ mortem solent comitari, cœlestes delibaret delicias, in quarum fonte suam paulò pòst erat sitim sedatura, ità ut spiritus ipsius in æternum conquiesceret, commutando ardorem suorum purissimorum desideriorum, in pacificam & lætam possessionem.

Quomodo verò aliter fieri poterat, si, ùt paulò antè audivimus ex ore Sancti Patriarchæ Benedicti, non fuit falx mortis, sed amplexus Christi in purissima unione, qui purissimam illam animam à suo virgineo corpore separavit? Nequit amara esse mors animæ, quæ à Deo illustrata probabiliter & piè credit, se existere in gratia: quomodo igitur non esset dulcissima illi, quæ tam sublimibus alijs prædita notitijs, non solùm se gratiosam esse judicabat in Divinis oculis, sed etiam inhærere amplexui Principi gratiarum, & quasi jam possidere pretiosissimos ipsius thesauros. Advenit nuptialiter ornatus Divinus noster Agnus, sed, quemadmodum dixit gloriosus Sanctus Benedictus, in habitu regio: forsan ut ostenderet, animam istam non esse ex ijs, quæ communiter proficiscuntur ad cœlum, ut velut pedissequas agant & famulas Divini Sponsi in sancto ipsius palatio, sed unam ex illis sexaginta Reginis, quæ illustri sponsarum gaudentes titulo, comitantur Divinum Salomonem, Duces Divini Chori illum sequentis, & tanquam Phonascæ in virgineo cantico, quod ipsi in eo accinitur. Quâ ratione dubitari potest, quin ascenderit instar Reginæ, quæ in hoc ingressu lectioæ loco usa fuit ipsis Regijs, ac Divinis manibus sui Sponsi? Hoc, prout vidimus, asseruit idem Sanctus Benedictus: atque revelationem quoad ea, quæ nostris mortalibus oculis sunt occulta, veram fuisse, clarè ex eo probatur, quod tam manifestè vidimus completum.

Evola itaque anima felicissima ad locum tuæ quietis, ad thronum tuæ gloriæ, qui nuptiarum tuarum est thalamus; fruere æternùm ijs, quæ tibi immensa DEI liberalitas est elargita, quæ tibi tua merita comparaverunt. Ille fuit certo

certo modo prodigus in donando, ista verè prodigiosa in rependendo. Et quandoquidem mortalis tantam impendisti curam, ut tibi addictis, ac inprimis Catholico Regi Philippo, & universæ ipsius Monarchiæ, atq; specialissimo affectu Hispaniæ tuæ patriæ, procurares gratias; nunc dum jam es glorioſa, tantò ampliùs ab eo illuminata, quem absq; ullo impedimento eorum, quæ patiebaris, cognoscis, exequere efficaciùs & perseverantiùs idem officium fidelissimæ Advocatæ, donec nobis pacem impetres, & felicitatem, quam exoptamus. Ità futurum piè credimus, cùm sis potens apud Deum, qui te usqueadeo amavit: ità nos sperare jubet remuneratio hujus Domini, cui tantopere servivisti.

# CAPUT III.

## Continuatur narratio quarundam circumstantiarum triumphalis ipsius sepulturæ, & glorioſarum exequiarum.

QVamvis nobis P. Michaël de Orenja, referendo felicem hujus Virginis obitum, aliquid insinuaverit de gloria ipsius exequiarum; propter brevitatem tamen promissam in sua epistola, necesse fuit, ut prætermitterentur nonnullæ circumstantiæ, quæ licèt minutæ, sunt scitu dignissimæ. Has & alias auditas in concionibus novendialibus descripsit Dominus Franciscus de Vinjuela, in quadam relatione, quæ typis mandata est pervagata mundum, dedicata Domino Ludovico de Castilia Assessori Consilij, qui tum absens Vallisoleto Gubernatorem agebat Guipuzcoæ. Aponemus hìc illam fideliter, eò quòd omnia, quæ aliunde, & ex ijs, qui adfuerunt, rescivi, exactè cum dicta relatione conveniant, quæ est sequens.

### *Epistola Domini Franciſci de Vinjuela ad Dominum Ludovicum de Caſtilia Aſſeſſorem Conſilij Granatenſis, & Gubernatorem Guipuzcoæ, de morte famulæ Dei, Venerabilis Dominæ Marinæ de Eſcobar.*

NOn miror, propter notitiam, quam Dominatio Tua habuit de rebus Dominæ Marinæ, in Te excitentur desideria sciendi, quid acciderit in ipsius obitu. Tam instanter id à Tua Dominatione requiris, ut judicem mihi incumbere necessitatem exequendi tui mandati. Quanquam ignoſces mihi, quòd me non possim in recensendis, quæ his diebus acta fuerunt, diffundere pro rerum ipsarum exigentia, cùm id integrorum potiùs sit librorum argumentum, quàm adeò brevis epistolæ. Dico igitur, Domine, quòd feriâ quintâ, nonâ hujus, horâ circiter decimâ matutinâ, Deus dignatus fuerit glorioſum imponere finem glorioſæ vitæ Dominæ Marinæ. Ante felicem ipsius transitum, metuens hæc Civitas, nè istius thesauri faceret jacturam, convocavit suum Senatū, ad designandos deputatos, adstituros dispositioni eorum, quæ facere meditabatur in hujus Dominæ honorem. Deputatio fuit prensata ab omnibus Dominis Senatoribus, & cùm nullius affectus cederet affectui alterius, oportuit rem sortibus peragere, quæ obtigerunt Domino Petro de Vega, & Domino Petro de Barcena. Tanta fuit omniū ambitio ad honorem ipsius procurandum. Vix benedicta illius anima est egressa è corpore, quando id toti innotuit Vrbi, quæ universa interno permota impulsu se contulit ad videndum, & venerandum ipsius sacrum corpus. Timuerunt Patres Societatis JESU, in cujus Domo Professa jusserat suum corpus sepeliri, grave aliquod in tam inordinato concursu incommodum, cujus præcavendi causâ Dominus Petrus Catilius, Collegialis Sanctæ Crucis, & Episcopi Vicesgerens ex

ex officio mandavit constitui sex Sacerdotes pro custodia domûs, & sancti corporis: qui non valentes resistere turbæ, recurrerunt ad Prætores, ut se juvarent. Omnes autem simul juncti nequiverunt prohibere aditum impulsibus divinis, quibus se universi agi sentiebant, ad venerandum ejus corpus, & recreandas ipsius aspectu suas animas. Hinc necesse fuit permittere ingressum in paupertinam domum, servato aliquo ordine. Credat mihi Tua Dominatio tanquam testi oculato, nõ unum, sed millena contigisse miracula, quòd non interierint suffocati tot, qui tam angustam habitationem adeò impetuosè intraverunt, dum quisque magni se jacturam thesauri facere putaret, nisi ea illi obtingeret felicitas, ut testem ageret pulchritudinis, quæ huic Sanctæ inerat, post tam diuturnas & extraordinarias afflictiones octoginta propè annorum, quibus vixit. Fuit absque dubio prodigiosa vultûs ipsius venustas, ac teneritudo, seu tractabilitas, unáque fragrantia corporis & manuum: quæ omnia manifestè indicabant ejusdem sanctitatem.

Toto eo die mansit expositus hic thesaurus, & populus nunquam satiabatur illo contemplando; perseveravit ad fores domûs usque ad horam undecimam noctis, quâ fuerunt meliùs obfirmatæ, cùm timeretur, nè everterentur. Custodiverunt ipsum eâ nocte quinque Religiosi Societatis JESU, & Dominus Didacus Calderonius Præfectus Satellitum hujus Cancellariæ. Vix autem illuxit dies, quando matutè adfuit turba, ad videndam Sanctam, hoc enim nomine illã omnes compellant. Satisfactum fuit paulatim tam pijs desiderijs tot integrarum Communitatum Religiosarum, quæ ad pedum ejus oscula advenerunt, unà cum flore totius Vrbis, tam Ecclesiasticorum, quàm secularium, admoventibus omnibus suas cruces, numismata, & corollas precatorias benedictis illius manibus, ac desiderantibus aliquid habere ex ejus vestibus & reliquijs. Plures fuerint decem millibus, quibus janua patuit; reliquis autem est satisfactum promisso, quòd ferenda esset ad sepulchrum discooperta, & palàm omnibus exponenda in templo per triduum. Stratagema hoc fuit sanctum, quo non sunt delusa, sed dilata tantæ multitudinis desideria, quamvis nihilominus ad januam perseveraverit ultra tres horas, quibus copiosus duravit imber. Ecclesiasticus & secularis Magistratus suscepit curam sepulchralis apparatûs. Civitas curavit tumbam, intus albâ suffultam attalicâ, & exterius rubro obductam holoserico fimbrijs prætexto, inauratis munitam seris, & clausam sex clavibus, quarum duæ spectarent ad Civitatem, duæ ad sanctam Ecclesiam, duæ verò ad Patres Societatis: siquidem thesaurus tantopere æstimatus non paucioribus concredebatur pessulis & custodibus.

Convocati fuerunt omnes Ordines Religiosi, Parochiæ, & Confraternitates, ut adessent feriâ sextâ post Vesperas, decimâ hujus mensis: & adfuerunt omnes absque metu incommodorum, in captando honoratiore loco, ardenter exoptantes videre, & venerari tam sanctas Reliquias. Datæ fuerunt omnibus candelæ è cera alba, & hanc, quia sancta fuerat pauper, donavit eleemosynæ loco Vicecomes de Viloria. Toto pomeridiano tempore illius diei cœlum resolvebatur in pluviam, & cùm esset constitutum, ut sepultura differretur in diem sequentem, derepente fuit totum serenatum, prodiítque Sol clarus, quasi cupidus illius spectandæ, quæ tot annis in angulo obscuri cubicelli à videndâ ipsius luce abstinuerat. Quæ res pro cœli favore habita est, ideóque concurrerunt universi ad sepulturæ illius festum: sic ajunt, ante complures menses à Sancta vocatum fuisse istum diem. Civitas, honore semper prosequens suos indigenas sibi hoc die assumere honorem voluit, gestando beatum corpus suis humeris: & quia omnes istius oneris fieri voluerunt participes, fuit decretum, ut per intervalla in aliorum ac aliorum humeros deponeretur. Egressum est ex sua domo cum eo triumpho, ut major his seculis vix fuerit visus. Erat induta veste, quali uti consveverat, antequam affigeretur lecto: habebat solitum

suum

ſuum capitis operimentum, pallium goſſipinum, togam è rudi panno, & ſuperpoſitum ſcapulare, in quo erat expreſſum nomen JESU, à Sancta ſerico citrij coloris, pro hac die, ante quadraginta annos efformatum: & tanto tempore permanſerunt veſtes tam mundæ, quanquam paupertinæ, atque ſi paucis fuiſſent menſibus geſtatæ.

Vt autem ſatisfieret communi deſiderio, deportata fuit per plateam Domicellarum ad fontem regium, proceſsúmque eſt per eam, quæ eſt ſita ad rivum Eſquevam, & aurificum, ac negotiatorum; per forum ſummum, plateam angularem, & Benedictorum, uſque ad templum Societatis. Multi exiſtimaverunt, neque cum exiguo fundamento, Valliſoletum hac occaſione ſolito fuiſſe populoſius: ſiquidem non fuit pergula, feneſtra, aut ſubdiale ambulacrum, unde conſpici poſſet Sancta, ut non replerentur hominibus, qui etiam adeò in plateis erant addenſati, ut difficulter poſſent perrumpi. Quod verò tum maximè ſum miratus, eſt, neminem adfuiſſe niſi detecto capite, quod ipſum accidit in omnibus concurſibus, per novendiales ipſius exequias, & panegyricis de ea habitis concionibus. In quatuor locis plateārum fuerant diſpoſitæ ſtationes, ubi ſacrum corpus erat ſubſtiturum, ut cum omni ſolennitate caneretur Reſponſorium. Primus erat in platea ad Eſquevam: ſed vix fuerat ex humeris depoſitum à Senatoribus, quando confertiſſima confuſi populi turba voluit accedere, ad applicandas ſuas corollas precatorias. Quapropter cùm ſe viderent opprimi, neceſſe ipſis fuit, abruptâ deinceps omni quiete, reſumere corpus, & non dimittere ex ſuis humeris, nè ſimile periculum incurrerent, à quo illos eximere non poterant ſatellites, quantumcunque prompti eſſent, ad arcendam ingentem hominum multitudinem, cùm id, quia erant infiniti, eſſet impoſſibile. Pervenit ad Domum Profeſſorum Societatis JESU, ubi illi ab ijs ſanctis Patribus fuerat extructus tumulus honorarius, eâ gravitate & concinitate, quæ ipſis eſt propria, etiámque circumdatus crate ferreâ, quæ impetuoſos populi impediret aſſultus. Evenit, ut templum ſplendidè eſſet peristromatis conveſtitum pro feſto Sanctiſſimi Sacramenti, quod ibi fuerat celebratum: & quamvis illa Eccleſia ſit ſemper quoddam cœlum, hoc tamen anno, & iſtâ occaſione fuit majore curâ, quàm aliàs antehac, exornata. Hîc illius honori juſta exequiarum ſolenniter peregit Eccleſia Cathedralis, ſuâ adhibitâ muſicâ, & Dominus Decanus ſacro apparatu veſtitus, obivit in hac functione munus Sacerdotis. Occluſum fuit templum reliquæ multitudini, quod, licèt par ſit magnis concurſibus, pro hoc tamen nimis erat anguſtum: ſiquidem à multis fuerunt occupandæ parietum prominentiæ, ut non privarentur aſpectu Sanctæ. Repletum fuit templum Communitatibus Religioſis, & præcipuis è ſtatu tam Eccleſiaſtico, quàm ſeculari hujus Vrbis: nam etiam provectiores ætate, & venerabiliores Prælati Religionum honori ſibi ducebant, aliquid operæ conferre ad ipſius exequias, ac teſtes agere oculatos inuſitatorum affectuum, quos Deus omnium cordibus inſerebat: quæ commotio non erat affectata, ſed dubio procul cœleſtis, eò quòd tam univerſali animorum à Deo impulſorum conſpiratione, omnes optaverint adeſſe teſtimonio tam rari eventûs. Manſit ibi per totam noctem feriæ ſextæ, & Dominus Epiſcopus, ad evitanda majora incommoda, quæ accidere poſſent ex inconſideratione vulgi, ſvaſit Patribus, ut die Sabbathi ſepulturæ mandarent ſanctum corpus, cui Illuſtriſſima Ejuſdem Dominatio adfuit, ſingularia exhibendo indicia venerationis, ac devotionis; atque peracta eſt eâ ſolennitate, quam harum Reliquiarum exigebat æſtimatio. Collocaverunt illam in repoſitorio concamerato intra ambitum ſummi Altaris, ad latus Epiſtolæ, qui locus dicitur fuiſſe deſignatus à Domina Comitiſſa de Fonſaldania, Fundatrice illius templi, ex amore, quo ferebatur erga hanc famulam Dei, & ejuſdem æſtimatione.

Decrevit Civitas ſpectabilem horum dierum celebritatem reddere novendialibus exequijs, quibus ſinguli Religioſi Or-

dines sibi suum sumerent diem, servato ordine suæ antiquitatis, & præstantiores eorundem Concionatores in suis panegyricis publicarent eximias ipsius virtutes. Quod est factum, & incepit sacra Religio S. Dominici, quæ, utpote plurimùm æstimata ac honorata ab hac insigni Matrona, illi pro affectu, quo ab ea semper colebatur, scivit reddere gratias per Patrem Fratrem Franciscum de Peralta. Si namque illustre semper fuit ipsius ingenium, nescio quid illi splendoris procul dubio Deus hoc die addiderit, quo tum gratiosè peroravit, tum totius sui auditorij, quod erat infinitum, sibi conciliavit æstimationem. Sit verò dictum anticipatò, prorsus nunquam auditum, aut visum fuisse talem auditorum concursum, qualis fuit per omnes hos dies: & exaggerationis gratiâ, quæ tamen nullum hîc habere locum potest, sufficiat dicere, nunquam celebrari potuisse Sacrificium Missæ, Ministris suo ordine dispositis, sed innitentibus Altari. Quódque omnem excedit fidem, est, nemini curæ fuisse, quam occuparet sedem aut locum: semper enim decens ac honoratus judicabatur locus, etiam pro magnis Dominis, quisquis inveniretur, unde possent audire hujus Dominæ encomia: quandoquidem insolita erat præoccupatio locorum. Hoc primâ die accidit, quæ fuit feria tertia. Seraphicæ Religioni S. Francisci obtigit feria quarta. Dixit pro concione Pater Frater Bonaventura de Salcedo, primarius hujus Conventûs Concionator. Satisfecit populo, ac debito. Feriâ quintâ secutus est Ordo S. Augustini, & concionatus fuit P. Fr. Joannes de Bonavalle. Feriâ sextâ Conventus Patrum Carmelitanorum calceatorum: dixit Frater Alphonsus Perez. Die Sabbathi Ordo Sanctissimæ Trinitatis, cujus Prælatus Pater Magister Frater Joannes de Avendanjo noluit laudes tam insignis Dominæ alteri committere, & deprædicavit illas cũ insolito applausu, ac præclaro ingenij specimine, quod jure merito omnes magni fecerunt. Sequens dies Dominica, vigesima prima hujus, fuit Conventus Beatæ Mariæ de Mercede, & suggestum conscendit P. Fr. Didacus de Sancta Agatha, Commendator hujus Domûs, cujus consveta eloquentia magnam reddidisset hanc diem, nisi eam virtutum ac elogiorũ Sanctæ argumentũ effecisset maximam. Tantus fuit concursus, & applausus. Collegium Patrum Clericorum Minorũ sibi sumpsit diem sequentem: concionem habuit P. Hieronymus Pardus, miram quoad thema, & res ipsas: auditus est cum gustu universali. Domus Professa, felix hujus thesauri Custos, suam exhibuit gratitudinem feriâ tertiâ, & obvenit Concio P. Michaëli de Sancto Romano, cui, ob magnam cum hac Sancta habitam familiaritatem, brevo est visum tempus, quod horæ spatium excessit, pro heroicis virtutibus, & singularibus prærogativis defunctæ exponendis. Fuit dictio elegantissima, & plena rebus pretiosis, depromptis ex ipsius vita. Bene eventum ominabatur Civitas, quia ad illum audiendum confluxit indicibilis hominum multitudo, adfuítque Consilium Regiæ Cancellariæ hujus Vrbis. Nona & ultima dies feriæ quartæ fuit Illustrissimi Capituli Sanctæ Ecclesiæ, & Magistratûs Nobilissimæ Vrbis. Hi adfuerunt Missæ, & concioni Domini Doctoris Ferdinandi de Bastida: cujus licèt exigua esset corporis valetudo, egregia tamen fuit dicendi gratia, & ingens applausus, quo sunt audita eximia decora, quæ de hac Sancta recensuit.

Ex proposito dicere prætermitto, quid in his concionibus audiverim, siquidem id nec fert epistola, neque patiuntur tempora. Attingam pauca de ipsius virtutibus, ut ex ijs cæterorum colligatur veritas, quæ sunt dicta, præmonendo, me nihil memoraturum, quod ibi non fuerit relatum. Fuit hæc famula Dei oriunda Vallisoleto, filia Doctoris Didaci de Escobar, Professoris in hac Vniversitate Sexti Decretaliũ, ac Dominæ Margaritæ Montanæ Monserratensis, parentum sanctorũ: solebántque nonnulli dicere: Sancta est Domina Marina, sed sanctior ipsius Pater. Puella viginti & duorum mensium novit amare Deum super omnia, accelerato illi usu rationis, ut tempestivè inciperet jacere fundamen-

damenta fabricæ virtutum, quæ tam altè erat exurrectura. In sua juventute optavit fieri Monialis, & discipula Sanctæ Matris Teresiæ, quæ est gloria nostræ Hispaniæ, & expetijt sibi ab ea dari habitum. Intuita est illam Sancta, respondítque ipsi. Vade filia, non debes fieri Monialis, quia Deus magna per te vult agere in angulo tuæ domûs. Insignis prophetia, indicans, qualis fuerit Domina Marina: quæ videns, præclusas esse ex Dei voluntate fores suis desiderijs, non arctavit animum, quin potiùs dilatavit, egítque Monialem in corde, quantùm status ipsius patiebatur, nuncupato perpetuo voto virgineæ castitatis, & paupertatis, atque obedientiæ præstandæ suis Confessarijs, quod per omnem suam vitam exactissimè observavit, nè unquam exorbitaret. Quia verò Deus jam cor illius occupaverat, præbitis indicijs rerum magnarum, quas in ipsa, & per illam erat operaturus, commisit se institutioni, ac directioni Patrum Societatis Jesu, intérque eos Patri Petro de Leon, magnæ virtutis viro. Suscepit hic Sanctus Pater curam expoliendæ istius animæ, quæ intra breve tempus evasit perfecta. Mandavit illi quadam die, ut acceptâ sub brachium scutellâ se conferret, ad capiendum cum cæteris pauperibus cibum, apud januam cujusdam Domûs Religiosæ: ac licèt esset tam spectabilis conditionis, ivit eò semel ac sæpiùs. Cúmque se jam videret esse pauperem, utebatur industriâ petendæ eleemosynæ, quandocunq; advertebat aliquam minùs decentem conversationem virorum & fœminarum, quò accedebat mendicans, & erat adeò importuna, ut ab illis non discederet, donec eam conversationem cogerentur abrumpere. Ità egena Sanctam suam transigebat vitam, non induendo interulam lineam, neque decumbendo in lecto, cujus loco illi per plurimos annos erant fasces sarmentorum. Jejunia ipsius in pane & aqua fuerunt continua, magísque assiduæ flagellationes, quibus sese cruentabat, & cilicia, quæ perpetuò gestabat. De ejus modestia rarum aliquid fuit dictum, & est, quòd sancti Patris Ludovici de Ponte, sui tot annis Confessarij, faciem nunquam fuerit intuita, neq; illum ex visu noverit. Quantum attinet illius patientiam, ea non est summa, quòd triginta annis decubuerit, sustinendo tantos dolores & cruciatus, à Deo immissos vel permissos; sed quòd inter tot ærumnas nunquam sit visa, vultum exhibere minùs serenum, gravem, & modestum, ità ut posset dubitari, patereturne cruciatus, an verò quiete frueretur. Sufficiat ad præsens propositum, quod quadam die dixerat illi, qui id in concione retulit, se nempe sic esse comparatam, ut si Deus ità suo arbitrio permitteret sanitatem & quietem, ut ea sibi non constaret majori labore, quàm extensione manûs, hanc non extenderet. Nam in cœlo, Domine (subjunxerat Sancta) nullæ sunt afflictiones, & oportet nos esse avaros horum cimeliorum mercatores, eadémque copiosè accumulare: ibi enim carissimo venduntur pretio. Fuit ultra modum humilis, suíque ipsius contemptrix, jam inde à sua tenella ætate: tum enim, quando illius amita dicebat ijs, à quibus invisebatur, ipsam esse gratiosam puellam, erubescebat ac vetecundabatur, & finità visitatione flens amitam rogabat, nè talia diceret. Vix verba pronuntiare noverat, quando in corde se ipsam scivit despicere.

Anno hujus seculi decimo quarto prohibita fuerunt Oratoria privata, & ipsa existimavit à se, exiguâ reverentiâ, quam illa suo exhibuisset, Deum fuisse compulsum, ut ederetur illud mandatum: adeò ut eam non possent consolari ipsius Confessarij, securam reddentes, non ità se rem habere. Cùm decumbens in lecto rationem eorum, quæ in illius anima agebantur, reddere deberet suo Confessatio, sancto Patri Ludovico de Ponte, quia alienâ uti manu ad suas res annotandas cogebatur, habebat domi puellas, à quibus conscribebantur. Evenit illi quadam die, ut haberet unam nescientem scribere: jussit ipsam sumere apparatum scriptorium, & puella respondit, se scribendi esse ignaram, cui illa dixit: Scribe, scribe; & scripsit omnia sibi dictata à Sancta. Aliâ quoque vice

idem

idem egit cum alia puella, quæ nec legere, neque scribere noverat. Ambæ etiamnum vivunt in hac Vrbe Moniales, ut nullâ indiguerint aliâ scholâ, in qua suas condiscerent literas; quemadmodum & virtutem, ac studium solitudinis, quibus omnes suâ educatione imbuit. Octodecim ex ijs, quæ ipsi inserviverant, collocavit in statu Religioso: atque licèt omnes essent juvenculæ, & multæ formosæ, nunquam est auditum, aut visum, quidquam ab illis vel apparenter minùs bene actum fuisse, quamdiu in ejus domo manserunt. Quæ specialissima absque dubio fuit providentia Dei, cùm etiam in Monialium claustris, quandoque videre sit, quod in ea paupere domo, delitescente hac Dominâ in lecto, animadversum non fuit. Pro earundem subsidio expendit ultra triginta millia Ducatorum, sibi eleemosynæ nomine oblatorum, ex qua nihil unquam in se ipsam insumpsit.

Domus illius commune fuit pauperum & afflictorum refugium, etiamsi tam ipsa, quàm ejus alumnæ, viverent eleemosynâ; quâ eo anno, quo invaluerat fames, nemini negatâ, ex septem panibus, quorũ quatuor integri dabantur tribus personis pauperibus, vescebantur domestici, unáque omnibus egenis eleemosynam petentibus elargiebantur, obstupescentibus alumnis, tantum panis erogari, nec tamen deficere diurnum dimensum, quod ordinariè erat exiguum, multiplicante panem manifestè DEO, ut nescienti negare eleemosynam non deesset, quod ad fores ipsius adventantibus impertiretur. Paupertas ipsius omnes rapuit in admirationẽ, qui eam intellexerunt; & si acceptavit eleemosynas, id fecit ad succurrendum pauperibus. Voluit namque Deus uti amore, quo ipsam omnes prosequebantur, ut, dum illi subveniretur, quæ oblatam eleemosynam non erat in se impensura, eadem ab ipsa dispensata cederet in subsidium omnium egenorum. In lectulo cortinis carente triginta annis decubuit, plena morbis ac doloribus, & nullum in suo sancto corpore unquam sensit vulnus, aut livorem. Dum nonnisi elapsis octo mensibus mutari consveviſſent lodices, eò quòd ipsi permolesta accideret lecti compositio, tam mundæ inveniebantur, nitidæ, benéque olentes, quàm erant, quando primùm fuerunt instratæ. Quamvis illi frequenter applicarentur quædam medicamenta, perliniretur oleis & ungventis, cubicellum ipsius esset angustum & obscurum, clausæque manerent fenestræ, quòd vehementer affligeretur à lumine, nullâ unquam seu diei, seu noctis horâ fuit in eo odor, qui nõ esset gratissimus: & si hæc veritas non fuisset comprobata tam diuturnâ atque explorata experientiâ, videretur res impossibilis.

Magnus ille hujus sanctæ Dominæ Pater spiritualis Ludovicus de Ponte, vicinus suæ morti dixit: Quid in Dominæ Marinæ obitu sit eventurum, ignoro; verùm quæ in vita ipsius contigerunt, sunt ex rarissimis, quæ acciderunt in Ecclesia Dei. Dictum fuit quiddam singulare, quanti magnus hic vir æstimaverit hanc Dominam, quòd nempe ipso die sui obitûs, cùm huic jam esset proximus, ut destitueretur usu lingvæ, videns ingredientem in suum cubiculum quendam Religiosum, solitum conscribere res hujus Sanctæ, resumpserit vocem, ipsúmque advocaverit, & jusserit accipere necessaria ad scribendum, atque chartas, quas de hoc argumento habebat conscriptas, eíq; dictaverit nonnulla adhuc adscribenda, & hoc facto se converterit ad Deum, ac dixerit: *Jam, Domine, obligationi meæ satisfeci. In manus tuas commendo spiritum meum*; defecerítque ipsum loquela, & brevì expiraverit, ità indicando, quòd existimaverit sui esse muneris, non omittere, quidquid sciret scribendum, & præclaram pro sua tam propinqua morte fore dispositionem, si ista scriberentur. Hoc factum stupore replevit totum auditorium, novámque istius sanctæ Dominæ excitavit venerationem: est enim extraordinaria illa, quâ in hac Vrbe colitur Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui eodem natus est anno, quo Domina Marina, & frequentaverunt unà ludum literarium. Eo vitâ functo curam illius gesserunt P. Michaël de Orenja Societatis Jesu, Rector Collegij S. Ambrosij, ipsius

Con-

Confessarius, & Pater Frater Andreas de Ponte, ex sacro Ordine Prædicatorum, ac Sancti Patris Ludovici de Ponte frater germanus: hos enim duos fratres singulariter suspexit, & erga duos istos Ordines inexplicabili ferebatur amore, atque devotione erga Sanctos eorundem Fundatores, de quibus multa fuerunt narrata, quomodo vicissim illi fuerint addicti, séque exhibuerint faventes, ad speciale animæ ipsius emolumentum. Magnificè ab uno è Concionatoribus fuit appellata *Theatrum Divinorum*, quod Dionysius dixit de Hierotheo, theatrum, in quo Divina fuerunt repræsentata & mirabilia. Hujusmodi sunt, quæ in hac benedicta anima fuisse acta dixerunt, commemorando favores Christi Domini, & Sanctissimæ ipsius Genitricis, atque glorioſi S. Joachimi, quem specialiter colebat, & cujus Officium in Ecclesia publicari procuravit; nec non Sanctorum Patriarcharum Ordinum Religiosorum, præsertim S. Dominici, & S. Ignatij, qui de rebus cœlestibus ac divinis ad illam sermones habuerunt.

Adstiterunt ipsi continuè in ejus cubiculo, per multos annos, undecim Angeli. Ponderata fuerunt illius miracula, quæ in vita acciderunt & in morte, prophetiæ, ecstases, virtures precatoriarum ipsius corollarum, & globulorum, crucum, ac numismatum. Dixerunt, sublignatum illi fuisse à Christo Domino quoddam scriptum, quòd ipsam nunquam esset deserturus, semperque ipsius esset futura; datam ab eodem schedam puram, quâ se obstrinxerit ad omnia concedenda, quæ esset petitura; desponsatam fuisse à Spiritu Sancto, de qua desponsatione mira fuerunt dicta; vidisse illam in suo corde aureis literis inscripta ista verba: *Hic habitat JESUS*, in eodémque dormientem parvulũ JESUM, tanquam in lecto suæ quietis; accepisse ab eo linteum, quod asservatur ad S. Paulum, ut eo sudorem ex quodam amoris sui incendio ortũ abstergeret; fuisse ab Angelis exornatam varijs cimelijs, & à Sanctissima Virgine ipsi oblatum infantem JESUM tanquam recèns natum, atque à Sancto Petro claves cœli, & in hoc assiduam fuisse ejus conversationem, de cujus dispositione & locis tam promptam habuerit notitiam, quàm de suppellectili suæ domús; & potuisse ipsam tam facilè videre, quæcunque ibi agerentur, quàm facilè sit prospicere per fenestram, ad videndum, quid agatur in platea: atque licèt frueretur tam admirabili conversatione cœlesti, obtineret omnes illas visiones & apparitiones, quibus illam Deus dignabatur; habuisse tamen externos sensus, & potentiam imaginativam adeò expeditã, ut simul operam daret exequendis negotijs exterioribus: fundatum ab ipsa fuisse Ordinem S. Birgittæ in Hispania, cui præscripserit constitutiones ac regulas, quæ confirmatæ à Summo Pontifice anno vigesimo nono, extent in Collegio Sancti Ambrosij.

Fundavit Deus dona & favores, quibus famulam suam cumulavit, non solùm in benigna sua munificentia, sed etiam in continuis ipsius & eximijs meritis, quæ consequebatur tolerando exquisitissimas & insolitas afflictiones, quibus pares nusquam leguntur in historijs tam sacris, quàm profanis. Passa est continuos morbos, dolores, & cruciatus in suo corpore; dubia, timores, obscuritates ac derelictiones in sua anima, cujus virtuti magis cruentas Deus confidit pugnas, quàm Jobo, quandoquidem diabolus etiam vitam illi abstulit, cui id ad ipsius confusionem Deus indulsit. Exercuit ipsam aliquando per integram noctem, assando illam in veru ad ingentem ignem; crucifixit instar Christi Domini; confixit sagittis instar Sancti Sebastiani; & instar Sancti Laurentij superposuit craticulæ. Sustinuit rotam novaculis horridam Sanctæ Catharinæ Martyris, atque coronam spineam Senensis, & varijs vicibus pro animabus Purgatorij, ejusdem pœnas ac tormenta. Tot denique res, ac adeò ratæ & exquisitæ sunt dictæ, ut eas nec ego referre possim, neque capiat epistola, quas ideirco relinquo libris, qui de his suo tempore publicabuntur.

Istis diebus celebriores à seculis non fuerunt, & necdum illos terminari per-

mittit devotio ac affectus, quem Deus omnibus indidit. Siquidem feriâ secundâ, vigesimâ septimâ hujus, exequias celebravit Collegium Sancti Ambrosij in hac Vrbe Patrum Societatis JESU, domus specialiter huic Sanctæ chara, eò quòd servaret corpus Sancti Patris Ludovici de Ponte. Dixit pro concione Pater Didacus Baëza, qui, utpote Pater ac Magister Concionatorũ præsentis ætatis, excelluit subtilitate, & animadversionibus ad stupendam ipsius vitam, adaptatis Evangelio, quod Ecclesia canit pro defunctis. Concurrit universa Civitas, quemadmodum primis diebus: fuit elegans peroratio, & quæ novam suscitavit devotionem ac veneretionem erga sanctitatem hujus Dominæ. Sequens feria tertia, vigesima octava hujus, fuit Nobilium istius Urbis, qui non contenti, quòd omnium dierum auditorium suâ illustraverint præsentiâ, hunc esse voluerunt proprium, ut tunc devotum suum erga Sanctam demonstrarent affectum, per Patrem Joannem Fernandez de Saavedra, Concionatorem Domûs Professæ Societatis JESU: & procul dubio magnum oportebat esse affluxum, tum quòd foret dies consecratus à Nobilitate, tum propter æstimationem ac dotes dicentis, quæ sunt eximiæ & præclaræ, qualis fuit etiam dictio plena admirandis rebus, de vita, virtutibus & miraculis Dominæ Marinæ. Feriâ quintâ, trigesimâ hujus, finem solennitatibus in Domo Professa imposuit devotio multorum Illustrium Civium, qui solennissimas instituerunt exequias, ubi de vita Sanctæ panegyricam dixit Pater Magister Frater Placidus de Agvilar, ex sacro Ordine de Mercede. Fuit Concio admirabilis à facundia, ingenio, acumine & gratiâ, quâ recensuit, & expendit tot eventus vitæ & mortis hujus Venerabilis Matronæ. Heri feriâ secundâ celebratæ sunt exequiæ ab insigni Conventu Sancti Pauli, sacri Ordinis Sancti Dominici, qui non satis habens, quòd primus dies ipsius fuerit, in Domo Professorum Societatis JESU, domi quoque suæ voluit iteratò solennem exhibere gratitudinem, quam Sancta illius Religio debet Sanctæ, eò quòd hæc vivens eximio illam fuerit prosecuta honore, & singularem erga ipsam habuerit confidentiam, magníque eandem fecerit. Hoc die vastum ejus templum Sancti Pauli tota occupavit Nobilitas, & Ordines Religiosi, cum innumera multitudine. Concionatus est Pater Magister Navarete, quia Sancti illi Patres ostendere voluerunt, magnum esse istum diem, & hoc festum, cùm nobis concesserint præcipuum Divini verbi præconem, quem universus Orbis, propter ipsius scripta, totúsque ejusdem Ordo, propter grandem zelum, plurimùm veneratur. Confirmavit singulari gravitate, & efficaciâ discursuum deprædicatam à Concionatoribus, qui illum præcesserunt, veritatem, ac addidit quædam specialissima de ipsius vita, miraculis, & prophetijs. Tumulus honoratius fuit elegantissimus, refertus floribus & coronis, atque in eo collocata effigies Sanctæ, cujus conspectus ad magnam omnes permovit reverentiam, & ingenti affecit solatio: atque tum clarè apparuit, quàm meritò in sua Concione dixerit Pater Didacus Baëza, magnum esse indicium sanctitatis Dominæ Marinæ, eò quòd in ea asserenda specialibus convenerint affectibus Patres Dominicani, & Patres Societatis JESU: cùm, etiamsi in alijs adeò sint differentes ipsorum sententiæ, non tamen discrepaverint, imò summè fuerint uniti & concordes, in perhibendo vero testimonio, quòd fuerit spiritus DEI, qui in illa tam admiranda est operatus. Ipse sit benedictus in Sanctis suis, & conservet Tuam Dominationem, quemadmodum exopto. Vallisoleti quintâ Julij, Anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo tertio.

In hac epistola Domini Francisci de Vinjuela, hoc solùm est notandum: licèt verum sit, depositam esse intra concameratum loculamentum ad latus Epistolæ, ùt ipse dicit; non tamen istum fuisse sepulchri ejus locum, quem ipsa ex Divina revelatione prævideràt, sed

sed latus dextrum Evangelij, prout nobis scriptum reliquit Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte in fine primæ partis. Unde post septendecim annos illi fuit in parte dextra Altaris Domûs nostræ formata decens urna, & in ea sunt collocatæ sacræ ejusdem Reliquiæ (dempto uno brachio, quod, pro solatio filiarum ipsius, fuit datum Regio Conventui S. Birgittæ) ubi expectantes ultimum diem suæ glorioſæ resurrectionis requiescunt in Domino: quibus is honor, quem pietas præsentis statûs patitur, à tota illa defertur Vrbe, quæ fuit felix ipsius patria.

# CAPUT IV.

## Quid authentici, & omni fide digni testes juraverint, de heroicis hujus Virginis virtutibus.

QVamvis Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte specialiter initio historiæ hujus Virginis, ac deinceps per totum ejusdem decursum, nobis virtutes ipsius descripserit, tanquam securum fundamentum ædificij cœlestium favorum, & aliorum singularium donorum, quæ Deus illi superstruxit; atque testis adeò omni exceptione major sufficeret, ut ab ijs, qui, seu quòd ipsum noverint, seu propter ejusdem lecta à se opera, illum dignè æstimaverint, fidem suâ assertione obtineret adhibendam omnibus, quæ de hac Virgine scripsit: tametsi etiam ex ipsismet chartis, in quibus hæc serva Dei nobis refert gratias, quas à Divina suscepit manu, satis clarè intelligantur, animi demissio, charitas, patientia, & puritas vitæ, quâ se ad eas promerendas disponebat; quia quantumcunque solicitè se in illis conetur, usque ad sui annihilationem, extenuare, hoc ipso tamen clariùs animæ suæ sanctitatem, sinceriſſimam sui spiritûs veritatem comprobat: nihilominus pro tot devotarum animarum, hodiéque Virgini isti addictarum, consolatione; pro exemplo volentium ipsam imitari, ad magnam Dei nostri gloriam (qui, licèt se liberalem, toties illam per se, per suos Angelos & Sanctos visitando, exhibuerit; sinè comparatione tamen liberalior fuit in solidis virtutibus, quas ipsi in eminentiſſimo gradu conceſſit) existimavi, esse conveniens, etiámque necessarium, hîc aliquid referre ex multis, quæ de his scripta reperio in authenticis informationibus, quas in manibus meis habeo, eo fine, ut ad sacram Congregationem Rituum, pro canonizatione hujus Virginis promovenda, mitterentur, confectis à Domino Gregorio de Pedrosa, Episcopo Vallisoletano, & alijs Illustriſſimis Hiſpaniæ Prælatis, canonicè citantibus ad hunc effectum plures quàm quadraginta omni fide digniſſimos testes; eò quòd plerique illorum sint sanctitate, literis, ac nobilitate insignes, omnésque propemodum vel familiariter versati fuerint cum Sancta Virgine, vel sufficientiſſimam virtutum ipsius habuerint notitiam.

Pater Frater Andreas de Ponte ex Ordine S. Dominici, vir eximiæ sanctitatis, quod novit Hiſpania, & qui diutiùs quàm triginta sex annorum spatio familiariſſimè cum hac Virgine egit, ejusdémque etiam sacramentales excepit confessiones, juratus asserit, eam semper à se habitam fuisse pro muliere virtutis heroicæ, ac digna, quæ compararetur omnibus Sanctis antiquis, quorum historiæ ab Ecclesia celebrantur. Id ipsum jurat P. Michaël de Orenja, qui nempe tot annis spiritû ipsius examinavit, & similem illam fecit non qualibuscunque Sanctis, sed ijs, qui specialiter in Dei obsequio eminuerunt. Pariter juraverunt omnes sociæ, quæ sanctæ Virgini convixerunt, tam eæ, quæ adfuerunt ipsius morti, quàm illæ, quas vivens aggregavit diversis Monasterijs, ubi sanctâ suâ conversatione abunde confirmant, in quali schola fuerint eruditæ. Prætermissis verò alijs Religiosis, qui ex diversis Ordinibus sunt conversati cum Venerabili Ma-

rina, & cum speciali consideratione affirmant jurati, semper à se excellentes ipsius virtutes singulariter fuisse æstimatas, dicam solùm hoc capite seorsim, quid nonnullæ, sangvine, publicis muneribus, & pietate Illustrissimæ Personæ juraverint, quanti fecerint sanctitatem, quam in hac Virgine perpetuò agnoverunt.

Excellentissimus Dominus Alphonsus Pimentel, Comes de Benavente, cujus Christianos mores perspectos habet mundus, & ego describere supersedeo, nè erubescere faciam ipsius modestiam, jurat in sua attestatione, se in hac Virgine expertum fuisse magnam omnium virtutũ perfectionem, & cùm eam inviseret, atque in omnibus adversis temporalibus eventibus, & in summis spiritualibus animæ suæ angustijs ac luctis consuleret, semper apud ipsam reperisse magni solatij, & præclaræ prudentiæ monita & consilia, sibique tam bene convenientia, ut nullâ ratione ab illius jussis recederet, ac specialem ex ejusdem visitatione consolationem, & singulares effectus perciperet: séque ex ipsius præsentia solitum fuisse exardescere in magnum amorem castitatis, & gratias agere Deo, quòd tantam huic Virgini conluisset puritatem, ut ipsam intuendo delibaret istius virtutis delicias. Testatur præterea, se, quotiescunque illam videret, specialissimos alios sensisse motus, quibus incitabatur ad singularem reverentiam erga Sanctam, ac attentionem: & ingressũ ad ipsam esse expertum specialem affectũ ad honorandos tot Angelos, illi (sicut dici audiverat) assistentes: quodsi interdum intrando hujus venerationis debitæ ijs cælestibus spiritibus oblivisceretur, statim suum intellectum fuisse internè permotum, ut recordaretur, quid sibi esset agendum; atq; obstupuisse ob profundissimam animi demissionem, quâ hæc Virgo mirabatur, quòd ipse eam domum dignaretur ingredi.

Illustrissimus Dominus Franciscus Calderon & Vargas, Comes Olivæ, Marchio Septem Ecclesiarum, in suo jurato testimonio inter alia dicit, se, ac suum Dominum Parentem, & Avum, familiarissimè, atq; per multos annos egisse cum hac magna Dei serva; & ab omnibus in tanto fuisse honore habitam, ac æstimatam raram ipsius virtutem, & supernaturales dotes, ut nihil agerent, quod cum ea non conferrent, & illius precibus non commendarent: usqueadeo ut, paulò antè quàm esset comprehensus suus Parens, quamvis illi certò constaret, negotia sua in malo statu versari, sèque comprehendendum esse, id dixerit Sanctæ, ipsámque interrogaverit, quid sibi facto opus esset; illâ verò respondente, ut, si cuperet bonum suæ animæ, nihil ageret, propter suam magnam fiduciam, quâ erga eam ferebatur, penitus conquieverit, & expectaverit incarcerationem. Addit dictus Dominus, quòd in illa semper suspexerit summam cautelam, nè sua verba apparerent affectata (dicere volebat, talia, quibus jactaret mysteria) atque id sibi fuisse, & esse unum è maximis sanctitatis ipsius indicijs, cùm omnia in ea reperiantur & concurrant, quæ sunt necessaria, ut prudenter judicetur, magnam extitisse. Concludit post multa alia, de quibus suis locis mentionem faciemus, tantopere à se hanc Sanctam viventem fuisse honoratam, ut intrando illius cubiculum nunquam caput cooperuerit, neque, ut id faceret, sibi in mentem venisse, quòd pileum adferret. Qui eximiam novit prudentiam, & alias laujus Domini dotes, advertet, quanti ipsius testimonium sit faciendum. Neq; verò ego quidquam eorum perscrutabor, quæ enarrabo: id namque esset injuriâ afficere tam spectatos testes, & historia diffunderetur in folia, quam soli fructus omnibus reddunt numeris absolutam.

Illustrissimus Dominus Franciscus de Guzman, Vicecomes Villoriæ, postquam multa retulisset, quæ, cum hac Virgine conversando, de heroicis ipsius virtutibus adnotaverat, concludit suum juratum testimonium dicens: constare sibi, communem de hac famula Dei opinionem esse, quòd maxima sit Sancta, ac tanquam de tali omnes loqui, dum quærunt, & venerantur quidlibet è rebus illius instar reliquiarum magnæ Sanctæ: & multos reve-

ritos

ritos fuisse, ac specialiter veneratos domũ, in qua felicissima ista Domina vixit, transeundo plateam, ubi sita erat, dum adhuc viveret, idémque nunc facere postquam obivit, æstimantes dictam domum, tanquam magnum Sanctuarium.

Illustrissimus Dominus Josephus Gonzalez, Eques Ordinis S. Jacobi, ex Consiliarijs Regiæ Majestatis in Consilio Castellæ, & Cameræ, æstimatissimus in Hispania ob suam insignem doctrinam, multùm egit cum hac Domina vivens Vallisoleti, & jurat de illa sequentem in modũ: Novi Dominam Marinam de Escobar, jam inde à viginti annis habitam fuisse pro Sancta, sicuti dum est mortua, qualem ego esse semper judicavi. Et addit, se in illa, frequenter cum ea conversando, vidisse & cognovisse, quòd omnia ejus exteriora essent clarum speculum, in quo magni relucerent splendores, & sanctitas ipsius animæ.

Dominus Joannes Arias de Rua, ex Consilio Regiæ Majestatis, ejusdémq; Judex criminalis in Cancellaria Regia Vallisoleti, post multa gravissimis verbis asserta de ijs, quæ ipsemet sentiebat, & expertus erat, concernentia admirandas hujus Virginis virtutes, quas existimabat esse tales, ut excederent omnia, quæ de ipsius sanctitate dicebantur, quamvis tam multa dicerentur, subjungit sequentia: Scio, transeuntes plateam, in qua vixit ac obijt famula Dei, solitos fuisse detegere caput, eandémque venerari instar Sanctuarij; & tam ex hac Urbe, quàm ex vicinis oppidis multos homines accurrere, ad invisendum cum magna devotione ac reverentia ipsius sepulchrum, eò quòd ab omnibus habeatur pro Sancta: atque ego illam pro tali habeo, & procuravi quasdam ipsius res, quas magna cum veneratione asservo; multíque tam hinc, quàm Madrito illas à me petunt, & petiverunt, magno affectu eas habere exoptantes.

His, quæ tam conspicui testes juraverunt, multi alij consentiunt, & quod attinet venerationem, quâ tanquam Sancta ab omnibus suspiciebatur, qui cum illa sunt versati, solùm referre volo pijssima verba, quæ in suo testimonio ponit quidam testis, nomine Æmilianus de Zupide, qui post fusè enarrata, quæ est expertus de virtutibus hujus Sanctæ, ità ait: Quando ingrediebar ipsius cubiculum, jubebat mihi Venerabilis & sancta Domina afferri sedem, ego verò illam nunquam acceptavi, quamvis me urgeret, sed procubui in genua, & venerabundus, acsi loquerer cum creatura plusquàm humana, acclinatus lecto Sanctæ, ipsam alloquebar. Cætera, quæ addit, referentur suis locis. Tantùm moneo, dictum testem tam honoratam fuisse personam, quàm omnibus constat, à secretis Cameræ Judiciariæ Biscajæ, in Regia Cancellaria Vallisoleti, ubi aliquot annis familiariter egit cum hac serva DEI.

## CAPUT V.

### Insinuatur aliquid distinctiùs de virtutum ipsius exercitio.

DEscendendo ab ista quasi generica idea, quam nobis fide dignissimi testes, de eximijs hujus Matronæ virtutibus, adumbrârunt, jam videamus, quid nobis distinctè recenseant, qualiter omnes exercuerit, & exordiamur ab eo, quod nobis referunt de afflictione corporis (quã communiter pœnitentiam vocamus) quâ suam carnem maceravit, ac disposuit, ut aptissimũ sui spiritûs evaderet instrumentum. Non solet Dominus Deus, cui tantopere placuerunt afflictiones, cruciatus & vulnera corporis Filij ipsius CHRISTI JESU, pretiosissimum donorum suorum balsamũ infundere animæ recluſæ in corpore delicato: monstri instar est coram

oculis Dei, si membra non sint similia capiti; atque dum Redemptor est coopertus spinis, ij, qui sunt redempti, effæminatè torpescant inter rosas. In gratissimo Ecclesiæ horto (ad confusionem impij hæretici, cujus unicum studium est, fovere suam carnem) nescit lilium sanctæ vitæ conservare intactum suum candorem, nisi circumdatum sit vepribus, quibus pungatur; neque anima pura novit præstantius balneum eo, quod illi præbet sangvis per pœnitentias dilaniati, propter suum dilectum, corporis.

Istarum usus proportionatus in hac Virgine cœpit jam inde ferè à secundo tenellæ ipsius ætatis anno (multi namque testes, & cum bono fundamento, asserunt, acceleratum illi fuisse usum rationis, dum esset viginti duorum mensium) atque continuavit affligere suum corpus, toto minimùm tempore, quo fracta ipsius duravit valetudo, & quoadusque ipsi Deus immisit morbos, quos omnes vidimus, ac voluntarias afflictiones mutavit in dolores longè magis penetrativos & acutos, quibus ab eo expoliebatur. Quamdiu verò potuit, insolito se exercuit rigore vigiliarum, jejuniorum, ciliciorum asperrimorum, multarum flagellationum ad profusionem usque sangvinis, & rerum hujusmodi, utì erat, imponere aliquid calceis, quo continuè pedes divexarentur. Erat naturæ sangvineæ & ardentissimæ, plerumq; indigebat copiosiore aquâ, & hunc appetitum domabat, seu, quod certius est, ità hanc indigentiam defraudabat, ut multos consequenter dies summa cum molestia transigeret, nè guttam bibendo. Interula linea (quam, ut suos falleret parentes ac sorores, induebat) illi tantummodo fuit velum ac tegumentum asperrimæ tunicæ è rudi panno, quæ à pectore usque ad pedes nudæ adhærens carni, virgineum ipsius corpus discruciabat.

Diu abstinuit ab esu carnis & piscium, ac ab omnibus, quæ palato arriderent, atque eo utens prætextu, quòd mensæ suorum parentum assidens cibos numerosæ familiæ distribuens, poterat, alijs minimè observantibus, nullo unquam degustato frequenter jejunare. Exibat postea coopertâ facie ad vestibula Monasteriorum, immiscens se pauperibus, quibus meliora dabat ex ijs, quæ ei obvenerant, & quandoque ab illis ipsis contemptui habebatur, quibus gratificabatur: retinebat quosdam solùm bolos minùs appetibiles, quos libentiùs sumebat, asserens sibi eos esse instar sacrarum reliquiarum. Erat ex natura sua modici somni, & quædam socia illius jurat, auditam à se fuisse eandem Virginem, dum necessariâ aliquâ occasione diceret, quòd in ætate puellari multas horas continuas exegerit in oratione flexis genibus, ità ut se loco non moveret. Lecti deinde deliciæ erant asperæ sarmenta, donec eam Confessarius, visis illius morbis, jussit mutare modum cubandi, & relinquere sarmenta, ac lapidem, quo utebatur vice cervicalis.

Paucis sum complexus, quæ ipsius Confessarij & sociæ scripserunt de corporalibus hujus Virginis mortificationibus: addo tantùm verba, quibus P. Michaël de Orenja (quod ipsum propè etiam jurat P. Fr. Andreas de Ponte) hanc materiam in suo testimonio concludit, & sunt sequentia: Tota hujus magnæ servæ Dei vita meritò vocari potest rigidissima, & continua pœnitentia, propter continuos ac rigidos morbos, & acutos dolores, quos perpetuò fuerat passa. Siquidem illi singulare tormentum erat lectus & cibus, quæ duo esse consveverunt ægroti fomenta & refocillationes: quia tres, quatuor, & sex solebant elabi menses, quin ipsi dictus lectus sterni posset, eò quòd illi id summè esset molestum: & quia in eo propè semper in uno situ decumbebat, ità ut alium non posset capere, sæpe mihi dicebat, tanquam suæ conscientiæ arbitro, corpus suum frustatim diffringi, séque sic esse comparatam, acsi jaceret in magnis lapidibus. De cibo autem ajebat, se, si solum spectaret tormentum, potiùs electuram cruciatum mortis, quàm illum, quem sentiebat ex sumptione cibi, propterea, quòd iste non alios effectus in se produceret, quàm si stomacho ingereretur modicum arsenici. Quamvis autem illi S. P. Lu-

Ludovicus de Ponte jam vitâ functus revelaverit, cibum non converti in ipsius substantiam, atque Christus Dominus insinuaverit, quòd vivere posset absque cibo, noluit tamen hunc favorem acceptare, quin imò dicebat: Nequaquam, Domine: oportet me comedere, sicut tu comedisti, & comedit Sanctissima tua Mater: non sum enim Angelus, sed mortalis ac miserabilis fœmina. Hucusque Pater Orenja.

Hæc veritas clariùs patebit, si expendatur conditio ipsius morborum, & heroica patientia, quâ illos sustinuit. Primùm fidelissimè attestabitur Doctor Gabriel de Cansèco, unus è Ministris Sancti Officij, Protomedicus Regiæ Majestatis, vir pius ac doctissimus, & bis primæ Cathedræ in Universitate Vallisoletana Professor, qui hîc semper huic Virgini astitit. Iste in multis & eruditissimis paginis, quas in suo jurato testimonio huic argumento impendit, exponit suam hac de re sententiam, quas redigam in compendium, quàm maximâ potero brevitate, nihil substantiale prætermittendo, eò quòd ista materia in historia hujus admirabilis Dominæ summi sit momenti, cujus vita potiore sui parte fuit in his morbis transacta, quorum tolerantiæ innitebantur illustriora spiritûs ipsius merita. Sic verò hic testis ait.

Audivi dici, graves à juventute ipsius fuisse, & continuas corporis afflictiones, toleratas in periculosis & cóntinuis morbis, quos ex eo tempore, quo bona mihi fors obvenit, ut illius Medicum agerem, jam à decennio magis habeo perspectos, quemadmodum & magnam ipsius circumspectionem ac prudentiam, & timorem profectum ex virtute, quo erat prædita. Siquidem ex præscripto & mandato expresso suorum Confessariorum (quod quidem prudenter statuerant, ut agnoscerem causam ejus infirmitatum, & earundem effectibus quopiam remedio obviarem) mihi recensuit terribilem ictum sibi inflictum à diabolo, mihíque modestè ac humiliter aperuit, grave nocumentum sibi propterea illatum: & ex eo die sinistra illa pars, quæ crudeli illo ictu fuerat contusa, tam malè mansit affecta, ut inde provenerit gravissimus dolor, quem ibi talem patiebatur, ut ipsi interdum viderentur costæ, & os pectoris divelli. Atque ex illo tempore affixa fuit lecto, unde eam intelligo nunquam surgere potuisse sinè miraculo. Erant graves & assidui dolores, quos in diversis corporis partibus sentiebat, & hi interdum adeò invalescebant, ut impossibile videretur vitam inter illos naturaliter conservari.

Scio præterea, ab illa nihilominus fuisse tam patienter ac pacatè toleratos, ut, licèt eorundem acerbitas ex sensibilibus indicijs appareret, spectatis tamen gemitibus hujus Virginis ac lamentis, nequaquâ ipsa videretur esse, quæ eos sustineret. Tanta erat illius tolerantia, & conformitas cum Divina voluntate. Solebat mihi summùm dicere: Domine Doctor doleo, præberi à me occasionem, ut Tua Dominatio, & meæ sociæ molestentur: sed ad nihil aliud sum utilis, quàm ut ij, qui mihi assistunt, magnam erga me suam exerceant commiserationem. Diuturnâ didici experientiâ, etiam id, quod alijs infirmis solet naturalem adferre sublevationem, uti est somnus, & alimentum in tempore, ac in qualitate & quantitate congrua oblatum, huic sanctæ Dominæ, præter naturæ leges, fuisse molestum, grave & perquam difficile, usqueadeo ut mihi, exponendo quid hac in re patetetur, diceret: Domine Doctor, nescio quid sentiant moribundi, meâ tamen opinione & judicio mihi non videntur posse plus sentire, quàm ego sentiam. Et propterea pro animi sui demissione, quæ erat profundissima, petebat à me veniam, quòd mihi incommodaret, advocando me sæpe, ut judicarem, an periclitaretur de vita. Talis erat ipsius solicitudo, ut se bene disponeret, atq; judicium suum & arbitrium Medico corporali in affectionibus corporis submitteret, quemadmodum est notorium, semper fuisse Medico spirituali, in rebus ad animam spectantibus, obsequentem.

Interserit deinde hic testis rem quandam miraculosam, quam multi alij jure-

juran-

jurando confirmaverunt, & omnes vidimus, cujus postea mentionem faciam, statimque materiam nostram continuando sic ait. Semper intellexi ex ijs, qui ante me valetudinem hujus Dominæ curaverunt, multos morbos & symptomata, quæ patiebatur, provenisse ex causa supernaturali. Hoc mihi asseverabat Doctor Martinez Polus, & Doctor Mercatus, uterque lectionis primariæ Professor, atque iste generalis horum Regnorum Archiater. Ego pariter in multis occasionibus, ex quo cum ea sum versatus, judicabam, & nunc judico, id esse verum, inhærendo bonis principijs meæ facultatis, quòd multi illius morbi processerint ex causis supernaturalibus: observabam enim in ipsa, & in illis talia accidentia, ut volens naturales eorundem deprehendere causas, ac definire, eas non assequerer, neque judicio meo adfuerint.

Et postquam idem testis optimè in Philosophia fundatis, ac aptissimis suæ artis principijs dicta sua confirmâsset, adducendo exempla ex ijs, quæ in morbis hujus Virginis expertus fuerat, deinde adjungit: Ex his & alijs principijs agnovi tunc, & modò agnosco, talium indispositionum, & infirmitatum causam non fuisse naturalem, earundémque originem extitisse supernaturalem. Hinc accidit, ut aliquando, dum non invenirem remedium, quo mederer morbis hujus Sanctæ Dominæ, tametsi mihi ad illud ipsi procurandum non deesset voluntas & industria, uterérque facultatis meæ notitiâ, illi quasi joci causâ dixerim: Juva me, Domina, indagare causas tuorum morborum, ut tibi præscribam remedium, quod idcirco exopto, quia Tuæ Dominationis statum nõ capio: es enim, Domina, methodo consvetâ incurabilior omnibus, quorum habui curam. Ipsa intelligens quò collimarem, mihi perhumiliter & gratiosè, unáque graviter respondit: Talis ego sum, Domine, quæ ad nihil aliud prosum, quàm ut Tua Dominatio, & reliqui mecum laborent, atque suam mihi exhibeant charitatem. Postea verò obstricta à suis Confessarijs, qui ipsi mandaverunt, ut mihi in hujusmodi occasionibus aliquid daret luminis, quò scirem, qualiter me gerere deberem, hæc verba cum magna prudentia & elegantia, sed profunda animi demissione, subjunxit. Jam, Domine, dato casu, quòd diabolus, permittente id ipsi Deo, efficeret indispositionem alicujus corporis humani, eíque præberet occasionem infirmitatis, bene, hac illatâ, productus effectus admittit remedium: quemadmodum si hîc ab igne produceretur alius ignis, vel diabolus illum eâ ratione, quâ potest, accenderet; quando dictis ignibus affunderetur sufficiens aqua, uterque videtur extingvendus. Conemur igitur, Domine, obviare producto effectui, sive is ex hac, sive ex alia causa proveniat. Mea Domina, reposui ego, si adhuc supernaturalis perseveret causa ignis, quamvis illi contrarium agens naturale applicetur, non cessabit, eò quòd istud sit ordinis inferioris, & illa semper actionem continuet: idem dico de morbo. Nihilominus, Domine, respondit sancta Domina, faciamus, quod Tua Dominatio judicat juxta suam scientiam, & reliquum permittamus Deo.

Post hoc dictus testis fusè describit morbum, quem hæc Virgo sustinuit, quando coacta fuit à diabolo (sicut suprà scripsi) deglutire retrimenta & sordes cubiculi, & hæ deinde coaluerunt in calculos, qui ipsi tam terribiles attulerunt dolores, probátq; solidis suæ artis argumentis, tam morbum, quàm modum, quo ex eo convaluit, non potuisse esse nisi supernaturalem. Idem dicit de alijs casibus. Conforme est dictis testimonium hac de re juratum Doctoris Torres Jordani, qui pariter Medicum illius egit, ubi affirmat, multos ipsius morbos non habuisse causam naturalem, & in ijs hanc Virginem vixisse miraculosè.

Quales porrò fuerint dolores & cruciatus, quibus infernalis tortor Virginem exercebat, quam propter bellum, quod cum illa gerebat, odio tam lethali prosequebatur, considerandum potiùs est, admirando Deum in suis operibus, quàm confidendum calamo. Admirabilior tamen absque comparatione est patientia, quam

quam illi Deus in his afflictionibus largiebatur, de qua gravissimi testes, qui ipsi continuè assistebant, mira asserunt. ego verò breviter tantummodo eorum verba compendiabo. Mater Soror Maria de Trinitate, quæ à tenera ætate fuit educata in ejus domo, ac deinde vixit Monialis inter Recollectas Ordinis Sancti Bernardi ad Sanctam Annam, jurat, hanc Virginem, quò magis affligebatur, eò fuisse tractabiliorem & svaviorem, tametsi talis semper esset; tantámq; extitisse tolerantiam, quâ patiebatur, ut licèt lecto superpositam habuisset sanitatem, manum ad eam arripiendam non extendisset. Domina Marina de Obregon socia similiter nostræ Virginis, & hodie Monialis Trinitaria in in Conventu Rosarij, jurat, quòd ipsam in acerrimis illius doloribus ac molestijs semper viderit summè patientem atque hilarem, & fide tam viva præditam, ut nunquam fuerit magis contenta, quàm dum ampliùs patiebatur: ità ut existimarem (addit prædicta testis) hanc famulam Dei sustentari ac vivere afflictionibus, & easdem esse diu noctúque ipsius panem & alimentum. Prætermissis autem alijs testibus, Maria de Lama (hodie Mater Maria de Sanctissimo Sacramento, & Abbatissa Conventûs Sanctæ Birgittæ) septennio fidelissima socia hujus Virginis, quæ illi adfuit usque ad ipsius obitum, in suo jurato de præsenti materia testimonio sic ait.

Vidi semper hanc servam Dei valde patientem ac resignatam, quamvis tales, támque continui essent dolores, quàm est dictum, vixque tantum dici valeat, quantum in re erat, adeò ut interdum non potuerit quiescere spatio, quo symbolum Apostolorum posset recitari, præterquam in nostris brachijs, quæ illam ex uno latere movebamus in aliud, cum ingenti ipsius molestia, eò quòd esset tam malè affecta. Et quanquam tantus esset naturalis dolor, ut necesse fuisset sinè intermissione lamentari, in his tamen omnibus exhibebat indicia gaudij, quo patiebatur, & ostendebat internam hilaritatem & consolationem, quâ nos quoque replebat, dum illam videremus prorumpentem, prout posset, in hymnos & breves preces ad Deum, licèt non polleret ijs viribus, ut multùm attolleret vocem; ac dicentem, optimè esse suæ animæ suam cruculam patienti apud pedes Christi Domini. Et cùm in ejusmodi periculosis symptomatibus metuerem, nè moreretur, ipsámque interrogarem, quid sentiret, respondit: Non scio plus, quàm tu; hanc mihi Divina Majestas præstat misericordiam, quòd relinquat sola, dum patior, & in tali verser obscuritate, ut cœlum videatur esse æneum, ac terra metallina: nisi enim ità fieret, non foret crux: tantúmque mihi adfert gaudium & solatium hoc modicum, quod mihi Divina Majestas offert patiendum, ut id non permutarem donis & beneficijs, quæ mihi elargitur: licèt enim ea æstimem, tanquam ipsius favores & gratias, majorem tamen anima sentit consolationem in molestijs ac doloribus toleratis cum resignatione. Utinam verò sim bene resignata!

Eliciebat deinde actus resignationis, & quamvis nihil unquam diceret, quod ipsam dedeceret, examinabat se, an prorupisset in gemitum voce aliquantò elatiore; an dixisset: heu me miseram! & petebat à nobis veniam mali exempli. Hoc nos intimè commovebat, ac vehementer pudefaciebat. Certum verò est, quòd illam, nisi tanta fuisset ipsius svavitas, mansvetudo, ac tolerantia, nemo videre potuisset patientem, vel tot ei horis assistere: ideóque cùm jam interdum deficeremus viribus, & essemus fessæ ac fractæ, animus tamen noster non fatigabatur, optantésq; illi assistere omnes certabamus, quæ ex nobis ipsi diu noctúque diutiùs esset adstitura.

In omnibus eventibus erat semper eadem, in se penitus resignanda, cum magna patientia, in Divinam voluntatem. Vnam habuit specialem, plurimúmque sensibilem occasionem, quando illi Deus abstulit sanctam ipsius sociam Marinam Hernandez, quæ ei viginti quinque annis convixerat. Hæc tota erat genio illius accommodata tam in rebus spiritualibus, quàm in temporalibus, valebátque tum

pro conversatione cum proximis, tum pro reliquis, unde solatium capiebat: cum illa namque poterat de quibusvis materijs conferre, erat enim perquam virtuosa & intelligens, atque ætatis aptissimæ, quia quinquagenaria. Abstulit illi postea Deus aliam sociam, quæ ipsi convixerat sedecim annis, & mox sororem ac sociam Dominam Elisabetham. Quamvis autem hæc possent magnopere sentiri, & ab ea naturaliter sentirentur, omnia nihilominus pertulit æquo animo, acsi ipsam non concernerent, nihil questa, neque aliud dicens, quàm: Fiat in omnibus Sanctissima Dei voluntas. Hucusque hæc testis.

Extant multi casus, isque acerbissimi, in quibus multi alij testes, interposito juramento, asserunt heroicam istius Virginis patientiam, quos omitto: nunquam enim finem facerem, nisi paucis duntaxat singula perstringerem.

# CAPUT VI.

## Quòd sua Vota exactissimè observaverit.

OBstrinxit se hæc purissima Virgo, sicut in altera historiæ parte dictum est, Votis castitatis & obedientiæ, ut se ità magis Divino Sponso uniret, ac eo modo, quo posset, religiosam profiteretur vitam, séque ipsam perfectissimum exhiberet exemplar tot filiabus, quas illi daturus erat Deus in novo Religioso Ordine S. Birgittæ, quem vigore Bullarum Sanctissimi Domini nostri Papæ Urbani VIII. reformavit, ac de novo ad magnam Dei gloriam, in istis Hispaniæ Regnis fundavit. Paupertas, quam propter suam conditionem, & finem, ad quem à Deo ducebatur, perpetuam vovere non poterat, ut educaret ac adjuvaret multas Virgines, multísque alijs proximorum suorum necessitatibus subveniret, illam nihilominus suâ non privavit coronâ: fuerunt namque singularissimi affectus, quibus tanquam verè pauper spiritu hanc pretiosissimam virtutem amavit, & præclarissimi effectus, quibus comprobavit, se hoc Votum, si in ipsius statu è majore Dei gloria fuisset, eam vovere perpetuam, duobus alijs adjunctuam fuisse. qua de re nonnihil in fine hujus capitis dicemus.

Incipiendo itaque à virginea ipsius puritate, de cujus illibato candore nobis S.P. Ludovicus de Ponte mira conscripsit exempla, in prima hujus historiæ parte, ad quam Lectorem remitto, aliquid solùm ex ijs refero, quæ isthîc testes juraverunt. P. Michaël de Orenja ait, se novem annis, quibus illi fuit à sacris confessionibus, istud raræ ipsius puritatis indicium agnovisse, quòd ab ea nullum propè verbum audiverit concernens hanc virtutem, aut vitium contrarium, sed profundo istam habuerit illa materiam silentio sepultam, acsi foret purus spiritus, & habere se in sua manu autographum, ubi hæc Virgo scripserat suum Votum; atque concludit suam assertionem jurans, sibi certum & indubitatum esse, hanc Sanctam objisse in gratia baptismali, quin gravem unquam commiserit culpam, quamvis semper deplorave-rit commissas in sua juventute, dum de ea cum ipso loqueretur: siquidem se, propter ingens lumen, quo à Deo erat prædita, in omnibus pudefaciebat. Idem jurat P. Fr. Andreas de Ponte, qui loco sui sancti fratris germani P. Ludovici de Ponte (quòd ille, propter graves corporis indispositiones, ipsam non posset semper adire) per triginta annos ejusdem confessiones excepit, allegans sua argumenta pro ferendo certo judicio, quòd non solùm perfectissima fuerit Virgo quoad corpus & animam, sed etiam conservaverit primam gratiam, obtentam ex Baptismo. Mater Maria de Sacramento post enarratum Votum, & puritatem hujus Virginis, atq; circumspectionē, quam suas sociat docebat, subjungit: Quanquam speciale habuerit à Deo donum, ad consolandum, dandúmq; con-

consilium in afflictionibus internis, de rebus tamen spectantibus ad castitatem nihil noverat loqui, nisi obiter, nec illas intelligebat, dicebátque his occasionibus, se ignorare quid posset dicere, eò quòd sibi Deus nihil in hac materia confidisset. Scio præterea, quia id scripsi, quòd Deus isti suæ famulæ singularem in hoc præstiterit gratiam, non solùm ipsi proficuam, sed etiam ijs, qui illam intuerentur. Audivi dicentem Dominam Marinam de Neyra, & alias Dominas ipsi coævas, tam raram fuisse, dum esset puella, & cum sua Matre frequentaret templum Societatis, compositionem, modestiam, & gravitatem hujus Virginis, sive cùm per plateam incederet, sive cùm versaretur in templo, ut suo exemplo moveret ad devotionem. Et septennio, quo illi inservivi, nunquam in ea quidquam conspexi, quod posset in ullo genere argui venialis peccati. Idem jurat Domina Angela de Osorio, similiter ipsius socia. Mater Soror Marina de Christo, Monialis ad Portam Cœli, jurat, se, consideratâ puritate hujus Virginis, septem annis, quibus in ejus domo vixit, judicare, quòd illi Deus semper adstiterit, & tota ipsius fuerit, ac addit: Dum apud me ipsâ cogitarem, quomodo id fieret, qualitérq; tantum bonum posset obtineri, interrogavi de hac re Venerabilem Dominam, & respondit mihi: Filia mea, familiaris cum Deo conversatio facit virgines, & puras animas, atque ità excluduntur malæ cogitationes.

Domina Anna de Quinjones & Valdès, vidua Domini Didaci de Pernea, qui fuit substitutus supremi Regij venationum Præfecti, jurat, famulos, quos visitando hanc sanctam Virginem adducebat, solitos fuisse ipsius aspectu componi ad modestiam. Et eo tempore, inquit, quo apud illam eram, licèt haberem causam, ut angerer & affligerer, nihil tamen unquam in ipsius præsentia sum passa. Excellentissimus Dominus Rodericus Sarmientus de Silva, Comes de Salinas, jurat, sibi constare de verecundia, modestia, gravitate, ac morum compositione hujus Virginis, & solitam fuisse componere illos, qui eam intuebantur, eò quòd ipse illam vidisset, & hunc ipsum effectum in se esset expertus. Prætereo silentio multos alios testes, loquentes de virginea hujus Dominæ puritate.

Venio ad exactam nuncupati ab ipsa Voti obedientiæ impletionem. Pater Michaël de Orenja, narratis breviter, quæ de obsequiosa illius subjectione erga Parentes, ac de voto obedientiæ exhibitæ Confessarijs scripsit P. Ludovicus de Ponte, dicit in suo jurato testimonio sequentia. Idem novem annis sum expertus, quibus ipsius Confessarium egi, quo tempore aliquoties evenit, ut illuminaretur à Deo, ad aliquid agendum aut dicendum: & cùm ego non consentirem, ut fieret, vel diceretur, obtemperabat, penitúsque intermittebat, quod statuerat, Deo semper commendans imperatam sibi ab illo executionem, ut ipse svaviter decerneret, quod esset quàm convenientissimum. Et exaudiebatur à Divina Majestate, ut semper in hujusmodi occasionibus, meum animum ità disponeret, ut sponte, atque ex interno motu, & inventis congruis rationibus, quibus ea refellebantur, quæ mihi antea contrarium svadebant, approbaverim, quod ipsa ajebat, se intellexisse à Deo, illique injunxerim, ut sic faceret, vel diceret. Ex bonis autem effectibus inde procedentibus experiebar ac advertebam, eam prudenter agere, & regi à Deo. Demonstravit quoque Deus paternam in hoc genere suam per nonnullos eventus providentiam, veluti quadam vice, dum Virgo, quòd pateretur ardentem sitim, & quæ aderat aqua esset valde calida, petijt à suo Confessario facultatem, ut afferretur modicum nivis, cui admoveretur poculum aquæ refrigerandum. Confessarius illi id negavit, putans nõ esse tantam necessitatem, ac aliàs, & revertebatur domum: unde Virgo mansit afflicta ob vehementer efferatam sitim, unáque sensit solatium, quòd illam toleraret ex obedientia. Verùm vix Confessarius erat è domo Virginis egressus, quando derepente fuit mutatus aër & cœlum, stupente dicto Patre, quòd videret tam subitam mutationem, nam tempestas illũ de-

deprehendit in via. Cúmq; nimbus grandinis decidisset in areolam domûs ejusdem Virginis, quædam puella ibidem habitans mota, ùt fuit existimatum, ab eo ipso, qui grandinem excitaverat, eandem collegit, & superposuit lagenæ plenæ aquâ. Quando autem advenit hora vespertina, quâ Sanctæ ægrotanti præbenda erat ipsius cænula, infusa illi fuit ea aqua: dum verò animadverso algore quæreret atque audiret causam, agnovit, cum sua magna erubescentia, effectum Divinæ bonitatis & liberalitatis, mihíque postea retulit, quod evenerat.

Pater Fr. Andreas de Ponte post alia, quæ in accurata hujus Virginis obedientia notavit, addit: Erat quoque illius virtutis observans, ut nullam alicujus momenti epistolam scriberet, quàm priùs non traderet alicui nostrûm lustrandam, & si casus esset gravis, ambobus. Hinc mihi sæpe, antequam ingrederer ipsius cubiculũ, ad excipiendam illius confessionem, foras ad anterius atriolum mittebat epistolas, quas perlegerem, & quando sum ingressus, interrogabat me, posséntne mitti, néccne. Idem faciebat, dum adiretur à Patre Michaële de Orenja, quod ipsum exercuerat erga Patrem Ludovicum de Ponte, meum fratrem, quoad vixit. Quando illi aliquid injungebatur à Deo, nihil exequebatur, antequam id uterque expenderemus, ipsíque mandaremus: & frequenter dicebat, nullum sibi alium à Deo relictum fuisse modum securè procedendi, quàm regulam obedientiæ exhibendæ suis directoribus, qui essent sui Confessarij. In sua juventute optavit fieri Monialis Carmelitana discalceata, quod proposuit Sanctæ Matri Teresiæ, quæ tum degebat Vallisoleti, fundando suum Conventum. Sancta Mater examinavit ipsius desideria, summéque illi placuit, & pollicita ei est, quòd ipsam ibi esset susceptura. Ivit postea hæc Venerabilis Virgo, ut resciret diem, quo sibi conferendus esset habitus, & quomodo se ad id disponeret. Sancta verò Teresia illi ex Dei revelatione dixit; ipsam à Divina Majestate servari ad majora, dimisítque illam dicendo, nè de eo negotio amplius ageret. Hoc mihi ipsa Domina Marina multoties narravit. Hactenus P. Fr. Andreas.

Mater Maria de Sacramento fusè refert, quæ spectantia ad hanc virtutem in ista Venerabili Virgine per tot annos est experta, cujus juramentum in compendium ipsis ejusdem, quanquam paucioribus, verbis contractum, est, quod sequitur. Fuit hac in re exactíssima, etiam in minutíssimis, magnúmque percipiebat solatium & levamen, si omnia panderet suis Confessarijs, & svadebat nobis, ut idem faceremus. Permovebat nos suo exemplo, dum videremus, quàm candidè rationem redderet eorum, quæ egisset, cogitavisset ac scripsisset, sive res forent graves suæ animæ, & concernentes conversationem cũ proximis, sive domesticæ: neque illi sufficiebat, ut ab uno suorum Confessariorum scirentur, sed ab utroque, útque sententijs ab invicem non discreparent. Frequenter eveniebat, ut illi valde serò adferrentur literæ, quæ tamen erant alicujus momenti, útque statim, licèt vehementer à suis doloribus torqueretur, responderet pro solatio proximorum. Quia verò eâ horâ non poterant adesse Patres, & aliunde illam videbam affligi, ac optare, ut pro necessitatis, quæ ei perscribebatur, remedio expedirentur responsoriæ, dicebam ipsi: Mittantur nunc, mea Domina, hæ literæ, postea id expones tuis Confessarijs. Respondebat autem mihi: Minùs refert illas non mitti per hunc veredarium, quàm expediri non lustratas priùs à meis Patribus: hoc enim est securum. Benedicta sit Divina Majestas, quòd nobis in sua Ecclesia tam grande bonum reliquerit. Equidem ignoro, quomodo solatium habere possint, qui proprium caput sequuntur. Notavi sæpe, hanc sanctam Virginem non solùm obtemperavisse voci suorum Confessariorum, sed etiam insinuationi: & quando illi respondebant, nè aliquid tam citò fieret, instar legis id habebat, dicebátque: Non fiat hoc, quia dum de eo interrogarem meum Patrem, respondit mihi: Non tam citò; videtúrque ei non placere, ut fiat: quod vel in levissimis, minimique

misque mōmenti rebus observabat. In majoribus verò obsequebatur mirâ accuratione & solicitudine. Inter alias vices aliquando vidi, scriptam ab ipsa fuisse epistolam magni momenti ex inspiratione Dei, qui mandaverat, ut illam mitteret. Consenserat etiam unus Confessariorum: sed alter non ità erat promptus, quia ipsi res hæc videbatur continere aliquid minùs conveniens. Quapropter expeditio istius epistolæ fuit diu dilata. Ego illi dicebam: Domina, expediatur hæc epistola, cùm id Divina Majestas jubeat, & ille Pater approbet. Sancta verò mihi respondit: Tace, quia id non intelligis. egóne enim istud faciam? Non incumbit mihi hujus rei cura, sed Deo; ipse de ea disponat, quando illi placuerit, & sicut fuerit sanctissima ejus voluntas. Et revera ità Deus disposuit, epistola fuit expedita, habuítque effectum desideratum. Multa hujusmodi vidi. Pergit eadem testis recensere rarissima de modo, quo hæc Virgo in sua juventute inservivit ac obtemperavit Parentibus carnalibus, glorioſa præbendo specimina obedientiæ, quam postea spiritualibus Patribus exhibuit. Hæc omnia, licèt diversis, æquè tamen gravibus verbis jurant multi alij testes, quæ illi relinquo, cui ex solis informationibus placuerit heroicarum hujus admirabilis Virginis virtutum texere historiam.

Quæ ad paupertatem attinent, virtutem à Christo Domino tenerrimè dilectam, & quam idcirco Venerabilis Marina in pupillis oculorum suorum ferebat, jurat P. Fr. Andreas de Ponte sequentia. Amavit semper paupertatem, & primis annis ab obitu sui Parentis se Voto paupertatis obstrinxit, duraturo ad definitū tempus, non autem perpetuo, eò quòd ex justis considerationibus à suo Confessario permissa non fuerit. Scio etiam, ipsam renuntiavisse legitimæ sibi à Parentibus relictæ, séque expoliavisse facultatibus, & vixisse eleemosynis, quæ illi à devotis personis dabantur. Dum in hac sancta paupertate viveret, apparuit ei Sanctus Pater noster Dominicus, rogavítque illam, ut recurreret ad suos Religiosos, & ad suum Conventum, pro petendis necessarijs; promisítque etiam ipsi, fore, ut in illius Ordine adjuvaretur tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, quamdiu victura esset. Hoc evenerat quodam tempore matutino, in festo S. Thomæ Doctoris Angelici, quâ die non habebat, quo vesceretur, neque etiam, quo sibi cibum emeret, gratias agens DEO, quòd se videret pauperem. Pulsavit tum ipsius fores quidam Religiosus ex nostro Conventu S. Pauli, quem illa noverat, & ingressus ejus cubiculum invenit ipsam abreptam in Deum in alta Divinorum mysteriorum contemplatione, reliquítq; penes illam quod æquabat pretium duorum Ducatorum monetæ argenteæ: videns enim, Virginem perquam difficulter posse respondere, noluit eam turbare, & subitò discessit. Obstupuit Divinam bonitatem Virgo in sublevanda sua necessitate, & quomodo S. Dominicus sibi tam citò subvenisset per illum Religiosum, qui ad eam usque diem nunquam ipsius domum intraverat. Deinceps autem illi semper, & omni occasione noster Ordo succurrebat, sicut mihi ipsa frequenter dixit, tum quoad temporalia, tum quoad spiritualia. Atque Sanctus Pater noster suum pariter promissum implevit tam per suos filios, quàm per semetipsū, ut mihi solita fuerit dicere sanctè jocando, bene apparere, S. Dominicum fuisse nobili stirpe progenitum. Constat mihi præterea, illam jam à triginta annis vixisse afflictissimam, eò quòd sibi videret suppeditari necessaria, etiámque se abundare, ideóq; dicebat Deo: Mi Domine, quare à me vis haberi istud stercus, sic enim appellabat pecuniam, & rogabat ipsum instanter, ut sibi illam auferret, daretque licentiam ejus non acceptandæ. Divina Majestas autem illi respondit: Bene eam impendis in sublevandos orphanos, & cætera, quæ tibi injungo. Ecce hæ eleemosynæ, quas acquiris, si à te non acceptarentur, fuissent malè insumptæ, dantúrque tibi ex devotione, quâ erga te feruntur: & si tu eas non susciperes, ipsi non promererentur præmiū, quod illis à me dabitur. Noli affligi, nescis enim meas intentiones, & propterea

fac, quod te facere jubebunt tui Confessarij. Et verò ità faciebat: nolebat enim suscipere eleemosynam, nisi illi ab ipsis offerretur, & habitâ ab ijsdem facultate. Atque accidit aliquando, ut missam sibi à quadam Moniali, ex Conventu Matris Dei, eleemosynam non attigerit, donec mihi suâ manu scripsisset schedam, quam servo, petens à me veniam illius acceptandæ. Hucusque Pater Frater Andreas de Ponte.

Pater Michaël de Orenja, post alia suprà dictis similia, de hac materia dicit: Ea, quæ illi dabantur nomine eleemosynæ, non habebat pro suis facultatibus, sed sumendo inde quantum præcisè erat necessarium pro sustentatione propria, & Virginum, quas penes se habebat, reliquum existimabat spectare ad Deum, tantumq; impendebat in opera concernentia ipsius honorem; quæ illi Divina Majestas inspirabat: ac proinde ex his eleemosynis ipsi oriebantur curæ, partim ut se quàm gratissimam ijs exhiberet, à quibus offerebantur (quia gratitudinis virtute plurimùm excellebat) partim ut assequeretur voluntatem Dei, in electione operum cedentium ad ejus obsequium, quibus à se essent impendendæ. Solebat dicere, maximum se habituram solatium, si nihil haberet: quæ autem habebat, deponebat semper ad pedes Dei, rogans illum, ut ab ipso edoceretur, in quid eas eleemosynas ad majorem suam gloriam vellet insumi: propter quem zelum, & sanctos affectus charitate plenos, illi Deus tam opportunè & amanter providebat, ut ei non tantùm non defuerint necessaria pro sua domo, & quæ elargiretur alijs, sed hæc ipsi etiam abundanter tribueret. Cùm verò deficerent nonnullæ eleemosynæ ob absentiam, vel mortem eorum, à quibus illi dabantur, statim Divina Majestas excitabat cor aliorum, qui ipsorum vices supplebant. Nuncupavit quoque hæc Virgo Votum, non habendi ulla bona stabilia ex sua voluntate, nisi illi id injungeretur à suo Confessario, qui tum erat Pater Petrus de Leon, quod fecit anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo septimo, sicut mihi constat ex quadam scheda, quam suâ manu scripsit.

Domina Angela de Osorio jurat, se audivisse, hanc Virginem, postquam renuntiavisset suæ legitimæ, suo se sustentavisse labore, nihil temporis otiosè conterendo, tametsi esset admodum debilis & morbida, atque addit, ipsammet aliquoties narravisse, ridere fuisse solitas suas sorores, quòd earum domum frequentarent fœminæ rusticanæ, interrogantes de netrice Fonsaldanensi, siquidem ipsa pro eo oppido, & alijs vicinis pagis nebat, quæcunque poterat. Postquam illi Deus subvenit eleemosynis, dicebat: Nihil eorum, quæ habeo, est meum, omnia sunt Dei: ego solummodo sum pauper œconoma, optans bonam reddere rationem. Faxit ipse, ut eam reddam exactam, méq; conformem cum sanctissima ipsius voluntate. Quando illi agebantur gratiæ, quòd aliquam collocavisset in Monasterio, respondebat: Ego nihil ago, neque aliud sum quàm miserabile instrumentum: meæ Dominæ, & amicæ totum præstant propter Deum. Idem jurat Mater Maria de Sanctissimo Sacramento. Mater Soror Mariana do Christo, post alia, concludit suum juramentum his verbis: Quando isti Venerabili Dominæ mittebantur aliquæ eleemosynæ, audiebam illam dicentem: Benedictus sit Deus, qui ità providet suis creaturis. Sorores meæ (sic nos appellabat) habetote magnam fiduciam in Deum, ipse enim vobis subveniet, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, & hac de re nobis multa dicebat. Ego novi omnes octodecim Virgines, quas ista Sancta Virgo promovit ad Ordinem Religiosum, & vidi meis oculis quasdam emittentes professionem, alias suscipientes habitum, & omnes scio esse Professas. Constat mihi quoque, precibus ipsius & consilio factum esse, ut multi alij tam viri, quàm fœminæ, ingrederentur Religionem, & alij initent matrimonium, quibus illa præbuit necessaria subsidia. Mater Joanna de Christo, Professa in Conventu S. Annæ, post alia narrat, quod in hoc genere est singularis exempli, cùm nostra Virgo jam fuerit

fuerit septuagenaria, ac ità morbida, sicut fuisse novimus, quando illa ipsi cõvivebant. Sic verò dicit: Erat adeò accurata, ut, si pauxillum carnis ex olla, quæ illi hodie coquebatur, remansisset, juberet eam sibi dari postridie. Atque si interdum eveniebat, ut ipsi opus esset, propter magnam quampiam stomachi debilitatem, subvenire aliquo cibo, quamvis residuum illud minùs esset aptum, extarétque domi, quod illi magis conduceret, nunquam poterat persvaderi, ut sumeret seu comederet aliud, quàm illud modicum, quod eo die, vel præcedenti superfuisset.

Concludo hanc materiam juramento Dominæ Magdalenæ de Cisneros, quæ fuit amica hujus Virginis ultra sexaginta annos, & insignis ejusdem benefactrix. Sic autem ait: Quando Domina Marina erat octodecim circiter annorum, conveniebam ipsam in templo Domûs Professæ Societatis JESU, & optimè recordor, illam tum habitam pro sancta, atque ùt talem observatam & æstimatam fuisse. Ego attentè contemplabar ipsius vultum, & optimè in eo advertebam venustatem animæ illius ac virtutum. Rara erat ejus modestia, & in ipso vultûs colore deprehendebatur quiddam supernaturale. Semper vidi, hanc de ea famam continuari ultra sexaginta annos, quibus, dum familiarissimè cum ea conversarer, quidquid in ea vidi, me confirmavit in hac opinione de rara ipsius sanctitate: atque postremis his vitæ annis, quibus cum ipsa egi, mihi in illius vultu fuit ea coloris supernaturalitas repræsentata, ut me redderet attonitam, ac demonstraret divinos affectus, qui in corde ipsius ardebant. Novi quandam personam fide dignissimam, quæ egit testem, quando hæc Sancta renuntiavit legitimæ suorum Parentum, & vidi meis oculis singularem providentiam, quam Divina Majestas habuit, ut tam ipsi, quàm illis, quas domi suæ alebat, de omnibus necessarijs prospiceret. Experta quoque sum in me rem prorsus singularem, & est, quòd non solùm magnâ animi voluptate illi succurrere fuerim solita, sed etiam nunquam notaverim in mea domo deficere id, quod dabam isti servæ Dei: contigit quoq; mihi, ut, cùm reditus mei essent moderati, ipsi intra unum annum dederim ducenta scuta, quin tamen adverterim illorum defectum, aut me ijs caruisse, quod semper existimavi fuisse miraculum, quo DEUS volebat significare, quantopere ipsi placeret data huic Dominæ eleemosyna.

# CAPUT VII.

## Rara ipsius in omnibus prudentia, & speciale regimen familiæ.

SOlet plerumque Deus, quos non solùm pro bono proprio, verùm etiã pro universali Ecclesiæ suæ utilitate, provehit ad excellentes Sanctitatis gradus, instruere naturali prudentiâ, accommodatâ supernaturali gratiæ, quam illis præparat. Licèt namque Divina Majestas non indigeat habilitate instrumentorum, quæ ad opera sua assumit, & interdum pretium operum majorem excitet admirationem propter instrumentorum ruditatem: nihilominus tanquam Author, qui non solùm agenda exequitur efficaciter, sed etiam disponit svaviter, communiter facit, ut gratia & natura se ità invicem coadjuvent, ut hæc sit suo modo basis proportionata insignis columnæ, quâ altera asurgit ad cœlum. Nunquam verò testes illustrissimi finem faciunt deprædicandi præclaras dotes naturales, & præstantissimam indolem, quibus Deus hanc suam electissimam Virginem, prorsus eximiam in numero Virginum prudentum, exornavit, & quæ essent instar arcuatorum fulctorũ supernaturalis architecturæ in sacro spiritûs ipsius ædificio.

Bre-

Brevitatis tamen causâ, quam in hoc tertio libro affecto, judicavi sufficere, si referrem partem eorum, quæ juratus asserit P. Fr. Andreas de Ponte, eò quòd ipsius verba sint breve omnium, quæ cæteri sunt experti, compendium. Ità ergo hic testis ait.

Opinione omnium illorum, qui cum Domina Marina sunt conversati, tam virorum doctorum & Magistrorum, quàm Dominorum & Dominarum, dubitari nequit, quin fuerit mulier majore prædita ingenio, capacitate, prudentiâ, ac discretione, quàm ætate nostrâ ullam fuisse constiterit. Spatio triginta sex annorum multa cum illa tractavi negotia, tam de rebus spiritualibus, quàm de spectantibus ad regimen, publicis aut domesticis; & semper adverti, admirabilem fuisse verborũ ipsius prudentiam ac pondus, ab eâque omnia accuratè expensa & animadversa. Præcavebat incommoda, suggerebat modos pervincendarum difficultatum, ità ut satisfieret obligationibus, debitúsque cuivis rei ac personæ reservaretur locus. Et quamvis verum sit, in istis materijs notatam esse in hac Virgine gratiam & lumen divinum, quod ipsi pro illis largiebatur Deus, atque pro exequendis prudenter actionibus tam experimentalibus & practicis, quàm speculativis & intellectualibus (nulla siquidẽ naturalis habitudo videtur potuisse sufficere illis tam securo & præclaro consilio transigendis) aliquando tamen ingens apparebat capacitas, & advertebantur excellentia naturæ dona, quæ ei Deus contulerat: ideóq; Pater ipsius (vir tam prudens, tam doctus & sanctus) illi adhuc juvenculæ commisit externum domus suæ regimen; constátque mihi, ipsum in rebus alicujus momenti expetiviſse ejus sententiam, quam illa expromebat convenientissimam. Colligitur etiam singularis ejusdem habilitas ex labore manuum, quandoquidem agere poterat magistram fœminarum in quibuslibet operibus lini, serici, fimbriarum, & aliarum muliebrium artium. Omnia sciebat conficere, & intelligebat omnia eminenter. Hæc P. Fr. Andreas prorsus conformia ijs, quæ vobis sanctus Pater Ludovicus de Ponte, germanus ipsius frater, scripsit de hoc Virginum nostri temporis prodigio.

Ex ista naturali prudentia, adeò cœlesti divinæ gratiæ auctario illustrata, ortum habuit ingens accuratio, quâ educabat Virgines, quas Deus pertrahebat ad ipsius convictum, & illa securissimis virtutis vijs ducebat, donec ipsas proveheret ad statũ perfectionis. Referam ad hoc propositum (& quidem fusiùs, quàm aliàs consueverim) quod hac de re scribunt ac jurant ipsæ illius discipulæ, quæ jam in sacris Conventibus magistras agunt spiritûs, ubi vivunt. Opto enim, ut exemplar istud non tradatur oblivioni, semperq; sit instar vivæ ideæ recturis Cœnobium à nostra Virgine fundatum, & reliqua, ùt in Divina misericordia confido, deinceps extruenda.

Mater Maria de Sacramento jurat sequentia. Hisce oculis cognovi, illam à Deo fuisse cumulatam omnibus naturalibus dotibus, quæ subserviunt supernaturalibus. Dedit ipsi præclarum intellectum & memoriam, maturum judicium ac prudentiam, quod etiam sæpe audivi dici à multis, qui id intelligere sciebant. Occurrentibus occasionibus loquebatur juxta cujusque captum pro animæ commodo, & bona negotiorum expeditione: nullum proferebat verbum inane, omnia enim erant admodum solida, & quæ magis ab ijs probabantur, qui ea meliùs percipiebant. Licèt verò responsa ipsius essent pondere singularia, modus nihilominus, quo illa dabat, erat vulgaris. Hæc tamen consilia ijs solùm suppeditabat, qui ea ab ipsa petebant: alioquin enim tam simpliciter loquebatur, quàm ego, & quivis alius loqui potest. Si illi aliqua ex domesticis inter conversandum dicebat: Domina, tali ego dixi & fvasi hoc & illud, respondebat nobis: Meliùs esse existimo tacere, nolite vos in id ingerere, quia fœminæ communiter non sumus aptæ pro dandis consilijs: suscipiamus quæ nobis dantur. Talis erat illius propensio: neque ipsa aliter faciebat, nisi à Deo impelleretur ad respondendum ijs, quæ illi consilij causâ proponebantur, idque præmissâ magnâ consideratione.

Oster-

Ostendebat naturam egregiam, docilem, pacatam & consideratam, quam illi Deus tam excellentem dederat, ut dicere soleremus, quòd etiam naturalibus ipsius actionibus Divina Majestas aliquid supernaturale adjicere videretur, neque aliter fieri posse existimabamus. Siquidem inter tot afflictiones, ac tales occupationes, quibus distinebatur, scribendo & juvando proximos, ut nec interdiu, neque noctu (quasi dolores non sufficerent ad eam penitus impediendam) quiesceret, animum etiam minutissimis rebus domesticis applicabat, interrogando de ijs, & omnes prævià suâ directione disponendo, acsi illas videret, ac domum obambularet: specialem verò rerum spiritualium, & singularum seorsim, gerebat curam. Distribuebat dies, quibus unaquæque sacram perageret exomologesim, ut eam aliæ his, aliæ illis diebus adirent: prænonebat nos antecedente vespere, quibus esset eundum, aut manendum domi, omnes liberando curâ, dum ipsa sola solicitaretur.

Videbatur hæc Virgo contubernalibus suis, tam puellis, quàm ætate provectioribus, infundere morum compositionem, modestiam & gravitatem. Veniebant ad Conventum Monialium Sancti Bernardi, vel ad domum Dominæ Elisabethæ Rechon, ubi degebam, antequam cooptarer in contubernium hujus Sanctæ, interdum visitationis gratiâ ipsius sociæ, & priusquam eas nôssem, dicebam, videns tantam illarum modestiam: Procul dubio istæ ibi sunt ex familia Dominæ Marinæ. Audivi aliquoties illis, quæ mecum conversabantur, dici: Ite illuc, ut loquamini cum ijs Virginibus; ipsas verò respondentes: Hoc non faciemus; contremiscimus, si nobis id vel imaginemur, quia eas timemus. Novi tum sanctas illarum sociarum puellulas, ex quarum conversatione plurimum capiebatur solatij & oblectationis, multúmque in omni genere ex earundem addiscebatur responsis.

Domina Angela de Osorio inter alia sic ait: Quando ipsius alumnæ adibant Monasterium, in quo morabar, priusquam venirem ad domum hujus famulæ Dei, vi sitaturæ quasdam Moniales, horrebam illas vel alloqui; accidítque mihi frequenter, ut subterfugerem ipsarum conspectũ, propter metum, ac reverentiam, quâ à me suspiciebantur. Et quamvis id facere optarem, ut experirer solatium, quo replebantur amicæ, quæ cum ipsis agebant, eò quòd illarum sermones in omnibus essent materijs valde mirabiles ac doctrinales, non audebam tamen. Quando postea veni ad ipsius domum, cognovi quanta Deus servæ suæ contulisset. Nullam unquam in illa animadverti actionem, quæ peccati venialis posset insimulari: & quanquam ab ea viderim increpari ac reprehendi aliquas domesticas, non faciebat id tamen nisi exigente necessitate, & ad majorem nostrum profectum, moderatè & prudenter, solicita de omnibus domesticis rebus, parvis & magnis, acsi unicè singulis esset intenta. Reddebat se amabilem, unáq; vehementiâ suarum correptionum formidabilem, & omnes majorem consolationem ac recreationem non habebamus, quàm si illi inserviremus, sempérq; maneremus in ipsius cubiculo, assistendo ipsi, & quodammodo certabamus, quæ nostrum minùs dormiret, ut ei adesse mus in illius doloribus: semper namq; rara erat & extraordinaria ipsius mansvetudo, svavitas, & agendi gratia.

Mater Mariana de Christo hunc in modum jurat: Semper in hac Venerabili Domina talem vidi puritatem, gravitatem, & modestiam, ut mirarer, dicerémque in animo meo: Non est possibile, ut ista sit mulier, est Angelus. Et certò scio, ipsam Angeli speciem præ se tulisse tum majestate, & jndole, ac puritate, tum etiam affabilitate & candore, quo suas socias alloquebatur. Nunquam illam conspexi iratam, licèt notarem quasdam indignationis occasiones; neq; aliquid dicentem, aut agentem, quo nos audientes turbaremur. Reprehendebat nos solo aspectu, & iste sufficiebat: quia ipsi Deus ejusmodi contulit gratiam, ut penetraret nostra corda, & pudefieremus, eóque magis miraremur illius patientiam ac discretionẽ. Nunquam aliquid recensebat, quod non faceret ad plenam nostram instructionem, nostrûm-

strúmq; exemplum; dirigebat sermonem ad illam, quæ præ cæteris indigebat admonitione, cum magna tamen dissimulatione, ut ipsi id dictum à Deo fuisse videretur. Non patiebatur ullum verbum proferri, quod non esset bonũ & necessarium, etiam sic tamen oportebat esse valde purum: & quæ à sancta mea Matre dicebantur, erant putissima, paritérque puriſsima erat intentio, quod quidẽ nobis semper ostendebat, nósq; operibus & verbis docebat. Dederat illi Deus præclarissimum intellectum, sicut semper ex omnibus, quæ agebat, collegi, ac talem memoriã, ut, si necesse foret, multa exponeret, quæ nobis convenirent, ex Scriptura Sacra, & multos Psalmos, nullo ad manus sumpto libro: id enim non poterat ampliùs facere, propter magnam suã debilitatem. Verum est, quòd nos interdum jusserit omnes coram se comparere, & unam aliquamdiu legere, ex qua spirituali lectione sumebat, quod nobis deinde ab ipsa dicebatur, & singulis erat magis accommodatum, juxta cujuslibet indigentiam: credo autem, illã meliùs sciviſse, qualis singularum esset, quàm nos ipsæ, quæ eâ instructione egebamus. Loquebatur cum tanta majestate, ut Deus per os illius loqui videretur, & intra ipsius animam existere: alioquin enim effectus secuti viderentur esse impossibiles, cùm plerumq; appareret clarè, ipsam edoceri à Deo, quale singulis deberet suggerere medium, pro uniuscujusq; necessitate, ità ut nos redderet contentas & pacatas, nobísque eximeret scrupulos, in quibus Confessarij nostri vix reperiebant, quo nos solarentur.

Hujus tenoris sunt reliqua testimonia, quæ de re præsenti aliæ ipsius sociæ, omni dignæ fide, jurejurando præstito dederunt. Addo tantumodo, quod aliæ fide dignissimæ Dominæ, & quæ, licèt non fuerint domesticæ, intimè tamen cum ea egerunt, in hac materia jurant. Illustriss: D. Elisabetha de Silva, Marchionissa de Montealegre dicit: Per id tempus, quo sum cũ illa conversata, agnovi in ipsa intellectum valde perspicacem, memoriam admodum perfectam, judicium perquam sapiens ac maturum, pacatum & consideratum. In honore deferendo ijs, à quibus visitabatur, erat modestissima, & omnibus grata, gravis in conformatione vultûs, & in suis verbis ac operibus accuratissima. Omnes, qui cum illa egerunt, agnoverunt, uti ego, magnam prudentiam in consilijs, quæ dabat: nemo enim aliquod petijt, ac verè est executus, qui erraret, & quidem in quibusvis materijs; atque ista consilia adeò erant naturæ rerum accommodata, ut ipsa semet approbarent, quod proprijs didici experientijs, ac aliorum, qui per literas, & oretenus uti ipsius favore voluerunt.

Domina Magdalena de Cisneros jurat sequentia: Non solùm ab alijs audivi referri multas naturales dotes, quas illi Deus contulit, verùm etiam fui testis earundem oculata, & agnovi in hac Domina præstantissimum intellectum, capacitatem ac prudentiam. Summa erat naturæ ipsius svavitas, rara mansvetudo, magna gravitas & maturitas in illius verbis, quæ dona semper dirigebat ad obsequium Divinũ. Erat denique omnis expers fictionis, & candidissima. Quod attinet ad ipsius socias, quæ fuerunt multæ, & complures ex ijs juvenculæ, nunquam ab ijs audivi, quod redoleret levitatem: semper optimæ fuerunt famæ, & multæ sunt factæ Moniales, in quo statu optimum præbent exemplum, ut abunde appareat, quale in domo Sanctæ suæ Dominæ lac suxerint. Illas, quæ alium iniverunt statum, vidi optimè se gerentes, & secundùm instructionem, quam hauserunt. Omnes, quæ ipsi convivebant, vidi frequentantes Sacramenta, & perseveranter assiduas in audiendis concionibus. Scio quoque hanc Dei servam cum magna solicitudine ac vigilantia hujus rei curam habuisse. Specialiter in domo ipsius novi Marinam Hernandez, rari exempli & sanctitatis: quæ cùm sufficientes possideret facultates, ad vitam juxta suum statum transigendam, omnia deseruit, ut illius frueretur societate, ipsíque cohabitaret instar ancillæ, eò quòd hujus Dominæ æstimaret sanctitatem, cui ob Sanctissimæ Dei Genitricis honorem suam navabat operam, atque ut vitam suam tam Sanctæ Matronæ impenderet obsequijs, & cũ illa con-

conversando sese in virtute perficeret, ad quam omni studio aspirabat, & in dictæ Sanctæ consortio, cum magnæ sanctitatis opinione, vivere desijt.

Pari ratione jurant universi testes, & plurimùm mirantur omnes, quæ de consummata prudentia, & sapientissimis consilijs in hac Virgine cognoverunt, quam in humili abstrusi cubiculi angulo Deus constituerat veluti cœleste lumen, tanquam sacrum sæculi nostri oraculum.

# CAPUT VIII.

## Referuntur summatim aliæ excellentes hujus magnæ Dei famulæ virtutes.

SIcut hactenus tot testes singularem nostræ Virginis celebraverunt prudentiam, ità quoque tres alias deprædicant virtutes, quas vocamus Cardinales, insinuantes nonnulla exempla accuratissimæ ipsius justitiæ, in distribuendis eleemosynis, quas illi Deus submittebat, cujus se tantùm esse arbitrabatur œconomam, nihil amplius suis indigis consanguineis tribuens, quàm alijs, in simili penuria constitutis, pauperibus largiretur: ità ut nulla unquam violentiâ aut importunitate posset flecti, ad cedendum affectibus carnis & sanguinis, quam solæ commovebant ærumnæ & necessitates. Temperantia ipsius in victu erat summa, & quæ illi convixit, asserit, mirum sibi visum fuisse, quòd tempore suarum infirmitatum tam modicis sustentaretur alimentis. Verùm id parum est mirabile in Virgine, quæ tempore suæ sanitatis, prout vidimus, perpetuum semper observavit jejunium, & rigidissimam abstinentiam. Recensent testes, nullum invenientes finem, quæ sunt experti de heroica illius fortitudine, in tolerandis coacervatis molestijs, secundùm se tam gravibus, numero tam multis, quibus illam Divina Majestas probavit; in exequendis cum admirabili perseverantia bene cœptis, nè minimùm ab ijs desistendo, adeò ut nullo unquam modo dimoveretur, multò minùs recederet ab eo, quod semel prudenter decernebat, esse è majore sui Domini gloria.

De ipsius demissione animi multa in utraque parte hujus historiæ sunt scripta. Quisquis efficacia vanæ gloriæ stratagemata, & subtilitatem, quâ se hæc teredo humano cordi insinuat, cognoscit, obstupescit, quòd sancti ac docti hujus Virginis Confessarij jurent, indubitatum ipsis esse, ex ijs, quæ ex propria ejusdemmet confessione intellexerunt, ac diligentissimè modum illius agendi observantes comperierunt, ipsam nullum unquam in anima sua sensisse motum superbiæ. Et verò testantur, quotquot cum ea sunt versati, pretiosissimum profundissimæ humilitatis spiravisse odorem, quidquid ab hac Sancta dici, vel fieri audiverunt, aut viderunt. Jurat P. Michaël de Orenja, usqueadeo Virginem istam fuisse humilitati addictam, ut ignarorum quorundam judicio videri posset excessus, quod in illius exercitio demonstrabat. Non sufficerent multæ philyræ, ut vel in compendium redigeretur, quod de hac virtute fusè referunt authentica originalia, quæ à me allegantur.

Admirabilissima fuit in hac Virgine veracitas, & horror cujuscunque mendacij: aversabatur non solùm omnem fraudem aut fictionem in rebus serijs, verùm etiam quemvis jocum aut lusum, ubi vel minimum appareret minoris sinceritatis vestigium; & quidem non tantùm in se ipsa, sed etiam in Virginibus adhuc juvenculis sibi cohabitantibus, ità ut, si puella aliqua inter nendum alteri sociæ joci, ac tantillæ recreationis gratiâ quidpiam occultaret, id non posset ferre, statímq; huic diceret, ubi esset occultatum, quod quærebat. Sufficiat ità morales hujus magnæ DEI servæ virtutes breviter indicavisse. Innuamus aliquid de perfectissimo gradu,

in quo illi Theologicæ fuerunt à DEO communicatæ.

Omnes Romanæ Catholicæ Ecclesiæ filij vivimus in Fide: hæc est unica infallibilis lux nostrarum tenebrarum, singularis dux nostri itineris, spiritûs nostri oculus, quo cœlestia videntur mysteria. Verùm istud, inter alia, est reperire animarum discrimen, quòd animæ fideles communiter hunc visum habere videantur quodammodo tectum spisso & rudi velo, per quod tantùm aliquid quasi confusè de divinis arcanis conjectant: Sanctarum autem animarum oculi velari videantur subtili quadam ac delicatâ byssо, per quam objecta, quæ creduntur, quasi discernunt. Hæc absque dubio servantur clausa à Fide: sed nobis, qui vulgariter vivimus, sunt velut in arca cedrina, cujus, licèt sit pretiosa propter materiam, densitas impedit, nè possint conspici; Sanctis autem tanquam in scrinio crystallino, quod se, tametsi illis non aperiatur, per id saltèm quod pellucet, patitur penetrari. In Fide Venerabilis Marina vivebat mortalem hanc agens vitam, sed ea tam excellenti, & à Divinis radijs collustrata, ut certo modo videatur fuisse intuita quod credebat, & quantumvis crederet, fruita eo, quod desiderabat, atque illud ipsum possedisse, quod diligenter quærendo nulli parcebat labori. Hoc dicere volebat P. Michaël de Orenja dum in suo juramento de ista nostræ Virginis virtute hæc profert verba: Fides, quam hæc famula Dei habuit de divinis mysterijs, agnosci potest ex magnitudine luminis, quod illi Deus ad ea penetranda communicaverat: dicebat enim, se vehementer mirari, potuisse in ullum intellectum cadere dubium de illius veritatibus. Hinc fiebat, quòd differendo de his mysterijs, non loqueretur, quasi illorum notitiam haberet ex solo Fidei lumine, sed acsi ea vidisset. Tanta erat claritas ac facilitas, quâ ab illa explicabantur. Idem prorsus jurat P. Fr. Andreas de Ponte.

Mater Maria de Sacramento ipsius socia, quæ illius dictata non rarò calamo excipiebat, sic ait: Communicavit illi Deus valde vivam Fidem, propter quam cum magna gratia loquebatur de rebus cœlestibus, ac tam facilè illas etiam duas trésve philyras implendo, annotabat, quàm si qualemcunque scriberet epistolam. Atqs cùm ipsam interrogarem, quomodo memoriâ polleret ad res tam sublimes tam facilè conscribendas, respondit mihi: Deus mihi hanc præstat misericordiam, ut ità præsens habeam mysterium, sicut tum, quando in me peragitur: nisi enim mihi à Deo ista gratia fieret, non auderem illud describere. Et verò bene lumen istud acquisitum emicabat in verbis, quæ ab ipsa audiebantur, & in eo, quòd illius dictis acquiescerent ij, cum quibus loquebatur, nec non in facillimo & clarissimo modo, quo res spirituales, & quarumcunque virtutum exercitium explicabat, adferendo aptissimas comparationes, quas ego, & quilibet poteramus percipere. Audivi dicentes gravissimos Theologos, præsertim Patrem Magistrum Fratrem Didacum de Gvevara, Ordinis S. Augustini, ejusdémque Provincialem, à se in vita sua neminem auditum fuisse, qui clariùs de hujusmodi rebus sermocinaretur, aut magìs cor petentis ab ea consilium commoveret.

Hinc ardens illud Virginis nostræ oriebatur desiderium, ut pura conservaretur Fides in Regnis Catholicis, reducerentur hæretici, & gentiles converterentur. Cujus rei specialissima extant exempla, affectus ferventissimi in ipsius scriptis, quæ suprà in libro secundo retulimus. Et Domina Maria de Obregon prudenter ac rationabiliter juravit, miracula fuisse, quæ per istam virtutem hæc serva Dei egit, tum facilè, propriè, & gratiosè exponendo res divinas; tum exoptando puritatem Fidei in his Regnis, & ejusdem in extraneis propagationem.

Spei virtus est firmissima, contra continuas navigationis nostræ tempestates, anchora; est cydonitis, quâ tot amara in vita spirituali catapotia condita deglutiuntur. Spes est calcar, quo stimulata anima, quantumvis fatigatissima suum cursum accelerat. Illa, quod est molestum, reddit animæ leve; facile efficit, quod est arduũ; illa eam in ipsius exilio exhilarat; est pere-

gri-

grinanti Raphaël. Qui legit molestias, vias tam scabrosas, per quas Deus duxit Venerabilem Marinam, bene videbit, ipsã ideò solùm ijs potuisse non succumbere, quia securo hujus virtutis baculo innitebatur, de qua sic loquitur P. Fr. Andreas de Ponte: Semper in ipsa, quamdiu cum ea fum versatus, spatio triginta sex annorum, agnovi, illam cum magna suæ salutis spe vivere. Fundabat hanc in meritis Christi Domini, semper suis heroicis virtutibus, per Divinam misericordiam, cooperando; quanquam ex profunda animi demissione existimaret, nihil esse, quidquid ageret. Ac proinde, licèt in ipsius scriptis toties legantur anxietates, dubia, ac timores, in quibus vivebat; nunquam tamen versabantur circa salutem, sed viam tot visionum, quâ à Deo ducebatur, an foret secura. Hinc proveniebant vota ipsius, ac desideria ardentissima, migrandi ex hac miserabili vita, & contemplandæ in æterna Divinæ Majestatis: quæ nihilominus conjungebat summæ, in sanctissimam Domini sui voluntatem, resignationi. De his desiderijs sanctè præsumptuosis, ortis ex vivacissima illius spe, addit in suo jurato testimonio P. Michaël de Orenja hæc verba: Solebat mihi multoties dicere, suam animam esse instar aviculæ, quã aliquando uno pede vidisset alligatam filo, semperque sursum evolantem, & conantem se solvere, quæ si id potuisset assequi, sustulisset se in aërem, effugiendo hominum conspectum: atque sic animam suam, mortalitatis catenis vinctam, semper volitare affectibus, cupientem dissolvi, ut frueretur stabilitate illorum immortalium bonorum, quæ ipsi, diu noctúque ad ea aspiranti, toties Deus ostendebat. Dicebat mihi quoque, se interdum quærere ex Divina Majestate, quandonam futurum esset, ut illuceseceret ille exoptatus dies: & responderi sibi à Domino, ut se non affligat, brevi enim futurum; statimque subjungebat: Ah, Pater, quàm diuturnæ sunt breves moræ Dei!

Mater Maria de Sacramento, post multa relata de generosis hujus virtutis actibus, quos in sua Domina notavit, jurat etiam sequentia: Quamvis hanc tantam, adeóque bene fundatam in altissimis meritis, & pretioso sangvine Christi haberet fiduciam, támque ardenter optaret, ut ipsam Deus hinc auferret, id tamen faciebat, cum tanta voluntatis conformatione & resignatione, ut diceret, se, dummodo esset voluntas Dei, & aliquâ ratione prodesse posset suis proximis, hîc libentissimè permansuram ad finem usq; mundi. Huc spectat, quòd illam anno præterito, cùm vehementer esset afflicta, videns quædam fieri contra beneplacitum Dei, dicentem audiverim, quòd ipsam Divina Majestas bene posset ad se transferre, cùm jam ad nihil sit utilis. Tum ego illi dixi. Ah, mea Domina, utinam essem tam felix, ut te viderem surgentem ex hoc lecto, atque nobiscum euntem ad templum! Et respondit mihi: Confido in Deo, id non eventurum: hoc enim tanto me afficeret dolore, quantum sentiret aliquis navigans, qui post tolerata multa adversa, & superata multa pericula, videns se jam esse proximum, ut exscendat ex navi, adverteret excitari tempestatem, à qua repelleretur ad profundissimum mare. Domina Magdalena de Cisneros jurat, Virginem nostram magna prodidisse desideria moriendi, & hac de re loqui consveviſſe cum magno affectu, atque dum de eadem materia ageret, immutatâ facie, vultum præ se tulisse cœlestem, incitantem ad laudandum Deum. Hoc sufficiat de ipsius spe, ut nobis sit locus referendi aliquid in præsenti capite de ardenti illius charitate.

Hæc, ùt est omnium Regina Virtutum, ità etiam anima dans illis vitam; halitus, quo respirant; decor, quo exornantur. Et quandoquidem omnes tam florentes in ista Venerabili Domina vidimus, clarissimum est indicium, fuisse copiosissimum charitatis fontem, à quo irrigabantur. In purissimo hujus Virginis corde, jam inde à tenera infantia, usque ad mortem, viva quædam arsit fornax immortalium flammarum; perenne fuit flumen affectuosorum fluctuum, anhelitus perpetuus, continua solicitudinis aspiratio, indefectibilis motus versùs suum centrum. Fuit idem

amor sobria animæ ejus ebrietas; insatiabilis ipsius affectûs hydrops; sancta & prudentissima stultitia rationis; satietas, quæ illam semper relinquebat famelicam; vulnus lethale, quo vivebat; dolor, quo oblectabatur; arcana voluptas, quæ illam efficiebat Martyrem; deliquium, à quo confortabatur; ac denique fortitudo, à qua novis teneritudinis incrementis magis ac magis devinciebatur suo Dilecto. Omnes namque hi tituli, quibus Sancti Patres, & sacri Doctores compellant charitatem, dū ad arctissimam cum suo Deo pertingit unionem, & effectus, quos producit, deprehensi fuerunt tam vivaciter in nostra Virgine expressi, ut nihil scripserit, nullum peregerit negotium, & nè verbum propè sit locuta, quòd hanc veritatem manifestè non indicaret.

P. Fr. Andreas de Ponte in suo jurato testimonio sic ait: Æstuabat amore Divino, & hinc derivabantur in naturam magni ardores externi, ut ipsi necesse fuerit succurrere aquâ: erátque notorium, inextingvibilem sitim, quam patiebatur, processisse ex incendijs hujus Divini ignis, qui tantus ex sequentibus fuit causis. Primò, propter sublimissimam cognitionem Dei, quam illi idem Dominus communicaverat: quia enim est summum Bonum, & altissimum amoris objectum, quò meliùs cognoscitur, eò ampliùs amatur. Secundò propter debitam puritatem, quam hæc Venerabilis Virgo semper conservavit, nihil magis amando, quàm Deum. Tertiò propter magnas visitationes, revelationes, & gratias speciales à Deo habitas: nec enim tales favores præstat, nisi animabus, quæ summo feruntur amore erga immensam ipsius perfectionem. Quartò, quia continuò præsentem habuit eundem magnum Deum, eò quòd nunquam ab Ejus Majestate avelleretur, in qua præsentia tot annis, qui fuerunt propè octoginta, perseveravit, & quidem intenta assiduo omnium virtutum exercitio. Ac tandem quia prædita fuit gratiore pro collatis sibi gratijs indole, quàm ullum unquam noverim; fuerit etiam extraordinaria, omnémque excedens exaggerationem, magnitudo amoris, quo flagrabat, quandoquidem tam multa à Deo accepit. Meliùs id intelligetur ex quadam ipsius scheda, in qua animæ suæ aperit statum, & inter alia dicit hæc verba: Quid aget anima, quæ amore sui Dei est graviter vulnerata, & infirmatur, esuriens ipsum, vehementérq; hoc suum Bonum sitiens? Si non comedat anima, & non satietur, totam se Divinâ hac escâ replendo, eadem prædicta miserabilis natura (eò quòd se tantopere univerit, & familiarem reddiderit, atq; quodammodo indentificaverit spiritui, & aliquâ ratione conditionem ipsius participaverit) etiam deficit, & pessumit. Quid ergo remedij? Hucusq; hic testis, à quo non nisi tantillum ex multis, quæ ad præsens propositum juravit, accepi.

Multò adhuc prolixiùs hac de re jurat P. Michaël de Orenja, & fusissimè expendit causas, quas suprà nominatus testis commemoravit, addítque postea: Effectus hujus amoris, qui sensibus percipiebantur, ego ipse frequenter observavi ex calore, quem respirando meæ manui imprimebat, dum illi porrigerem epulum Evcharisticum. Et quia illam videbam grave corporis patientem incommodum, propter incendium, quod in illud derivabatur ex anima, imperabam ipsi, ut temperaret vehementiam affectuum amoris Dei, adlaborando, ut isti remanerent in superiore animæ parte, cohibitis, quoad fieri posset, potentijs materialibus. A Medicis, ob notitiam & experientiam, quâ perspectos habebant hos affectus, jubebatur interdum sumere aliquot aquæ haustus, ad temperandos illos ardores, qui erant tanti, ut mihi aliquando Marina Hernandez, illa ipsius socia, magna Dei serva, dixerit, videri sibi Dominam suam torreri ad ignem.

Mater Maria de Sacramento jurat sequentia: Quia amor Dei, qui in ipsius corde ardebat & pectore, adeò erat vehemens, tantíque inde procedebant ardores in vultum & manus, ut nos in rigore hyemis oportuerit flabello chartaceo excitare ventulum, ad dictas manus refrigerandas, quòd viderentur aduri: porrigebamus illi

idcirco

idcirco aliquot hauſtus aquæ frigidæ, propterea quòd cibus in ipſius ſtomacho combureretur. Aliàs in ea attollebatur ipſa pectoris latitudo, erátque neceſſe illud totis viribus, quibus ego & meæ ſociæ valebamus, comprimere. Calorem verò iſtum non fuiſſe naturalem bene erat advertere ex eo, quòd illi obnoxia eſſe non potuerit, tum ob tempus hybernum, tum ob tam provectam ſuam ætatem, tum etiam ob magnam ſuam debilitatem. Inſuper ſi per quampiam rimam vel modica ad ipſam aura ingrediebatur, penetrabat illam, & ſupra modum diſcruciabat, novam ei præbendo cauſam dolorum & alterationum. Addit Domina Angela de Oſorio, tantâ interdum vi fuiſſe ſuperficiem pectoris & ſtomachi elevatam, ut, cùm nec ipſa, neque ſociæ poſſent illum impulſum coërcere, ſolitæ fuerint adhibere patinam ligneam, quam ipſi omnibus viribus apprimebant, ad eum cohibendum.

Quid Doctor Gabriel Canſecus, vir, ſicut ſuprà dixi, ob ſuam virtutem ac doctrinam inſigniſſimus, de his effectibus ſenſerit, ſcripſit in ſuo juramento his verbis: Toto tempore, quo cum hac Domina ſum verſatus, ſemper in ea agnovi charitatem erga Deum & proximos, in gradu heroico: eandémque agnoſcunt, ac deprædicant, quicunq; illâ vivente cum ipſa egerunt. Innumeris vicibus, tum ex propria hujus Dominæ relatione, tum ex ſymptomatibus, quibus moleſtabatur; qualia erant, difficultas frequentis ac deproperatæ reſpirationis; item ſenſibilis & moleſtiſſimus calor in tactu, & ructus prodentes nidorem, quibus affligebatur, atq; ardens & incenſus aër, quem cum ingenti difficultate ſpirabat; animadverti hæc omnia fuiſſe indicia ardentiſſimi caloris & incendij, quod in cavitate pectoris & ſtomachi patiebatur. Atque cùm ſæpiùs illius vehementiam conſiderarem, perſvaſi mihi, non adeſſe cauſam adæquatam merè naturalem, ex qua tam intenſus ac moleſtus effectus poſſet oriri, & conſequenter illum provenire ex cauſa ſupernaturali. &c. Adfert deinde doctiſſimè rationes, cur hæc incendia non potuerint habere cauſam naturalem in ætate, complexione, & victu hujus Virginis, in qua curanda ſibi tantam comparaverat experientiam. An verò cauſa ſupernaturalis potuerit eſſe amor Divinus, ardens in ipſius corde, decernent, inquit, qui ferventi ſpiritu multa de amore Dei diſſerunt. Adjungo tantùm huic teſtimonio (ità præſens argumentũ concludens) multa exempla, quæ de internis his incendijs in multis extant Sanctis, & legi poſſunt apud P. Didacum Alvarez de Paz, doctiſſimum & ſanctiſſimum vitæ myſticæ Magiſtrum; neque defuerunt noſtro ſeculo. Quandoquidem Sancto Fratri noſtro Stanislao oportebat, durantibus hujuſmodi affectibus, cor aquâ refrigerare. Sancto autem Philippo Nerio (quod Breviarium Romanum in ipſius Lectionibus teſtatur) fuerunt incurvatæ duæ pectoris coſtæ, dando ſpatium impulſibus amoris, quo cor illius æſtuabat, dubio procul diſrumpendum, niſi naturales ſui ſitûs terminos habuiſſet dilatatos. Quod attinet ad modum, quo ſupernaturales affectus tam vehementer corpus immutant, nihil ille differt ab eo, quo idem corpus à naturalibus noſtræ voluntatis affectibus movetur ac immutatur. Imò quantò illi, propter participatum ab intellectu divinum lumen, ſunt vivaciores & efficaciores, tantò agent potentiùs in partem ſenſitivam. Hæc philoſophandi ratio (quamvis diverſæ ſint Theologorum ſententiæ) doctis eſt clara: Lectori minùs erudito ſufficiet, ſi eam credat, connitendo, ut, Divinâ opitulante gratiâ, potiùs per illius experientiam proficiat, quàm ut, ad ipſam intelligendam, profundis ſe ſpeculationibus immergat.



CAPUT

# CAPUT IX.

## Ardens ipsius charitas erga proximos, & quanta pro illis egerit.

ETsi, quæ hactenus sunt dicta, sufficientissimè probent ferventem hujus Virginis amorem erga Deum; moraliter tamen evidens istius veritatis indicium petendum est ex multis, quæ amore ejusdem Domini egit in proximorum utilitatem, ut ipsis in necessitatibus, tam spiritualibus, quàm temporalibus subveniret. Quia verò testes de hac materia prolixè loquuntur, neque finiretur historia, si omnia essent dicenda, paucis complectar, quæ scripta reperio, nihil commemorando, quod aliqui non jurent, & complura referendo, quæ, tanquam suis explorata oculis, multi attestantur.

Tanto hæc admirabilis Virgo deplorabat dolore ac sensu ærumnas, & calamitates suorum proximorum, ut solita fuerit suis Confessarijs dicere, quòd hac de causa sibi jam cor sit disruptum & consumptũ; atque si Deus molestari posset, pridem illum jam molestiâ affeciſſet, ac fatigavisset suis importunis postulationibus, diu noctúque ipsum invocando, & rogando, ut compatiatur imbecillitati, ac miseriæ humanæ. Cùm autem summo Divina Majestas erga homines feratur amore, multa ipsi revelabat de corruptis moribus, perditione & damnatione animarum: quod nihil erat aliud, quàm ligna adjicere ad ignẽ, quo vehementiùs ureretur, instantiùs earundem petendo salutem. In diversis verò personis fuerunt animadversi rari eventus efficaciæ, quæ his inerat precibus, ut desererentur peccata, & obtineretur gratia Dei, aut ab alijs augmentum virtutis. Potuit quidem eadem vis precum, dum quidam admirabiliter vitam suam immutarent, palpabiliùs agnosci, quàm earundem saltèm æqualis efficacia, in juvandis animabus Purgatorij: attamen non nisi duri cujuspiam cordis protervia fidem ijs negabit, quæ oculis non sunt conspecta, quando illam adeò persvadent, quæ visa fuerunt. Difficilius est gratiam à Deo impetrare, ut animam faciat emergere sive ex suo peccato, sive ex sua tepiditate, cùm requirat rebellis nostri arbitrij cooperationem, quàm remissionem exorare pœnarum perferendarum in Purgatorio, quæ à sola Dei liberalissima dependet misericordia. Et quia priùs illud in multis casibus fuit palpatum manibus, credatur etiam posterius, quod tanquam invisibile nostræ nequit subjici experientiæ.

Ex eodem amore Dei in Venerabili Marina (tametsi multùm, & per complures annos laboraverit, vim inferendo suæ modestiæ, nolenti præbere assensum, ut tanti esset operis instrumentum) provenit ille conatus, quem à Deo, significante ipsi expressè suum beneplacitum, compulsa, adhibuit in fundando & reformando Ordine S. Birgittæ in Hispania, ad tantam Dei gloriam, & fructum jam sub hac Regula militantium animarum, ut speretur, Deo favente, magnis per totum Regnum dilatandus incrementis. Animavit Deus hanc suam insignem servam ad molestias ac difficultates, quas in isto negotio erat perpessura; præscripsit illi, quid facere deberet, si ab Ejus Majestate auferretur ex hac vita, antequam executioni mandaretur fundatio primi Monasterij. Designavit ipsi novas Regulas, quæ essent addendæ, mutatis, aut reformatis antiquis, & accommodatis ad præsentia tempora, atque genios nostrorum Regnorum: eaſdémque illi Regulas, cùm jam conscriptæ fuissent, exhibuit insculptas cordi & pectori JESU Christi Domini nostri, ut ipsi significaret, omnes esse suas, & illas velut suum opus à se amari, séque velle, ut tanquam tales observentur. Visitavit nostram Virginem initio hujus moliminis Beatissima Virgo Domina nostra unà cum S. Birgitta,

gitta, quæ illi ostendit, qualis esset suæ Religionis proprius habitus, cujus antehac Venerabilis Marina nè minimam habuerat notitiam; jussitque ipsam ad dictum habitum adjungere scapulare, ut se comuni Monialium in Hispania usui conformaret. Mandavit illi deniq; Christus Dominus, ut nomine ipsius diceret suo Confessario, P. Michaëli de Orenja, ut in se susciperet solicitam hujus operis procurationem, quod is diligentissimè est executus eo fervore, quo consveverat opera tendentia ad Divinum honorem: promovit illud cum magna prudentia, adjutus consilio & precibus ejusdem Sanctæ Dominæ. Videns verò id in hoc negotio ante omnia curandum esse, ut dicta Regula approbaretur à Christi Vicario, imploravit, per supremum Aulæ tum Præfectum, favorem Regis Catholici Philippi quarti, quem Deus conservet. Hic autem pro pijssimo suo zelo statim scripsit ad suum Legatum, & Cardinalem de Borgia, ut id peteret à Sanctissimo Domino Nostro Papa Urbano octavo: iste autem sufficienter informatus expedivit Bullam, quâ confirmavit Regulam, sicut illi à Venerabili Marina fuerat proposita. Atque Rex non contentus hoc facto primum Regiâ munificentiâ fundavit Cœnobium.

Fuit quoque hæc fidelissima famula Dei admirabilis in benignitate, & commiseratione erga proximos, quos in Christo tenerè diligebat, & propterea graves in sua juventute sustinuit à quadam persona persecutiones. Narrabat illa (attribuens humillimè eventū Divinæ bonitati, quasi ea in re nihil virtus ipsius egisset) sibi quadam occasione magnæ famis à suo Parente datum fuisse medimnum tritici, ut subveniret paupetibus, atque à se panem, quem inde suismet manibus confecisset, liberaliter distributum omnibus eleemosynam petentibus; torâ domo obstupescente, tamdiu illam farinam duravisse, ut ex ea habuerit, quod largiretur egenis, toto pene tempore, quo duravit necessitas. Anno sexcentesimo, trigesimo, qui in Castella Vetere fuit steriliſſimus, ipsi à personis beneficis fuerunt submissæ eleemosynæ, ad sustentandas suas domesticas, & succurrendum nonnullis proximorum necessitatibus. Videtur illi tum indubitanter, fidelissimorum testium judicio, fuisse multiplicatum, quod accipiebat: multa namque in domo ipsius dabantur pauperibus mendicis; mittebatur subsidium quatuor, aut quinque honoratis familijs, quas à mendicando retrahebat verecundia; sublevabat Monasteria indiga integris tritici medimnis; ut, nisi Deus acceptum multiplicavisset, impossibile visum fuerit, potuisse sufficere ad tot expensas. Animadversum specialiter est, quòd allato pane pisto, qualis prostabat venalis, tantúmque ponderante, quantum ipsius sociæ absumere consveverant, dum is postea revocaretur ad calculos, repertum fuerit, omnibus illo refectis, tantundem tamen fuisse datum mendicis, acsi ipsæ nihil inde absumpsissent. Mirabantur illæ, & Sancta ijs respondebat: Nolite mirari filiæ, diuturnâ enim experientiâ didici, tantopere à Deo æstimari pauperes, & quod pro ipsis fit, ut modicum multiplicet pro multorum sustentatione.

Quis non obstupescat, à Virgine paupere, & carente omni patrimonio, vivente eleemosynis fidelium, has nihilominus potuisse erogari tam copiosas, atque inde dotari octodecim Virgines, quas in diversis collocavit Monasterijs, & minimùm quatuor alijs provideri de statu matrimoniali; fundari in quibusdam Cœnobijs reditus pro lampade arsura coram Sanctissimo Sacramento, in ijsdémque institui aliquot Missæ Sacrificia; ac denique pro tot pijs operibus necessaria suppeditari, prout erat publicum, & exploratum tot gravibus testibus, quid id juratò asserunt? Immensus erat labor, quo illi singula ista constabant, neque minor difficultas, ut puellis quibusdam, & pueris orphanis procuraret Dominos, ac Dominas, à quibus deinde protegerentur; utque impetraret à nonnullis Prælatis Religiosis susceptionem quorundam proborum adolescentium, qui se ipsi commendabant: præcipuè verò, quòd se videret à DEO, à quo illi id

expreſsè mandabatur (cùm alioquin quoad hoc naturæ eſſet verecundiſſimæ) impelli ad acceptandas, & quandoq; petendas, plures eleemoſynas, quàm pro ſe ipſa indigeret, tantùm ut ſuccurreret ſuorum proximorum indigentiæ.

Verùm me in majorem rapiebat admirationem modus, quo magnus Deus noſter & Dominus eleemoſynas apud hanc ſervam ſuam deponebat, qui, licèt ab alijs inſinuetur teſtibus, à Matre tamen Maria de Sanctiſſimo Sacramento, tanquam ipſi familiariore, diſtinctiùs, & præſtito juramento deſcribitur, cujus hîc verba referam, quæ ſunt ſequentia: Compellebatur à Deo ad facienda hæc opera, & ſuſcipiendas eleemoſynas, quæ illi ob hos fines offerebantur. Obtemperabat, & utebatur his rebus, perinde nihil ipſis adhærendo, acſi ad illam non ſpectarent, ut de ijs diſponeret: conſiderabat illas non ùt ſuas, ſed inſtar facultatum, quas Deus fidei ipſius commiſiſſet, nihilq; expendebat, nisi ſummâ urgente neceſſitate. Idcirco diligenter examinabat illas, quæ ad eam veniebant, ut ſe ad ipſius contubernium reciperent, dicebátque ijs, ut id quàm optimè expenderent, à ſe enim nihil poſſe ipſis dari, útque conſiderarent, quâ ratione poſſent abſque rebus ſibi neceſſarijs vivere. Accidit mihi aliquoties, ut, cùm illi dicerem: Ecce, Domina, tali ſociæ noſtræ deeſt toga, vel aliud hujuſmodi; ipſa mihi reſponderet. Quid igitur faciemus? conſidera id amore DEI. Bene ego ijs dixi, ut priùs expenderent, quid agerent, quódque eſſent contriſtandæ, ſi ſe viderent rebus neceſſarijs deſtitutas, neque adeſſe, à quo hæ illis dentur. Si ego aliquid haberem, quàm libentiſſimè ipſis darem: ſed quod hîc extat, non eſt meum, nihilque inde præſumam dare. Adverte, cùm alia mea tibi ſint perſpecta, etiam hoc tibi dico. Non ſum ego, quales ſunt Domini hujus mundi, qui de rebus, quas habent, poſſunt diſponere, eáſque donare, cui ipſis placet: ſum diſpenſatrix, atque DEUS mihi dicit: Fac iſtud, & illud noli facere; quod quidem eſt ſummum meæ animæ ſolatium: alioquin vehementer affligerer, cùm ſemper optaverim ex animo, me omnibus rebus expoliare, & pauperem amore Chriſti agere vitam. Hoc mihi dicebat, & aliâ viâ curabat, ut ſociæ ſuccurreretur neceſſitati, cui ab alia quapiam perſona dabatur, quo opus habebat, ipsâ non petente, nihílque dicente. Atque etiam hac ratione ſocia id, quod illi donabatur, non accipiebat abſque licentia, ſeu quidlibet aliud, quod in domum inferebatur. Mira autem erat DEI hac in re providentia: nam ſi quæ ſocia hunc morem non obſervabat, & alias regulas, quas habebamus, non perſeverabat in ejus domo. Licèt enim à famula DEI non amandaretur, videbatur ex ea ab ipſomet DEO expelli. Si quæpiam ſociarum aliquid habebat proprij, quo ſe ſuſtentaret, nihil ei dabatur ex domo, ſed mittebatur alijs pauperibus. Quando illi DEUS injungebat aliquid faciendum, deſignando opus ceſſurum ad ſuum honorem, in quod allatam ipſi eleemoſynam impendi volebat, exequebatur id quantocyus, ità ut nè obolus domi ſupereſſet, interdúmque neceſſe foret, quod quidem ego vidi, auferre quodpiam tegumentum ex paupertino ipſius lecto, ad exolvendum contractum debitum. Tum verò erat contenta, affluebátque ſolatio, & ſingulariter gaudebat ac lætabatur, videns ſe penitus inopem, quod tamen non diu durabat: magnam ſiquidem illius gerebat curam Deus, providendo ipſi ſubitò de alijs eleemoſynis, & ſæpenumero per tales perſonas, de quibus minimè poſſemus cogitare, aut ſpem concipere. Quadam hujuſmodi occaſione, poſtquam omnia diſtribuiſſet, venit illi in mentem, ſe, propter calamitoſa tempora, quæ tum erant, non habituram, quo ſubveniret alijs proximorum ſuorum neceſſitatibus, ideóque dixit ad Deum. Jam actum eſt, mi Deus, nihil ampliùs fieri poterit, quia ingens eſt temporum calamitas. Divina autem Majeſtas illi reſpondit. Fac quidquid hac in re volueris, ego enim tibi dabo, unde id facias. Et ſtetit Deus promiſſo, quia ipſi brevì ſuccurrit, & ſubmiſit, unde

unde tres suas alumnas collocavit in statu Religioso, præstitítq; alia opera Divinum obsequium concernentia, quorum omnium executio mihi incubuit.

Multo illi constabat labore tot sociarum, quoad omnia, gubernatio, singulæque recenter advenientes novæ ipsi præbebant solicitudinis occasionem: non enim nos considerabat tanquam ancillas, sed acsi essemus plus quàm filiæ, curam gerendo majoris profectûs animarum nostrarum, docendo nos, & non pauca tolerando, propter diversos singularum genios, qui in quibusdam erant admodum molesti. Intelligebat serva Dei, cujus unaquæq; nostrûm esset indolis, longè meliùs, quàm à nobis ipsis cognosceretur, & animadvertebat, ad quid singulæ forent idoneæ, atque perspectâ cujuslibet capacitate & virtute, disponebantur ab ea ad statum, cui illas erat addictura. Quamvis verò hæc omnia faceret ex specialissima Dei illuminatione, nihil decernendo, quod non priùs impensissimè commendavisset Deo, & exquirendo judicium suorum Confessariorum, posétque ipsa pro magna sua habilitate omnibus consilium dare, tanta nihilominus erat illius humilitas, ut à nobis peteret, quid judicaremus; cùm tamen singulæ id ab ipsa petere possemus, quod illi solenne erat in quibusvis rebus. Dum aliquando novam vellet sociam admittere ad domum, dicebam ipsi mecum ea super re conferenti. Mea Domina, sumus sufficientes, etiámq; tibi nonnulli obloquuntur, quibus videmur esse multæ: & profectò me hæc oblocutio plurimùm affligit. Sancta ridebat, dicebátq;: Bene dicunt, sumus enim multæ; sed cùm id velit Deus, quid refert? impleatur sanctissima ipsius voluntas, qui me dignatus est hac viâ, tam alienâ à mea propensione, ducere. Hæc sunt pauca ex multis, quæ de charitate erga proximos juravit Mater Maria de Sanctissimo Sacramento.

Prædicta, quæ in bonum proximorum egit, non satisfaciebant generoso, & amantissimo cordi nostræ Virginis: sed etiam notabiliter illis profuit scribendo, quamdiu potuit, ac deinde dictando spiritualia documenta, & salutaria consilia pro omni hominum genere. Multoties magna cum admiratione (ait in suo juramento P. Michaël de Orenja) considerabam, quomodo mulier tam afflicta tot se rebus posset impendere, alijs aures præbendo, alijs scribendo; solicitando de subsidijs pauperum, & de spirituali sociarum profectu, de solatio Monialium, de directione cujusvis statûs hominum; conscribendo admirandas, divinâ plenas prudentiâ instructiones pro animabus, earúmque directoribus Magistris, extendente se ipsius charitate etiam ad procul dissitos: scripsit enim præclaram epistolam exhortatoriam ad Catholicos Angliæ. Petebat à Deo illius Regni conversionem magno affectu, qua in re illam Divina Majestas exaudivit, licèt cum addita admonitione, eam conversionem non futuram ipsâ vivente. Tantum diu noctúque tribuebat temporis his operibus charitatis, ut non solùm miraret, ei suppetere vires, pro tam magno labore, verùm etiam eundem tolerari posse à sociabus, quarum vices dolebam, eò quòd ipsis inter has occupationes multùm noctu esset vigilandum. Quia Venerabilis Marina per diem pérque noctem non dormiebat ultra sesquihoram circiter, & quibusdam diebus ab omni prorsus somno abstinebat: omne autem reliquum tempus transigebat contemplando cœlestia, patiendo, & laborando, ut proximis suis benefaceret.

Dictis addit Pater Frater Andreas de Ponte: Siquidem Venerabilis Domina nunquam ultra horam & dimidiam somnum protrahebat, nonnullis verò diebus penitus insomnis perdurabat, suppetebat illi inter alia, quæ agebat, tempus scribendi tot ac tam admirabiles tractatus pro utilitate proximorum. Unus fuit, de modis supernaturalibus, quibus se DEUS communicat animæ: alter, quomodo anima DEUM cognoscat per alloquia interna: tertius, de medijs, quibus obtinetur perfectus amor DEI, & de ejusdem impedimentis: quartus, decausa & medijs actualis in anima præsentiæ DEI: quintus, qualiter sponsa

Christi amare debeat crucem, ad ejusdem Domini imitationem: sextus, in quo consistat actualis præsentia Dei in anima: septimus, de instructione Confessariorum, pro adjuvandis animabus: octavus, de Prælatis Religiosorum Ordinum. Omnes hi tractatus, etsi breves, sublimem continent doctrinam, ac talem, ut eam doctissimi viri fuerint admirati. Non possum silentio præterire, quomodo hæc Virgo inter suos dolores, non sinè Divina inspiratione, scripserit vitam Marinæ Hernandez, & ipsius obitum. Convixit illi hæc sancta Matrona viginti quinque annis, operâ ejusdem utebatur Domina Marina in omnibus peragendis, erátq; insignis Dei serva Multa recenset nostra Virgo, tanquam testis oculata, de ipsius virtutibus. Fuerat conjugata, atque tam in statu matrimoniali, quàm in viduitate, vitam agebat sanctissimam, adeò ut nostra Domina Marina lectum suæ sociæ Marinæ Hernandez moribundæ viderit circumdatum ab Angelis, & postea felicem illius animam in cœlo magnâ conspicuam gloriâ. Omnes hos tractatus ego habeo. Hactenus P. Fr. Andreas.

Multa hujusmodi à se observata asserunt ipsius sociæ, & eæ, quibus illa confidebat sua arcana: dicunt autem, contracto earundem juramento in compendium, sequentia. Quavis occasione illam vidimus, magno amore ferri erga suos proximos, quo impellente ipsam vel oportebat pati, vel ad varia loca, atque ad diversos scribere schedas & epistolas, singularem continentes consolationem, aut instructionem, plenas divino lumine, quod illi à Deo communicabatur. Nisi enim Deus ipsi inspiravisset, ut eas scriberet, procul dubio ab illis abstinuisset; quia erat verecunda, & invita se in aliorum acta ingerebat. Quòd à Deo compelleretur ad scribendū, bene tum advertebatur, quando rogabatur à quibusdam Religiosis, ut huic vel illi efficaciter scriberet, quòd non bene viveret, aut alia hujusmodi, quibus respondebat, epistolam suam nihil profuturam, neque se scire, quid ipsis posset dicere, nisi sibi aliud à Divina Majestate manifestaretur. Instabant illi, & Venerabilis Marina incipiebat scribere, neque sciebat progredi, & sinè mora scriptionem abrumpebat cum magno suo dolore, quòd non posset gratificari petenti epistolam, vel juvare proximum consilio indigentem. Contrà verò, quando scribebat jussu Dei, accidebat id illi perfacile, & consilia ipsius ac monita erant efficacia. Atque licèt essemus tres, quæ sciebamus scribere, non deerat tamen omnibus, quod ageremus. Cùm autem ab acerbioribus cruciatibus impediretur, quò minùs se exercitijs impenderet charitatis, vehementer dolebat, quòd suis proximis opitulari non posset, sicut vellet.

# CAPUT X.

## De singulari spiritu prophetiæ, quem Deus huic Virgini communicavit.

POllicitus sum in prologo hujus tertij libri, me aliquid de spiritu prophetico, quem Deus isti suæ purissimæ sponsæ communicavit, & de magnis miraculis, quæ Deus per illam est operatus, dicturum, post enarratū felicem ipsius obitum, & gloriosas exequias. Videor verò posse redargui, quasi non servaverim propositum, cùm me per integra sex præcedentia capita detinuerim, seu diverterim, in commemorandis succinctè heroicis hujus Virginis virtutibus, quas longo vitæ octoginta propè annorum decursu, cum indefessa perseverantia exercuit. Exiguo tamen meo judicio non sum præfixos transgressus terminos, neque ullatenus aberravi à via, cui insisto, tum quia in serie miraculorum istius Venerabilis Dominæ primum, omniúmque maximum existimo esse eminentissimam perfectionem, ad quam

quam per virtutum usum fuit evecta; tum etiam quia minùs credibilia, quod ad originem attinet, tanquam à bono processerint spiritu, viderentur miracula & prophetiæ alicui, qui virtutum ipsius præstantiam & soliditatem non conspexisset. Quò altiùs & pulchriùs statua assurgit, eò prudentiùs metuitur illius ruina, si ipsi non congruat basis quoad firmitatem ac stabilitatem. Spiritus propheticus non semper est indicium sanctitatis, eò quòd haberi possit cum peccato; opera oculis hominum admiranda non semper sunt effectus virtutis, cùm illa sciat quàm vivacissimè adumbrare Satanas, & efficere, ut etiam perspicacissimo intellectui videantur esse supernaturalia. Nihilominus dum excellens sanctitas, & virtutes morali elucent evidentiâ, quæ hac de re in cæo isto peregrinationis statu haberi potest, tunc admodum probabiliter illius personæ, quæ ijs est prædita, prophetias censemus esse Divinas, & judicamus ejusdem miracula esse vera: atque hæc ipsa miracula & prophetiæ, quæ pro talibus habentur, nobis earundem virtutum excellentiam reddunt probabiliorem. Solet namque magni Dei ac Domini nostri liberalitas hujusmodi donis impigram in ejus obsequio sanctitatem condecorare. Ista fuit causa, ob quam priora scripsi capita, potiúsque hoc subsequente loco ea, in quibus agitur de prophetico, & miraculorum patratore spiritu, quàm alio. Necessariò enim alicubi in secunda hac parte erant scribenda, cùm sanctus Pater Ludovicus in prima sua hujus historiæ parte referre non potuerit, quæ tot annis pòst testes jurati asseruerunt. Exordiendo itaque ab omnimoda veritate, quâ ipsius prophetiæ multis annis antè enuntiatæ, & nonnullæ de rebus omnem excedentibus creaturarum potentiam ac scientiam, eò quòd dependerent à libero hominis arbitrio, fuerunt impletæ, paucis complectar philyris, quæ in authenticis & juratis processibus fusè referuntur, à personis omni exceptione majoribus, & sunt sequentia.

Dum nostra Societas filiali affectu optaret, videre honoribus ab Ecclesia auctum magnum suum Patrem, & Patriarcham Sanctum Ignatium, rogaverunt Venerabilem Marinam Patres, qui tum cum illa agebant, ut sibi hoc negotium singulariter curandum assumeret, commendando illud Divinæ Majestati, quod Virgo fecit, & divini oraculi percepto lumine asseverantissimè dixit suis Confessarijs: Nec Papa, qui nunc vivit, neque is, qui illum sequetur modico victurus tempore, sed pòst hos duos tertius Beatum pronuntiabit sanctum Patrem Ignatium. Hoc subitò fuit per totam Provinciam nostram divulgatum, & P. Michaël de Orenja jurat, se id, cùm juvenis vacaret studijs, audivisse à senibus Patribus, sempérque curiosè observavisse, an esset implendum, & suis vidisse oculis, quòd ità prorsus evenerit. Qui enim tum vivebat, erat Clemens octavus, quem immediatè secutus est Leo undecimus, cujus regimen paucorum fuit dierũ; & huic successit Paulus quintus, qui Beatorum accensuit numero Sanctum Patriarcham. Idem jurat P. Ferdinandus de Espinosa. Addit P. Fr. Andreas de Ponte in suo juramento hæc verba: Revelavit illi Deus multis annis antè, adscriptum iri Sanctorum fastis glorioſum Patrem Sanctum Ignatium: etiámq; mihi, priusquam in album Beatorum referretur, aliquoties dixit, id esse certum. Et quamvis sciret, à nonnullis Sancto minùs addictis judicari contrarium, audivi idem ab illa multoties asseverari: addebat autem, se hoc visuram antequam à Deo ex hoc mundo auferretur. Utrumque per Divinam bonitatem impletum esse patuit.

Dum P. Christophorus de Ribera, qui propter suas multas virtutes sanctus fuit appellatus, visitaret, tanquam Præpositus Provincialis, nostrum Collegium Oviedi, anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo nono, significavit ipsi hæc Virgo per suum Confessarium, ut inde quantocyus discederet: alioquin enim, si se sibi detineret, corripiendum peste, & ex ea obiturum. Executus est id P. Provincialis, atq; paulò pòst oppidum illud, quod cœli gaudebat salubritate, invasit pestis, & omnis conditionis homines vitæ fuerunt periculo obnoxij.

Patri Michaëli de Orenja dixit Venerabilis Marina, quandam personam brevì morituram, & à Deo propterea privandam vitâ, quòd iratsceretur cuidam alteri, cui illa, quæ erat moritura, sangvine fuit proximè juncta. Respondit ipsi Pater, quòd Deus sit misericors, sciátque sententiam pœnæ suspendere, si emendaretur vita illius, qui esset reus. Verum est, reddidit Virgo; hac tamen vice mandabitur executioni: vidi enim à Deo intentari ictũ lethalem. Distabat illa persona multis levcis, sed evidenter deprehensum est, eandem postridie incidisse in morbum, & eâ ipsâ septimanâ obivisse.

Quidam Religiosus ex Ordine S. Dominici valde probus, & sancto incensus zelo, voluit proficisci in Indias, opem laturus animabus: petijt consilium à Sancta, quæ illi svasit, ut à proposito desisteret, eò quòd zelus ipsius, licèt esset bonus, non esset tamen prudens: quia ille Pater erat naturæ austeræ, minúsque idcirco idoneus ad agendum cum hominibus fragilibus, & recenter conversis. Noluit obtemperare, & uno anno ante ejus mortem hæc Virgo illam ipsi prænuntiavit, dixítque id P. Fr. Andreæ de Ponte, quod juratus asserit; atque evenit, sicut illa dixerat. Siquidem, dum jam esset conscensurus navim, incidit in febrim tertianam, cujus tertio paroxysmo fuit extinctus. Socij ipsius, qui illi aderant, & sciebant, ei à Sancta fuisse svasum, ut ab ea profectione abstineret, illum monuerunt, ut peteret à Deo veniam, quòd famulæ ipsius morem non gessisset.

Sequentis eventús testis est oculatus P. Fr. Andreas, & jurat, omnia ipsius operâ interveniente fuisse acta, quæ idcirco, licèt ab alijs quoque referantur testibus, dicti tantùm Patris enarro verbis: Habebat Domina Marina sororem nomine Julianam, tam anxiæ conscientiæ, ut nemo Vallisoleti sacramentalem illius confessionem vellet excipere: incipiebat jam delirare. Et spatio quadraginta sex annorum, quibus animarum gero curam, nihil in hoc genere tam terribile, aut simile sum expertus. Commendabatur impensè Deo à Domina Marina; solabantur ipsam viri doctissimi, & nihil sufficiebat. Tandem autem, & quidem disertissimis verbis, dixit nostra Virgo prædictæ Sorori, ut haberet patientiam; non enim expedire ipsius animæ, ut liberetur à scrupulis, quoad viveret: sub horam tamen mortis, & in confessione, quâ tunc animam esset expiatura, restituendam à Deo quieti. Ità factum est. Vocatus fui ad commodandas confitenti aures, non sinè ingenti meo timore, & miratus sum opera Dei: nam confessa est cum magna pace ac tranquillitate, suscepítq; omnia Sacramenta, actũ nunquam scrupulis fuisset exagitata.

Post alia subjungit prænominatus P. Fr. Andreas. Certò mihi constat, quia id sæpe sum expertus, quasdam personas, eò quòd non acceptaverint ipsius admonitiones, neque secutæ fuerint ejusdem consilia, gravibus à Deo, & peracerbis fuisse castigatas pœnis temporalibus. Manifestabat mihi Virgo aliquot mensibus antè, distinctéque exprimebat pœnam, quam Deus ipsis cominaretur. Ego de ea illas personas prænonebam, cúmque manerent obstinatæ, ità planè puniebantur, ac dixerat. Vice versâ ijs, qui sanctis ipsius consilijs obtemperabant, vidi prosperè negotia cessisse: cujus rei longam ex multis eventibus habeo experientiam, per tot annos, quibus cum illa sum versatus, quos singillatim non refero, cùm id non conveniat, nè in eorum, quibus acciderunt, deveniatur notitiam.

Dixit quodam tempore matutino Venerabilis Marina P. Michaëli de Orenja, suo Confessario, dum Rectoris fungeretur munere, in nostro Collegio S. Ambrosij: Pater, hac nocte me isti mei Domini Angeli duxerunt ad templum Tuæ Paternitatis, & ostenderunt mihi corpus S. Patris Ludovici de Ponte, quod certè sum venerata, tanquam corpus sanctum. Interrogavit illam tum Rector, qualiter corpus esset constitutum, & ipsa respondit, non esse prorsus integrum, neque omnino consumptum, sed cœpisse corrumpi, ità ut possit dignosci facies, atque retinere adhuc suos crines in capite ac barba. Præter hæc, alia quoq; distinctissima promitit indi-

indicia eorum, quæ viderat. Redivit P. Rector, & dimissis post meridiem omnibus Professoribus ac Scholasticis recreationis causâ ad hortum, se cum Fratribus Coadjutoribus occlusit in templo; jussit exhumari corpus, aperuit tumbam, non dicens illis nisi postea, cur id faceret: & repertum est, eam penitus referre speciem, & habere signa, nec uno quidem discrepante, quæ ipsi Virgo dixerat.

Quadam vice Deus huic Virgini dixit: Veni citò mecum, veni mecum, & ostendam tibi, quid agatur. Duxit illam, nullâ ei concessâ morâ, ad locum procul distantem Vallisoleto, ostenditque ipsi quoddam opus, & occupationem nonnullorũ, quos Pater Orenja noverat. Notavit Virgo locum, actiones, vultus, & constitutionem omnium, retulitque universa dicto Patri Orenja, suo Confessario, qui unum illorum in bonum ipsius de hoc facto admonuit per epistolam, & quantopere Deus esset offensus, exponendo singillatim, quæcunque fuerant acta. Respondit ille fatendo ità omnino esse, vehementer obstupescens, rem tam remotam; adeóque secretam fuisse tam celeriter resciscitam, & quidem cum tam clara omnium circumstantiarum notitia.

Correptus fuit morbo in nostro Collegio S. Ambrosij P. Lopez Otto de Angulo, & quia erat optimus Religiosus, plurimúmque utilis in officio, quod ex obedientia gerebat, rogavit multùm P. Rector Venerabilem Marinam, ut ipsum commendaret Deo, quò ei dignaretur reddere sanitatem. Ipsa id fecit, ac deinde illi dixit: Pater, feci quod mihi Tua Paternitas mandavit: verùm S. P. Ludovicus de Ponte mihi omnem de eo spem sustulit, dixítque, animam hujus Religiosi à se præsentandam Divino conspectui, ubi expiraverit, aut paulò pòst. Mortuus fuit ægrotus intra biduum vel triduum. Notandum autem est, illum specialiter fuisse charum P. Ludovico de Ponte, eidémque valetudinario inserviviſse toto tempore, quo Artium ac Theologiæ studijs operam navabat.

Quomodo hæc Virgo opem attulerit Portui Diviti, & quæcunque ibi evenerunt, non solùm novit tota Hispania, sed etiam ego alibi recensui. P. Michaël de Orenja jurat, se multis mensibus, antequam ea hîc scirentur, audivisse ex ore ipsius expressissimè, quæ illic fiebant. Scribit præterea, qualiter liberaverit classem nostram ab exercitu Anglico, interpositâ nebulâ, nè nostra à classe hostili invaderetur. Atque id, quod in Hispania innotuit, cùm nostri è navibus exscendissent, jurat uterque Confessarius, se intellexisse longè priùs, sibíque de die in diem ab ipsâ fuisse narratum, quid cum classe nostra ageretur, quam illa semper comitabatur.

Item ambo jurant, quòd hæc Venerabilis Domina ipsis aliquando dixerit, ostensum sibi fuisse in mari ingentem tumultũ, & interceptum esse argentum ab hostibus, quod advehebatur ex Indijs. Fuit ab uno illorum interrogata, quid evenisset tot animabus (solita enim erat in hujusmodi conflictibus videre, quæ salvarentur, aut damnarentur) & respondit, nullam sibi exhibitam fuisse à Deo. Cùm id audirent, ac divinarent, Hispanos se nequaquam dedidisse absq; conflictu, & moraliter esse impossibile, ut, si conflixissent, nulla fuisset edita strages hominum, dixerunt illi: Videtur, non fuisse interceptum argentum & classis, sed naves aliquæ mercatorum venientes in Hispaniam. Non, Patres, reposuit ipsa; sed argentum, ac thesaurus, qui ex Indijs Regi, & privatis advehi consvevit, est perditus, ablatúsque ab hostibus. Redditi fuêre perplexi, & post aliquot menses viderunt, ità verè evenisse; spectavítque post aliquot annos Hispania capite plexum classis Ducem, quòd nullo explosо tormento bellico, neque educto gladio, tam opulentam prædam Hollandis tradidisset.

Comparuit eidem Virgini Sanctus Patriarcha cujusdam Ordinis Religiosi (existimo id accidisse eo anno, quo obijt) comitantibus ipsum nonnullis Sanctis Patriarchis aliarum Religionum, dixítque illi: Vides, meos filios conventuros ad electionem novi Prælati, à quo regantur, ac tractaturos negotia suæ Congregationis; rogo

go te, ut illos commendes Deo. Ipsa tergiversabatur dicens, se parum posse præstare, futuram tamen, quod ab eo juberetur, ut illi obediat, atq; id melius ab ipso fieri posse, qui frueretur Deo. Ità faciam, respondit Sanctus: verùm etiam tu preces tuas offer, cùm Deus magni faciat preces Justorum degentium in terra. Scias quoque, me adfuturum Capitulo cum his Sanctis Patriarchis, quos hîc vides. Sic Sancti valedixerunt Virgini, & illa, quemadmodum animam suam pandere consueverat, narravit visionem Confessario, cui post paucos dies dixit: Fuit hîc herì talis Religiosus (erat vir magnæ in suo Ordine authoritatis, qui ibi vivebat) dixítque mihi, Superiorem, qui se abdicaturus erat officio, ac duos tréve alios ex Capitularibus brevì adventuros, & ab his videri adferendam jam peractam electionem; innuens, ipsos venire, postquam jam inter sese concluserunt, quem essent electuri, & qualiter pro suo beneplacito distributuri officia. Adfuit denique designatum tempus, ingressi sunt stato die Capitulares locum suæ electionis, & cùm illam postridie ipsius Confessarius adivisset, ut exciperet ejus confessionem, illíque celebraret Missam, dixit ipsi Venerabilis Marina. Herì jussu Dei adfui Capitulo illorum Religiosorum, & vidi, postquam consedissent, Sanctum eorundem Patriarcham ingressum fuisse, cum alijs Sanctis, quos Tuæ Paternitati nominavi; atque severo vultu ad quendam ex ijs Religiosis considentibus accessisse, arreptóque ejusdem habitu, illum magno impetu & vi extrusisse ex conclavi, ità ut ibi ultrà non comparuerit. Accessit deinde ad alium, quem apprehendit, ut & ipsum ejiceret: verùm is aliquantùm restitit, & allegavit quasdam causas, quæ tamen illi nihil profuerunt, nec à Sancto sunt approbatæ, ideóque fuit ex conclavi ejectus, sicut præcedens. Postea Sanctus Patriarcha arripuit alium, qui magis repugnavit, attulítq; rationes, quibus quidem Sanctus Patriarcha sibi minimè satisfactum esse ostendit, nihilominus ipsum reliquit, quasi alio tempore promeritam pœnam luiturum. Hoc Sancta suo Confessario recensuit; ille observavit, quid esset eventurum. Accidit verò, ut intra octo circiter dies primus illorum fuerit mortuus, alter paulò pòst: uterque enim obijt durante Capitulo. Tertius autem graviter ægrotavit, & quamvis convaluerit, sæpe dixit, se non victurum usque ad finem sui officij, sicut factum est, quia citò è vita migravit.

Missus erat Madrito specialis Cursor, qui significaret, Regis filiam ægrotare, ut illam Venerabilis Marina commendaret Deo. Monita de hoc fuerat à suo Confessario, petente ut id faceret. Audito nuntio, modicùm hærens, séque internè colligens Virgo respondit: Filia Regis ex hoc morbo morietur. quod intra paucos dies evenit.

# CAPUT XI.

## Continuatur idem argumentum, de veritate ipsius prophetiarum.

QVando Adolphus Sveciæ Rex, & Orbis terror, ingressus est Germaniam, Venerabilis Marina, cùm intellexisset damna ab ipso illata Catholicis, & metum aliorum graviorum, quæ intentabat, cœpit zelare more suo pro bono Ecclesiæ Romanæ, atque hoc negotium impensè Deo commendare. Tametsi verò à Divina Majestate peteret hujus hæretici conversionem, dolens, ùt ipsa ajebat, hominem tam nobilis naturæ, tótque prærogatis animi dotibus, ac tam egregiâ indole præditum, ruere in exitium: aliud nihilominus in suo corde, & vehemens sentiebat desiderium ipsius interimendi, & exterminandi illius hostis Fidei, quandoquidem obstinatè nollet converti. Admiranda hunc eventum concernentia fuerunt acta

acta cum Deo, de quibus libro secundo nonnihil annotavi. Sæpe in spiritu est allocuta impium Regem, mirumque fuit, quòd illũ tam genuinè descripserit, quoad colorem, formam capillorum, lineamenta faciei, staturam, habitum corporis, & ætatem, ut ambo ipsius Confessarij jurent, verissimam illius imaginem, ex Ungaria allatam, exactissimè respondisse verbis, quibus ab hac Virgine fuit repræsentatus. Semper (dum Tyranni prosperitas maximè videretur fore durabilis, & insuperabilis potentia) suos Confessarios, qui metuebant & angebantur, propter periculum, quod adire posset Fides Catholica, jubebat esse bono animo, moriturum enim esse hæreticum Principem. Atque ità prorsus contigit, quia suis precibus à Deo impetravit, ut ipsi auferret dæmones familiares, quos sibi habebat assistentes. Cúmq; etiam postea maneret obduratus, & in magnam ageretur rabiem, quòd infernali destitutus esset subsidio, cui priùs inhitebatur, jam tanquam imbellem hæc Virgo armis invisibilibus est aggressa, datis sibi à Deo (quæ precum ipsius repræsentabant efficaciam) prostravitq; illum humi, & vidit coram oculis suis extinctum. Hæc jurant P. Michaël de Orenja, & P. Fr. Andreas de Ponte, se audivisse à Virgine multò antè quàm acciderunt. Mater verò Maria de Sacramento, arcanorum ipsius particeps, fatetur in suo jurato testimonio, se aliquot mensibus citiùs, quàm isthìc aliquid sciretur, manu suâ scripsisse, quæ ex ore suæ sanctæ Dominæ excepit, dum intima sua manifestaret Confessarijs, de morte hujus Tyranni; & quomodo illi Deus in eum finem dederit gladium invisibilem, quo in os ipsius infixo, eundem coram se mortuum conspexerit. Similiter jurat Domina Angela de Osorio ejusdem socia, se quadam occasione potuisse audire, quod pluribus mensibus antè Sancta dictabat supradictæ secretorũ conscia Matri Mariæ, à qua id scribebatur. Hoc ipsum jurat alia socia nomine Domina Dorothea.

Multis diebus ante exortam quandam persecutionem Societatis Jesu (cujus aliàs fecimus mentionem) hæc Virgo monuit suum Confessarium, magno dæmonem flagrare desiderio, ut nos gravi afficiat molestiâ. Suscitata fuit aliquantò pòst procella; Sancta habuit visionem (quam insinuato loco descripsi) de felici negotij exitu. Omnia sic evenerunt, & qui magnâ pollentes authoritate instigabantur à diabolo, ad fovendam tempestatem, destiterunt à cæptis: res nostra nobis, Divinâ adjuvante gratiâ, prosperè cessit, ità ut obstupescceremus, atque Divinam protectionem grati agnosceremus.

Domina Magdalena de Cisneros, coætanea, ùt suprà dixi, & insignis hujus Virginis amica, annis gravis & morbida, illam aliquando invisit, dixítque ipsi: Commenda me Deo, pessimè enim valeo, & videor mihi brevì moritura. Subrisit Venerabilis Marina, & gratiosè ac asseveranter respondit: Nequaquam, mea Domina; aderis enim meo festo (ità appellabat diem sui obitús) & vesties, juvabísque componere hoc meum exanime corpus. Ità prorsus accidit, Domina Magdalena attulit interulam lineam, quâ est induta Sancta mortua, adfuítq; dum ipsius corpus componeretur.

Vocavit quadam vice nostra Virgo ad se Dominam Casildam de Rotulo, magnam suam benefactricem & amicam, atque, ùt videbatur, sinè urgente causa. Advivit ipsam statim hæc Illustris Domina, & Venerabilis Marina illi tenerè valedixit, quasi non essent ampliùs conventuræ. Domina Casilda est reversa domum, dicens: Dubio procul nobis morietur Sancta, hodie enim mihi ultimùm valedixit. Evenit autem ut Domina Casilda intra sex dies corriperetur morbo, & moreretur sanctæ amicæ precibus bene adjuta, tum infirmitatis tempore, tum in Purgatorio, qua de re mira quædam testes jurant.

Tres personæ, præcipuæ omnino authoritatis, decreverant quidpiam facere, quod ad maximum Dei honorem existimabant cessurum: scripserunt Sanctæ, quæ illis intimâ erat juncta familiaritate, ut hoc negotium commendaret Divinæ Majestati, suáimque ipsis de eo sententiam aperiret. Fecit id Virgo, commendavit negotium

Deo, & respondit illis per schedam, quam scripsit Mater Maria de Sanctissimo Sacramento, quòd, etsi res videretur pia, non tamen esset expediens, neque eam Deus fieri vellet; & non habituras bonum successum, nisi mutarent propositum. Dictæ nihilominus personæ, quæ jam operi manus admoverant, sibique firmissimè persvaserant, rem illam plurimùm facere ad gloriam Dei, vocaverunt Confessarium, proposuerunt illi rationes valde convenientes, quibus inductus diceret nostræ Virgini, ut ei negotio faveret. Ipsa dictis suis firmiter inhæsit; illas verò, quæ summo desiderio conabantur destinata perficere, jámq; ad eorum executionem necessaria disponebant, Divina Majestas impedivit, gravissimos omnibus tribus immittendo morbos; unde duæ sunt mortuæ, atque tertia multis diebus est versata in magno periculo.

Quæ complures & graves testes jurant de hac Venerabili Virgine, quòd corda, & occultissimas atque arcanissimas animarum necessitates penetraverit, & de earum præmonuerit remedio, adeò sunt multa, adeóque singulares comprehendunt casus, ut in ijs referendis non pauca possent folia insumi, quibus prætermissis transeo ad alios eventus externos, quorum veritas manifestiùs oculis nostris comprobatur.

Dum Mater Mariana de Christo sociam ageret hujus Venerabilis Dominæ, visitata fuit à suis parentibus, qui deinde inviserunt etiam Dominam, adducentes unà filiolum. Rogavit ipsam Pater, ut illum puerum commendaret Deo. Faciam id, respondit Virgo; applica ipsum studijs literarum: ingredietur enim Ordinem S. Dominici, eritq; optimus Religiosus. Habeo, subjunxit Parens, alium aptiorem, quem tibi alio die adducam, ut ei bene preceris. Venit aliâ vice, adduxítque alterum puerum. Intuita est illum Sancta, statímque dixit: O quàm strenuus miles erit iste pusio! Deus ipsum conservet. Ità omnia evenerunt. Prior nomen dedit Religioni, fuítque egregius Dei servus in dicto Ordine; alter evasit magnæ famæ miles, functus est conspicuis muneribus, quæ solius Dei favore, suáque generositate obtinuit, & eo tempore, quo id juravit testis, in cujus præsentia omnia fuerant acta, gerebat in Brasilia officium supremi Vigiliarum Præfecti.

Tempore magni æstûs, & horâ incommodissimâ, erat enim prima prometidiana, præter omnem Virginis morem, quæ hujusmodi temporibus suas puellas domo non emittebat, nisi negotij præcisè necessarij causâ, vocavit festinanter Dominam Marinam de Obregon, dixitque illi: I citò ad domum Doctoris Torres Jordani, & interroga meo nomine, quomodo Dominus cum Domina valeant. Maria vehementer fuit mirata, se tali tempore, & cũ mandato, quod exigui videbatur esse momenti, atque insuper tantâ festinatione à sua Domina foràs mitti: quia tamen illam singulariter venerabatur, ivit absq; mora. Invenit Dominam Annam de Guzman, dicti Doctoris conjugem, in parte domûs inferiore sedentem juxta grande dolium: quæ statim amicam exceptura assurrexit, obstupescens, ipsam tali horâ, & cum tali mandato à Venerabili Domina missam fuisse. Sed vix surrexerat, ac discesserat à loco, in quo diu sederat, quando cum ingenti fragore fuit ruptus unus è robustioribus dolij circulis, cujus ictu Domina Anna, si mansisset ubi priùs fuerat, interempta fuisset, aut graviter læsa: neq; dubitare potuerunt, millenas agendo gratias Deo, quin Sancta suæ amicæ periculum viderit, ipsámque eo salutationis prætextu inde eripuerit.

Quæpiam persona DEO serviens, cupida majoris perfectionis, petijt à nostra Virgine consilium, an sibi expediret ingredi Religionem Madriti, in monasterio Sancti Placidi: respondit ipsi, ne id faceret. Noluit obsequi, & fuit una ex illis, quæ inciderunt in exitium, postea in eo monasterio deprehensum, de cujus rebus Venerabilis Marina magnas à Deo accepit illustrationes, & significavit ac præmonuit per epistolas, quid esset agendum, quæ hîc ex justis considerationibus prætermittuntur.

Anno

Anno sexcentesimo, trigesimo primo, attinebatur ab Officio sacræ Inquisitionis quædam mulier obstinata in suis erroribus, cùmque sacrum Tribunal illam jam statuisset extradere brachio seculari, ut combureretur, rescivit id Venerabilis Marina: doluit illius vices, & commendavit ipsam Deo. Ducta fuit à suis Angelis ad carcerem, ubi illa miserabilis ab octo erat dæmonibus circumdata. Venerabilis Marina arripuit scuticam, quam ipsi dederat Deus, & expulit illos; atque eodem momento obstinata cœpit emolliri, imploravit misericordiam, & fassa est culpam. Tam distincta expressit serva Dei indicia, cujus ætatis foret mulier, & vultûs, qualitérque esset vestita, ut, quando deinde prodivit ad ferale theatrum, testis, cui multò antè ex descriptione Sanctæ illa signa erant perspecta, ipsam subitò agnoverit, nullo eorum penitus discrepante.

P. Fr. Bartholomæus de Cruce, ex Ordine S. Dominici, & Novitiorum Magister in Conventu S. Pauli, contulit se aliquando afflictus ad nostram Sanctam, rogans ipsam, ut commendaret Deo quendam præclaræ indolis Novitium, qui jam succubuerat tentationi, prorsúsque decreverat deserere vestem Religiosam, & repetere domum paternam. Famula Dei gratiosissimè subridens illi respondit: Noli affligi, mi Pater, quia hoc non fiet. Revertere, & dic ipsi, ut uno saltèm die perseveret. Reversus est Magister, & reperit Novitium immutatum, atque in vocatione constantem. Obstrinxit se Votis Religiosis magno suo cum solatio, & gratus agnovit beneficium sibi à Deo per Venerabilem Marinam præstitum, ideóque illam semper appellabat suam Matrem.

Domina Anna de Villafanje, hujus Venerabilis Virginis cognata, plurimùm optabat fieri Monialis in Conventu S. Annæ, Recollectarum S. Bernardi: consuluit illam de hoc, quæ ipsi respondit: Non videtur mihi esse vocatio Dei, neque habebis vires pro ferendo rigore & asperitate, quam Sanctus ille Conventus profitetur. Non placuit Virgini admonitio, assumpsit habitum, & primo die sui ingressûs, antequam tempus haberet lustrandæ domûs, fuit correpta febri tertianâ. Deducta est statim ad valetudinarium, ubi ingravescente morbo aliquot mansit mensibus, donec domum suam reverteretur, necdùm integrè sanitati restituta.

Excellentissima Domina Maria de Toledo, Ducissa de Alba, interrogavit Sanctam, quæ esset ipsius opinio de duabus Virginibus, quas in suo monasterio Lauræ collocare volebat. Respondit illi Venerabilis Marina: Bene, Domina, potes tali habitum Ordinis conferre; alteri verò non videtur convenire. Ducissa id noluit credere, suscepit etiam alteram: sed brevi agnovit errorem, quia illa ipsa paulò pòst deseruit habitum & monasterium.

Cùm Domina Magdalena de Cisneros in quodam morbo jam esset deposita à Medicis, significavit ipsi Venerabilis Marina, optimè sciens illam versari in eo discrimine, se humilem esse ipsius servam, & petere, nè gravetur ad se venire, ubi convaluerit, necessariam enim sibi esse ejus præsentiam, propter quoddam negotium. Quamprimum sibi id audivit nuntiari, sensit se plurimùm sublevatam, brevi convaluit, visitavitque suam amicam. Eadem Domina jurat, se in multis molestijs & infirmitatibus suis ità solitam fuisse orare: Sancte mi Angele Custos, alloquere Sanctos Angelos, qui morantur apud meam Dominam & amicam Marinam, ut ipsi dicant, quò me in hac molestia commendet Deo; statímque sibi fuisse aliquid à nostra Virgine significatum, unde magnum perceperit levamen in sua afflictione, cujus dicta Virgo nullâ viâ humanâ potuerit habere notitiam. Testatur præterea alia, quæ suprà retuli.

Doctor Torres Jordanus, & ipsius conjunx Domina Anna, voluerunt persolvere quoddam promissum, de invisenda Sanctissima Virgine, quam à Virtutibus appellant. Utriusque summus erat erga Virginem Marinam affectus, quæ, dum se itineri accingerent, ad illos misit quandam suam sociam, rogans, ut differrent iter ad quatuor vel quinque dies. Responderunt, id non posse fieri, eò quòd jam impensæ

essent factæ, etiámque numerata pars pretij pro vectura. Tum illa dixit in aurem Dominæ Annæ: Advertè, Domina, quid agas: nam mea Domina, quando me ad hoc nuntiandum misit, videtur non absque aliquo mysterio locuta fuisse. Quia maximam adhibebant fidem verbis Venerabilis Marinæ, eadémq; magni esse ponderis erant experti, continuò ipsam dictus Doctor adivit, expositque illi suas causas, & cur necessariò esset statim abeundum: id verò se facturos, si ipsis polliceretur, quòd illos esset commendatura Deo. Sancta respondit, ut rebus ità constitutis in nomine Domini discederent, se petitioni ipsius satisfacturam. Discesserunt Vallisoleto unà cum suis prolibus, perveneruntq; feliciter Medinam Campi. Quamvis autem, cùm ex hoc oppido egrederentur, prosecuturi suum iter, innubis esset dies, & aër serenus: quando tamen dimidiâ leucâ distabant Bobadillâ, horâ nonâ matutinâ, exorta est tempestas tonitruis & fulgetris horrida, adeò ut necesse fuerit obducere cortinas rhedæ. Cœperunt se commendare Deo, memores verborum nostræ Virginis. In hoc discrimine mulæ, quæ à nemine poterant detineri, deflexerunt à via, intrantes velocissimè quoddam stipuletum: & ecce derepente in viam regiam, quâ rhedam progredi oportuisset, decidit fulmen, ac interfecit quendam, qui se ipsis Medinæ adjunxerat comitem, atque tum noluerat sequi rhedam, prout fecerunt alij famuli, & evaserunt periculum. Peractâ peregrinatione dictus Doctor redux Vallisoletum se contulit ad Dominam Marinam, ut illam inviseret, éique referret, quid accidisset. Jurat autem sibi ab eadem Domina fuisse anticipatò expositas omnes periculi circumstantias, acsi omnibus adfuisset. Jurat quoque is Doctor & ipsius conjunx eveniisse etiam alia, ubi propheticus hujus Virginis spiritus fuit animadversus.

P. Fr. Clemens de Chavarria Præsentatus rogavit (quemadmodum ipsemet jurat) P. Fr. Andream de Ponte, ut Venerabilem Marinam juberet commendare Deo convenientem cujusdam dubij resolutionem, nihil ampliùs ipsi dicendo. Fecit id Pater de Ponte, redivit, & verbis Virginis omnia Patri Chavarria aperuit, quæ in animo suo volvebat, ac dubium, in quo versabatur; cùm tamen negotium esset maximi momenti, adeóque occultum, ut de illo nemini constaret, nisi soli Deo, & ipsi.

Doctor Gabriel de Canseco hanc Venerabilem Virginem convenit, ut ipsi valediceret: profecturus enim erat Madritum, ad urgendam quandam suam litem, cotamen animo ut brevi reverteretur. Respondit illi Virgo: Perge, Domine, nam fiet, ut ibi stabiliter permaneas. Quod ità evenit, atque ipse sic jurat, ac addit: Aliquot mensibus antequam ingruerent publicæ quædam ærumnæ & calamitates (quales erunt morbi epidomiales, fames, locustæ) hæc Sancta illas prævidit ac prædixit, neque aliter evenerunt: quas prædictiones cùm ego viderem impletas, semper magìs venerabar spiritum propheticum hujus Virginis.

P. Ferdinandus de Epinosa jurat, sibi ab hac Virgine multo tempore antè fuisse quiddam dictum, quod ipsi erat eventurum, séque prædictionem omnino impletam vidisse: fuisse verò ejus conditionis negotium, ut nequiverit humanâ ratiocinatione indagari, tantúmque ex Divina potuerit sciri revelatione. Sufficiunt dicta, ut omni morali certitudine, quam patitur subjecta materia, credatur spiritus propheticus, quem Deus isti purissimæ ac dilectissimæ suæ sponsæ communicavit.



CAPUT

# CAPUT XII.

## Opera admiranda, quæ DEUS per illam patravit.

EXordior à continuò & notorio miraculo, quod multi testes jurati asseverant, omnésque jurare possemus, qui aliquando ingressi sumus ad invisendam hanc Venerabilem Virginem, & capiendum solatium ex ejus consilijs ac precibus, quas ab illa petebamus: & est, quòd licèt triginta annis, semper lecto affixa, in angusto maneret cubiculo, sempérque clauso, siquidem ipsius oculos lumen offendebat, & ibidem peragerentur obsequia, quibus eget corpus, & quæ tot symptomatum cura medicinalis exigebat, tandémque licèt illud integris propè diebus implerent, sive jam ipsius sociæ, sive alij eam visitantes; nunquam tamen in dicto cubiculo sit animadversus ullius generis adversus odor, acsi foret campus cuivis auræ pervius; sed neque etiam gratus, nisi inferretur ab intrantibus, qui nihilominus illius affectibus corporalibus notabiliter incommodabat. Omnes id ponderant admirabundi, & Doctor Gabriel de Canseco admirationi junctâ suâ insigni pietate ac doctrinâ, quâ casum examinavit, juramento confirmat in testimonio authentico, quod hac de re dedit, ubi sic ait.

Scio quoque, secundùm consvetas ab omnibus, & imprimis à me, per tot annos exercitij meæ professionis, quibus visito infirmos, observatas naturæ leges, esse singulare, quod evenit in eo cubiculo, in quo Sancta penè triginta annis ægrotavit. Tam altitudo dicti cubiculi, quàm latitudo, est undecim pedum ac dimidij, & longitudo pedum tredecim. Erat in illo constructa ex tabulis clausura, intra quam stabat lectus, longa septem justos pedes, totidémque minores lata, & octo pedes alta, quos ego sum dimensus. Cooperiebatur ista clausura hyeme tribus tapetibus, æstate verò tribus linteaminibus. Hinc spatium dicti cubiculi tam angusti evadebat multò minus. Carebat luce naturali, neque perflabatur recenti aurâ, eò quòd adversaretur ipsius symptomatibus: per noctem in eo ardebat perpetuò lucerna, atque totâ ferè hyeme etiam interdiu, præter alia lumina, quæ accendebantur, dum illi celebraretur Sacrificium Missæ. Quis non videt, ex his potuisse tanto tempore, etiam in longiore & ampliore cubiculo, provenire aliquem fumum, unde inficeretur fuligine, cujus tamen non habuit, neq; habet vestigium. Usus medicinarum & fomentorum, decoctorũ ex herbis & oleis, aliarúmque rerum, quas requirebat tam prolixa infirmitas, & ipsa infirma, quam interdum impossibile fuit ex uno ad alium situm in eo lectulo movere, nè quidem, ut juvaretur in evacuationibus naturalibus, & ijs, quas nonnunquam ars clysteribus, aliísque remedijs adhibitis procurare conabatur, continua quoq; sociarum in tam angusto loco præsentia, videntur naturaliter per tot annos, in tam exiguo, & nunquam eventilato cubiculo, aërem in eo contentum vitiare potuisse & alterare, ut redderetur ingratus, quin imò intolerabilis olfactui, quod semper fieri apparet in alijs hujusmodi locis, etiam longè capacioribus & apertis, quæ ab unica lucerna accensa, si in ijs continuè ardeat, fumo replentur. Nihilominus præter leges naturæ in cubiculo hujus Sanctæ Dominæ accidit prorsus contrarium, adeò ut, non obstantibus prædictis, in illo nunquam, usque ad diem, quo ipsam Deus abstulit, nec deinceps fuerit magis deprehensa ulla fuligo è luminum fumo, aut aliqua odoris variatio ex aëris infectione, quàm si svavibus fuisset expositum ventis, & liberum à dictis causis: id quod infinities æstimavi, & celebravi tanquam miraculum, utì hodièque facio. Certò namq; mihi constat, nullum pro dicti cubiculi aëre in ista grata temperiè conservando valuisse artificium, aut industriam humanam: atque si aliquis

ingressus ad invisendam hanc Venerabilem Dominam adferebar svaveolentem odorem, hanc ipsam fuisse causam, ut dolores ipsius augerentur, eò quòd fuerit obnoxia passionibus uterinis, quæ odore bono exsuscitantur, & Sanctam pro ijsdem avertendis usam hujusmodi occasionibus esse odoribus ingratis & contrarijs. Hactenus doctissimus iste & fidelissimus testis, qui post aliquot paginas subjungit aliud priori simile, quod poriter jurat esse miraculosum, & refert his verbis.

Existimo & hoc esse supernaturale, quòd inter tot morbos & dolores, tot annorum spatio, quibus lecto fuit affixa, corpus (cùm præsertim ex sua complexione carnem habuerit teneram) potuisse conservari vividum, & absque pellis læsione, etiam dum ità esset constituta, ut eodem decumbens situ, se non posset movere, nec ab alijs moveretur in illo angusto lecto, intra sex, & interdum decem, ac plerumque duos, tresve menses, cùm alij longè breviori tempore soleant vulnerari. Expendatur & istud, quòd his occasionibus interula & lodices ab ea receptæ fuerint tam mundæ, quàm si illi tantùm ante octiduum datæ fuissent. Quamvis autem non ignorem artis & naturæ monstra, quæ in genere sanitatis & morborum evenire solent, ùt ait Averroës, scio tamen etiam hoc non esse ex illis, neque posse esse, propter miras circumstantias, & fundamenta supernaturalia, quæ præsens, ac alij eventus hujus Sanctæ continent, & quibus omnibus carent ij, quorum Averroës, Marcellus, Donatus, Esquenquius, cæteríque meminerunt.

Posterius istud miraculum, aliqua saltèm ex parte, confirmatur etiam juramento Dominæ Marinæ de Obregon, Monialis Professæ Trinitariæ in Conventu Rosarij, quæ socia quondam fuit nostræ Virginis, & in suo testimonio fatetur sequentia: Frequenter ego, & aliæ sociæ, quæ illi assistebamus, quandam percipiebamus fragrantiam svavissimi odoris, quē præsertim manus Sanctæ & Venerabilis Dominæ exhalabant. Interula, quæ illi auferebatur, ut aliâ indueretur, quod semel intra duos menses solebat fieri, redolebat, acsi eximeretur ex multis floribus, gratissimum spirantibus odorem. Cibo tam modico intra diem & noctem sustentabatur, ut à me cibus appellari nequeat, optiméq; apparuerit, ipsam eo vivere non potuisse, & miraculosè fuisse à Deo sustentatam. Addo, me omnium, quæ hîc dico esse testem oculatam. Hactenus Domina Maria de Obregon.

Quidquid hucusque fuit dictum isto capite, jurata quoque affirmat fidelissima ipsius socia Mater Maria de Sanctissimo Sacramento, hodie Abbatissa in Regio Conventu S. Birgitræ, ex cujus jurato testimonio solummodo clausulas excerpam notabiliores, quæ sunt sequentes: Quod eveniebat, dum illius lectus non sterneretur quandoque intra decem menses, & interula plerumque non mutaretur intra sex aut septem septimanas, accidebat quoque in cubiculo, etsi esset admodum angustū. Ego illi aliquando dicere solebam: Mea Domina, in isto cubicello necesse est reperiri araneas æstate & hyeme; quando tandem aderit dies, ut expurgetur! neq; enim ampliùs dignoscuntur imagines, propter pulveres, quibus sunt obsitæ. Quodsi illas interdum mundabamus, faciebamus id quàm leniissimè, nè excitaremus ventum, qui ipsi vehementer erat molestus. Licèt verò dictum cubiculum non esset magnopere nitidum, neque specialis illius haberetur cura, in tanto medicamentorum usu, tantáque ipsam visitantium frequentia; nullum tamen unquam in eo sensi adversum, aut etiam gratum odorem, nisi intrarent visitationis causâ, à quibus inferretur, atque is plurimùm meæ Dominæ incommodabat, ut postea excitandus esset ex combusta lana vel charta fumus, quo refocillaretur.

Erat sanctum illud & pauperculum corpus ità lecto affixum, ut si aliquando inter medendum infigeremus aciculas, à quibus deinde affligebatur, non potuerimus inter corpus & lodicem interponere manum, ut eas eximeremus. Atque licèt in hoc situ multis maneret mensibus, numquam tamen illud virgineum corpus fuit vul-

vulneratum, neque ullas protulit sordes; imò interdum sentiebamus prodeuntem ex illo odorem & fragrantiam, quæ nihil spirabat terrenum, sed aliâ quadam afficiebat svavitate ac solatio: & hoc non solùm sumus expertæ, quæ postremæ fuimus ipsius sociæ, verùm etiam illæ, quæ nos præcesserunt, à quibus ego id audiveram, quod postea meis oculis conspexi.

Domina Angela de Osorio addit, & observat alias circumstantias, quæ longè reddunt evidentiora continua miracula tum cubiculi, quod rarò, & non nisi obiter everrebatur, ubi prædicta omnia reperire erat, quin tamen malè oleret; tum corporis, quod per complures menses immotum, & in eodem non immutato decumbens strato, tam erat mundum & integrum, quàm est virginea bimulæ puellæ caro, adeò ut nonnunquam cœlestem exhalaret fragrantiam. Transeamus ad alia.

Contulit Deus huic suæ famulæ gratiam, ut sanaret, quos suis tangeret manibus (observatis circumstantijs, quas alibi retuli) quod illam summè angebat, quia videbat id posse ab alijs notari, séque propterea haberi pro sancta, cùm ei humilitas ipsius persvaderet, ut de se crederet contrarium. Aliquando tamen, sive dum inadvertenter tangeret infirmos, sive dum id evitare non posset, adacta mandato suorum Confessariorum, Deus per ipsam tam manifesta hujusmodi patravit miracula, ut apertissimè fuerit compertum privilegium, quod suæ purissimæ sponsæ concesserat.

Illustrissimus Dominus Jesephus Gonzalez, & Domina Catharina de Baldes ipsius Conjunx, jurejurando interposito, asserunt quod sequitur, & evenit Domino Joanni Gonzalez eorundem filio in pueritia, hodie in ea dignitate constituto, quæ est una è præcipuis in Hispania. Idem jurant multi alij. Contraham in compendium solummodo verba tanti viri, quantus undequaque est ob doctrinam, & prudentiam admirabilis dictus Dominus Josephus Gonzalez, qui in suo authentico testimonio sic loquitur. Habeo nunc filium nomine Joannem, qui, dum quatuor vel quinque esset annorum, fuit molesto & periculoso morbo correptus, quem Medici vocant epilepsiam, eóq; tam vehementi & continuo, ut quavis nocte timeri potuerit, nè vitæ ipsius esset postrema. Erat affectio talis, ut quamprimum indormivisset, graviter rhonchizaret, ac inciperet contorquere os, & gyrare oculos, tremente toto latere sinistro. Initio symptoma durabat circiter spatio, quo bis dici potest symbolum Apostolorum, deinde invalescebat magis: privabatur semper usu sensuum, & necesse fuit totâ illi nocte adesse, eò quòd quater, etiámque sexies corriperetur, nonnullis autem noctibus sæpius, quàm decies ac sexies. Dictus morbus perseveravit ad annum usque ætatis ipsius decimum, tametsi illi de varijs & multiplicibus prospexerim remedijs, utpote filio unico, quem solum habebam, ut idcirco mihi & Matri doloris præbuerit occasionem & afflictionis, quæ concipi potest. Dum itaque omni essemus humanâ destituti ope, confugi ad P. Michaëlem de Orenja, Confessarium Sanctæ Dominæ Marinæ, qui suo nomine ab illa peteret, ut meo filio liceret adire ejus domum, útque illa ipsi porrigeret manum, & suam impertiretur benedictionem. Ità factum fuit. Duxit dictus Pater meum puerum ad Sanctam Dominam: quid tum egerint, ignoro; Pater id dicet, à quo meliùs poterit exponi. Ego hoc tantummodo dico, quòd illi puer recensuerit suam infirmitatem, & Virgo ipsum blandè fuerit allocuta, tandémque ei sit bene precata, ac subjunxerit, se sperare in Deo, futurum deinceps ab eo morbo immunem, atque ut à sua Matre peteret facultatem colludendi alijs pueris, auræ capiendæ gratiâ. Tam potens fuit hujus Sanctæ benedictio, ut ex eo tempore (fuit verò, quantùm meminisse possum, Majus vel Junius anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti) in hodiernam diem, quæ est septima Decembris anni sexcentesimi trigesimi tertij, per Dei misericordiam, nec is morbus, neq; ipsius indicium in puero fuerit animadversum, sitque etiamnum ità prorsus constitutus,

acsi

acsi illum nunquam perpessus fuisset, cùm antea tantopere eo affligeretur, ut Medici se victos faterentur. Mater ipsius & ego, qui bene novimus, qualis fuerit prædictus morbus, & quàm efficaciter sit à Sancta Marina curatus, existimamus, & credimus, curationem hanc esse miraculosam, ut Deus glorificetur in Sanctis suis, qualis erat ista Domina. Hactenus dictus testis. P. Michaël de Orenja, qui adfuit, solùm addit, quòd Virgo, dum puero bene precaretur, signum crucis super illum formaverit.

Priusquam ad alia præcedenti similia progrediar miracula, referam unum, quod idem Illustrissimus Dominus Josephus Gonzalez, nunc Supremus Regius Quæstor, in suo testimonio his verbis jurat: Præter id, quod recensui, dum paterer intensum capitis dolorem, qui multis horis duravit, méque lecto affixit, licèt in eo nullam vel subtilissimam possem fasciam tolerare, texi illud rudi capitis velo, quo usa fuerat hæc serva Dei, mihíq; reliquiarum loco erat donatum. Et quamvis esset tam rude, tempúsque calidum, atque ego ex me ipso arderem, & affligerer æstu, perfundebar singulari solatio, dum illo essem tectus, statimque sensi imminutum dolorem, qui mitigabatur, donec penitus cessaret. Id æquè judico esse miraculosum ac illud, quod priùs retuli. Hæc dictus Dominus.

Dominæ Emmanuellæ Ximenez de Espinaredo, conjugi Do mini Josephi de Colmenares Hurtadi de Mendoza, Assessoris Judicij Regij, fuit ortus in collo tumor sub aure, qui crevit ad magnitudinem mali aurei. Medici varia applicuerunt remedia, sed frustra, & abjectâ jam spe curationis, eò quòd affectio proveniret ex humoribus frigidis in loco spongioso, decreverunt, ut sibi duos curaret aperiri fonticulos, non ut decederet tumor, qui illis videbatur insanabilis, sed cohiberetur, nè magis cresceret. Videns itaque hæc Domina, sibi non suppetere remedium humanum, quæsivit Divinum: petijt à P. Fr. Andrea de Ponte, ut rogaret Sanctam, nè gravaretur ipsam Deo commendare. Pater promisit se id facturum, & adjunxit: Domina, cùm sis amica famulæ Dei, adi ipsam quasi visitationis causâ, & inter alia loquere de malè affecto tuo collo, atque simulando, acsi ei velles ostendere, quantus sit tumor, fac ut illum suâ manu contrectet. Domina Emmanuella accuratissimè morem gessit, & quasi quereretur, quàm grandis esset inflatio, effecit, ut à Virgine tangeretur. Invisit illam præterea binis vicibus, eodem utens prætextu & simulatione, ut videret quis affectionis sit progressus, paritérq; obtinuit, ut à Virgine contrectaretur. Inde consecutum est, ut ex primo contactu manifestam senserit tumoris imminutionem, idémque ex alijs contactibus magìs ac magìs decreverit, adeò ut non quæsito alio remedio, aut ullo ex ijs, quæ ipsi dabantur, adhibito, fuerit intra pauciſſimos dies integrè liberata à morbo tam desperato, tum propter suam malignitatem, tũ etiam propter diuturnitatem, eò quòd duravisset septennio. Sic jurat dicta D. Emmanuella, & illius maritus, addítque, fuisse omnium Medicorum sententiâ evidens miraculum, cùm fuerit impossibile, ut medicamentis curaretur.

Eadem Domina similiter jurat, se, dum quodam periculosissimo fuisset correpta morbo, misisse noctu ad nostram Virginem, rogatum, ut ipsam instantet DEO commendaret, statimque obdormivisse, & visam sibi in somno fuisse Dominam Marinam secum loquentem, atque in illud ipsum cubiculum intrantem in quo decumbebat; expergefactam meliùs habuisse, & convalescentiam fuisse continuatam, donec plenæ restitueretur sanitati. Et cùm retulisset somnium Patri Michaëli de Orenja (qui id ex dicta Domina Marina jam intellexerat) responsum sibi ab eo esse: Non fuit somnium vanum, sed famula Dei te verè visitavit.

Item testatur, à quadam Virginis Marinæ alumna visitatam fuisse Dominam Marinam de Colmenares suam filiam quæ toto anno graviter ægrotaverat, & laboraverat ex febribus, quibus vehementer fuerat afflicta, eidémque aliquid nomine Sanctæ nuntiatum, & oblatum pat-

vum

vum numisma ex aurichalco, qualia corollis precatorijs appendi consveverunt, quod applicuit ac reliquit infirmæ, & illam postridie manè statim surrexisse sanam, ac liberam à febribus. Alia præterea jurat prænominata Domina Emmanuella, & ipsius maritus Dominus Josephus Colmenares Regij Judicij Assessor (personæ ab egregijs suis dotibus & virtute notissimæ) quæ silentio prætereo, quia sunt suprà scriptis similia.

Excellentissimus Dominus Joannes Alphonsus Pimentel, Comes de Benavente, refert, inter alios, in suo juramento duos hos eventus, quos ipsiusmet verbis exponam. Scio, quòd mea Domina Marchionissa de Velez habuerit fœminam è Turcia oriundam, nomine Molocam, pertinacissimam in sua secta, quæ ægrotavit ad mortem, nihil arridere ostendens, quod saperet conversionem. Rogavit mea Domina famulam Dei Marinam, ut illã commendaret Divinæ Majestati. Adfui ego, quando hæc fœmina Mahometana cœpit exclamare dicendo: Rosarium Dominæ Marinæ Christianæ; quod sæpiùs iterabat, asseverans, fuisse eâ nocte apud se Dominam Marinam, & Sanctissimam Dei Genitricem, atque ab ijsdem vocatam ad cœlum, quò esset ducenda. Nec aliter evenit, quia susceptò Baptismo subitò expiravit. Erat illa mulier, etiam antequam baptizaretur, tam fervens, ut si à quopiam vocaretur Moloca, diceret: Non Moloca, sed Maria. Res ista in domo meæ Dominæ Marchionissæ fuit notissima. Hucusq; Excellentissimus hic Princeps, qui utpote prudens, Deúmque timens, nihil aliud juratò affirmare voluit, quàm quod ipsemet audivit, & suis oculis vidit. Vt verò intelligatur, quò Excellentissimus Dominus alludat, dum loquitur de Rosario, addam quod ad præsens propositum jurat P. Fr. Andreas de Ponte, qui reliquis commemoratis subjungit: Accepto nuntio Dominæ Marchionissæ, Domina Marina Deum ferventer pro Mahometana oravit, & ex divina inspiratione dixit suæ sociæ Martinæ Hernandez: Adi, quæso, eam servam, & sume hoc Rosarium, atque dissimulanter, nemine advertente, ipsam eo attinge, & refer mihi illud. Marina Hernandez id fecit, quam cum Domina Marchionissa vidisset ingredientem, est secuta, ac vidit, quòd applicaret Rosarium infirmæ, quæ tametsi totâ vitâ fuerit obstinata, continuò petivit Baptismum. Hoc fuit publicum, & notorium in toto illo Palatio, & mihi narratum est ab ipsamet Marchionissa, petente à me magno affectu dictum Rosarium, quæ tamen acquiescere debuit habito uno solo illius grano, quod ipsi dedi. Ità jurat P. Fr. Andreas de Ponte, & propè omnes testes faciunt dicti miraculi mentionem. Progredior ad aliud miraculum, quod dictus Dominus Comes de Benavente his verbis jurat.

Habui filiam meam, Dominam Magdalenam Pimentel, graviter præteritis diebus afflictam febri continuâ, cum duplici accessione. Quodam die, cùm se existimaret morituram, sensi vehementem impulsum, ut ipsi adferrem effigiem Sanctæ Dominæ Marinæ: attuli illam, & manè reperta fuit à Medicis sana. Quod me magno affecit stupore, cùm viderim, qualiter pridie fuerit constituta, & morbus multis diebus duraverit.

## CAPUT XIII.

### Describuntur alia Venerabilis Marinæ miracula.

DOmina Magdalena de Cisneros (quod eadem Domina jurat, tam nobilis ac virtuosa, quàm omnes novimus) incidit in morbum tam periculosum, ut habita fuerit à Medicis pro desperata, & jussa condere sinè mora testamentum, ac de omnibus necessarijs disponere. Advenit tum quædam alumna nostræ Sanctæ Dominæ Marinæ, dixítque illi: Mea Domina te salvere jubet, significátque,

*Vita Mar. de Escob. Pars II.*

cátque, se opus habere tuâ præsentiâ, ut te statim ad ipsam conferas. Advertit se derepente meliùs valere, & cessavit periculum, atque ità potuit adire domum Venerabilis Virginis, sicut illi mandaverat. Multa alia miraculosa jurat hæc Domina, quæ partim ipsimet evenerunt, partim perspecta certissimè habuit: his autem prætermissis, referam tantùm ea, quæ in se est experta, & ejusdem verbis, quæ in suo juramento pauca, & significativa posuit, súntque sequentia.

Aliâ occasione, ante viginti circiter annos, cùm jam essem munita Sacramentis, & moribunda, intravit Marina Hernandez, socia nostræ S. Virginis, ut me inviseret, quâ conspectâ illi dixi: Jam est tempus, ut commender Deo, quò mihi largiatur bonam mortem. Non agimus nunc hac de re, respondit ipsa, sed ut surgas & consoleris tuam neptem, quæ sanè solatio eget: hæc autem neptis vehementer affligebatur, quòd me esset peritura. Eo ipso momento, quo mihi id dixit Marina Hernandez, me subitò sensi habere meliùs, & fui sana. Judicet Lector, utrùm hic effectus sit attribuendus S. Marinæ, an alumnæ ipsius Marinæ Hernandez, cujus nobis sanctitas est perspectissima: ego prosequor ea, quæ jurat Domina Magdalena.

Eram aliquando, inquit, corpore & animâ valde afflicta, visitavi meam sanctam amicam Marinam; rogavi ipsam, ut me quàm enixissimè Deo commendaret. Omnino faciam, respondit illa, & apprehensam magno affectu meam manum applicuit suo pectori. Adverti me subitò sublevatam, & certò mihi persvadeo, quasdam molestias à Virgine illis diebus, qui plures fuerunt quàm quindecim, toleratas fuisse, ut mihi promereretur illud levamen, quo me refocillavit.

A multis in necessitate constitutis, tam Religiosis, quàm secularibus, scientibus, veterem mihi intercedere amicitiam cum nostra Sancta, ipsámq; mihi libenter gratificari, rogabar, ut ab ea peterem commendari Deo quædam negotia. Ego id faciebam, & intra paucos dies veniebant acturi mihi gratias, pro bono successu, quem habuerant, dicentes, apparuisse efficaciam precum Dominæ Marinæ. Præsertim scio, quòd ante undecim præter propter annos uxor fabri ferrarij, qui habitat juxta portam S. Joannis, me convenerit, mihíque narraverit (non obligans me ad secretum) se post nuncupatum votum castitatis nupsisse, nullâ voti factâ mentione; & certum sibi esse, puniri se à DEO, cùm, ex quo nupsisset, ter laboraverit ex partu, nullúmque feliciter ediderit, sed proles fuerint extinctæ intra uterum, atque ipsa in ijs enitendis subiverit periculum mortis: & se moribundam fuisse absolutam à Parocho, iterúmque, postquam convaluisset, ex mandato Episcopi, unáque obtinuisse dispensationem: rogare se, ut ubi venirem ad Dominam Marinam, ipsi referrem hunc casum, & instanter peterem ejusdem preces. Multùm illi fum compassa, erat enim domi meæ nota, & specialis cujusdam ancillæ meæ amica. Visitavi meam Sanctam, & recensui illi casum. Dicebat mihi, videri sibi probabile, ejusmodi partus provenire ex pœna Dei, propter præteritam culpam, & quòd ipsa esset commendatura Divinæ Majestati. Hoc responso sum solata miseram fœminam, dedíque illi quandam corollam precatoriam meæ Sanctæ Dominæ Marinæ. Ex eo tempore peperit citra difficultatem binis vicibus, inprimis puellam, quæ tribus vixit mensibus, deinde verò puerum, quem mihi adduxit videndum, tenentem manu corollam, quam ipsi dederam, palàm fatendo, sibi propter preces S. Marinæ, & virtutem illius corollæ, à Deo præstita tanta beneficia. Progrediamur ad alios testes.

Domina Anna de Quinjones, vidua Domini Didaci de Pernia, Regij venationum Præfecti, jurat, sibi certum videri, se à Deo, per intercessionem Sanctæ Marinæ de Escobar, cum qua aliquamdiu fuerat conversata Vallisoleti, esse ereptam ex gravibus & animæ periculis, ideóque ipsam à se implorari ac invocari in omnibus afflictionibus, eò quòd hac in re ingens fuerit experta solatium. Refert specialiter, se animadvertisse, quòd

quòd quædam alumna Dominæ Marinæ observaverit, aliquid ipsi eventurum in quodam itinere, cui animum adjecerat, tanquam à sua Domina animadversum, quódque Domina Marina illi abiturienti dixerit: Commendabo te Deo, ut tibi bene cedat. Ingressa est illa Domina suum iter, & accidit, ut in ascensu ardui cujusdam montis mulæ, quæ junctæ erant rhedæ, tanto impetu retrocesserint, ut sinè dubio rituta videretur ad subjectum flumen. In hoc discrimine est recordata suæ Sanctæ Dominæ Marinæ, & mulæ substiterunt, quod factum omnes viæ comites judicaverunt esse miraculosum.

Aliâ occasione, octo annis ab obitu nostræ Virginis, se eadem Domina Anna de Quinjones vidit constitutam in alio graviori periculo: inversa enim fuit rheda, quâ præter ipsam aliæ Dominæ vehebantur, & jacuit toto eo pondere sibi superincumbente, destituta omni humano auxilio, eò quòd unicus tantùm famulus illam comitaretur, cujus vires ad opem ferendam nullæ erant. Commisit se DEI voluntati, & obtulit ipsi toto corde illud genus mortis, atque invocavit suam sanctam & amicam Marinam, ut se ex cœlo adjuvaret. Et subitò illi, ignoranti quidem modum, quo id fieret, visum est extrahi sub eo onere caput, atque se liberatam: certum autem erat, ab ipsa extrahi non potuisse. Jurat dicta Domina, ab omnibus, quæ illâ rhedâ vectæ fuerant (atque à se vel maximè, quòd melius agnovisset suum discrimen) existimatum esse eventum miraculosum, ipsámq; fuisse suæ Sanctæ ope conservatam.

Inter miracula, quæ Deus per nostram Venerabilem Virginem, post illius obitum, patravit, celeberrimum fuit, quod in nostro Collegio Arevalensi edidit, in P. Petro Bonfrerio Belga, qui lectis & auditis virtutibus, mirísque operibus hujus Virginis, specialem erga eam concepit devotionem, assumpsítque illam, ùt ipse ait, in Patronam suam & Advocatam, atque in suo testimonio authentico jurat, se gratiam & sanitatem per ejusdem intercessionem obtinuisse, his verbis: In Martio anni sexcentesimi trigesimi sexti incidi in gravem morbum stranguriæ, & retentionis urinæ, quæ hærebat intra viscera, non descendens ad vesicam, quemadmodum observaverunt Medici, qui siphunculos, quos complures immiserant, eximebant siccissimos. Hanc retentionem sum passus propè quindecim diebus, non modò nullam emittens urinam, sed etiam nè minimam sentiens, ad eam egerendam, propensionem. Postremo dictorum quindecim dierum octiduo illam cœpi egerere per os, cum summa nausea, & ità, ut modicum illud, quod comedebam, inficerem fœtore. Desperavit Medicus de mea vita, post innumera adhibita remedia, & secedens cum ijs qui aderant, me audiente illis dixit: Iste nequit ampliùs juvari, neque ullum unquam, qui hoc morbo laboraverit, & in his circumstantijs, vidi evasisse. Agite Patres, ut illi sinè mora hac ipsâ nocte conferantur omnia Sacramenta. Confessus sum peccata tanquam moriturus, & quia omnem cibum rejiciebam, multùm fuit deliberatum, an mihi dandum foret Sacratissimum CHRISTI Corpus. Judicatum est, tentandum esse, utrùm forsan possem retinere hostiam non consecratam, quam retinui, atque ità nobis dubium fuit ademptum, & allatum mihi est Viaticum, quod cum Divina gratia suscepi, ac retinui. Itum est, ut adferretur paulò pòst sacrum Oleum, quo extremum ungerer: mansi cum solo infirmorum curatore, vidénsque me destitutum remedio in terra, recurri ferventiùs ad cœlum, & magna cũ fiducia invocavi opem Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, eodémq; momento me sensi pronum ad reddendam urinam, quod integris quindecim diebus, ùt dixi, non senseram; atque intra brève tempus implevi usitatum vitrum quinquies, ac vidi me evasisse periculum, agens infinitas gratias Deo, & ipsius Sanctæ. Abivit curator infirmorum lætum toti domui allaturus nuntium, atq; invenit jam ab ædituo præparata fuisse ornamenta nigra, & omnia necessaria pro me sepeliendo disposita. Deus sit benedictus.

Informationes factæ Madriti, ut procederetur ad canonizationem noſtræ Virginis, fuerunt datæ coram Barnaba Hurtado, Equite S. Mauritij, Scriba Regio, ac publico Notario Apoſtolico. Iſte ex ijs, quæ de ipſius ſanctitate ſcripſit & audivit, magnum concepit affectum ac devotionem erga Venerabilem Sanctam. Videtur Deus voluiſſe, ut in ſe ipſo experiretur gratiam, quam alij coram illo, ſe ab eadem fuiſſe conſecutos, juraverunt. Referam factum ijſdem verbis, quibus illud ipſe authentico & publico teſtimonio firmat, ſunt verò ſequentia: Primo die feſtorum Nativitatis Chriſti anno ſexcenteſimo trigeſimo tertio, fui vexatus gravi ac tædioſo catarrho, qui me propter moleſtiam atque debilitatem, quâ vehementer langvebam, compulit ad lectum. Patiebar anguſtias pectoris, non habebam vires ad ejicienda, neque calorem ad digerenda phlegmata, quæ guttur occupabant. Horâ quintâ veſpertinâ huic malo acceſſit dolor capitis tam intenſus, ut me continere non potuerim à clamore, & miſerabili ejulatu. Duravit ille ſinè intermiſſione per totam noctem, ut nè uno momento clauſerim oculos, aut dormiverim, neque meam conjugem capere ſomnum permiſerim, quæ erat afflictiſſima, videns me tantopere cruciari. Horâ ſextâ matutinâ, dum adhuc denſæ eſſent tenebræ, ipſam rogavi, ut caput meum ſtringeret faſciâ benedictâ, quæ ſacram quampiam imaginem attigiſſet, nulla autem fuit reperta. Tum illi dixi, ut mihi daret corollam preatoriam, quam mihi cum tribus ſacris benedictæ ceræ amuletis dederat P. Michaël de Orenja ex ijs, quæ fuerant inventæ, quando Sancta Domina Marina obijt. Non erat corolla præ manibus, & recordatus ſui, me ſcapulari S. Franciſci, quod ſemper gero, applicuiſſe & affixiſſe unam ex benedictis illis ceris hujus magnæ famulæ Dei, inſtar inſignium reliquiarum. Accepi ad meas manus hanc ſanctam ceram, & ferventi affectu rogavi Sanctam Marinam, per ſingulares gratias & favores, quos ſemper à Deo obtinuiſſet, ut mihi à Divina Majeſtate exoraret gratiam, quâ liberarer ab eo dolore. Cum bona hac fide illam ſuperpoſui capiti, & intra ſpatium, quo percurri poteſt ſymbolum Apoſtolorum, mitigabatur tam celeriter dolor, ut ſubitò obdormiverim, & per miſericordiam Dei, atque interceſſionem hujus Venerabilis Virginis ſponſæ ipſius, ità fuerim conſtitutus, acſi illum nunquâ paſſus fuiſſem, & ità vegetus, acſi bonâ & integrâ fruerer valetudine, adeò ut firmiſſimè credam, Deum in me, ipsâ patrocinante, hoc miraculum fuiſſe operatum, ſicut multa alia, quæ deſcripſi ex originalibus, & cum ijs contuli, ac vidi ab alijs deſcripta & collata, in ijs informationibus, quas in manibus meis habui. Addit hic teſtis multa alia ex devotione ſua & affectu profecta verba, quæ bene manifeſtant, quid ſentiret de prodigioſo ſuæ Sanctæ favore.

P. Hieronymus Pedralviz Theologiæ Profeſſor, & Rector quondam præcipuorum hujus noſtræ Provinciæ Caſtellanæ Collegiorum, in ſuo jurato teſtimonio refert ſequentia. Dum quadam nocte dentium cruciarer dolore, fui recordatus hujus Sanctæ, commendavi me illi, & acceptis ipſius reliquijs, quas habeo, eas applicui parti affectæ, rogavíque illam, ut mihi à Deo impetraret levamen in eo dolore: & ſpatio temporis non multò majore, quàm ut dici poſſit ſalutatio Angelica, me ſenſi à dolore liberum, potuíque reſiduâ nocte quieſcere, id quod ſemper habui & habeo pro ſpeciali gratia, mihi à Deo præſtita per magnam iſtam ſuam famulam; videtúrque mihi dolor tam vehemens non potuiſſe naturaliter ceſſare, niſi propter interceſſionem hujus magnæ Sanctæ, quâ invocavi, cùm nullam medicinam aut remedium applicuerim naturale. Qua in re magis confirmor, quòd manè tumefactũ habuerim os & gingivam, ob abundantiam deſtillantis humoris. &c.

Revertamur ad alia miracula, quæ eâ vivente DEUS per noſtram Sanctam eſt operatus. Illuſtriſſima Domina Eliſabetha de Sylva, Marchioniſſa de Monte Alegre, quæ vidua Reginæ Dominæ noſtræ fuit ab obſequijs, in ſuo teſtimonio, inter alia

alia multa, jurat hoc eveniſſe miraculum, quod ipſa eſt experta. Verba illius ſunt iſta: Habebam filium, qui anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto literis operam navare incipiebat, & eo atque antecedente anno oculos ipſius occupavit noxius humor, quo impediebatur à lectione librorum, & oculi vehementer inflammabantur. Venit mihi in mentem amicitia, quâ juncta eram Sanctæ Marinæ, inviſi ipſam, & expoſui illi meam afflictionem. Audivit quæ ei narraveram de mei filij affectione; hæſit modicùm, antequam mihi reſponderet, ac deinde dixit. Noli ſolicitari, quia hæc infirmitas puerum non impediet in ſtudijs literarum, neque durabit. Ità evenit, nam ex eo tempore uſq; in hodiernam diem, quæ eſt ſexta Decembris anni ſexcenteſimi trigeſimi tertij, ille fluxus ipſum nec ampliùs moleſtavit, neque in literarijs exercitijs impedivit. Conſtat mihi etiam, dum Sanctæ commendarem quoſdam infirmos, quamprimum preces ipſius fuerunt expetitæ, eos convaluiſſe, quod Sancta tectis verbis ſignificabat: illos autem, qui non ſanabantur, cùm id ipſis non expediret, ſcio ab ea fuiſſe adjutos in morte, impetratis ſpecialibus à Deo auxilijs. Subjungit deinde ad hoc probandum dicta Marchioniſſa factum prorſus ſingulare, quod jurata teſtatur, ùt ſequitur.

Audivi aliquoties dici, Sanctam adhuc viventem adſtitiſſe quibuſdam moribundis, qui illam invocaverant. Mihi in morte Dominæ Aloyſiæ Guzman, quæ fuit ſoror Marchionis mei Domini ac mariti, accidit quod nunc dicam. Hæc Domina erat Monialis in Monaſterio Ordinis Equeſtris ad S. Crucem Valliſoleti, & ſpecialis amica Sanctæ Marinæ, cui nuntiatum eſt, in tanto ipſam verſari periculo, ut diem illum non eſſet ſupervictura. Dum igitur ego infirmæ aſſiſterem, unáque illæ Dominæ Moniales, & omnes jacturam talis perſonæ meritò deploraremus, erat enim Domina Aloyſia valde ſancta, & plurimùm illam diligebant, quotquot familiariùs cum ea egerant; eo momento, quo infirma exſpiravit, omnes circumſtantes ſenſerunt internum gaudium, adeóque ſingulare ſolatium, ut conſideraverim, unde poſſet tam inuſitata conſolatio & lætitia oriri. Dum autem eſſem huic conſiderationi inmerſa, prodivit Domina Tereſia Henriquez, filia Marchionis de Avila Fonte, Monialis illius Conventûs, & interrogavit nos: ſentitiſne omnes internum ſolatium & gaudium, quod ego ſentio? Reſpondimus propemodum univerſæ, illud etiam à nobis percipi. Ipſa verò ſermonem proſecuta eſt dicendo: Hoc non poteſt aliunde provenire, quàm ex eo, quòd habeamus præſentem Dominam Marinam, quamvis à nobis non videatur. Præterivit ille affectus, & tuli moderatè meum dolorem, conformando me cum Divina voluntate. Poſtridie adivi P. Fr. Andream de Ponte alloquij causâ, quem interrogavi, referendo illi, quod nobis contigerat, dictúmque fuerat, an id aliquo niteretur fundamento, petíq; ut mihi hoc pro meo ſolatio diceret, poſtquam fuiſſet Sanctam allocutus. Quod ipſe fecit, & poſtea mihi reſpondit: Non caret res fundamento. Hæc ſunt, quæ de dicto eventu jurat Domina Marchioniſſa de Monte Alegre. Quàm verum autem fuerit fundamentum, & quomodo, cùm Domina Aloyſia expiraret, ibi noſtra Virgo adfuerit, atque plurima alia admiranda, intelligetur ex ijs, quæ ſuprà ſcripſi libro ſecundo, capite vigeſimo.

Priuſquam progrediar ad alia miracula, volo præſens caput finire, multa paucis perſtringendo, quæ ejuſdem teſtis jusjurandum complectitur. Cùm enim ſit fide digniſſima, loquatúrque de rebus à ſe viſis & actis, non eſſet æquum tam piâ lectione defraudare Lectorem. Pergit igitur, & concludit ſuum juramentum Domina Marchioniſſa his verbis.

Donavit mihi P. Fr. Andreas de Ponte nonnulla grana, ex ſactis hujus S. Virginis corollis precatorijs, quæ à me data fuerunt quibuſdam in neceſſitate conſtitutis, & patientibus ſpiritûs vel corporis moleſtias, tametſi ipſis non dicerem, cujuſnam eſſent. Reverſi ſunt poſtea, ut mihi gratias agerent pro ijs ſibi datis, referentes, quan-

tum commodum & beneficium percepissent, atque remedium suarum afflictionum, ex quo illa gestarent; unáque alij, quibus ea applicuissent, cùm ab ipsis peti non possent. Quibus experientijs habitis, animavi Confessarios Sanctæ, ut illi curarent dari corollas, & me ad eas ipsis dandas offerebam, ut, ubi fuissent benedictæ, haberent quod distribuerent. Et verò ex quo moror in Aula multa illi misi, quæ mihi remissa cum gratijs, quas ipsis Deus per suam servam communicavit, distribui in Aula, & extra eam, nec non illis, qui sunt profecti in Indias: & omnes agnoscunt, quàm sint proficuæ, præsertim verò experientia ostendit, eas prodesse, ut bene disponantur moribundi, & qui in malo degunt statu, ut emergant ex volutabro. Dedi similiter has corollas ruricolis, & alijs juvenibus, quorum Confessarij mihi dicebant, se mirari, ipsos esse alios, quàm antea fuerint. Hactenus dicta Domina.

# CAPUT XIV.

## Continuatur miraculorum ipsius materia.

CEleberrima sunt, quia multùm divulgata, duo illa nostræ Virginis miracula, quibus derepente duas puellas ex ijs, quas Dei causâ educabat, docuit scribere. Ut verò clara & vera habeatur notitia, qualiter hi casus evenerint, referentur à me ijsdem verbis, quibus ipsarum juramentum conceptum est. Mater Soror Maria de Trinitate, Monialis in religiosissimo Conventu S. Annæ Recollectarum S. Bernardi, educata in domo nostræ Virginis, post multa alia narrat in suo authentico testimonio, ac jurat quod sequitur. Ego ipsa sum, cui illud contigit, ut scriberem, licèt scribere nescirem, quod ità evenit. Cùm serva Dei jam suâ manu scribere non posset, mandavit illi Deus, ut scriberet manu alienâ. Vocavit me ergo aliquando, mihíque dixit: Puella sume pennam, & scribe, quæ tibi dicam. Ego eram parva, & excusábam me, quòd nescirem scribere, nec unquam scripserim, sed neque id didicerim, & dixi: Domina, nescio scribere, neque id unquam feci. Fac tamen modò, subjunxit Domina, & scribe, etiamsi formes literas, quales sunt in libris. Feci, quod eram jussa, & scripsi tam competenter, adeóque legibiliter, ut omnia potuerint perlegi, tametsi scriptum esset prolixum: atque idem ex eo tempore præstiti, & perrexi scribere, quæ mihi à famula Dei dictabantur. Ità id accidisse jurat Mater Maria de Trinitate.

Mirabilius longè est, quod contigit Matri Sorori Marianæ de Christo, Monialí Professæ in sacro Conventu Portæ Cœli: non solùm enim nesciebat scribere, sed neque legere; quamvis modus, quo nostra Virgo miraculum patravit, fuerit occultior. Sic autem Mater Mariana in suo juramento loquitur: Non habebat tum Venerabilis Domina ullam sociam, quæ nôsset scribere, præter Dominam Elisabetham suam sororem germanam, quæ scribebat epistolas: pro alijs namque rebus scribendis nunquam à Sancta Marina scivi fuisse adhibitam. Et cùm ego scribere nescirem, quin imò nec legere, siquidem literas tantummodo noscebam, vocavit me quadam nocte, dixítque mihi: Puella, cur non scribis? Quia nescio, ajebam ego. Lege, reposuit Venerábilis Domina, ac scribe, & bene tibi succedet. Ego subrisi, & ipsa tum denuò: Adfer, inquit, requisita ad scribendum. Ivi, & ijs allatis Sancta dixit: An nescis formare literam N? Omnino sciam, subjunxi. Forma itaq; illam, respondit ipsa: atque hunc in modum mihi singulas seorsim literas dicebat, donec scripsissem: Noster Dominus. Et Sancta tum dixit. Taliter exprimes omnia, quæ volueris, si ità progressa fueris, & te quotidie aliquamdiu in legendo exercueris. Nec aliter factum est: nemo enim me ampliùs instruxit, neque aliud exemplar habui, quàm pauculas literas, quas mihi eadem serva Dei præformavit.

Inter

Inter alia, quæ Mater Mariana de Christo se audivisse jurat, & ipsorummet, quibus evenerunt, testimonio confirmata infrà referam, recensèt quoque sequentia, quæ ipsa est experta, & non secus ac reliqua omnia jurata asseverat. Cùm essem animâ & corpore terribiliter afflicta, attulit mihi P. Fr. Andreas de Ponte corollam precatoriam, missam à famula Dei, dixítque: Domina tibi significat, ut circumdes istâ corollâ tuum collum, & nunquam eam deponas. Feci id, & est dubio procul miraculum: quandoquidem omnes eæ molestiæ, quas tum patiebar, ità cessaverunt, ut me ipsam non agnoscam, neq; aliud possim cogitare, quàm remedium istud esse cœleste.

Item, cùm Mater Priorissa nostri Conventûs Portæ Cœli esset depositа à Medicis, petita à me fuit quædam fascia meæ Venerabilis Dominæ Marinæ, quam habeo. Ingressa sum cellam ægrotæ adferens fasciam, & videns dictam ægrotam jam quasi, opinione meâ, mortuam, dixi intra me: Tempestivè sanè à me petitur fascia meæ S. Matris, postquam Mater Priorissa jam expiravit. Nihilominus illam ipsi applicui, atque eodem momento recepit priorem vultûs speciem, & deprehensum fuit eandem habere meliùs: deinceps verò, magis convalescebat, vivítq; in hodiernam diem. Hucusque hæc testis, & posterius istud factum contestantur etiam alij.

Mater Maria de Trinitate, de qua sum initio hujus capitis locutus, jurat aliud miraculum, quod in se comperit, & est hujusmodi: Quadam vice, dum essem parva, læsi caput, & cœpi vehementer flere: videns me autem famula Dei, jussit me venire ad se, attingénsque manu meum vulnus dixit mihi: Bono esto animo, jam dolor abscessit, noli flere. Et verò ità erat, quia dolor in momento evanuit, atq; vulnus fuit sanatum, sangvine quasi exsiccato. Hæc referuntur à dictis testibus: transeo ad alia, quæ alij jurant.

Parvulus quidam filius Doctoris Torres Jordani laborabat febri tertianâ, eáque duplicatâ, & quotidie revertente, cum iterato horrore ac paroxismo. Famula Dei Marina, misit in pocillo vitreo muneris loco matri pueri conditos mali citrei cortices. Observavit dicta mater, pocillum esse madidum, & interrogavit, quænam foret madoris causa: alumna verò, à qua fuerat allatum, respondit: Mea Domina Marina nunc primùm ex eo bibit. Hoc audito mater plurimùm confidens in sanctitate nostræ Virginis, quamvis jam adesset hora, quâ infirmo adventurus esset rigor febrilis, & circumstantes dicerent, nociturum ei aquam, si ipsi tunc daretur bibenda, porrexit illi unum ex ijs corticibus, & aquam in pocillo, dicendo: Si, mi fili, ex hoc pocillo biberis, & comederis quod Sancta misit, nec ista, neque alia posthac te infestabit tertiana. Deus respondit ipsius fidei, & puer ex eo momento liber fuit à febribus.

Sorori Mariæ de Sacramento, Moniali in Conventu Portæ Cœli, ortus erat tumor instar sacri ignis sub brachio, quod ab humero ad cubitum usque occupabat, & eo aperto effluebat inde multum puris. Agebat tum cocam, atque ab igne & calore foci ità fuit inflammatum ipsius brachium, ut propterea intensissimos pateretur dolores. Id duabus tantùm manifestavit Monialibus, nihil cæteris dicens, nè illis crearet nauseam, aut desereret officium humile sibi à sancta obedientia injunctum. Non potuit præ dolore ac palpitatione cordis somnum capere, & videns se in hac angustia constitutam, contulit se ad chorum, atque effundens suum cor in conspectu Divinæ Majestatis oravit, ut ipsi per merita suæ servæ Marinæ dignaretur largiri sanitatem. Postea brachio applicuit Rosarium nostræ Sanctæ, quod illi dederat P. Fr. Andreas de Ponte, & eodem momento dolor fuit mitigatus, potuítque eâ nocte quietè dormire, ac deinceps convalescebat; tandémque ille tumor est resolutus in quasdam velut squammas, quæ ex parte affecta decidebant, fuítque ità sanata, ut nunquam hujusmodi ampliùs fuerit correpta infirmitate.

Catharina Gonsalez, nunc vidua Pasqualis Martini, & summopere Sanctæ addicta,

dicta, testatur in suo juramento, se, cùm maritus ipsius jam à Medicis fuisset depositus in morbo, quem iliacam passionem appellant, id significavisse Venerabili Virgini, ab eáque petivisse remedium extremæ hujus necessitatis. Misit illi corollam precatoriam, quâ infirmo applicatâ subitò fuit notatum, quòd meliùs haberet, & intra quatuor vel quinque dies convaluit. Ad ancillam dictæ Catharinæ Gonsalez, quæ ad ipsam fuerat missa, dixit Marina. Tuus herus ex hoc morbo, Deo favente, convalescet: verùm modico postea vivet tempore. Hoc posteriùs noli nunc dicere tuæ heræ. Ità evenit, quia deinde obijt intra quatuordecim menses.

Puerum cujusdam suæ vicinæ, qui jam usqueadeò malè valebat, ut à quatriduo nihil cibi sumpserit, attigit dicta Catharina Gonsalez eodem Rosario nostræ Sanctæ, quod maritum ipsius restituerat sanitati, & jurat, à se, dum ei applicaret Rosarium, ista concepta verba fuisse pronuntiata: In nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, atq; Dominæ Marinæ de Escobar, tibi hoc Rosarium applico, ut te sanet, si Deo placuerit; sin minùs te hinc auferat. Quo facto, antequam inde abiret, meliùs habuit puer, comedit, statímque est sanatus, & in hodiernum usque diem vivit.

Mater Maria de Sanctissimo Sacramento, Abbatissa in Regio & religiosissimo Conventu S. Birgittæ, inter alia miracula, quæ refert, perveniens ad ea, quæ ipsa est experta, jurat sequentia. Inprimis cùm gravissimo laboravisset morbo, ac adessent indicia, infirmitatem fore valde diuturnam, omnésque sociæ turbarentur, eò quòd sancta ipsarum Domina, ob hanc invaletudinem esset privanda illius obsequijs; orante tantùm postea hac Virgine, & acceptis quibusdam sacris reliquijs sibi ab ea missis, sinè mora meliùs valuit, potuítque postridie surgere sana.

Item jurat, eo anno, quo grassabatur febris tertiana, ex qua plurimi obiverunt, ægrotavisse duas suas socias, alumnas pariter nostræ Virginis, & se ab ijs missam fuisse ad suam Dominam, ut eam interrogaret, quid illis esset agendum, siquidem jam ipsis aperta fuisset vena; Sanctam autem respondisse: Meâ sententiâ, non curent sibi denuò venam incidi: si enim sangvinem emiserint, morientur. Nuntiavit id sociabus, & exposuit uni minùs ægrotanti, quid Sancta diceret, quæ nolens abstinere ab incisione venæ, & adhibens alia remedia, est mortua: altera verò, cujus tertiana fuit longè acerbior, postquam audivit, Dominam suam judicare, ut abstineat à missione sangvinis, & è lecto surgat, obtemperavit, atque statim ità convaluit, ut imposterum tertianâ non laboraverit.

Aliàs, inquit, sum passa gravissimum dentium dolorem, & nè adversâ valetudine meâ affligerem meam Dominam, advocavi Chyrurgum, ut unum corruptũ evelleret, quem ille confregit pessimè ore divexato, & relictâ intus radice. Exegi tres menses inter ejulatus, insaniendo præ doloribus: omnes enim metuebant, nè si eximeretur radix, grave majoris incommodi incurrerem periculum, eò quòd profundissimè inhæreret. Vocavit me aliquando mea Sancta Domina, summè dolens quòd me videret patientem, dixítq; mihi: Quæso per vitam tuam, cura tibi hodie eximi istam radicem, quia affligor videns te taliter constitutam; confido in Deo, bene tibi id cessurum, quod & ego ab illo petam. Vocavi subitò Chyrurgum, qui eam evulsit me non sentiente, & curata sum ab omni defluxu, ut nullum ultrà passa fuerim dolorem.

Mater Joanna de Christo, socia primùm hujus Venerabilis Virginis, deinde verò Monialis Recollecta S. Bernardi in Monasterio S. Annæ, post alia miraculosa jurejurando confirmata, quæ in alijs vidit, jurat sequentia de seipsa. Erupit in mea manu pustula, quâ crescente augebantur & dolores. Medici mihi svadebant, adhibenda esse remedia, quod retuli meæ Sanctæ Dominæ, & ipsa accipiens modicum salivæ suæ, eâ trivit meam affectam manum, dicendo: Ecce hoc facere plurimùm prodest, ut istud malum curetur. Ex eo tempore, non adhibito ullo alio reme-

remedio, imminuebatur pustula, ut nec vestigium illius retinerem.

Invasit me quadam vice acerrimus quidam dolor, & dum ex eo decumberem, curavi dici meæ Dominæ, ut me commendaret Deo, quò me confortaret: atque ut sciret, me non posse vivere, si dolor semihorâ duraret. Jussit mihi responderi, ut haberem patientiam, duraturum enim viginti quatuor horis, atque tum cessaturum. Ità prorsus contigit. Postea me idem dolor infestabat, redibátque tam sæpe, ut metuerem, nè fieret habitualis & continuus. Narravi meæ Sanctæ Dominæ meam afflictionem, quæ quidem maxima ideo esset, quòd metuerem, hac me infirmitate impediendam, nè fierem Monialis Recollecta Discalceata, quod unicè desiderabam; & respondit mihi: Noli affligi, nam confido in Deo, istum morbum tibi non futurum impedimento, quò minùs ineas hunc statum, & ego id in miseris meis precibus ab illo petam. Sic factum est, & sum per Dei misericordiam Monialis Discalceata, neque is dolor jam ultra decem annos redivit.

Domina Maria de Obregon, nunc Monialis Trinitaria, & quondam similiter socia hujus magnæ famulæ Dei, inter alia, quæ ex jam dictis refert, tanquam testis oculata, addit ex propria experientia, quæ sequuntur. Cuidam juveni ægroto, qui jam extremùm fuerat unctus, mater ipsius applicuit numisma Sanctæ, quod ego ei dederam, & ille sciens cujus esset, magno affectu est complexus. Convaluit tam citò, ut intra triduum domo exiverit.

Didacus de Bustamante, famulus Comitis de Oliva, pessimè habebat è quodam vulnere, & postquam illi imposui velum illius Venerabilis Dominæ, subitò fuit curatus.

Cùm degerem inter montana in oppido Reynoso, reperi in domo cujusdam amicæ meæ puerum, ipsius filium, qui patiebatur fluxum sanguinis. Dedi ejusdem matri unum granum Rosarij ex ijs, quæ fuerant meæ Sanctæ Dominæ, quo ipsi applicato, cessavit fluxus, atque convaluit.

Mulier quædam laborabat ex partu, dicebatúrque esse impossibile ut pareret, eò quòd corporis esset exilis, & infans ex indicijs existimaretur esse valde magnus. Recursum fuit ad me, ut aliquid darem è rebus Sanctæ. Ivi egomet ad eam videndam, & applicui illi quoddam ipsius Rosarium, atque continuò, me præsente, feliciter partum est enixa. Post alia hujusmodi prodigia jurata concludit, istud referendo.

Quando ex mea patria sum reversa Vallisoletum, periculosissimo fui correpta morbo, habitans in domo Licentiati Pulgar Advocati Regiæ Cancellariæ. Suscepi sacrum Viaticum, & eâ nocte agebatur, de danda mihi extrema Unctione. Relicta sum modico tempore sola, & derepente conspexi juxta meum lectum meam Venerabilem Dominam Marinam, quæ mihi adstabat, licèt me non alloqueretur. Quamvis autem magnum inde caperem solatium, nihilominus sive præ turbatione, sive ob morbi mei vehementiam, nemini id dicebam. Intravit tum in cubiculum una ex filiabus Doctoris Pulgar me invisura, quod sæpe faciebat, quâ intrante mea Sancta Domina recedebat ad iconem Sancti Dominici, quæ erat imposita altari præparato ad dandum mihi Viaticum, ibique mihi disparuit. Effectus fuit iste, quòd manè sim reperta sana, atque semper id habui, & habeo pro miraculo. Hactenus prædicta testis.

# CAPUT XV.

## Imponit finem narrationi miraculorum.

PAter Fr. Andreas de Ponte, hujus Virginis per triginta sex annos Confessarius, utì multoties dictum est, vir ejus sanctitatis & prudentiæ, quam omnes perspectam habent, & ex Ordine S. Dominici, juratus in suo authentico testimonio refert multa ejusdem Virginis miracula (quorum aliqua nobis conscripsit Pater Ludovicus de Ponte, germanus ipsius frater) dicitque de omnibus, ea sibi esse explorata, & à se examinata, prætermissis multis alijs, quorum veritatem, eò quòd secretissimè ab hac Dei serva peragerentur, non potuit tam clarè investigare. Inter illa verò, quæ examinavit, sunt etiam nonnulla à me superiùs descripta. Præter ista sunt complura, quæ rescivit ab ipsa Virgine, dum illi panderet suam animam. Atque licet hæc, meo judicio, & omnium eorum, qui noverunt heroicam hujus magnæ Dominæ virtutem, veracitatem sinceriſſimam, & profundissimam animi demissionem, mereantur majorem, aut saltèm non minorem fidem, quàm quidquid scripsi de ijs, quæ invenio jurejurando à tam eximijs testibus confirmata: statui nihilominus ab illis commemorandis abstinere, ut ubi (quemadmodum à Divina bonitate spero) ipsam Ecclesia publicis affecerit honoribus, in lucem prodeant eò æstimabiliora, tanquam ex ejus ore excepta, quò major illi tunc accesserit authoritas.

Idem quod in re præsenti dixi de juramento prædicti P. Fr. Andreæ, concernente miracula Venerabilis Marinæ, dico de juramento alteriùs ipsius Confessarij, P. Michaëlis de Orenja ex nostra Societate, qui in eo munere successit Sancto Patre Ludovico de Ponte. Ex ijs porrò, quæ in processibus dictorũ Conscientiæ ipsius Arbitrorum enarrantur, excerpam pauca tantummodo aliqua miracula, quæ suprà non sunt conscripta, & hi duo fide dignissimi testes, modò unus, modò alter, atq; communiter ambo simul, citatis partibus jurant, tanquam notoria ac publica, & sunt sequentia.

Illustrissimus Dominus Garcia de Vera, Præfectus Cursorum Vallisoleti, maritus Dominæ Calildæ de Rotulo, quæ singulariſſima fuit amica nostræ Virginis, gravissimè laboravit ex calculo, quem Medici ex probabiliſſimis conjecturis affirmabant esse grandiorem magno ovo. Insomnia multorum mensium, & ingravescentes inde dolores, fuerunt incredibiles. Mota igitur nostra Sancta commiseratione, tum quòd suus proximus ità cruciaretur, tũ etiam quia has personas amabat, & specialiter ipsis erat obstricta, comẽdavit illum Deo quàm instantissimè eo ipso tempore, quo à Medicis dicebatur moriturus mente captus. Impendit huic orationi aliquot dies, rogando Deum, ut eo modo, quo ipsi placeret, mederetur illi afflictioni. Exaudivit Deus Ven: Marinam, & fuit quadam nocte à suis S. Angelis ducta ad domum infirmi: atque Deus disposuit, ut modo decentissimo, quem sibi ipsa nesciret imaginari, comminueret illius calculum, convertendo ipsum in materiam quandam liquidam, quo facto est reducta domum. Hoc ipsa retulit suo Confessario, qui curam adhibuit, ut intelligeret effectum: verissimè autem id factum fuerat. Refert se cæterùm ad ea, quæ jurant testes oculati. Et quia miraculum est tam insigne, apponam ipsissima verba, quibus hanc rem in suo jurato testimonio recenset Joanna de Enciso, matrona egregiæ virtutis, & ægroti hujus Domini curatrix, sùntque ista: Egessit per urinam quiddam dissolutum coloris cinericei, & in eo nonnulla frustula calculi, ejus magnitudinis, cujus sunt capitella acicularum, alia verò minora, ac deinde humorem spissum & magis coagulatum, qui è feneſtra ejus ad plateam edebat strepitum instar lapidis, neque dissolvebatur. Obijt meus Dominus

minus cum ſumma pace, & quiete imaginabili, tametſi Medici affirmaverint, moriturum inſanientem præ dolore: atque cum poſt obitum conſtanter aſſererent, ipſum procul dubio habere veſicâ majorem duobus conjunctis pugnis calculum, aperuerunt illum, nullúmque invenerunt indicium, quòd ex calculo laboraviſſet.

Dominæ Eliſabethæ de Villaguttiere, uxori Conſiliarij Nicolai Henriquez, eruperunt duo duri tumores inſtar papillarum in palpebris oculorum, adeóque creverunt, ut hos non poſſet aperire abſque dolore. Cùm autem nullum prodeſſet remedium ex multis, quæ ipſi fuerunt adhibita, vivens in hac deſolatione audivit dici, Dominam Emmanuellam Ximenez fuiſſe curatam, quia illam attigerat noſtra Sancta, ſicut ſupra dixi; concepit fiduciam & ſpem bonam paris ſucceſsûs; viſitavit famulam Dei, atq; poſtquam ei cum prævia diſſimulatione expoſuiſſet ſuam affectionem, ſubjunxit: Vide Domina, ac proba, quomodo hi tumores creverint, & quàm ſint duri, apprehenſáque manu Virginis, illam admovit ſuis oculis, quo ſolùm facto intra paucos dies fuit curata ac ſanata, nullo retento veſtigio aut ſigno mali, quod paſſa fuerat.

Eo anno, quo Valliſoleti graſſabatur peſtis, ſe duo Religioſi noſtræ Societatis contulerunt ad habitandũ in noſocomio peſte infectorum, ut ijs curandis operam navarent. Unus obijt in tam pio obſequio, alter nomine Bartholomæus de Baëza adeò immaniter à lue fuit correptus, ut, quamvis evaſerit, brachium tamen retulerit tàm aridum, ut illud habuerit pendulum, quin eo ullatenus uti poſſet. Inſpiravit Deus Venerabili Marinæ, ut ipſum ſanaret, illa verò tergiverſabatur, metuens nè id adverteretur: ſed impellebatur à Deo, ideóque videns illum ſolum in noſtro templo Domûs Profeſſæ ipſi dixit: Frater Bartholomæe, quare hoc brachium geris ità pendulum? Si tu, reſpondit Frater, eſſes bonâ, jam precibus tuis à Deo obtinuiſſes, ut à me poſſet elevari. Profectò, dixit Virgo, neceſſe eſt, ut illud attollas. Apprehendit brachium, & eo ipſo momento fuit ſanatum. Ego, addit P. Michaël de Orenja, novi dictum Fratrem ante peſtem, & poſt illam, dum haberet brachium arefactum, ac tandem ſanum & vegetum uſq; ad mortem.

Antonia Garcia alumna noſtræ Virginis laboravit dolore dentium, qui illam adeò afflixit, ut nec interdiu quieſceret, neque noctu dormiret, aut poſſet cibum capere. Hunc in modum aliquot fuit diebus conſtituta. Multùm illi eſt compaſſa Venerabilis Marina, & cum ſumma, quâ potuit, diſſimulatione ipſam ad ſe vocavit, dicendo: Veni huc, volo enim videre, quid in his dentibus habeas. Interea attrectavit ipſius faciem, & partem, in qua patiebatur dolorem, quaſi illam demulceret. Fuit derepente ſanata, & præ gaudio exclamavit: Ah, mea Domina, dolor meus abſceſſit. Vehementer id Virgini diſplicuit, juſsítq; ipſam conticeſcere. Verùm res fuit in domo publica & notoria, quam omnes tum viventes aſſeruerunt Confeſſario, qui id eveniſſe jurat, & eſt P. Fr. Andreas de Ponte. Subjungit is poſtea.

Dum ægrotaret Mater Soror Beatrix de Caſtro, Monialis in Conventu Matris Dei noſtri Ordinis, quæ ibi ob ſuam virtutem, & regendi gratiam egit Prioriſſam, miſit rogatum hanc Virginem, ut ipſam commendaret Deo: idem inſtantiſſimè petiverunt multæ aliæ Moniales notæ Venerabili Marinæ, graviſſimè enim ferebant jacturam talis perſonæ. Invaluit morbus, ſuſcepit Sacramenta, & poſt datam illi extremam Unctionem, manſi ibi eâ nocte cum multis Monialibus, ut eidem impertiret ſacram abſolutionem, ſi ab illa peteretur, diceremque commendationem animæ. Infirma obdormivit modicùm, & evigilavit exclamando: Quis hunc meum lectum conſcendit, méque attigit? Acceſſi ad lectum, quæſivi ex ea, ſcirétne quis ipſam attigerit. Et reſpondit mihi: Videbatur mihi eſſe Venerabilis Marina, quanquam nullum mihi dixerit verbum. Effectus is fuit, quòd ſinè mora incepit convaleſcere, & intra breviſſimum tempus fuerit integrè ſanata, atque poſtea

postea quinque adhuc annis vixerit. Videns illam eâ nocte adeò derepente convaluisse, postquam illuxit dies, egressus sum ex Conventu, ac adivi domum Marinæ. Interrogavi ipsam, fuerítne in dicto Conventu? Dixit mihi, se fuisse, ductámque illuc esse à suis Dominis Angelis, & quâ horâ id acciderit, qualitérque lectum conscenderit, atqs amplexata fuerit infirmam, & subitò sanaverit, omnia ità distinctè exprimens, sicut mihi dixerat infirma. Id constabat manifestè omnibus Monialibus, quæ adfuerunt.

Ego ipse, concludit dictus P. Fr. Andreas, sum prodigiosos virtutis hujus Venerabilis famulæ Dei effectus in me expertus. Incidi in vehementissimas febres tertianas duplicatas: non sentiebam horrorem febrilem, sed recurrente paroxysmo patiebar tam graves capitis dolores, ut redigerer ad insaniam. Vidi me oppressum & afflictum morbo; longè verò magis angebar, quòd me adverterem moriturum destitutum usu rationis. Rogavi Deum per hujus servæ ipsius intercessionem, ut me liberaret à dolore capitis, illúmque mutaret in aliquid aliud, sicut Divinæ Majestati placeret. Imposui capiti meo vittam Sanctæ, quam mihi quædam ipsius soror dederat. Adfuit tempus paroxysmi, invasit me rigor moderatus, & post hunc calor, quæ omnia non duraverunt ultra duas tréve horas. Valui optimè capite, & perfectè fui sanatus, ut mihi nunquam ampliùs tertiana rediverit. Sint gratiæ Deo. Hæc sunt pauca miracula à me desumpta ex ijs, quæ jurati enarrant hi duo gravissimi viri, hujus S. Virginis Confessarij.

Finio omnem hanc materiam miraculo, quod contigit, dum celebrarentur exequiæ istius Sanctæ, ac tanquam publicum juratur à multis testibus, quódque festivius reddidit funebre novendium gloriosæ defunctæ. Joannes Garcia, scriba juratus Vallisoleti, superstitem reliquit filium juvenem, quo nemo in Urbe erat immodestior, nemo in ea Republica petulantior, plurimúmq; refractarium pauperi suæ matri viduæ, insigni virtute conspicuæ. Dum talem ageret vitam, accidit, ut post gravem excessum commissum inter prandendum, commiserit alium graviorem in cœna, unde tactus fuit potenti apoplexiâ, quæ Medicorum opinione erat ex ijs, quas Hypocrates vocat incurabiles: & nemo unquam vidit, eâ correptum restitui sensibus & motui. In his angustijs, post applicata ipsi omnia, quæ ars novit, remedia, unicus afflictæ matris erat dolor, quòd filium mori videret vitæ adeò dissolutæ, absque remedio sacræ Confessionis. Adstitit ipsi continuè Licentiatus Cubiljas Beneficiatus, curámque gerens Parochialis Ecclesiæ Sancti Salvatoris, ut videret, an aliquod præberet signum, quo habito illum posset absolvere à peccatis. Verùm nè minimum apparebat. Degebat in ea domo quædam puella, neptis unius sociarum nostræ Sanctæ, cui Venerabilis Virgo, paulò ante suum obitum, suâ manu dederat corollam precatoriam, dicendo, ut illam diligentissimè asservaret, eáque utendo quotidie oraret. Venit igitur in mentem dictæ puellæ, habere se tam pretiosum munus, dixítq; afflictæ matri adolescentis: Domina, istam corollam mihi dedit Venerabilis Virgo Marina, imponamus eam ipsi, si nobis fortasse Deus gratiam præstet. Accepit Curio Cabiljas corollam, quam applicuit cordi ægrotantis, simul autem ac id fecit, ô prodigium! aperuit juvenis oculos, elevavit manus, & quanquam nullum protulerit verbum, magna tamen per multas horas exhibuit indicia contritionis ac doloris de suis peccatis; audiebat & intelligebat, quidquid illi diceretur; agnoscebat cognatos; petebat nutibus veniam à sua matre, usquedum ferventis præ se ferens pœnitudinis signa, & absolutus à Curione, manè animam suam tradidit Creatori, matre inter tot dolores summo affectâ solatio, & mirantibus omnibus circumstantibus, atque effusis in laudes Dei, & sponsæ ipsius Marinæ.

Hæc sunt pauca rursum è multis, & prodigiosis miraculis, quæ tot, támque fide digni testes juraverunt, esse facta à Deo per hanc Venerabilem Dominam, illustriora

ſtriora ob circumſtantiam, cujus propè, imò prorſus omnes meminerunt; circumſpectionis videlicet ac diſſimulationis, quâ ab ipſa fiebant, & prætextûs, quo ea occultabat, nè talia eſſe agnoſcerentur; atque intimi doloris & afflictionis, quam patiebatur, dum illa intelligebat publicari. Iſte eſt character & lapis lydius omnium miraculorum, quæ Sancti patrant, ſummúmque inter omnia miraculum: ſiquidem inter tot applauſus vivunt eorundem contemptores, adeò humilitatis anchorâ firmati, ut à quocunque humano vento non modò non poſſint agi in transverſum, ſed neque leviter afflari.

Eundem quoque deſpicientiæ ſui tenorem noſtra Virgo obſervavit in prodigioſo miraculo, quod Servator noſter CHRISTUS, non tam per ipſam, quàm in ipſa peregit, imprimendo illi ſuorum ſacratiſſimorum vulnerum ſtigmata, quæ per temporum intervalla miriſſimis modis iterabat ac innovabat, & de quibus plurima in ſuperioribus libris, atque in prima parte ſcripta fuerunt. Nam vulnera pedum & manuum erant inviſibilia, tegebantúrque à cute, vulnus autem pectoris patebat, ex quo interdum manabat ſangvis & aqua: quod quidem illa tantopere celabat, ut id ſociæ ipſius nunquam conſpexerint, tantúmque deprehenderint ex maculis relictis ab eo ſacro liquore in linteolo multipliciter complicato, quod illi ſuperpoſitum gerebat, & quandoque ipſæ eluebant. Hoc plures ſociæ ſunt teſtatæ, præſtito juramento, quæ illi cohabitaverunt; paritérque jurant, ſibi poſt mortem Sanctæ injunctum fuiſſe à P. Michaële de Orenja, & P. Fr. Andrea de Ponte (qui decentiæ ergo noluerunt adeſſe) ut viderent, qualiter dictum vulnus eſſet conſtitutum, & quam haberet formam; séque reperiſſe, quòd eſſet ſiccum, & haberet quinque ſigna, ſeu cicatrices, quales ex vulneribus remanere conſveverunt. Laudetur ſemper magnus Dominus, qui eſt tam mirabilis in Sanctis ſuis.

# CAPUT XVI.

## Deus manifeſtat cuidam ſuæ famulæ gloriam animæ Venerabilis Marinæ.

SOlet magnus DEUS & Dominus noſter (quod tam in antiquis, quàm in modernis Sanctorum hiſtoriis legimus) revelare in hac vita nonnullis ſervis ſuis gloriam, quâ in altera amici ipſius fruuntur; tum ut ij, qui in hoc exilio gemunt, ampliùs animentur ad ſequelam crucis, quæ hujuſmodi profert fructus; tum etiam ij, qui jam in patria triumphant, magìs innoteſcentes, confidentiùs invocentur à fidelibus, & honorentur, tanquam Eccleſiæ ipſius exemplum, & corona.

Non potuerunt hac prærogativâ carere glorioſa noſtræ Virginis decora: manifeſtavit enim Deus varijs occaſionibus cuidam eximiæ ſuæ ſervæ, quàm eſſet eminens hujus Venerabilis Dominæ beatitudo. Quia verò quò teſtatior eſt virtus illius, cui dicta revelatio eſt facta, eò digniùs Venerabilis Marina, hiſtoriæ noſtræ argumentum, celebrabitur, conſequendo novis ac legitimis titulis piam, quæ ipſi debetur, venerationem; neceſſe eſt, ut ſolito diutiùs in hoc probando immorer, ſeu, ut quod res eſt dicam, in redigendis in compendium ijs, quæ hac ſuper re ediſſerit teſtis juratus omni, propter profeſſionem Religioſam, officium, & rerum ſpiritualium experientiam, major exceptione, éſtque Reverendus Pater Frater Franciſcus de Aſcenſione, Ordinis Sancti Franciſci Diſcalceatus, Gvardianus Conventûs Sancti Joſephi, qui ſitus eſt Medinæ Campi.

Dictus porrò Pater in teſtimonio ju-

rato, quod de his dedit, quæ illi constabant de virtutibus & miraculis Venerabilis Virginis Marinæ, legitimè interrogatus ab Illustrissimo Domino Gregorio de Pedrosa, Episcopo Vallisoletano, se in omnibus refert ad ea, quæ scit à quadam sua filia spirituali, insignis virtutis fœmina, cujus ipse curam gerebat, & cui omnia inesse jurat signa, ex quibus agnosci possit, sanctitatem ejus esse solidam, & spiritum bonum, à quo regitur: utì sunt morum puritas, & usus orationis jam inde à tenera ætate, gravitas & modestia in agendo, rara animi demissio, promptissima erga Conscientiæ Arbitrum obedientia, abstractio à creaturis, magna in conversatione sinceritas, indefessa in persecutionibus patientia, quas sustinuit ab hominibus, & in terribilibus cruciatibus, quibus, Deo permittente, frequenter exagitatur à dæmonibus; ingens quoad omnia paupertas; afflictiones voluntariæ jejuniorum, ciliciorum, & flagellationum usque ad sangvinem &c. cum reliquis requisitis, ut moraliter certum feratur judicium, DEUM in quapiam anima vivere. Atque ad majorem veritatis hujus confirmationem (neque dubio procul ampliùs in hac materia dici potest) jurat quoque quod sequitur.

Cùm tanti essent excessus Divini amoris, quos hæc anima patitur, tam admiranda, quæ Deus in ipsâ operatur, ut aliquando cor ipsius aperuerit, eíque omnia suæ sacræ Passionis impresserit insignia, præter alia obstupescenda, & quidem frequentia pariter ac singularia, ut verbis sufficienter exprimi nequeant, vehementer me reddebat solicitum illius directio, & cogitabundum. Ad eliciendum verò majus lumen ex tenebris, invasit meum cor, permissu Dei, quoddam genus dubij, seu defectus aliquis fidei denegatæ his operibus Dei. Rogabam sæpissimè Divinam Majestatem, ut me illuminaret, & quadam vice constitutus in istis meis angustijs, auditâ sacrâ Confessione hujus famulæ Dei, illi dixi, ut Deo impensè commendaret quoddam negotium, ab eóque postularet remedium cujusdam afflictionis, nihil dicendo qualis ea esset, aut quis illam pateretur. (re ipsâ verò erat, quod mihi in mea incredulitate accidebat) promisit mihi se id diligentissimè facturam, & accessit ad sacram Communionem. Ego me paulò pòst contuli ad dicendam Missam, & actis post ipsam gratijs, sumpsi experimentum mihi aliàs consvetum, mentaliter illam jubendo venire ad me alloquendum in sede confessionali, quam ingressus iterum ipsam post breve tempus eodem modo mentaliter vocavi. Statim advenit, dixítque mihi: Tua Paternitas me bis vocavit, primâ vice venire non potui, quia occupabar à Divina Majestate, quam modo vidi cum Sanctissima ipsius Matre, & Sancto Patre nostro Francisco, ac Sancto Antonio. Commendavi Deo, quod à Tua Paternitate fui jussa, toto cordis mei affectu, & Divina Majestas mihi respondit: Dic tuo Confessario, quamdiu tandem sit futurus incredulus? atq; hanc reprehensionem tertiò iteravit. Ostendit mihi, quid in corde Tuæ Paternitatis ageretur, & quibus vexareris dubijs, ac vidi omnia quasi illa legerem, súntque hæc & hæc. Dixit mihi omnia, & pertexit dicens: Ego Tuam Paternitatem apud Deum excusábam, & removebam à te culpam, excusando etiam me, nè tibi ista, & gratias quas obtineo, referrem. Responsum autem mihi fuit à Divina Majestate: Hactenus tuus Confessarius, filia, necdum bibit ex flumine meæ magnificentiæ, & quia bibit ex rivulis, miratur quæ facio tuæ animæ. Quocirca dic illi id, nihilque ipsum cela. Regina quoque Angelorum, quasi me consolando, mihi dixit: Quia tuus Pater non pervenit ad veram unionem, ideo illum hæc reddunt attonitum, atque inde oritur ipsius tentatio incredulitatis. Modus, quo id à famula Dei fuit dictum, erat talis, & verba tam efficaciâ ac plena spiritu, ut mea anima se debuerit submittere Divino spiritui, qui in ea loquebatur. Ità curavit meum vulnus, & correxit meam incredulitatem, cum non exiguo meæ animæ emolumento. Hucusque dictus Pater: omitto multa alia, quæ adfert ac jurat, ut spiritum istius servæ Dei comprobet. Progrediamur ad ea, quæ illa, dum

dum ipsi intima animæ suæ manifestaret, asseruit de gloria nostræ Venerabilis Virginis, & is in suo juramento hunc in modum recenset.

Cùm hæc famula Dei plurima ab infernalibus tortoribus patiatur, adeóque continuè ab illis excrucietur, auditis hoc anno sexcentesimo tertio multis, quæ dicebantur de Sancta Marina de Escobar, de magnis ipsius virtutibus & miraculis, quæ DEUS in ijs operabatur, qui se ipsi commendabant; atque inprimis quantopere fuerit excarnificata à diabolis, tenerrimo illam est affectu prosecuta, cœpítque se Venerabili eidem Virgini commendare, ut ab ipsa protegeretur ac defenderetur à tam terribilibus ipsius adversarijs, quod benedicta Sancta Marina præstitit, quemadmodum nunc dicam.

Postquam se illi Sancta Marina quater aut quinquies spectandam exhibuit, eámque est consolata, fuit singularissima visio, quam habuit sub medium circiter Augusti præsenti anno: vidit enim illam summâ præditam gloriâ, quæ omnem superaret exaggerationem. Sancta ipsam est solata, & animavit ad sustinendas amore Dei eas afflictiones ac dolores, atque addidit: Ecce, omnem istam gloriam, quâ fruor, & quam tantopere miraris, mihi Divina Majestas contulit propter ea, quæ amore ipsius toleravi. Esto bono animo, polliceor tibi, quòd te sim efficacissimè adjutura. Comitabatur Sanctam Marinam noster Sanctus Pater Franciscus, qui illam etiam multùm, & verbis tenerrimis fuit solatus, animando ipsam ad dolores, quos percipiebat ex CHRISTI Domini Passione. In alia simili apparitione Sancti Patris nostri Francisci, Sancti Dominici, Sancti Augustini, & aliorum Sanctorum, illi etiam Sancta Marina comparuit, amantissimè ad eam accedens, ipsámque svavissimè alloquens, & multa promittens.

Aliâ vice conspexit Sanctam Marinam, quasi immersam in quandam abyssum gloriæ, & existentem intra immensum pectus Dei, in penetralibus ac profunditatibus Divinis, quod intellectus nequit assequi, multóque minùs lingva explicare. Tantùm mihi scivit dicere: Pater, quando mihi Deus, pro suo beneplacito, aliquem ostendit intra suum Divinum Esse, quò magìs animæ sunt absconditæ & immersæ intra intimum recessum illius abyssi gloriæ, & immensum pectus Dei, unà mihi significatur, eò esse majorem gloriam, quâ fruuntur: & spectato loco, quem mihi ostensum est, occupari à mea Sancta Marina in eo sacro pectore, inexplicabilis est ipsius gloria.

Ultimâ die Augusti, post perceptam sacram Synaxim ipsi eadem Sancta comparuit, familiarissimè appropinquans, eámque animans ad perpetiendos amore Christi Domini dolores, quos tum actu sentiebat, tam internos, quàm externos, à quibus velut in crucem agebatur, & subjunxit eadem Sancta Marina: Etiam me Deus hac ipsâ viâ duxit, ut continuè amore ipsius paterer. Si tibi molestum accidit conversari cum creaturis, noli idcirco affligi: Deus enim inde suam elicit gloriam, & fructum animarum; atq; hæc fuit causa, quòd istam crucem tot annis toleraverim, loquendo & conversando cum ijs, qui ad me veniebant, ut ex me caperent solatium.

In alia admirabili visione, quam hæc mea pœnitens habuit de undecim millibus Virginum, quibus est addictissima, vidit cum illis Sanctam Marinam, & ipsius opinione pulchriorem ac splendidiorem, quàm ulla earum fuerit.

Quadam die, peractâ sacrâ Communione, & perceptis à Deo ineffabilibus gratijs, illi dixit Divina Majestas: Veni mecum; & sinè mora fuit à Divina Majestate ducta ad cœlum, ubi vidit, quæ nemo novit, aut potest explicare. Peculiariter verò oculi animæ ipsius fuerunt abrepti, quòd viderit Sanctos suos Patronos, etiámque animas jam glorioſas quorundam suorum Confessariorum, & alios, quos viventes noverat. Præ cæteris tamen se ipsis familiares exhibuerunt duæ servæ Dei, quæ paulò antè erant defunctæ. Vna erat Sancta Marina de Escobar, altera Soror Anna Maria de Sancto Josepho, Monialis Ordinis Sancti Franciſci

ciſci Diſcalceata, in Conventu Salmanticenſi. Iſtæ duæ Sanctæ manſerunt apud hanc meam pœnitentem toto tempore matutino, quo fuerat in templo, tantam ipſi demonſtrando benevolentiam, ac pollicendo tam amanter ſuam protectionem, quamdiu eſſet victura, atque ità ſuam gloriam manifeſtando & pulchritudinem, ut ſibi videretur eas etiam oculis corporis intueri: ſive namque eos clauderet, ſive aperiret, eodem modo fruebatur ipſarum præſentiâ. Splendores, quibus circumdabantur, veſtibus indutæ, quibus hîc uſæ fuerant, erant inexplicabiles. Admirabiliorem & glorioſiorem ſe illi videbatur oſtendere Venerabilis Marina. Benedicta ſoror Anna de Sancto Joſepho habebat in manu pretioſiſſimam crucem, & elegantiſſimum annulum, atque Sancta Marina ferebat ſimiliter crucem, & tres admirabiles annulos. Cauſam, ob quam ità alteram ſuperaret, tum non reſcivit. Occaſio autem videndæ benedictæ Annæ de Sancto Joſepho, quæ ipſi primâ vice comparuerat, fuit, quòd ego illi pridie locutus fuerim de magna ipſius ſanctitate, ac dixerim, quàm bene fuiſſet conſcriptus liber, qui in lucem prodiverat de illius vita & virtutibus. Ab hoc die ipſam hæc benedicta Monialis frequenter viſitavit, apparendo illi unà cum Sancta Marina, à quibus magno replebatur ſolatio, & animabatur.

Tantam hæ duæ beatæ ſponſæ Chriſti cum ea iniverunt familiaritatem, uti ſibi illas continuò habere præſentes videretur, séque frui admirabili pulchritudine & gloriâ, quibus adornatas ipſi quotidie cœleſtis Sponſus exhibebat. Inter alias vices ipſi bis comparuerunt plenæ pretioſis lapidibus, ità ut ipſa quoque calceamenta non poſſent aſpici, præ magnitudine ſplendoris. Sancta Marina gerebat ſuos tres annulos, ſancta ſoror Anna duntaxat unum. In una harum apparitionum interrogavit famula Dei Beatam Marinam, an verum eſſet, quod dicebatur, de data ipſi à Divina Majeſtate in charta pura quadam ſubſcriptione, ut peteret quidquid vellet. Et reſpondit illi, ità omnino accidiſſe. Dum illas clariùs videret, quod multoties fiebat, quadam vice pretioſi lapides coronæ & veſtium Venerabilis Marinæ ipſi videbantur eſſe inſtar carbunculorum, & illi quos habebat ſoror Anna, ſimiles adamantibus.

Injunxeram meæ pœnitenti, ut pro Dei & Sanctarum ipſius gloria illas interrogaret, quale eſſet myſterium annulorum, & cur ab una geſtarentur tres, ab altera verò tantùm unus. Et quadam occaſione, cùm ipſas eodem modo vidiſſet, id cum magna animi demiſſione ac modeſtia ex ijs quæſivit, ut mihi obtemperaret. Sancta Marina illi reſpondit: Unus ex his annulis mihi eſt datus tanquam ſponſæ, licèt indignæ, mei Domini; alter eſt inſigne Virginis; tertius Martyris: quia ingens fuit martyrium, & dolores, quos amore Divinæ Majeſtatis toleravi, quam ob cauſam mihi majus præmium eſt datum, quàm ulli ex undecim millibus Virginum, ſicut aliàs vidiſti.

Verſabatur aliquando in actuali DEI præſentia, aſſiſtente illi fideliſſimâ ipſius Advocatâ Sanctâ Marinâ, cùm interim terribiliter à diabolis cruciaretur, tum illam interrogavit: Mea Sancta, quomodo me iſti hoſtes audent cruciare, agúntque tam ſecurè in conſpectu Divinæ Majeſtatis? Reſpondit autem ipſi Venerabilis Marina: Noli mirari, idem enim mihi contingebat, quod Deus fieri permittit pro majore ſervorum ſuorum corona, & eorundem diabolorum confuſione. Atque hoc Sanctæ reſponſum non abludit ab eo, quod ipſimet dæmones aliâ occaſione eidem perſonæ ſunt faſſi: ſe nempe magis affligi, dum illam excruciant, quàm ipſis inferni tormentis: & hoc in genere nonnulla evenerunt valde notabilia, quæ nunc ad noſtrum propoſitum non faciunt. Eadem Sancta Marina illi aliàs, ut ipſam in quadam re ſolaretur, dixit hæc verba: Inter magnas gratias, quas innumeris vicibus à liberalitate magni Dei noſtri & Domini accepi, cùm in mundo viverem, fuit favor, quem obtinui, quando mihi in meo cubiculo apparuit Beatiſſima Trinitas, præſente Regina Angelorum. Favor iſte, & bona,

& bona, quæ tum temporis sum adepta, sunt absque ulla comparatione tam magna, ut, quantumcunque illa intellectus hominum hîc vellent extollere, semper tamen minùs, quàm par esset, concipe-rent. Dixit præterea, tot, adeóque continuatis vicibus se fuisse à Deo visitatam, ut eæ vix possent numerari, & subjunxit: Semper me Deus plurimùm animabat, ut, quæ amore ipsius tolerabam, sustinerem æquo animo, conformando me in omnibus cum Divina voluntate. Concluſit verò Sancta Marina dicendo illi inter alia, magnam fuisse suam cum Divina voluntate conformitatem, quam ipsi Deus dedisset; & quomodo ab eo fuerit conservata, nè caderet in peccata venialia: peccatum enim lethale, per Divinam misericordiam, à se nunquam fuisse commissum.

Quadam occasione, inter alias, quas prætermitto, illi comparuit Sancta Marina, & vestis, quam gerebat, erat ità gemmis, tanquam adamantibus & carbunculis referta, adeóque resplendens, ut non potuerit aspici. Subtegmen hujus vestis erat quasi candidum & russeum, qui colores significabant virgineam ipsius puritatem, & continuum ejusdem martyrium: habebat annulum ornatum carbunculis, quem illi dederat Sponsus, atque eædem gemmæ erant insertæ glorioſæ ipsius coronæ. Comitabatur hanc Sanctam benedicta Soror Anna de Sancto Josepho, & Sancta Birgitta, cujus vestitus erat admirabilis. Exhibuerunt se illi tres istæ Sanctæ valde faventes, præcipuè verò eminuit affabilitas Sanctæ Marinæ exhortantis ipsam, sicut semper aliàs, ad patiendum amore sui Sponsi CHRISTI Domini. Ut autem ostenderet, quale præmium in cœlo sit præparatum ijs, qui amore ipsius tolerant adversa, deposuit coronam, quam in suo capite habebat, eáque circumdedit caput hujus suæ clientis, quam ità propè biduo invisibiliter gestavit, cum tanto suæ animæ gaudio & jubilo, quantum sibi quisque potest imaginari. Elapsis his diebus ipsi Sancta Marina rursum comparuit unà cum Christo Domino, qui suis manibus isti suæ famulæ abstulit coronam, quam ei dederat Venerabilis Marina, imposuitque illi coronam spineam, dicendo: Nolo, ut sponsa mea in hac vita aliam habeat coronam, quàm spineam: quod enim mihi in ea maximè placet, est, ut propter me patiatur.

# CAPUT XVII.

## Prosequitur materiam prioris Capitis.

QUanquam omnia sint prorsus admiranda, quæ hactenus in sua jurata attestatione asseverat P. Fr. Franciscus de Ascensione, non minùs tamen mira sunt cætera, quæ sequentibus refert verbis.

Mandavi aliquando, ex quadam occasione, dictæ meæ pœnitenti, ut, ubi rursum videret Sanctam Marinam, eam interrogaret, quásnam Deus ipsi gratias & favores concessisset pro corollis precatorijs, crucibus, numismatibus, sacrisque cetæ benedictæ amuletis; & essentne vera, quæ de hac mirabili concessione referebantur? Primâ igitur vice, quâ illam vidit, quæsivit ex ipsa, quod à me fuerat jussa. Sancta Virgo ei respondit, omnia ità se habere, sicut asserebantur, & ab ipsamet scripta fuerant, atque prædicta magno fore adjumento ad consequendam salutem ijs, qui illa gestarent, ac haberent in hora suæ mortis. Dixit ipsi quoque numerum Angelorum, sibi à Deo attributorum, quos Divina Majestas voluit ab hac persona videri, & quanta illorum esset pulchritudo. Præterea illi eadem occasione manifestavit altissimum gradum, quem conscendit in cœlo, propter multa,

quæ hîc passa fuerat, addens multas pollicitationes, & quomodo ipsam esset protectura, ac adjutura, & specialissimam ipsius curam habitura.

Dum quadam vice meam pœnitentem vehementer persequerentur dæmones, permisit Deus etiam, ut Dominus paupertinæ domunculæ, quam inhabitabat, acerrimis in illam verbis inveheretur, cùm esset homo valde inconsideratus, fuerítque necesse, ut ego, & piæ quædam personæ eam defenderemus. Ipsa recurrit ad Deum per orationem, quæ sola est illius asylum, quemadmodum etiam omnium, qui in ea quidpiam à Deo volunt obtinere. Ibi ipsi comparuit diabolus, intentans illi furiosè minas, ac dicens, quòd eam esset excoriaturus instar cuniculi, & similem redditurus Sancto Bartholomæo. Licèt verò illum aliàs non timeat, tunc tamen natura fuit vehementer perturbata. Vidit subitò Dominum, qui propè adest afflictis, serióque ipsum invocantibus; confortavit illam & animavit, ad patienter amore illius sustinendam hanc, & alias afflictiones ipsi occursuras. Neque illi hîc defuit solatium fidelis Advocatæ Sanctæ Marinæ, quæ ei comparuit glorioſissima, & accedens ad illam familiarissimè dixit: Tolera animosè istas molestias tibi occurrentes, quarum authores sunt dæmones, executores autem homines, quia in hoc posteriore me superas: ego enim semper fui multùm amata, & æstimata ab hominibus, quamdiu in mundo vixi.

Aliquot diebus pòst, cùm esset in nostro Conventu, inter alias gratias, quas à Deo accepit, una erat, quòd fuerit visitata à Sancto Patre nostro Francisco, qui singulari conspicuus gloriâ illam blandè est allocutus, vehementer animando, ad perferendos amore CHRISTI Domini dolores Passionis ipsius. Videbatur illi glorioſus Sanctus eam admovere ad sua vulnera, & ex vulnere lateris destillare in ipsius animam quædam ineffabilis svavitas, per quam, & verborum à Sancto prolatorum gratiam fuit summè confortata ad patiendum. Et verò magno indigebat animo, quia paulò pòst dæmones, à quibus tenebatur, illam ibidem in templo, ubi erat, tantâ sunt aggressi rabie, ut ipsam viderentur velle enecare, cruciantes corpus diris doloribus, & animam ejusmodi anxietatibus, ut ijs quodammodo intra se ipsam conficeretur. Videbatur sibi interea ab illis raptari per templum; elevabat cor ad Deum, qui ipsam eminus, & quasi ex occulto spectabat, ac dicebat Divinæ Majestati: Vide Domine, vires non esse pares sustinendis tam acerbis tormentis. Et cùm illi Dominus non responderet, dicebat suæ magnæ Patronæ Sanctæ Marinæ: Quomodo hæc res, amica mea & dilecta mea, toleratur, ut Deo meo præsente sic tractèr à Diabolis? Patrocinare mihi Sancta mea. Respondit illi: Ità Divina Majestas fieri permittit, ad majorem suam gloriam. Hæc cimelia, quibus meam animam vides exornatam, donata mihi à cœlesti Sponso, non dantur, nisi generosè amore ipsius certanti.

Non fuit hîc mysteriorum istius diei finis: sed post quædam alia illi comparuit Sanctus Archangelus Michaël, cujus celebrabatur festum, & quem impensissimè colit. Ostendit se ipsi admodum faventem, defendendo illam adversùs dæmones, à quibus pessimè ijs diebus fuerat habita, atq; ab ipsis liberando. Inter millenos autem Angelos præsentes in templo, ubi erat, & inservientes Regi gloriæ, Sanctissimáque ipsius Matri, unà cum multis Sanctis, qui omnes videbantur descendisse ad celebrandum festum glorioſi Archangeli, vidit sibi præ cæteris addictiores Sanctum Patrem nostrum Franciscum, Sanctum Antonium, Sanctum Ludovicum, & Sanctam Marinam, quæ comparebat in choro undecim millium Virginum, proximèque accedebat ad hanc suam clientem: cùm autem tantopere excelleret in præstandis ipsi gratijs, contulit ipsi specialem, quam obstupuit. Fuit verò, quòd Sancta ex suo collo deposuerit quædam cimelia, quibus glorioſissimè erat exornata, eíque dederit, ut illis suam animam ornaret. Verùm Christus Dominus

ea

eâ ipsi abstulit, restituítque Sanctæ Marinæ, & loco illorum, quæ auferebat, ei dabat alia longè pretiosiora, ostendendo illi etiam elegantissimam crucem, quam ipse ferebat, & eam illuminando, ut cognosceret, dictam crucem esse multò pretiosiorem, quàm fuerit, quando ipsi eandem ante paucos dies exhibuit, in festo nempe Crucis, mense Septembri; significans illi, quòd ijs, quæ ab eo tempore erat passa, & quæ fuerant multa, eam pretiosam crucem magis exornaverit.

Hæc omnia acciderunt in festo Sancti Michaëlis manè, & quando post meridiem redivit ad Vesperas, rursum in nostro templo vidit millenos Angelos, qui omnes cum amore ac tremore assistebant suo Domino. Videbatur illi venisse ad ipsam Christus Dominus, cum Sanctissima sua Matre, atque depositâ coronâ gloriæ, quâ fuerat redimitus, eandem imponere suæ vilissimæ ancillæ. Quia verò corona erat tam gloriosa, utpote talis Regis, fuit tanti ponderis, adeóque ipsi molesta, ut Ejusdem Majestatem rogaret, ut eam dignaretur auferre, eò quòd ipsam non posset sustinere. Depositа illi fuit à Domino dicente: His pretiosis lapidibus frui oportet cum spinis. Neque tamen eâ ablatâ prorsus cessavit dolor capitis, quamvis fuerit nonnihil sublevata, ut die sequenti, qui erat feriæ sextæ, coronari posset spinis, & cor ipsius configi Passionis Dominicæ doloribus. Feriâ igitur sextâ illi, post sumptam sacram Eucharistiam apparuit Dominus supra modum mæstus, ut cor ipsius confixum ampliùs affligeret. Comparuerunt cum eo Sanctus Pater noster Franciscus, & Sancta Marina, plurimùm ipsam animantes ad perpetiendos illos dolores. Sancta, sicut aliàs consueverat, deposuit quædam sua cimelia, & inter illa annulum, quæ dedit suæ clienti. Et Dominus, quasi sibi complacens, quòd bene vellet, exhiberetque honorem illi, quam ipse summopere amabat, donavit Sanctæ Marinæ annulum longè pretiosiorem eo, quem illa dederat suæ amicæ, ità ipsi quodammodo satisfaciens, ùt ajunt, vicémq; reddens.

Idem ei evenit aliâ occasione, adeò ut Sancta Marina etiam se spoliaret pretiosâ coronâ, quam in suo capite gerebat, eámque imponeret huic famulæ Dei, ut illam solaretur, & animaret in doloribus, quos tùm patiebatur, ortos ex affectuosa Dominicæ Passionis meditatione: atque cùm se coram ipsa humiliaret, à qua tantis cumulabatur gratijs, dixit illi: Unde mihi, chara mea Domina, & dilecta mea, tantus favor? Sancta Marina autem ipsi respondit: Dico tibi, filia, quòd te adeò amem, ut tibi, si esset necesse, darem gloriam, quâ fruor. Tantus fuit amor, quo beata Marina istam creaturam prosequebatur.

Quodam die Sabbathi manè, dum Prima horarum Canonicarum persolveretur, audiens Missam, quæ dicebatur de purissima Deiparæ Conceptione, conspexit hanc Celsissimam Reginam, & Sacrosanctum ipsius Filium. Sanctissima Virgo tenebat in manu pulcherrimam coronam, contextam ex floribus purpureis & candidis, distinctam quoque pretiosis lapidibus; & vidit, quòd Cœli Regina eam coronam dederit Sanctæ Marinæ præsenti, quam cùm Sancta eo die retinuisset, postridie donavit huic personæ, quò tanti fieret particeps favoris, adeò ut hæc Sancta videatur esse solicita, &, prout hîc loquimur, invigilare, quasi exquirendo occasiones gratificandi isti creaturæ: siquidem pretiosa dona, quæ accipit à Divino Sponso, & Sanctissima ejus Matre, statim illi impertitur, cum magna hujus summi Regis gloria, qui gaudet videns, Sanctos esse tam liberales erga suos amicos. Præterea eadem occasione se Divina Majestas exhibuit instar zelotypi amantis (hæc enim omnia, ad significandam nobis affectuum suorum teneritudinem, scit, ac solet facere hic Dominus) dum isti creaturæ abstulit cimelia ac dona, quæ illi gloriosa Marina dederat, & per unum diem retinuerat. Dixit mihi, visum sibi fuisse, acsi Sancta Marina eo tempore præ se ferret, nescio quem humilem, & ex amore profectum dolorem, propter ablata ipsi à Domino dona, quæ ab ea acceperat, quanquam postea ab eodem restituta. Et cùm ipsum interrogaret, quare sibi ea abstu-

lisset, respondit benignissimè, id propterea factum fuisse, ut illi restituerentur meliora. Talia verò evaserunt, postquam uno die fuerunt in manibus Domini, & insuper aucta alio cimelio longè majoris valoris, quod erat crux elegantissima, & admirabilissima. Eodem tempore dum ista creatura cœlesti ex una parte perfunderetur gaudio, ob ea, quæ consequebatur, & ex alia se demergeret in abyssum suæ miseriæ, agnoscens se omnibus bonis indignam, sicut in hujusmodi eventibus agere consvevit, dixit illi Sancta Marina, quòd singulariter esset protectura quandam personam sibi addictam, propter affectum, quo conabatur ejusdem Sanctæ honorem promovere: quâ patrocinante Deus illi personæ dedit duos Angelos ex ijs, qui Sanctæ in hac vita cohabitaverant. In alijs autem revelationibus ipsi dixit, se hujus, & peculiariter aliarum duarum personarum laborantium in approbanda ejus vita & miraculis, specialem fore apud Deum advocatam. Aliàs illi apparebat Sancta Marina cum Sancta Birgitta, utraque tam glorioſa, ut eam in sui amorem abriperent, & obstupefacerent: præsertim S. Marina, quæ illi inter cætera dixit: Vellemus quidem, filia, te pro nostro Conventu habere; sed Franciscus te sibi vendicavit, significando ipsi, quòd esset ingressura Ordinem Sancti Patris nostri.

Summis creaturam hanc Deus exercuerat doloribus, afflictam, quòd videret, quanta adversùs Divinam Majestatem committerentur peccata, & ob alias causas concernentes honorem Dei: cúmque eam etiam Sanctissima Dei Genitrix fuisset consolata, contulit ipsi suâ regiâ manu beneficium, quando loco duplicis coronæ spineæ, quas ijs diebus hæc serva Dei gestaverat, illi imposuit augustum sui capitis diadema. Adfuit isti favori beata Marina, & gaudens, atque aliquatenus obstricta, quòd persona ipsi adeò chara, tam singularem obtineret gratiam, voluit illam, quantùm potuit, & eo modo, quem ei concedebat amor, humiliter compensare, deponénsque coronam, quam habuit in suo capite, obtulit illam, cum profunda animi demissione ac reverentia, Sanctissimæ Reginæ Angelorum; ac deinde conversa ad suam clientem, ei consvetam exhibuit affabilitatem, & benevolentiam, animando ipsam ad plura ac plura sustinenda, propter omnia, quæ cederent ad Divinum honorem.

Post alios gravissimos dolores ac tormenta, quæ ista creatura pro Deo toleraverat, & postquam illam Divina Majestas propterea liberalissimè suâ manu fuisset remunerata, apparuit ipsi quoq; S. P. noster Franciscus, & benedicta Marina, à quibus fuit tenerrimis verbis confortata: atque acsi sua singillatim esse censerent beneficia, quæ illi conferebantur, Sanctus Pater agebat gratias Sanctæ Virgini, & hæc vicissim Sancto, pro favore exhibito suæ clienti. Præterea Sanctus Pater deposuit pulcherrimam coronam, quam in suo capite gestabat, & dedit illam Sanctæ Virgini, unáq; pretiosam crucem dependentem ex suo collo, in qua erant eleganter effigiata quinque vulnera Servatoris, dicendo ipsi: Propter amorem, quo afficeris, & gratias, quas huic meæ clienti præstas, tibi Virgo Christi do hæc mea cimelia. Sancta reddidit, ùt loquimur, par pari, & eadem verba; obtulit Sancto Patri coronam, quam ferebat in suo capite, & aliam crucem, quæ ex ipsius collo pendebat. Ista crux Sanctæ, præterquam quòd esset pretiosissima, ità ut suo splendore obscuraret, quidquid lucentis auri est imaginabile, etiam erat plenissima mysterijs. In superiore illius parte fuit expressum altissimum mysterium Beatissimæ Trinitatis, inferiùs autem Christus Dominus, & mysteria sacræ ipsius Passionis; in reliquis verò spatijs multi Sancti & Sanctæ, Martyres, Virgines, & Confessores, cum ijsdem insignibus, quæ illis hîc solent appingi. Obstupuit hæc creatura, visâ tam admirabili cruce, & quantò plura in ea videbat, tantò magis optabat intelligere illius significationem. Atque tum ipsi S. Marina dixit: Filia, istam crucem, & hoc cimelium cum imaginibus, quas vides, tot Sanctorum, mihi dedit Divinus Sponsus, quia in vita sustinui omnia tormenta Sanctorum, quos

in

in illa vides effigiatos. Et hoc ipsum, quod ei dixit Sancta, etiam Divina Majestas eidem creaturæ, per quoddam intimum lumen, manifestavit. In eadem apparitione alio (quotidie enim se illi spectandam exhibebat aliter, & quidem elegantissimè ornatam) cimelio vidit Beatam Marinam refulgentem: erat verò redimiculum capitis, admirandis coruscans gemmis, quod sibi dixit datum fuisse à Domino, propter dolores in capite toleratos, quando coronabatur spinis, & in eodem cruciabatur à diabolis.

Denique, ut multas alias revelationes silentio præteream, in quibus Sancta Marina huic sanctæ amicæ comparuit, & semper, ùt dixi, alio ornatu, atque cœlesti elegantiâ spectabilis, fuit ille specialis modus, quo se ipsi quadam vice repræsentavit tam admirabiliter comptam & speciosam, ut dicta creatura existimaverit, illam nunquam à se conspectam fuisse ornatiorem. Erat cultus ipsius & ornatus illi similis, quo ab Ecclesia pingi solet Sancta Agnes. Vestis fuit ex tela quadam coloris candidi & russei, præter modum pretiosa & elegans, conserta strobilis ex purissimo auro, qui erant distincti gemmis candidis & rubicundis, significantibus virginalem ipsius puritatem, & glorioſum martyrium. In collo habebat monilia, quæ illi cœlestis ejus Sponsus, & S. P. noster Franciscus dederat; in manibus pretiosissimos annulos, & in sandalijs, eorundémque ligaminibus uniones & gemmas stupendas: super omnia verò erat inæstimabilis pulchritudinis corona capitis. Ex glorioſissima hac apparitione redundabat in istam creaturam quædam lætitia & gloria, quâ reddebatur attonita, & absorbebatur in sua contemplatione. Hanc jucunditatem augebat svavissima familiaritas, quâ ipsam solabatur, blandéque alloquebatur, confortando illam, ut amore sui dilecti multa pateretur. Paulò pòst, utpote postridie, eam rursus visitavit Sancta, cum S. P. nostro Franciseo, & post alia mira, quæ ibi sunt acta, illi dixit glorioſa Marina idem quod aliàs, videlicet: Quamvis tandem Franciscus te sibi vendicet, non propterea te ego unquam deseram, neque intermittam gratificari Religioſis hujus Conventûs.

Hactenus dictus P. Fr. Franciscus de Ascensione in suo juramento. Quamvis autem dicat, à se prætermissas fuisse alias multas revelationes Sanctæ Marinæ, factas huic famulæ Dei, quas referre potuisset; ego nihilominus ex ijs ipsis quas recensuit, non paucas omisi, quòd sint similes præcedentibus. DEUS sit in æternum benedictus, qui est mirabilis in Sanctis suis.

A. M. D. G.

# PROTESTATIO PROVINCIALIS CASTELLANI.

OBtemperando decretis Sanctissimi Domini Nostri Papæ URBANI VIII., concernentibus eos, qui scribunt, ac typis mandant vitas, revelationes, miracula, & prophetias illustrium in vita & morte, Sanctitatis famâ personarum, testor, nihil eorum, quæ referuntur in hac SECUNDA Vitæ Famulæ DEI Marinæ de Escobar Vallisoletanæ PARTE, digesta à P. Andrea Pinto Ramirez Societatis JESU, ullâ hactenus niti authoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, sive spectent ad dictam Venerabilem Marinam, sive alios, de quibus in ea agitur; sed solâ humanâ illorum, à quibus scribuntur, ac referuntur, nullâ verò aliâ. Neque mihi animus est asserere dictæ Venerabili Marinæ titulum Beatæ aut Sanctæ, sed neq; cuiquam alteri, quoadusque declaretur talis à Sancta Ecclesia: vel etiam quovis modo viam sternere pro beatificatione, canonizatione, aut comprobatione miraculorum ejusdem Famulæ DEI, vel cujusvis alterius, relictis omnibus in eo statu, quem habebant, priusquam hæc historia scriberetur, & excuderetur. Quam protestationem facio nomine Authoris P. Andreæ Pinto Ramirez, qui idem præstaret, si viveret post prædicta decreta, tanquam obedientissimus Sanctæ Ecclesiæ filius; etiámque nomine meo, qui mihi, quoad hoc, dictum opus attribuo, in cujus principio ac fine ista protestatio apponitur.

PETRUS HIERONYMUS de CORDUBA
Societatis JESU Provincialis Castellæ.

Eundem in modum, se obedientem Sanctæ Sedis Apostolicæ filium protestatur Interpres.

INDEX

# INDEX

## Rerum notabilium, quæ continentur in hac Secunda Parte Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar.

### A.

#### Admonitiones Ven. Marinæ.


*Admonitiones scriptæ à Vener: Marina, ad bene progrediendum in via virtutis.* folio 307. columnâ 1. & 2.

*Aliæ ob id datæ cuidam Religioso. f. 309. c. 2.*

*Admonitiones scriptæ ad quoddam Monasterium, concernentes externa sanctitatis indicia. f. 311. c. 1.*

*Aliæ, quas scripsit de familiaritate cum Deo, & ejusdem alloquijs. à fol. 362. usque ad 374.*


#### Adolphus Rex Sveciæ.


*Dum, is illato bello infestat Germaniam, Venerabilis Marina vices dolet Catholicorum, & implorat divinam opem. fol. 313. col. 2. & f. 448. col. 1.*

*Venerabilis Marina petit à Deo illius conversionem.* ibidem.

*Sapiùs ipsum in spiritu alloquitur. f. 449. c. 1.*

*Impetrat à DEO, ut privetur auxilio dæmonum.* ibid.

*Prædicit ejusdem mortem.* ibid.

*Occiditur ab ipsa armis invisibilibus.* ibid.


#### S. Ambrosius.


*Comitatur Deiparam Virginem, dum visitat Ven. Marinam. f. 158. c. 1.*

*Beatiss. Virgo illum vocat suum amicum.* ibid.


#### Amor Dei.


*Ven. Marinæ ardentissimus amor erga Deum. à fol. 38. usque ad 53.*

*Ebria amore Dei queritur, se ab illo deseri. f. 39. c. 1.*

*Audit cantum Angelorum de amore DEI. f. 40. c. 2.*

*Cor Ven. Marinæ configitur sagittis divini amoris. f. 43. c. 1. f. 45. c 1. f. 49. c. 1. f. 52. c. 2.*

*Exponitur summus gradus amoris Dei. f. 364. col. 1.*

*Ven. Marina, præ vehementia amoris divini, ardebat etiam corpore. f. 437. c. 2. & seq.*

*Unde necesse fuit illam refocillare aquâ. fol. & col. eisdem.*

*Et pectus ejusdem quandoq; assurgens vi comprimere. f. 439. c. 1.*


#### Amor proximi.


*Quanto Ven. Marina amore fuerit prosecuta proximos, generatim videre est à fol. 207. usque ad fol. 288.*

*Orat Deum pro peccatoribus, & alijs in necessitate constitutis. f. 271. c. 1.*

*Benefacit etiam inimicis. f. 286. c 2.*

*Petit à Deo, ut omnes salventur. f. 379. c. 2. & f. 380. c. 1. & 2.*

*Deplorabat assiduè miserias, & calamitates proximorum. f. 440. c. 1.*

*Scripsit multa, & varios tractatus spirituales in utilitatem proximorum. f. 443. c. 1. & 2.*


#### Angeli.


*Totæ propè historiæ est plena gestis Angelorum: specialiter verò exponunt mysterium Incarnationis Christi, & alia. f. 170. c. 1. & 2.*

*Adorant sacram effigiem Crucifixi. f. 191. c. 2.*

*Et Sanctissimum Sacramentum Altaris. fol. 196. col. 2.*

*Obeunt armati Provincias Catholicas. f. 210. c. 2.*

*Adferunt hominibus divina dona. f. 224. c. 1.*

*Petunt à Deo longiorem vitam Ven. Marinæ, ut suis precibus adjuvet mundum. f. 227. c. 2.*

*Armati pellunt ex mundo dæmones. f. 232. c. 2.*

*Vener. Marina cum exercitu Angelorum circumit totum mundum. f. 242. c. 2.*

*Et impetrat à Deo, ut Angeli mittantur in subsidium Hispanis pugnantibus in Brasilia. f. 249. c. 1. & in Sabaudia.* ibid. *c. 2.*

*Angeli gerunt curam profectus animarum. f. 253. c. 1.*

*Exhortantur mundum ad gratias agendas pro beneficio Incarnationis Filij Dei. f. 274. c. 1.*

*Angelus Custos liberat curæ sibi commissum à damnatione. f. 280. c. 1.*

*Angeli gratias agunt Ven. Marinæ, quòd oret pro Regionibus curæ ipsorum commendatis. fol. 250. col. 2.*

*V. Marina ducitur in Siciliam ab Angelo ejus Regni Custode, ut illi bene precetur. f. 277. c. 2.*

*Angeli socij in cœlesti gloria parvulorum, qui obiverunt in gratia baptismali. f. 383. c. 2.*

*Festum Angelorũ celebratur in cœlo. f. 385. c. 2.*

*Undecim Angeli assistunt, & cohabitant Venerabili Marinæ. f. 385. c. 1.*


Anglia

# Index Rerum notabilium.


## Anglia, & Angli.

*Christus Dominus jubet Ven. Marinam agere matrem Catholicorum Anglorum. f. 225. c. 1.*

*Amor Ven. Marinæ, quo ferebatur erga Anglos Catholicos. à folio 265. usque ad 275.*

*Ven. Marina ducitur in spiritu in Angliam. f. 265. c. 1. Iterúmque ab Angelis. fol. 266. col. 1. f. 268. c. 1. f. 274. c. 2.*

*Petit à Deo eleemosynam pro Catholicis Angliæ. f. 268. c. 1. f. 274. c. 2. quam ipsis liberaliter elargitur. f. 266. c. 1. f. 269. c. 2. f. 274. c. 2.*

*Colligit in cœlo micas cadentes ex divina mensa, quibus solatur & confortat afflictos, propter persecutionẽ Regis, Anglos Catholicos. f. 267. c. 1.*

*Accipit à Deo donum, quod inter eosdem dispertitur. f. 268. c. 1. & 2.*

*Petit conversionem Regis Angliæ, & subditorum hæreticorum, atque eorundem, si converti nolint, destructionem. f. 271. c. 1. f. 272. c. 2.*

*Carolus Stuardus Rex Angliæ resistit vocanti Deo. f. 271. c. 1.*

*Huic V. Marina malum ominatur exitum.* ib.

## Anima.

*Anima potest esse in corpore, & simul in cœlo. f. 13. c. 1. f. 17. c. 2. f. 52. c. 1. f. 85. c. 2. f. 200. c. 1.*

*Gradus perfectionis, ad quam pervenit anima V. Marinæ à fol. 62. usque ad 72.*

*Anima Ven. Marinæ ascendit ad cœlum. f. 71. c. 2. f. 72. c. 2. f. 76. c. 2.*

*Eadem rapitur in cœlum unà cum corpore. à fol. 78. c. 2. usque ad f. 81.*

*Ven. Marina sæpe videt partem superiorem suæ animæ in cœlo, ut f. 86. c. 1.*

*Pars animæ superior salutat partem inferiorem in cœlo.* ibid.

*Superior pars animæ ven. Marinæ habitat in Deo. f. 77. c. 1. f. 402. c. 2.*

*Anima ven. Marinæ deliciatur in cœlo, & patitur in terra. f. 93. c. 1.*

*Varij modi, quibus Deus consuevit ducere animas, séq; illis communicare. à f. 325. usq; ad 361.*

## S. Anna.

*Visitat ven. Marinam. f. 99. c. 2.*

*Agit Deo gratias, pro data sibi filia Beatissima Virgine.* ibid.

## S. Augustinus.

*Visitat ven. Marinam, & alloquitur præsente S. Ignatio. f. 104. c. 2.*

*Et rursum cum alijs SS. Patriarchis Religiosorum Ordinum ab eodem invisitur. f. 108. c. 1.*

# B.

## S. Benedictus.

*Visitat ven. Marinam cum S. Dominico. & S. Ignatio, & S. Augustino. f. 106. c. 1.*

*Alloquitur illam. f. 107. c. 2. f. 110. c. 1. f. 111. c. 1. f. 113. c. 2.*

*Comitatur Beatissimam Virginem, in visitatione ven. Marinæ. f. 112. c. 2.*

*Hortatur ven. Marinam ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficijs. f. 113. c. 2.*

*Laudatur à S. Ignatio.* ibid.

*Ven. Marina suscipit ex ipsius manibus sacram hostiam. f. 114. c. 2. f. 404. c. 2.*

*Imponit ven. Marinæ pectori solem. f. 115. c. 2.*

*Mandat illi, ut curet pingi ipsius effigiem. fol. 116. c. 1.*

*Visitat illam cum multis Sanctis ex sua Religione. f. 403. c. 2.*

*Prædicit vener. Marinæ, qualem sit habitura mortem. f. 404. c. 1.*

## S. Bernardus.

*Visitat ven. Marinam cum alijs Sanctis, & ven. Patre Ludovico de Ponte. f. 109. c. 1.*

*Aliquoties ipsi comparet. f. 116. c. 2.*

*Deus ven. Marinæ revelat ipsius sanctitatem eximiam.* ibid.

*Interest convivio invitatus à S. Francisco Seraphico. f. 125. c. 1.*

## S. Bonaventura.

*Invisit ven. Marinam cum multis Sanctis suis Ordinis, & communicat ipsam spiritualiter. fol. 131. c. 1. f. 132. c. 1.*

*Petit ab illa, ut commendet Deo ipsius Religionem.* ibid.

*Rursus illam invisit, ac monet de nimio timore in accipiendis divinis gratijs.* ibid.

*Dat ipsi stellã, & inserit ejus pectori. f. 133. c. 1.*

*Visitat illam cum S. Benedicto, & S. Ignatio, ac docet.* ibid.

*Significat ipsi, nomine Dei, ut eligat quatuordecim salvandos ex viventibus in mundo, & duodecim animas liberandas ex Purgatorio. f. 134. c. 1.*

# C.

## Castitas.

*V. Marinæ se obstringit voto castitatis. f. 426. c. 2.*

*Nullum in ejus sermone audiebatur verbum de vitio castitati contrario.* ibid.

*Fatetur, se nescire, quid posset dicere ijs, à quibus consulebatur in materia castitatis. 427. c. 1.*

*Dicit, per familiaritatem cum Deo excludi cogitationes castitati adversus. f. 427. c. 1.*

*Confessarius ven. Marinæ testatur, illam obiisse Virginem corpore, & animâ. 426. c. 2.*

## Christus Dominus.

*Inscribit cordi ven. Marinæ hæc verba: Fiat sicut desideras. f. 39. c. 2.*

*Comparet illi in vero, & non apparente tantùm corpore, quod ipsa agnoscit.* ibid.
*Subsignat scriptum, in quo decernit perseverantiam ven. Marinæ. f. 57. c. 2.*
*Subscriptio est:* Ego Rex, Jesus Christus Filius Dei. *ibid.*
*Subsignat aliud scriptum his verbis;* Ego Rex supremus, Creator cœli & terræ. *f. 59. c. 1.*
*Jubet Ven. Marinam subscribere, quæ hæc verba scripsit:* † *Ego ancilla Jesu Marina* †. ibid.
*Ven. Marina videt Josephum & Nicodemum ferentes Christum Dominum ad sepulchrum. fol. 66. c. 1.*
*Communicatur à Christo Domino. f. 118. c. 1. f. 66. c. 2. f. 173. c. 1. f. 205. c. 1.*
*Perfunditur sanguine Christi. f. 66. c. 1.*
*Fit particeps dolorũ Passionis Christi. f. 75. c. 1.*
*Induit Jesum Christum. f. 74. c. 2.*
*Christus Dominus se exhibet ven. Marinæ spectandum cruci affixum. fol. 66. col. 1. f. 158. c. 1. f. 160. c. 1. f. 192. c. 1.*
*Ducit illam ad cœlum, ut interfit solennitati, quæ celebrabatur in honorem Sanctissimi Sacramenti. f. 159. c. 1.*
*Celebrat Missam agente Diaconum S. Dominico, & Subdiaconum S. Ignatio, iterúmque ipsam communicat. f. 173. c. 1.*
*Revelat illi mysterium suæ Incarnationis. f. 173. c. 2. & Nativitatis. f. 175. c. 1. & seq. f. 129. c. 2. Circumcisionis. f. 179. c. 1. Adorationis Regum. f. 180. c. 1. Præsentationis in templo. 183. c. 1. Passionis. f. 184. c. 2. & seq. Resurrectionis. f. 187. c. 2. & seq. Ascensionis. f. 332. c. 2.*
*Jubet ipsam orare pro Catholicis. fol. 209. c. 1. pro Infidelibus. f. 213. c. 1. & 2.*
*Donat illi nummum mysticum. f. 209. c. 2.*
*Ducit eam ad cœlum. f. 213. c. 2.*
*Manifestat ipsi Divinam Essentiam & alia.* ibid. *& f. 214. c. 2.*
*Ostendit sibi gratum esse, quòd cuxuerit dici novem Missæ. f. 218. c. 1.*
*Aufert cor. V. Marinæ.* ibid. *c. 2.*
*Comparet illi sedens ad dextram Patris, & sudans sanguinem. f. 354. c. 2.*

## Clavis.

*Ven. Marina accipit clavim divini gazophylacij. f. 56. c. 1.*
*Aliam, quâ aperiat cœlũ animabus. f. 102. c. 2.*
*Et aliam, quâ possit penetrare secreta cordium. f. 222. c. 2.*
*Aperit clavi aureâ arcam mysticam divinorũ thesaurorum. f. 265. c. 1.*

## Convivium.

*Ven. Marina spectat cœleste convivium, cui adest SSS. Trinitas. f. 96. c. 1.*
*In alio convivio Spiritus Sanctus remunerat ur V. Marinam. f. 69. c. 1.*
*S. Franciscus Seraphicus instruit convivium, cui adest. V. Marina. f. 125. c. 1.*
*Christus Dominus illam excipit convivio. f. 335. c. 2. & iterum alio, in quo apponuntur cibi significantes bona opera ven. Marinæ. f. 66. c. 2.*
*Ven. Marina videt convivium in cœlo, ubi mixæ decidux colliguntur ab animabus contemplativis. f. 342. c. 2.*
*Videt aliud convivium cœleste. f. 345. c. 2.*

## Corpus.

*Corpus hominum perfectorum redditur quadantenus spirituale. f. 32. c. 1. f. 33. c. 2.*
*Corpus ven. Marinæ fuit perfectè subjectum spiritui. f. 33. c. 1. & 2.*
*Ven. Marina discernit corpus, in quo Deus apparet, à corporibus assumptis Angelorum, & aliorum Sanctorum. f. 68: c. 2. & f. 71. c. 1.*

## Crux.

*Crux est infinitorum bonorũ thesaurus. f. 101. c. 1.*
*Honoratur solenniter ab Angelis, & alijs Sanctis. f. 192. c. 1.*
*Alia crux adoratur ab Angelis.* ibid.
*V. Marina accipit crucem à Beatissima Virgine. f. 194. c. 1 & ab Angelo. f. 223. c. 1.*
*Crux ferenda est in hac vita. f. 316. c. 2.*
*Ven. Marina mavult pati crucem, quàm spiritualibus in hac vita frui delicijs. f. 317. c. 1.*
*Fertur in cruce ad cœlum.* ibid.

# D.

## DEUS.

*Ven. Marina discit, Deum esse incomprehensibilem. f. 349. c. 1.*
*Edocetur, quomodo omnia creata dependeant à Deo. f. 151. c. 1.*
*Deus illi manifestat suum Esse. f. 204. c. 1.*
*Et suam magnitudinem ac perfectiones. f. 199. c. 1. f. 200. c. 2. f. 358. c. 2.*
*Cognoscit Trinitatem Personarum, & Unitatem Essentiæ Divinæ. f 48. c. 1.*
*Iterum illi manifestatur ineffabile mysterium SSS. Trinitatis. f. 97. c. 1. f. 68. c. 2. f. 336. c. 2.*

## Diabolus.

*Diaboli persequuntur ven. Marinam. f. 75. c. 1 & à f. 201. usque ad f. 206.*
*Diabolus obloquitur ven. Marinæ se resignanti in divinam voluntatem. f. 75. c. 1.*
*Fugit videns annulum in manu Venerabilis Marinæ, quem ipsi dederat Beatissima Virgo. fol. 78. c. 2.*
*Affligat Venerabilem Marinam veneno. fol. 150. col. 2.*

*Diaboli impediunt cultum Sanctissimi Sacramenti Altaris. f. 197. c. 2.*

*Affliguntur ejusdem cultu. f. 196. c. 1.*

*Acti in rabiem ac desperationem volunt, ut V. Marina abeat in cœlum. f. 201. c. 1.*

*Diabolus illam gravissimis torquet doloribus, producendo in ejusdem corpore prægrandes quinque calculos. f. 203. c. 1.*

*Diabolus queritur, quòd ipsum ven. Marina persequatur. f. 205. c. 2.*

*Vincitur catenâ, & præcipitatur à ven. Marina ad fluvium igneum. 206.*

*Diaboli suscitantes bella pelluntur ad infernum. f. 240. c. 2.*

*Ven. Marina abigit diabolos volentes inundare Vallisoletum. fol. 254. c. 2.*

*Videt diabolos immixtos Anglis parantibus classem contra Hispanos. f. 255. c. 2.*

*Diaboli cruciant sagam. f. 294. c. 1.*

*V. Marina propter crudelem ictum à diabolo acceptum, gravissimos patitur dolores, & affigitur lecto. f. 423. c. 1.*

S. Dominicus.

*Ven. Marina ducitur à S. Dominico ad Conventum S. Pauli Vallisoleti. f. 118. c. 1.*

*Visitatur ab eodem cum nonnullis Sanctis sui Ordinis. f. 119. c. 1.*

*Iterum, dum prævenit visitationem Beatissimæ Virginis.* ibid.

*Rogat illum, ut à Deo petat concordiam sui Ordinis & Societatis Jesu. f. 119. c. 1. f. 120. c. 2.*

*S. Dominicus laudat Societatem Jesu, & ejus Fundatorem. f. 119. c. 2. f. 121. c. 1.*

*Precatur V. Marinæ felicia festa. f. 120. c. 2.*

*V. Marina cognoscit ex Dei revelatione magnam S. Dominici gloriam in cœlo. f. 121. c. 2.*

*Festum ipsius celebratur in cœlo.* ibid. *c. 1.*

*S. Dominicus iterum deprædicat S. Ignatium. f. 136. c. 1.*

*Adfert ven. Marinæ gladium, & fasciculum florum, ducitque illam in Germaniam & Belgium, unde pellit dæmones. f. 122. c. 1.*

*Comitatur cum S. Ignatio Beatissimam Virginem, dum ab hac visitatur V. Marina. f. 136. c. 2.*

E.

Ecclesia Catholica.

*Extra hanc non est salus. f. 379. c. 2.*

*Non omnes qui in ea vivunt, imò pauci salvantur. f. 99. c. 2.*

Eleemosyna.

*Ven. Marina videt à Deo dari eleemosynam omnis conditionis hominibus. f. 7. c. 2.*

*Jubetur à Deo acceptare eleemosynas, quæ illi offerebantur. f. 306. c. 2. 429. c. 2.*

*Oblatis sibi eleemosynis, dotat complures Virgines, & collocat in statu religioso, etiámque matrimoniali. f. 430. c. 2. f. 441. c. 2.*

*Impendit in id ultra triginta millia Ducatorum. f. 416. c. 1.*

*Est liberalis in erogandis eleemosynis. f. 441. c. 2.*

*Deus multiplicat panem, quem Ven. Marina elargitur pauperibus.* ibid.

Epistola.

*Epistola Domini Joannis de Haro ad Ven. Marinam. f. 149. c. 1.*

*V. Marina scribit epistolam ad quendam Religiosum, cupientem edoceri de spiritu cujusdam animæ. f. 309. c. 2.*

*Aliam ad Monitales. f. 311. c. 1.*

*Aliam ad quendam ex Primoribus Hispaniæ desidentem agere vitam privatam. f. 315. c. 2.*

*Epistola P. Michaëlis de Orenja de obitu ven. Marinæ. à f. 405. c. 1. usque ad f. 411. c. 1.*

*Alia de eodem Domini Francisci de Vinjuela. à f. 411. c. 1. usque ad f. 419. c. 2.*

F.

Fides.

*Ven. Marinæ fides fuit illuminatissima. fol. 436. c. 1. & 2.*

*Mirabatur, potuisse quenquam dubitare de fidei veritatibus. f. 436. c. 1.*

*Explanabat facilè & clarè res fidei, tam verbo, quàm scripto. f. 436. c. 2.*

S. Franciscus Seraphicus.

*Ven. Marina ducitur ab Angelis ad hujus Sancti sepulchrum, & videt sacrum ejusdem corpus. f. 123. c. 1. & f. 124.*

*Attingit pretiosa ipsius vulnera corollis precatorijs. f. 124. c. 1.*

*Videt eximiam ejus gloriam. f. 124. c. 2. & f. 128. c. 1.*

*Idem Sanctus invitat in suo festo ad convivium SS. Patriarchas Ordinum religiosorum, cui adest V. Marina. f. 124. c. 2.*

*Ducit V. Marinam ad altissimum montem, ubi ipsi Deus manifestaverat suam gloriam. f. 126. c. 2.*

*Aliàs eò, ubi solebat in hac vita vacare orationi. f. 127. c. 1.*

*Aspergit illã sangvine suorũ vulnerũ. f. 127. c. 2.*

*Exhibet ipsi quosdam malè procedentes in via spiritûs, & illusos, unáq; pœnas inferni.* ibid.

*Communicat illi sua vulnera per radios inde prosedentes. f. 130. c. 1.*

*Benedicit ipsius corollas precatorias, & alia devotionis instrumenta, confértque illis quasdam gratias.* ibid.

*Non agnoscit pro suo filio quendam, qui ex alia Religione transivenit ad ipsius Ordinem. f. 295. c. 1.*

S. Fran-

S. Franciscus Xaverius.

*Adfert pretiosum donum ex cœlo ven. Marinæ. f. 64. c. 1.*

*Comparet illi cum S. Ignatio. fol. 135. col. 2. f. 137. c. 2.*

*Animat ipsam, ut præstet juramentum concernens ven. P. Ludovicum de Ponte, ac docet, quæ debeat testari. f. 149. c. 2.*

*Illo petente manent duo Angeli apud ven. Marinam. f. 150. c. 1.*

Fundatio nova Ordinis S. Birgittæ.

*Ven. Marina edocta à Christo Domino scribit novas hujus Ordinis regulas accommodatas nationi Hispanicæ. f. 440. c. 2.*

*Obtinet harum regularum confirmationem à Summo Pontifice Urbano VIII. f. 441. c. 1.*

*Primum hujus Ordinis in Hispania monasterium fundat Philippus IV. Rex.* ibid.

G.

Gloria cœlestis.

*Ven. Marina videt diversitatem gloriæ Sanctorum in cœlis. f. 88. & 89.*

*Et gloriam illorum, qui post transactam vitam in peccatis, sunt mortui in gratia. f. 89. c. 1.*

*Gloriam ven. Marinæ videt quædam famula Dei. f. 469. c. 1.*

H.

Hæretici.

*Ven. Marina petit destructionem hæreticorum nolentium converti. f. 90. c. 2. f. 265. c. 1. f. 272. c. 1.*

*Negat Angelis Custodibus hæreticorum gratiam, quam ab ea petunt. f. 265. c. 1.*

*Hæretici non sunt in via salutis. f. 379. c. 1.*

*Christus Dominus ostendit se irasci sectis falsis. f. 386.*

Hispania, & Hispani.

*Specialis affectus ven. Marinæ erga Hispaniam. à fol. 248. usque ad 263.*

*Ven. Marina impetrat Hispanis victoriam in Brasilia. f. 249. c. 1.*

*Et aliam in mari. f. 250. c. 1.*

*Deus promittit ven. Marinæ, non puniendam Hispaniam, ipsâ hic vivente* ibid. *c. 2.*

*Et illa sibi ideo petit prorogari vitam.* ibid.

*Ducta ab Angelis succurrit Hispanis in Portu divite, obsesso ab hostibus. f. 251. c. 2.*

*Abigit dæmones volentes nocere Vallisoleto. f. 254. c. 2.*

*Deus illi exhibet spectandas duas classes in mari, Hispanorum & Anglorum, docétque ipsam, qualiter se Hispania gerere debeat erga hostes. f. 255. c. 2.*

*Ven. Marina orat pro Madritensibus, & dicitur in spiritu ad regiam aulam, ubi suis admonitionibus nihil proficit. 257. c. 1.*

*Videt periculum classis Hispanicæ advehentis argentum ex Indijs, & fert illi opem. f. 258. c. 2.*

*Videt invehi in Hispaniam pecuniam cupream, & intelligit ex Deo, illam cedere in destructionem Hispaniæ. f. 260. c. 2.*

*Videt Philippo IV. Regi Hispaniarum ab Angelo dari catenam auream. f. 262. c. 1.*

*Amisso ab Hispanis Buscoduco, petit à Deo, ut perdat hæreticos Holandos. f. 262. c. 2.*

I.

S. Ignatius de Loyola.

*Visitat ven. Marinam & alloquitur. f. 104. c. 1.*

*Laudat S. Benedictum. f. 113. c. 2.*

*Gloria ipsius manifestatur V. Marinæ. f. 135. c. 2*

*Comparet gerens in pectore nomen Jesu.* ibid.

*Laudatur à S. Dominico. f. 136. c. 1.*

*Beatissima Virgo, & alij Sancti, gratulantur S. Ignatio, quòd in Ecclesia militante sit adscriptus numero Sanctorum. f. 136. c. 1.*

*Laudatur à Beatissima Virgine.* ibid. *c. 2.*

*Ven. Marina petit à S. Ignatio benedictionem, quam ipsi impertitur, & compellatur ab illo filia. f. 136. c. 2.*

*Visitat ven. Marinam cum multis Sanctis sui Ordinis. f. 137. c. 2. & bis ipsam communicat.* ib. *iterúmque. f. 217. c. 1.*

*Rursus illam alloquitur, & commendat ipsi suam Societatem. f. 138. c. 2.*

*Deus ven. Marinæ exponit magnum fructum, quem S. Ignatius, & ejus filij in mundo faciunt. f. 141. c. 2.*

*S. Ignatius comitatur Beatissimam Virginem, in visitatione ven. Marinæ. f. 163. c. 2.*

*Explicat ven. Marinæ efficaciam ipsius orationum. f. 216. c. 1.*

*Habet sermonem spiritualem ad ven. Marinam.* ibid.

Illusio.

*Ven. Marina timet perpetuò illusiones, quod ex plerisque apparitionibus, & revelationibus patet. ut f. 134. c. 1. & f. 148. c. 2.*

*Orat Deum, nè permittat, ut patiatur illusiones. f. 65. c. 2.*

*Illusiones cavendæ in vita contemplativa. à f. 374. usque ad f. 378.*

*Ven. Marina redditur à Deo certa, quòd non patiatur illusiones. f. 148. c. 2.*

*Pœna animarum illudentium alijs per hypocrisim. f. 377. & seq.*

Infideles.

*Ven. Marina jubetur à Deo orare pro Infidelibus. f. 213. c. 1.*

*Beatissima Virgo honoratur à quibusdam Infidelibus absque fructu. f. 166. c. 2.*

*Deus remunerantur vener. Marinam afflictam propter bella Infidelium. f. 228. c. 2.*

*Ven. Marina intimat legem divinam quatuor Regibus Infidelibus. f. 234. c. 1.*

*Ducitur ab Angelo ad mare, ac dissipat classem Infidelium. f. 235. c. 2.*

*Videt Deum indignantem infidelibus Japonibus. f. 271. c. 1.*

*Miseretur Infidelium degentium in Palestina. f. 265. c. 1.*

*Matrona quædam insignis inter Infideles. fol. 276. c. 2.*

*Huic ven. Marina largitur cœlestem eleemosynam. f. 276. c. 2. in fine.*

S. Joachim.

*Visitat ven. Marinam cum Beatissima Virgine. f. 98. c. 1.*

*Agit ven. Marinæ gratias, quòd effecerit, ut festum ipsius in Ecclesia celebraretur.* ibid.

*Promittit suum patrocinium ijs, qui ipsum coluerint.* ibid.

*Visitat ven. Marinam cum S. Anna. f. 99. c. 2.*

*Gratias agit Deo pro data sibi filia Beatissima Virgine.* ibid.

*Gloria S. Joachimi deprædicatur à S. Josepho. f. 100. c. 2.*

S. Joannes Baptista.

*Laudatur à S. Petro. f. 41. c. 2.*

*Offert SSS. Trinitati cor V. Marinæ. f. 42. c. 1.*

S. Joannes Evangelista.

*Scripsit, quæ illi dictabantur à Christo Domino. f. 57. c. 2.*

*Scriptum imponit in cor ven. Marinæ.* ibid.

*Donat illi pretiosum nummum. f. 178. c. 1.*

S. Josephus.

*Invisit ven. Marinam. f. 100. c. 2.*

*Pluris æstimat crucē, quàm quòd fuerit sponsus Beatiss. Virginis & Nutritius Christi. f. 101. c. 2.*

*Dicit ven. Marinæ, quòd ipsa patiendo superet interdum Martyres, qui profuderunt pro Christo sangvinem.* ibid.

L.

Ven. P. Ludovicus de Ponte.

*Sæpe post obitum comparet V. Marinæ, geritq; ipsius curam. f. 7. c. 1. f. 40. c. 1. f. 53. c. 2. f. 86. c. 2.*

*Monet illam, nè deneget accessum ad se venientibus. f. 9. c. 1.*

*Solatur ipsam. f. 41. c. 1. f. 54. c. 1.*

*Vult illam ducere ad cœlum, & ipsa turgiversatur. f. 84. c. 2.*

*Comitatur abeuntem ex cœlo. f. 93. c. 2.*

*Offert illi osculandum pedem Beatissimæ Virginis, quam parvulam gerit in ulnis. f. 100. c. 1.*

*Visitat ipsam cum SS. Benedicto, Augustino, Ignatio, & alloquitur. f. 109. c. 1.*

*Manifestat illi quandam prærogativam S. Benedicti. f. 114. c. 2.*

*Gaudet de persecutione suæ Societatis. f. 140. c. 1.*

*Liberat ven. Marinam à doloribus. f. 140. c. 2.*

*V. Marina intelligit ex dictis S. Dominici præstantiam virtutum hujus ven. Patris. 141. c. 1.*

*Rexit animam ven. Marinæ triginta annis.* ib.

*Angeli ven. Marinæ assistunt morienti ven. P. Ludovico de Ponte. f. 142. c. 1.*

*V. Marina fuit ab Angelis ducta ad videndū corpus defuncti ejusdem ven. Patris.* ibid.

*Idem postridie sui obitus comparet ven. Marinæ, habens in pectore nomen Jesu. f. 142. c. 1.*

*Honoratur ab Angelis ven. Marinæ.* ibid.

*Potitur cœlesti gloriâ, nullis Purgatorij pœnis tolemtis.* ibid.

*Ven. Marinà illum videt in cœlo, dum celebrantur ipsius exequiæ.* ibid.

*Loquitur cum ea in cœlo. f. 144. c. 1.*

*Ven. P. Ludovicus succurrit ven. Marinæ cœlesti medicamento. f. 145. c. 1.*

*Descendit ex cœlo, & respondet ipsius interrogationi. f. 145. c. 2.*

*Contradicit Angelo Custodi ven. Marinæ. fol. 146. c. 2.*

*Docet ven. Marinam varia, & inprimis Deum velle, ut sumendo cibum, quo non indigebat, præbeat exemplum vitæ communis. f. 147. c. 2.*

*Benedicit corollas precatorias ven. Marinæ. f. 148. c. 1.*

*V. Marina metuit illusionem propter frequentes ven. P. Ludovici visitationes, & Deus illam liberat ab hoc metu. f. 148. c. 2.*

*Ven. P. Ludovicus visitat ven. Marinam cum S. Xaverio. f. 149. c. 1.*

*Ungit ven. Marinam liquore cœlesti. f. 150. c. 1.*

*Dæmon fugit ipsius conspectum. f. 150. c. 2.*

*Exhibet ven. P. Ludovicus libellum, cujus illi mysterium explicat. f. 152. c. 1.*

*Exponit ipsi, cur tot à Deo obtineat gratias. f. 153. c. 1.*

*Loquitur cum ea de beatitudine cœlesti. fol. 153. col. 2.*

*Dat illi in cœlo benedictionem. f. 161. c. 1.*

*Respondet ejus dubijs. f. 190. c. 1. f. 333. c. 2. f. 336. c. 2. f. 340. c. 2.*

*Gaudet, quòd illi Deus tot conferat gratias, ac dicit, se inde habere gloriam accidentalem. f. 219. c. 2.*

*Sub ipsam sui obitus horam quædam dictavit scribenda de rebus ven. Marinæ. f. 314. p. 2.*

# M.

## Beatissima Virgo Maria.

*Videt illam ven. Marina in cœlo. fol. 77. c. 2. f. 93. c. 2.*

*Dat ven. Marinæ annulum, quo possit pellere dæmones. f. 78. c. 1.*

*Ducit ipsam ad cœlum viâ insolitâ. f. 83. c. 2.*

*Dicit illi, preces ejus exaudiri, & exaudiendas esse à Deo. f. 99. c. 1.*

*Osculatur ipsius frontem. f. 100. c. 1.*

*Visitat ven. Marinam cum SS. Joachimo, Josepho, Benedicto, Ignatio. f. 112. c. 1.*

*Præbet illi osculandos pedes & manus parvuli Jesu. f. 115. c. 2.*

*Visitat ipsam cum SS. Dominico & Ignatio, ac benedicit illi Rosaria, quibus confert virtutem fugandorum dæmonum, & morborum ab ipsis illatorum. f. 155. c. 1.*

*Collocat in ejus ulnis puerum Jesum. f. 156. c. 1.*

*Donat illi tres nummos significantes charitatem, ut unum sibi servet, reliquos det suis Confessarijs. f. 156. c. 1.*

*Ven. Marina discit à Deo, quomodo concepta fuerit absque peccato. f. 157. c. 2. f. 261. c. 1.*

*Et quòd corpus ipsius citiùs formatum sit, quã reliquorum hominum. f. 157. c. 2.*

*Beatissima Virgo ducit ven. Marinam ad cœlum, ut videat solemnitatem, in qua Deo gratias agit pro sua immaculata conceptione.* ibid.

*In primo instanti suæ conceptionis incepit mereri, & fuit confirmata in gratia. f. 158. c. 1.*

*Inscrit annulum in digitum ven. Marinæ.* ib.

*Rursus illam ducit ad videndum in cœlo festũ suæ immaculatæ conceptionis. f. 160. c. 2.*

*Beatissimæ Virgini major fuit gratia data in primo instanti conceptionis, quàm sit gratia omnium Angelorum & Sanctorum. f. 161. c. 2.*

*Revelatur ven. Marinæ mysterium præsentationis Beatissimæ Virginis.* ibid. *& desponsationis. 162. c. 1. Purificationis.* ibid. *Perditi & inventi Pueri Jesu. f. 162. c. 2. & quid in singulis fuerit merita, uti etiam dum fletit sub cruce.* ib.

*Mors Beatissimæ Virginis. f. 165. c. 1. f. 166. c. 2. Resurrectio. f. 168. c. 1. Assumptio.* ibid.

*Ven. Marina contemplatur Beatissimæ Virginis sepulchrum. f. 168. c. 2.*

*Beatissima Virgo visitat Ven. Marinam cum comitatu multorũ Sanctorum, & benedicit ipsius oratorium. f. 163. c. 2.*

*Præstat illi singularem gratiam præsentibus SS. Dominico & Ignatio. f. 194. c. 1.*

*Et liberat ipsam à calculis, quorũ author fuerat diabolus. f. 203. c. 1.*

## Venerabilis Marina.

*Affixa cruci fertur in cœlum. f. 5. c. 2. f. 316. c. 2.*

*Ornatur in cœlo, depositis vestibus laceris. f. 7. & 8*

*Comparet in cœlo tecta veteri centone. f. 8. c. 2.*

*Punitur ob quandam inadvertentiam. f. 9. c. 1.*

*Experitur difficultatem in ascensu ad cœlũ. f. 9. c. 2*

*Sepelitur crucifixa. f. 12. c. 1.*

*Ditatur à Deo, cui reddit accepta dona. f. 25. c. 1.*

*Optat descendere ad infernum, vel purgatorium, & à Deo ducitur ad cœlum. f. 27. c. 2.*

*Videt in cœlo suos parentes, & avos, amitas, & consanguineos. fol. 28. col. 2. & suum fratrem. f. 50. c. 1. ac neptem. f. 94. c. 1.*

*Mendicat in cœlo instar peregrinæ. f. 29. c. 1.*

*Vivit sinè corde. f. 42. c. 2.*

*Videt scriptum in suo corde:* Hìc habitat Jesus. *f. 43. c. 1.*

*In ejusdem corde dormit parvulus Jesus.* ib. *c. 2.*

*Videt suum cor in manibus Dei* ibid.

*Subscribit epistolam ad Christum Dominum his verbis:* Ancilla Jesu Marina. *f. 46. c. 1.*

*Radijs prodeuntibus ex Christo Domino vulneratur in manibus, pedibus, & latere sinistro. f. 47. c. 2.*

*Ab eodem vulneratur radio luminis. f. 52. c. 2.*

*Revelatur ven. Marinæ, quòd sit confirmata in gratia. f. 53. c. 2. f. 55. c. 1.*

*Rogat Angelum, ut castiget ipsius incuriam. f. 54. c. 2.*

*Obtinet à Deo gratiam, ut nunquam aliquid agat contra ejusdem beneplacitum. f. 61. c. 2.*

*Habet impressum in corde suo nomen JESU. f. 65. c. 2.*

*Offert sè Deo ad patiendum etiam in æternum. f. 75. c. 2.*

*Audit musicam Angelicam. f. 76. c. 1.*

*Vehitur curru triumphali ad cœlum. f. 91. c. 1.*

*Ips à agente decernitur à Summo Pontifice, ut S. Joachimus honoretur Officio Ecclesiastico. fol. 98. c. 1. f. 417: c. 1.*

*Exhibentur illi in cœlo instrumenta omnium ipsius dolorum. f. 145. c. 2.*

*Comitatur in spiritu Beatissimam Virginem proficiscentem in Bethlehem. f. 175. c. 1.*

*Ostenditur ipsi, quid possit præstare, adjuvante divinâ gratiâ. f. 298. c. 2.*

*Potatur à Christo Domino sanguine, post sacram Communionem. f. 195. c. 2.*

*Ducitur à Filio Dei & Spiritu Sancto ad cœlum, ibique percipit sacram synaxim. f. 205. c. 1.*

*Videt infernum, purgatorium, & limbum parvulorum. f. 330. c. 1.*

*Discit à Deo, quid ipse boni eliciat ex parvis Justorum defectibus. f. 333. c. 2. & f. 334. c. 1.*

*Ducta ad cœlũ, videt indefatũ mundi. f. 244. c. 2*

*Reclinat caput in genibus Christi Domini. fol: 217. c. 2.*

*Promulgat quandam Christi Domini admonitionem. f. 221. c. 1.*

*Ducitur ab Angelis, ut spectet taurilia. f. 225. c. 1.*

*Et ad mare, ubi submergit quinque naves hostium Ecclesiæ. f. 232. c. 1.*

*Videt in cœlo celebrari Incarnationem Christi Domini. f. 237. c. 2.*

*Videt in sua anima expressam imaginem Christi crucifixi. fol. 239. c. 2.*

*Angeli præsentant SSS. Trinitati clavos, quibus V. Marina fuerat vulnerata. f. 254. c. 1.*

*Deus illi manifestat periculum damnationis, in quo versabatur magna quædam Domina. f. 284. c. 2. & f. 285. c 1.*

*Aliàs ipsi repræsentat malũ latronem. f. 288. c. 2.*

*Et quendam tenacem proprij judicij. f. 289. c. 1.*

*Præterea statum magnatum & administrantium Rempublicam. f. 289. c. 2. & seqq.*

*Et mirabile mysterium duorum juvenum Hispanorum. f. 293. c. 1. & 2.*

*Videt diabolum in specie tauri, quem S. Angeli conantur cõprehendere, sed frustra. f. 297. c. 1. 2.*

*Repræsentatur illi Sacramentum Pœnitentiæ. f. 299. c. 1.*

*Videt quinque Angelos, qui ferunt pretiosos thesauros. f. 299. c. 2. ad fin.*

*Exhibetur ipsi superbia instar bestiæ habentis septem capita. f. 304. c. 1.*

*Videt multitudinem pauperum, ac divitum, & quid petant à Deo. f. 305. c. 1.*

*Ducitur ad cœlum viâ caliginosâ. f. 306. c. 2.*

*Commendatur illi à Christo Domino devotio certi numeri Missarum. f. 323. c. 1.*

*Discit à Beatissima Virgine aliam devotionem quatuor Missarum. f. 324. c. 1.*

*Beatissima Virgo illi gratias agit, quòd promoveat devotionem Rosarij. f. 325. c. 1.*

*Docetur à Deo, quibus vijs, & quâ curâ ab illo animæ ducantur. à f. 325. c. 1. ad f. 336. c. 2.*

*Et quòd per Christi humanitatẽ oporteat pervenire ad cognitionem Divinitatis. f. 328. c. 2.*

*Ascendit ad cœlum per scalam, & unit se Deo. f. 339. c. 1.*

*Elevatur à Deo ad novum gradum contemplationis. f. 347. c. 2. & f. 357. c. 1.*

*Discit à Deo, ubi sit vera solitudo, quam optabat. f. 350. c. 1.*

*Adit possessionem Regni cœlestis. f. 351. c. 1.*

*Dormiens juxta limen cœli somniat, suam animam esse solutam à corpore. f. 353. c. 1.*

*Dum Deum orat, ut Reges Hispaniæ & Galliæ ineant pacem, abripitur in cœlum. f. 373. c. 2.*

*Habet undecim Angelos sibi in cubiculo continuè commorantes. f. 385. c. 1.*

*Fuit illi acceleratus usus rationis, quando attigit viginti duos menses ætatis. f. 422. c. 1.*

*Complectitur speciali affectu Ordinem S. Dominici, & Societatem Jesu. f. 417. c. 1.*

*Morbi ipsius, judicio Medicorum, oriebantur ex causis supernaturalibus. f. 425. c. 2.*

*In sua juventute petijt à S. Teresia à Jesu, ut ipsam admitteret ad suum Ordinem, sed Sanctæ Deo revelante discit, illam servari ad majora. f. 428. c. 1.*

*Habet quinque stigmata, sibi à Christo Domino impressa: manuum & pedum invisibilia, lateris verò apertum, stillans sanguinem, & aquam. f. 469. c. 1.*

## Miracula Ven. Marinæ.

*Cubiculum Ven. Marinæ, ab omni adverso odore immune, fuit grande miraculum. f. 453. c. 1. & f. 454. c. 1.*

*Miraculosè quoque semper mansit illæsum ejusdem corpus per triginta annos, quibus continuè decubuit. f. 454 c. 2.*

*Solo attactu sanat malè habentes. f. 455. c. 1. & f. 456. c. 1.*

*Mulier Mahometana obstinatissima derepentè convertitur, orante V. Mariná. f. 457. c. 1.*

*Alia V. Marinæ miracula. à f. 457. ad 461. c. 2.*

*Item alia à f. 462. ad 465.*

*Duæ puellæ nescientes scribere, id subitò discunt à ven. Marina. f. 462. c. 2.*

*Miracula, quæ referunt ipsius Confessarij. à f. 466. c. 1. usque ad f. 469. c. 1.*

## Modestia.

*Ven. Marina movet alios suâ rarâ modestiâ ad devotionem. f. 427. c. 1.*

*Alios componit ad modestiam. f. 427. c. 1.*

*Non novit de facie V. P. Ludovicam de Ponte, suum per 30. annos Confessarium. f. 415. c. 1. & 2.*

## Mors Ven. Marinæ.

*Ven. Marina intelligit à Deo, se post septennium morituram. f. 72. c. 1. & 2.*

*Deus illi revelat, qualem sit habitura mortem. f. 401. c. 2. & f. 402. c. 1. & 2.*

*Idem ipsi revelatur à S. Benedicto. f. 404. c. 1.*

*P. Michaël de Orenja fusè refert ipsius mortem, sepulturam, & exequias. à f. 405. ad 411.*

*Et fusiùs Dominus Franciscus de Vinjucla. à f. 411. c. 1. usq; ad f. 419.*

## Mortificatio.

*Ven. Marina, quamdiu prosperâ utebatur valetudine, assiduè exercebat corpus voluntarijs afflictionibus, ùt cilicijs asperrimis, vigilijs, & flagellationibus. f. 422. c. 1.*

*Tolerabat sitim per complures dies abstinendo à potu.* ibid.

*Multo tempore abstinuit ab esu carnium & pi-scium.* ibid.

# Index Rerum notabilium.


*Induebat asperum tunicam talarem super nudam carnem.* ibid.

*Per plures continuas horas immota orat flexis genibus.* ibidem.

*Somnum capit incumbens sarmentis, capiti supponendo lapidem.* ibid.

## O.

### Obedientia.

*Ven. Marina vovit obedientiam exhibendam arbitris suæ conscientiæ. f. 427. c. 2.*

*Nihil agit absque eorundem approbatione & consensu.* ibid. *& f. 428. c. 2.*

### Oratio.

*Ven. Marina jubetur à Deo orare pro animabus parvulorum, qui sunt defuncti minores septennio. f. 280. c. 2.*

*Discit à Beatissima Virgine orare, obtestando Deum per primum actum Christi Dom. f. 320. c. 1.*

*A Deo autem docetur, esse orationem longè efficacissimam, dum aliquid petitur per ultimum ejusdem Domini actum. f. 321. c. 1.*

*Præterea, ut dicat septies certam orationem, loco septem Horarum Canonicarum. f. 322. c. 1.*

*Intelligit, gratum esse Deo devotionem, quâ honorantur quinque vulnera Christi Domini, dicendo quinquies Pater & Ave.* ibid. *c. 2.*

## P.

### Parvuli.

*Ven. Marina videt in cœlo animas parvulorum occupantes locum separatum ab alijs Sanctis. f. 88. c. 1. f. 177. c. 2. f. 383. c. 1.*

*Et honorantes Puerum Jesum. f. 177. c. 2.*

*Animæ parvulorum, qui obierunt necdum septennes, in Purgatorio. f. 280. c. 2.*

*Mirabilis visio ven. Marinæ de puero filio Nobilis Angli. f. 382. c. 1.*

*Parvuli, qui sunt mortui cum sola gratia baptismali fruuntur æquali gloria in cælo. f. 383. c. 1.*

*Beatissimæ Virginis sermo de animabus parvulorum. f. 384. c. 1.*

### Patientia.

*Mira fuit Ven. Marinæ patientia in tolerandis continuis morbis. f. 423. c. 2. & f. 425. c. 1.*

*Et in alijs adversis eventibus. f. 425. c. 2.*

*Pluris facit dolores, quàm alias Dei gratias.* ib.

### Paupertas.

*Ven. Marina, paupertatis amore, suæ renuntiavit legitimæ paternæ. f. 429. c. 1.*

*Obstrinxit se voto paupertatis, non tamen perpetuo, quia id ipsi non fuit permissum à Confessario.* ibid.

*Et alio de non habendis ullis bonis stabilibus. f. 430. c. 1.*

*Agit gratias Deo, videns se redactam ad summam inopiam. f. 429. c. 2.*

*Dolet, sibi abundanter provideri de necessarijs.* ibid.

*Quæ illi dabantur nomine eleemosynæ, dicebat non esse sua, sed Dei, cujus se appellabat œconomam. f. 430. c. 1. & 2.*

*Mira V. Marinæ parsimonia, etiã dum ipsi Deo de abundantibus providit eleemosynis. f. 431. c. 1.*

### Peccatum.

*V. Marina mavult pati pœnas inferni, quàm advertenter committere peccatũ veniale. f. 65. c. 1.*

*Et privari cœlesti gloriâ, quàm Deum vel in minimo offendere. f. 130. c. 1.*

*Multi Christiani suis peccatis denuò crucifigunt Christum Dominum. f. 302. c. 2.*

*V. Marina videt Deum iratum propter peccatum Adami. f. 186. c. 2.*

*Christus Dominus dolenter queritur de peccatis populi Christiani. fol. 241. col. 2. & universim. f. 134. c. 2.*

*Mittit Angelos in mundum, ut exhortentur homines ad agendam pœnitentiam de peccatis. f. 252. c. 1.*

*Peccata provocant Deum ad exercendam suam justitiam. f. 284. c. 1.*

*Multi peccando æmulantur diabolos. f. 303. c. 1.*

*Anima dedita studio perfectionis, debet semmè abhorrere à peccato veniali. f. 364. c. 1. & 2.*

### S. Petrus.

*Visitat V. Marinam cum S. Joanne Baptista. f. 41. c. 1.*

*Annuit omnibus ipsius postulatis.* ibid. *c. 2.*

*Dat illi clavim, quâ animabus aperiat cœlum. f. 102. c. 1. & 2.*

*Et tres nummos, qui sunt symbolum charitatis. f. 103. c. 1. & 2.*

*Commendat nomine Dei Angelis, ut specialem habeant curam ven. Marinæ.* ibid.

### Prophetiæ donum.

*V. Marina prædicit Beatificationem S. Ignatij, etiámque Canonizationem: & utrumq; ipsâ vivente evenit. f. 445. c. 2.*

*Prædicit pestem, & cujusdam mortem. f. 445. c. 2. Iterúmq; mortem alterius. f. 446. c. 1. & f. 447. c. 1. Et filiæ Regis Hispaniarum. f. 448. c. 2. atque Regis Sveciæ Adolphi. f. 449. c. 1.*

*Solatur suam sororem afflictissimam scrupulis conscientiæ, & prædicit morituram absque ulla anxietate. f. 446. c. 2.*

*Prævidet quandam Societatis Jesu persecutionem, & felicem ipsius exitum. f. 449. c. 2.*

*Et plura alia. à f. 449. usque ad 452.*

### Prudentia.

*Rara fuit V. Marinæ prudentia. f. 432. c. 1.*


*Præfer-*

*Præsertim in dandis consilijs.* ibid.

*Tum in gubernanda familia. à f. 431. usque ad f. 435.*

## Purgatorium.

*Ven. Marina liberat simul duodecim animas ex purgatorio. f. 134. c. 1.*

*Ejusdem precibus liberatur ex purgatorio anima Marchionissæ de Tabara. f. 278. c. 1. Et anima Comitissæ de Nieva. f. 283. c. 2. & iterum alia. f. 283. c. 1.*

*Deus non vult, ut V. Marina concessas sibi Indulgentias applicet cuidam animæ existenti in purgatorio. f. 280. c. 1.*

*Pro animabus parvulorum non solemus orare, cùm tamen aliquando decedant in peccatis venialibus, quæ luunt in purgatorio.* ibid. *c. 2.*

*Anima cujusdam Religiosi comparet V. Marinæ, eique significat, se pati pœnas purgatorij propter inordinatũ affectum erga consanguineos.* ib.

*Alia tantùm pertransivit purgatorium, quia ante mortem cor penitus abstraxerat ab omnibus rebus creatis. f. 281. c. 1.*

*Non quævis purgatorij pœna excedit quasvis hujus mundi pœnas.* ibid. *c. 2.*

*Ven. Marina videt animam cujusdam magni Domini in purgatorio, propter nimiam severitatem in judicando, quæ petit ab alia anima gloriosa, ut ipsi impetret liberationem ex ijs pœnis. f. 290. c. 1.*

# S.

## Sancti.

*Revelantur V. Marinæ à Deo differentes gradus beatitudinis Sanctorum. f. 87. c. 2.*

*Videt, quomodo se Deus Sanctis in cœlo communicet. f. 200. c. 2. f. 204. c. 1.*

*Videt in cœlo celebrari festum omnium Sanctorum. f. 154. c. 1. f. 214. c. 1.*

*Sanctorum in terra degentium preces sunt quandoque efficaciores, quam eorum, qui regnant in cœlo. f. 381. c. 2.*

## Sanctissimum Sacramentum Altaris.

*Ven. Marina adest solemnitati, quâ hoc Sacramentum honorantur à Sanctis in cœlo. f. 159. c. 1. f. 195. c. 1. f. 197. c. 1.*

*Videt festum, quod in ejusdem honorem celebrant Angeli. f. 275. c. 1.*

## Societas Jesu.

*S. Dominicus agit encomiasten Societatis JESU. f. 120. c. 2.*

*V. Marina videt gloriam, quâ in cœlis fruuntur, qui in hac Societate vixerunt. f. 135. c. 2.*

*Beneficium Dei est mori in Societate eadem: & qui ex illa egrediuntur, exponunt se periculo damnationis. f. 138. c. 2.*

*Sanctus Patriarcha cujusdam Ordinis Religiosi non agnoscit pro suis filijs, qui persequuntur Societatem Jesu. 139. c. 2.*

*Christus Dominus se exhibet iratum persecutoribus ejusdem Societatis.* ibid.

*Societas Jesu accepit speciale à Deo donum regendi animas. f. 140. c. 1.*

## Spes.

*Ven. Marina firmissimè sperabat se salvandam. f. 311. c. 2.*

*Nec unquam de hoc dubitare, aut timere visa fuit.* ibid.

## Spiritus Sanctus.

*Ven. Marinæ ducitur à Spiritu Sancto ad cœlum. f. 77. c. 1. f. 85. c. 1. f. 95. c. 2.*

*Idem restituit illi cor ablatum à Christo Domino. f. 219. c. 2.*

*Communicat ipsi quoddam donum linguarum. f. 256. c. 2.*

*Visitat illam, secúmque unit. f. 347. c. 1.*

# T.

## Timor Sanctus.

*Quamvis ven. Marinæ fuerit revelatum, quòd esset confirmata in gratia, nihilominus timet, nè Deum offendat. f. 55. c. 2.*

*Timor Dei sanctus reddit animas securas in divino servitio. f. 57. c. 1.*

*Christus Dominus scripto reddit securam Ven. Marinam, in ipsius sanctis Timoribus. f. 60. c. 1.*

*Sanctus timor repræsentatur Ven. Marinæ in cruce argentea. f. 63. c. 2.*

*Est custos spiritus, & cœlestium donorum Ven. Marinæ.* ibid.

*Fuit certum indicium idem timor, quòd verus & bonus esset spiritus, à quo Ven. Marina regebatur. f. 56. c. 1. f. 60. c. 1. f. 143. c. 2. f. 148. c. 2.*

*Absque hoc timore non pervenitur ad apicem perfectionis. f. 393. c. 1.*

# V.

## Veracitas.

*Ven. Marina abhorrebat ab omni falsitate & fictione. f. 434. c. 2. f. 435. c. 2.*

*Neque ullam patiebatur in alijs.* ibid.

# FINIS.


Collegii Societ. Jesu Paderborn
1697

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MARINA

Th
922 a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Vita
V. V.
Marina
de
Escobar
RV
16